
ACTA SYNODALIA SACROSANCTI CONCILII OECUMENICI VATICANI II

VOLUMEN II

PERIODUS SECUNDA

PARS II

CONGREGATIONES GENERALES XL-XLIX



TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS
MCMLXXII

CONGREGATIONES GENERALES

CONGREGATIO GENERALIS XL
3 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XL

3 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis S. Concilii*:

Moderatur hanc congregationem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Petierunt verba facere circa introductionem et cap. I [1] schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Beniaminus Arriba y Castro, arch. Tarraconensis in Hispania, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Paulus M. Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia, Carolus Confalonieri, Augustinus Bea; exc.mi DD. Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, Gerardus de Proença, arch. Adamantinus in Brasilia, Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis in India, Aemilius Blanchet, arch. tit. Philippopolitanus, Abilius del Campo, ep. Calaguritanus in Hispania, Simon Hoa Hien, ep. Dalatensis in Vietnam, Hyacinthus Argaya, ep. Mindoniensis in Hispania, Hermannus Volk, ep. Moguntinus in Germania, Antonius Pildáin, ep. Canariensis in Hispania, Angelus Jelmini, ep. adm. ap. Luganensis in Helvetia, Ioannes Heenan, arch. Vestmonasteriensis in Anglia, Felix Scalais, arch. Leopoldopolitanus in Congo, van Velsen, ep. Kroonstaden. in Africa Meridionali.

Nunc mihi dixerunt loqui petiisse em.mum card. Lercaro, qui suo nomine et ante alios cardinales loquetur.

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO
Archiepiscopus Bononiensis

Venerabiles Patres,

Ante omnia declaro titulo prorsus personali me hic locuturum esse.[1]

Ut autem magis sit perspicua oratio mea, in partes tres dividitur.

Pars prima: quae ad tres locos attinet gravissimos huius cap. I quos aliquomodo corrigendos existimo.

Permulti oratores emendationes minoris momenti proposuerunt:

---

[1] Cf. initium disceptationis circa prooemium et cap. I schematis *de Ecclesia* in vol. II, parte I, pp. 391 ss.

huius enim capitis redactio, etsi globatim talis est ut nos gratissimos commissioni reddat quae id elaboravit, ad verbum — ut ita dicam — recognitione eget, praesertim ut evidens sit et semper idem usus praecipuorum vocabulorum (Ecclesia, societas, Corpus mysticum et similia) quae varia significatione et ambigua saepius *videntur adhiberi.*[2]

Sed insuper, tres sunt maximi momenti emendationes quas alii oratores iam proposuerunt quasque novis et — ni fallor — validioribus argumentis defendere conabor.

1. Verum quidem est adfirmare « Ecclesiam ut societatem visibilem, et mysticum Christi Corpus non duas res esse sed unam tantum ». Res una sunt, sed non secundum unam rationem formalem sed secundum duas distinctas rationes.

Ecclesia, ut societas, et Corpus Christi mysticum duos aspectus distinctos exprimunt qui plene et perfecte simul incidunt quod attinet ad ordinem essentialem et ad divini Conditoris normam constitutivam, qui tamen eodem modo iidem esse non possunt in ordine existentiali et historico: hoc enim in ordine duo illi aspectus eamdem amplitudinem non semper habent, inter se contentiones etiam nunc praebent et usque ad humanae historiae finem praebebunt, cum tandem Ecclesiae et mystici Corporis identitas et aequalitas consummata et manifestata erit.

Qua de re id, quod Harlemensis episcopus nomine neerlandensis conferentiae proposuit, valde probo: quod si tamen acceptum non erit, subordinate proponere velim adfirmandam esse Ecclesiae et mystici Corporis realem identitatem, sed illico adiiciendum esse « non secundum eamdem rationem »: si enim sic et simpliciter identitatem illam affirmaremus, nimia consequentia deduci possent, ut apparet ex nonnullis theologorum doctrinis quae post *Mystici Corporis* encyclicam fuerunt.

2. Quod ad par. 8 (pag. 12, lin. 3) attinet, i. e. ad cognitam iam assertionem « reapse et simpliciter loquendo Ecclesiae societati incorporantur illi tantum qui... iunguntur vinculis professionis fidei, sacramenti et ecclesiastici regiminis ac communionis ».

Iam maxima pars Patrum, qui de hoc capite locuti sunt, hanc assertionem reiecerunt: omnibus eorum emendationibus assentio, et id potissimum probo quod exc.mus Carli Signensis ep. proposuit: i. e. pro verbis « reapse et simpliciter » substituenda esse verba « plene et perfecte ».

Argumentum tantum pro hac emendatione adiicere volo quod, saltem ut mihi videtur, nemo attulit.

Haec emendatio non tantum neque praecipue ex argumentis, ut ita dicam, oecumenicis pendet: non praecipue ut nostris christianis fratri-

bus indulgeamus, confiteri debemus eos Ecclesiae incorporatos esse eorum baptismatis virtute.

Sed haec doctrina — qua per baptismum valide acceptum in Ecclesia in compage visibili homines semel et semper iunguntur — doctrina catholica est quae omni aetate valuit: ut deducitur e Bulla de Armeniorum Unitate, in Florentino Concilio, e can. 2 « De Poenitentia » sess. XXIV Tridentini Concilii, e can. 87 Codicis Iuris Canonici et, verbis clarioribus, e norma parallela novi Iuris Canonici pro Orientalibus quam a nemine audivi citatam, quae rem diudicat quia novum illud ius anno 1957 sancitum est, post encyclicas ergo *Mystici Corporis*.

Doctrina igitur catholica traditionalis est baptismum secundam nativitatem hominis esse quae constituit hominem personam in Ecclesia et eum Ecclesiae incorporat et quidem irrevocabili modo propter ipsum indelebilem sacramentalem characterem: non obstantibus schismate vel haeresi vel apostasia, quae minuere tantum possunt plenam fruitionem iurium et bonorum socialium...[3]

3. Nihil schema dicit, ne breviter quidem, sed explicite et formaliter de relatione ontologica inter Ecclesiae mysterium et Eucharistiam non ut sacramentum tantum sed ut actionem etiam et quidem ut actionem communitariam.

Dicendum est nos per Eucharistiam a mundo carnis et peccati in regionem Christi caelestis et gloriosi transduci, ad vitam in Spiritu. Per Eucharistiam ergo christifideles coadunantur et constituuntur in actu populus electus Novi Testamenti, ipsi in regnum caelorum ante diem introducuntur, cum Patre reconciliantur et vivificantur.

Per Eucharistiam Ecclesia actionem ultimam et perfectam agit quam in terris agere potest, *Ἐκκλησία* vere est: ita ut Ecclesia formaliter et essentialiter constituatur coetus culticus; extra hanc actionem Ecclesia, certo, iam est sed tunc tantum in actu perfecte est cum communitas in Spiritu coadunata consumit et consumitur in uno pane quod Corpus est Christi verum, *quo unum Corpus sumus*.[4]

Secunda pars: Biblicae imagines et intima vis, *dynamismus ut dicitur*,[5] Ecclesiae.

Magna animi commotione et gaudio audivi quod nonnulli oratores dixerunt maiorem in lucem proferendas esse perspicuas biblicas imagines, eas praesertim quae de Dei familia sunt et de regno caelorum (de quibus novam paragraphum ad hoc addendum puto).

Consentio etiam cum em.mis Rugambwa et Gracias et exc.mis Garrone, Elchinger, Djajasepoetra, Ancel, Guano de connexione inter ima-

gines illas et intimam Ecclesiae vim et δύναμιν, id est Ecclesiae impulsionem essentialiter missionariam in totum orbem cuius verus sensus est non praeesse sed servire.

Unum tantum adiungere conor quod complere et illustrare poterit sententias Patrum quos supra memoravi.

Ecclesia in Vetere Testamento et in Prophetis praecipue in Evangeliis et in apostolorum scriptis nominatur Novum Genus (*1 ad Cor.; ad Rom.*[6]), Nova Creatio (*2 ad Cor.; Gal.*[7]), in Christo Iesu in quo omnes creati (*ad Eph.*[8]) et convivificati et conresuscitati sumus (*item ad Eph.*[9]).

Igitur notio Ecclesiae ut Novae Creationis quae emanat a Christo paschali — crucifixo et glorificato — constituit optimam relationem, *optimum fundamentum relationis* [10] inter Ecclesiam ipsam et omnes res quae creatae sunt, relationem nempe inter regnum caelorum et totam historiam hominum.

Hoc quidem certe ad Ecclesiam spectat: omnes creaturas, creationem totam adsumere in se et colligere. Sed ista assumptio et recapitulatio omnium rerum, esse non potest mera quaedam assumptio: neque sufficere potest assumptio animo religioso fine latreutico facta. Debet esse vera Nova Creatio quae totaliter transfiguret primam creationem a peccato et a diabolo violatam: transfiguratio est quae fit per crucem, exigit *kenosim* et postulat mortem et resurrectionem.

Non potest esse mera sublimatio psychologica vel ethica neque mera consecratio religiosa sed debet esse alterum nasci, deorsum nasci, partus cum magna pressura (*ut in Ioanne* [11]): uniuscuiusque hominis, omnium hominum, totius creaturae (*ut in ad Romanos* [12]).

Ecclesia est matrix simul et fructus huius partus cosmici. Unde Ecclesiae vis et δύναμις, unde missio Ecclesiae de qua dixerunt em.mi Rugambwa et Câmara, exc.mus Ancel et ceteri.

Qui noluerunt certe in constitutionem dogmaticam introducere descriptionem rerum et factorum Ecclesiae huius temporis; sed dicere theologice voluerunt de mysterio Ecclesiae et ad promulgationem eius mysterii aliqua magna principia quae in Evangelio sanciunt modum verissimum et efficacissimum praesentiae Ecclesiae in mundo et in toto mundo: praesentia quae est potissime *martyrion,* id est testimonium purissimum Evangelii coram omnibus hominibus; praesentia quae est potissime *diaconia,* id est servitium quod praebetur ab eo qui semper et humillime eligit minimus esse et servus omnium, praesertim eorum qui parvi sunt et humiles et pauperes, quibus, *iuxta Lucam, sextum,*[13] datur sine spe aliquid recipiendi...[14]; praesentia tandem quae est *missio* Ecclesiae in mundum universum ad praedicandum Evangelium omni crea-

turae...[15] ita ut Ecclesia nunquam se existimare possit stabilem et perfectam in quadam gente aut natione aut lingua aut humano cultu.

Hoc non est historia Ecclesiae, sed doctrina de Ecclesia.

In tertia parte, hanc paucissimis verbis propositionem facere velim.

Patres [16] qui ante me dixerunt pretiosam *prorsus* [17] operam dederunt non solum ad singulas emendationes proponendas, sed etiam ad melius in universum *totum* [18] hoc caput reddendum.

Commissio de doctrina, quae iam cum magna sollertia et constanti consensionis desiderio laboravit — eique iterum gratias agimus multas — nunc ad maiora vocatur.

Cum ante oculos propositiones habeat quae altiorem tonum maioremque vigorem totius capitis reddere possint quaeque tributum sunt non huius vel illius episcopi sed saepius cunctae cuiusdam conferentiae episcopalis, commissio de doctrina non poterit tantum minores accommodationes apportare; commissio, ut mihi videtur *humillime,*[19] cogitatione revolvere totum caput debebit, etsi praesenti redactione ut basi valida uti poterit.

Ad hunc finem et ad adaequationem huius capitis cum allocutione Summi Pontificis, commissio optimo consilio vocabit ad cooperandum Patres illos qui in ultimis congregationibus nostris ostenderunt se de Ecclesia tanta cum amplitudine et magnanimitate cogitare.

Occasio *hic datur prima* [20] ad applicandam normam art. 65 par. 4 Ordinis Concilii, qua Patres admitti et audiri possunt in sessionibus specialibus commissionum conciliarium.

Titulo prorsus personali et salvo meliore iudicio, oro humillime em.mos Silva, Rugambwa, Gracias et exc.mos Ancel, Guano et alios ut velint inter se comparare et coordinare propositiones suas *magnificas* [21] quae mihi videntur facile coordinari posse; auspicio exprimo eos a commissione de doctrina convenienter audiri ut conferre possint ad altiorem et pleniorem nobilioremque formam reddendam doctrinae de mysterio Ecclesiae pro hominibus huius temporis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Praemitto me loqui titulo prorsus personali. [2] adhibentur. [3] Quod aliter schema adfirmare videtur, corrigendum est utpote novum quoddam, non congruens verae constantique Ecclesiae traditioni. [4] deest. [5] quasi dynamismus. [6] (*1 Cor.* 15, 22. 45; *Rom.* 5, 15). [7] (*2 Cor.* 5, 17; *Gal.* 6, 15). [8] (*Eph.* 2, 10). [9] (*Eph.* 2, 5). [10] deest. [11] (*Io.* 16, 21). [12] (*Rom.* 8). [13] deest. [14] (*Luc.* 6, 34-35). [15] (*Mc.* 16, 15). [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] datur. [21] deest.

2

EM.MUS P. D. BENIAMINUS CARD. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Venerabiles Patres conciliares,

Liceat mihi antequam finis imponatur tractationi cap. I de Ecclesia et gradus fiat ad cap. II aliqua verba proferre de B. Virgine Maria, nempe an doctrina mariana tractanda sit necne in schemate *de Ecclesia.*

Loquor nomine plus quam 60 Patrum, qui mecum votum subscribere petierunt.

In examine his diebus peracto schematis *de Ecclesia* ac speciatim de ipsius ordine determinando, Patres aliqui gravem suscitarunt quaestionem circa possibilem inclusionem in praefato schemate doctrinae a Concilio tractandae de B. Virgine Maria.

Factum praedictum duplicem inducit magni momenti quaestionem:

1. An doctrina conciliaris de B. Virgine Maria peculiari sit schemate proponenda vel minus.

2. Si, demum, doctrina mariana in schemate ecclesiologico esset pertractanda, quisnam in illo schemate locus aptior esset iudicandus?

Conveniens responsio duplici enuntiatae quaestioni, non opportunum solum sed et necessarium convincit interventum nostrum, disputatione perdurante cap. I *de Ecclesia,* quippe quod, ut postmodum liquido apparebit, propositum problema intime connexum esse poterit cum praefato capitulo.

Problema autem istud grave diximus, quoniam B.mae Virginis Mariae mysterium consone est a sancta Synodo proponendum cum illis proprietatibus atque cum ordine illo quibus a Deo est in oeconomia salutis dispositum. Ad hoc autem obtinendum magni momenti est locus tractationi idoneus.

Quaerimus ergo iterum: quisnam est locus iste idoneus existimandus?

Duplici illa possibili solutione prae mente habita, responsio nostra plana atque sincera est, criterium hucusque officiale assignans doctrinae de B. Virgine Maria speciale schema, satis melius putandum his praecipue rationibus:

1. Quoniam si adaequate mysterium Mariae et mysterium ipsius Ecclesiae comparari possent, mysterium marianum non minus sed maius esset agnoscendum.

2. Amplior facilitas ad doctrinam marianam iuxta proprias ipsius conditiones enucleandam.

3. Difficultas marialem doctrinam coarctandi et harmonice proponendi in alieno schemate.

4. Periculum imminuendi B. Virginis celsitudinem atque missionem ex inadaequatis praedesignati loci conditionibus.

Haec omnia sereno animo considerantes, propositum hucusque officiale in quo peculiare statuitur schema *de B. Virgine,* felicius atque efficacius putamus.

Sed attendamus etiam opinionem illorum qui tenent doctrinam de B. Virgine in schemate *de Ecclesia* posse melius proponi.

Huiusmodi solutionem acceptabilem dicimus vel minus: pendebit siquidem a modo marialem doctrinam declarandi.

Solutionem quamlibet per quam characteres et limites ecclesiales B. Virgini imponantur, ita ut Deiparae magnalia, eius missio et super Ecclesiam transcendentia oblivioni mandentur, acceptare non possumus.

Potest namque accidere ut aliqui erratas aliorum *opiniones* [1] nimis attendentes, B. Virgini positionem mere passivam assignent; positionem, dicimus, in oeconomia salutis unice receptivam aut Ecclesiae repraesentativam. Ita videlicet ut B. Virgo nihil aliud credatur nisi prima a Christo redempta, et, qua talis, Ecclesiae culmen, exemplar et figura. His omnibus praecognitis et admissis, si B. Virginis munus salvificum eiusque mediatio negentur, amittitur prorsus activus et vitalis influxus Mariae in ecclesiali mysterio. Si res ita se habet, Maria utique prima Ecclesiae filia diceretur; re tamen vera, est Ecclesiae Mater.

Quia ergo deformationem mysterii mariani eiusque diminutionem admittere non possumus, neque compendiosam quamlibet considerationem neque in schemate *de Ecclesia* minus aptam inclusionem probabimus quae deformationi vel diminutioni *praedictae* [2] ansam praebeant.

Volumus autem animo benevolo et ampla mente considerare inclusionem doctrinae marialis in schemate *de Ecclesia.* Dicimus ergo praedictam inclusionem non utique uti meliorem solutionem, sed absolute recipi posse, dummodo titulo officialis schematis vere fideliterque respondeat, nempe: De B. Virgine, Ecclesiae Matre.

Maria, equidem, praedestinata est Dei hominumque Mater quia, uti saepe saepius tradiderunt nobis Patres et Romani Pontifices (inter quos speciali mentione digni memorantur S. Pius X et Pius XII), Maria ad Capitis Corporis mystici maternitatem evecta et mater spiritualis efficitur membrorum.

Ecclesia igitur pendet in sua natura, exsistentia et vita a maternitate

spirituali Virginis Mariae, quae, ex sua parte, est prorsus dependens et omnino subordinate cooperatur actioni regeneratrici et salutari Iesu.

Unde bene loqui possumus de Maria cum de Ecclesia loquimur, ita tamen ut mysterium marianum totum influat mysterium Ecclesiae. Maria enim vere est Mater Ecclesiae.

Quare, si schema B. Virginis includeretur in schemate Ecclesiae, has duas conditiones nos proponeremus:

1. Doctrina de B. Maria Virgine exponatur immediate post cap. I praesentis schematis Ecclesiae, sed non sub eodem capite, sed novum caput efformans, quod cap. II appellaretur. Si enim doctrinae de populo Dei, de hierarchia, de laicis caput integrum et proprium conceditur, nonne hoc maiori merito concedendum erit doctrinae de B. Virgine Maria?

2. Doctrina de B. Virgine Maria in hoc cap. II schematis *de Ecclesia* ea extensione et profunditate tractetur quam exigunt eiusdem Virginis privilegia, altissima missio et maternale munus ad quod Deus ab aeterno eam elegit et prout de facto in historia revelationis locum habuerunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] opinationes. [2] praedictis.

3

EM.MUS P. D. CAROLUS CARD. CONFALONIERI

Venerabiles Patres,

Disserentes de Ecclesia, quam, singulare donum a Patre hominibus elargitum, suo sanguine condidit Christus Dominus, et Pentecostes die peculiari virtute caelitus delapsa roboratam, manifeste promulgatam voluit, si huius Sanctae Synodi mens erit pleniorem definitionem Ecclesiae promere, videtur non praetereundum factum illius Sancti Spiritus effusionis recolere, idque loco magis idoneo, constrictisque utique verbis, in nostrum schema inserere.

Etenim, post Spiritum Sanctum, die Pentecostes, ignitarum linguarum specie susceptum, eodemque Paracleto repleti, tunc primo mundo collocuti sunt apostoli, prima vice « stans Petrus cum undecim levavit vocem suam et locutus est»...[1], iucundissimam et vere locupletem messem colligentes: « appositae sunt scil., animae circiter tria milia »...[2] Agitur proinde de prima ac solemni manifestatione nostrae Ecclesiae quam unam sanctam catholicam et apostolicam edicimus et praedicamus...[3]

Nedum ergo absonum, consentaneum potius apparet in tanti mo-

menti schemate, quo omnia fere elementa Ecclesiae, solemnius quam superioribus temporibus, in praesenti Concilio oecumenico pertractantur, ipsius Ecclesiae splendidissimam apparitionem memorari.

In Concilii insuper documentis praevenientibus et concomitantibus saepe saepius audivimus Concilium oecumenicum novam et praeclaram Pentecostem esse novamque Epiphaniam, et a doctrina et a spiritu Pentecostes substantiam et vitam accipere; hoc Vaticanum templum veluti altero apostolorum coenaculo comparari, et quemadmodum apostoli in coenaculum ita et nos hoc templum ingredi *posse* [4]; *ut* [5] grande huiusmodi eventum veluti novam Pentecostem evasurum ac inde rursus Spiritum Sanctum prodigiali modo in Ecclesiam caelestium donorum copiam effusurum, in eaque *renovari* [6] Pentecostes mirabilia. Satis.

In textu scripto tradito: [1] (*Act.* 11, 4. 14). [2] (*ib.* 41). [3] De qua antiquioris aetatis praefatio ambrosianae Ecclesiae, in missa pro baptizatis, mane die sancto Pentecostis, canit: " ... quia hodie Sancti Spiritus celebramus adventum. Qui principiis nascentis Ecclesiae, cunctis gentibus imbuendis, et deitatis scientiam indidit et loquelam. In diversitate donorum mirabilis operator, unitatis variarumque gratiarum distributor... " (Sacramentarium Bergomense, ed. A. Paredi, Bergamo, 1961, p. 204). [4] debere. [5] deest. [6] renovatum iri.

4

EM.MUS P. D. PAULUS M. CARD. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Em.mi Praesides, venerabiles Fratres,

Duas tantum emendationes reverenter propono ad cap. I schematis *de Ecclesia.*

1. Mihi videtur exoptandum ut in introductione fiat ampla mentio textus cap. I epistolae ad Ephesios. Haec apostoli verba videntur esse verum summarium totius doctrinae de Ecclesia quae bene exponitur in schemate. Etenim versicula huius capitis epistolae Pauli possent, non solum illustrare talem doctrinam, sed etiam assumi ut eius fundamentum inspiratum ac completum, speciatim a versiculo 3 ad 6, a versiculo 10 ad 12, et tandem in versiculis 22 et 23.

2. Non apparet sufficienter, ni fallor, in diversis numeris istius capitis schematis visio Ecclesiae orantis. Nam si Ecclesia, ut saepe saepius dicitur, Christi continuatio est, non possumus oblivisci quod Christus in terra diu noctuque oravit et nunc in caelo semper ad interpellandum

pro nobis constituitur. Ergo Ecclesia manifestanda est quoque in sua functione praestantissima orationis, supplicationis, contemplationis, gratiarum denique actionis. Dixi.

5

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Patres,

« Ecclesia est sacramentum intimae totius generis humani unitatis eiusque cum Deo unionis ». Sic, benissime et aptissime loquitur introductio schematis *de Ecclesia*. Immo dicit sacramentum esse tum signum tum instrumentum huius unitatis et unionis...[1] Ideoque, in par. 7...[2], schema optime dicit: « Ecclesia... his in terris mediorum sanctificationis compage constat ».

Fere omnes aliae propositiones, seu sententiae, schematis loquuntur de Ecclesia ut communitate fidei, amoris et gratiae. In hoc sensu, Ecclesia identificatur cum hominibus Deo iam unitis; est effectus actionis divinae sanctificantis et unificantis. Proinde schema valde deficiens est, fere silens de modo in quo Ecclesia est signum et instrumentum unionis, de mediis sanctificationis quibus Ecclesia constat, et de actionibus quibus ministerium exercet et missionem implet.

Meo iudicio par. 7, de Ecclesia in terris peregrinante, immediate post verba « constat et sustentatur » in lin. 7, tractatum saltem genericum de dynamismo, de ministerio salvifico Ecclesiae continere debet. Hic inveniri debet praesertim theologia de Verbo Dei, vivente et efficaciter operante in Ecclesia Christi. Verbum et Sacramentum, cum regimine, ministerium activitatemque Ecclesiae salvificam et sanctificantem comprehendunt.

« Praedicare », « docere » — conceptualiter, hae activitates fere synonymae sunt cum Ecclesia; realiter tamen in multis regionibus Ecclesiae vix exercentur, in aliis tantum debiliter; aestimationem vero reverentiamque debitas in paucissimis recipiunt.

Causalitas sacramentorum a synodo Tridentina tam clare et perfecte enucleata, efficaciam Verbi in Ecclesia praedicati in umbras...[3] abiiciebat. Reformatio liturgica, renovatio ecclesiastica, « aggiornamento » doctrinalis et disciplinaris — omnia haec sine instauratione praedicationis ad pristinam dignitatem ne concipi quidem possent.

Nec dicatur hanc materiam pertinere ad aliud schema vel ad aliam commissionem! Anno praeterito, magno cum gaudio schema *de Verbo*

Dei accepimus ex secretariatu pro christianorum unione. Quis scit ubi, quando, vel quomodo amissum aut praetermissum aut reiectum fuerit. Sed nihil importat. Theologia de Verbo Dei in schemate *de Ecclesia* institui ab initio debebat, quia Verbum Dei vivit, illuminat et vivificat solummodo in Christi Ecclesia.

Verbo et opere Deus hominibus se revelat ac communicat: haec est historia salutis humanae. In Christo protulit Deus hominibus verbum ultimum et opus salutis perfectum. Et verbum et opus, signa amoris divini indeficientis, perdurant, operantur, et manifestantur in Ecclesia et per Ecclesiam, quae ipsa est sacramentum eiusdem amoris. Verbum et opus sacramentale essentialia sunt Ecclesiae; nec datur nec dari potest conceptus eiusdem adaequatus sine clara perceptione huius operis et huius verbi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (pag. 7, lin. 6). [2] (pag. 11, lin. 5). [3] (imo in tenebras).

Animadversiones additae:

In fasciculo cuius titulus est « Emendationes super schema de Ecclesia », in pagg. 10-14, una exhibetur emendatio quae requirit inversionem ordinis par. 5 et 6 huius schematis. Haec emendatio commendata fuit tum a 13 episcopis ex Africa Centro-Orientali, tum a Patribus conciliaribus linguae germanicae et conferentiae episcoporum scandinavensium, tum a cardinali, archiepiscopis et episcopis regionis Parisiensis. Quibus omnibus nominibus illustrissimis ut etiam meum adiiciatur volo.

Ecclesia Christi est grex, est vinea et ager Dei, est Dei familia et populus, est Sponsa Christi. Vera sunt haec omnia; nihilominus non univoce sed analogice dicuntur. Utrum haec vel illa imago, seu analogia, maioris sit momenti quam aliae non possumus dicere. Certissime possumus negare ullam per seipsam, etiamsi sit mystici Corporis, posse Ecclesiam totaliter explicare. Unde omnes imagines, utpote scripturisticae, sunt magni momenti et non parvipendendae.

His perpensis, obiiciendum est, ut mihi videtur, non contra illa quae positive dicuntur in schemate de variis analogiis, sed contra diversos perfectionis gradus quos schema iisdem assignare videtur. Imaginem secundum quam Ecclesia est Corpus Christi intensive et extensive evolvit; alias imagines vix enumerat. Hoc modo, videtur schema distinguere inter illam ut primariam et essentialem ac has alias ut secundarias et accidentales. Talis distinctio affirmari neque debet neque potest, ideoque nec implicari nec permitti potest.

Em.mi Patres: Fructuositatem theologicam et cultualem multorum studiorum in Corporis mystici analogia fundatorum non ignoro, non nego, minuere non volo. Attamen negligentiam erga alias imagines iamdiu vigentem ut non sustineamus nec foveamus volo. Tempus est, mihi videtur, investigandi et enucleandi doctrinam in eisdem contentam. Quales et quantos fructus possimus ex huiusmodi investigationibus expectare, opera recentiora quae in consideratione « populi Dei » sistunt iam demonstrarunt.

Unde schema *de Ecclesia* sic ordinari debet ut talibus investigationibus tum

directionem tum impetum praebeat. Ineffabilitatem Ecclesiae perfectionis sic illustret ut omnibus fiat evidens omnes imagines et analogias in verbo Dei contentas necessarias esse ad eam clare intelligendam; attentionem tum peritorum tum fidelium ad divitias fidei tam multas, tam magnas, et tam neglectas dirigat.

Ad hunc finem attingendum sequentia iuvabunt: 1. Par. 5 actualis sequatur sextam; 2. Aliquantulum amplificetur discussio in par. 6 contenta saltem de aliquibus imaginibus; 3. Abbrevietur discussio de Corpore mystico.

Omnia haec expleri facile poterit, mihi videtur, componendo par. 6 emendationis parisiensis cum par. 6 emendationis germanicae ita ut illa fiat par. 5, haec fiat 6, schematis recogniti.

6

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

Venerabiles Patres,

Summus Pontifex Ioannes XXIII, *v. m.*,[1] statuerat a Concilio substantiam vitae christianae e puris fontibus Sacrae Scripturae et Traditionis illustrandam esse. *Possumus interrogare:*[2] respondentne capita quae nunc examinamus huic requisito? Certe, in multis respondent *et bene respondent,*[3] sed in aliis, *non paucis,*[4] minus. *Humiliter censeo*[5] textus biblicos omnino accurate examinandos esse, ut iam egregie notavit em.mus card. Ruffini. Et idem valet de textibus e traditione desumptis. Utrumque hodie maioris momenti est, quod Concilium etiam fratribus christianis non catholicis Ecclesiae naturam, unitatem eiusque munus ostendere vult. Ipsis autem nobiscum communes sunt fontes Sacra Scriptura et antiquissima traditio, et si dialogus cum ipsis ineundus est — id quod Summus Pontifex *noster ultimo die, Dominica,*[6] denuo inculcavit et « statim fieri » *debere — dialogus hic*[7] *hoc* fundamento inniti debet. Quare argumentatio ex his duobus fontibus summa diligentia proponenda est, ita ut nihil minus recte dicatur et ea proponantur quae doctrinam re vera *in hodiernis conditionibus probent.*[8]

Liceat haec paucis exemplis illustrare e capp. I et — *anticipando*[9] — II desumptis.

1. Ac *primum* quidem de *Sacra Scriptura.*

Ad ea quae em.mus card. Ruffini iam dixit, addere liceat sequentia.[10]

Pag. 11, linn. 13 ss., sermo est de unica Ecclesia Christi, sed *nullum omnino tentamen fit ut*[11] haec unicitas, *quae pro dialogo oecumenico est tanti, tanti momenti,*[12] ex Sacra Scriptura *probetur.*[13] Asseritur deinde Christum suam Ecclesiam Petro et apostolis eorumque *successoribus* tradidisse: iterum sine ulla probatione, quamvis praecise in hac re « *successoribus traditam esse* »[14] cardo sit totius quaestionis cum christianis non catholicis e reformatione oriundis. Ecclesiam sic a Christo institutam

esse Ecclesiam catholicam romanam in textu asseritur *quidem,*[15] sed non probatur ex fontibus; in nota 21 *correspondente*[16] citantur professio fidei tridentina et Concilium Vaticanum I, constitutiones de fide. Denique asseritur Ecclesiam a Christo fundatam esse « columnam et firmamentum veritatis» erectam super Petrum et apostolos eorumque successores, allato textu Primae ad Timotheum, cap. 3, vers. 15. Sed illo textu apostolus *nullo modo*[17] dicit hanc « columnam » erectam esse « super Petrum et apostolos », *sed potius Timotheo, dum ipse S. Paulus venerit Ephesum, dicit in dubiis sequi debere doctrinam Ecclesiae quae est columna et firmamentum fidei. E contra, fideles esse super... — fideles, non loquitur de Ecclesia — fideles esse superaedificatos super fundamentum apostolorum et prophetarum*[18] explicite statuitur in epistola ad Ephesios, cap. 2, vers. 20-22, qui textus...[19] magis cum nostra re *cohaereret*[20] quam verba *quae ex epistola*[21] ad Timotheum *desumuntur.*[22]

Aliquando etiam textus Sacrae Scripturae *perperam afferuntur.* Ita v. g. pag. 8, n. 4 ...[23], confunduntur loci qui agunt de Spiritu Sancto quatenus *Spiritus Sanctus*[24] est tertia persona Sanctissimae Trinitatis habitans in nobis (*1 ad Corinthios, etc.*) — *confunduntur*[25] cum textibus qui agunt de « spiritu » tamquam dono creato *in anima hominis,*[26] v. g. ubi spiritus comparatur cum aqua viva saliente in vitam aeternam, *qui non est Spiritus Sanctus,*[27] vel ubi sermo est de « spiritu » qui vivit *per iustitiam — dicitur in oppositione ad corpus, quod per peccatum moritur*[28] (Romanos, cap. 8, vers. 10).

Et haec sufficiant, quamvis plura alia exempla afferri possent de usu Sacrae Scripturae.

2. Iam pauca de *traditione.*

Ad ostendendam fratribus non catholicis naturam et munus Ecclesiae, res non primario nec praevalenter probandae sunt ope documentorum recentiorum supremi magisterii Ecclesiae *quae sunt posteriora*[29] separatione saeculi XVI vel etiam *posteriora*[30] separatione saeculi XI. E contrario, theologice profundius procedendum est et ante omnia et maxime radices doctrinae in antiquissima traditione Ecclesiae indicandae sunt, prout statim e pluribus exemplis patebit. Ita enim fides communis saeculorum ante separationem, sive saeculi XVI sive saeculi XI, apparebit et fundamentum *ulteriori*[31] doctrinae *explicandae*[32] parabitur.

Sumo unum vel aliud exemplum ex cap. II, ubi agitur *v. g.*[33] de episcopatu, de presbyteris, de diaconibus. Ubi probatur consecrationem episcopalem pertinere ad sacramentum Ordinis, provocatur quidem ad Patres, Liturgias orientales et occidentalem, sed in nota (nota 12) datur sola generalis quaedam affirmatio hoc exprimi « in omnibus documentis liturgicis».

Ubi sermo est de presbyteris (n. 15, pag. 25-26), adducitur solum *ad probationem* [34] Pontificale Romanum (*nota 17* [35]) (excepta affirmatione aliqua potius negativa), in quo documento citando ad minimum aliquid dici deberet de eiusdem antiquitate et proinde indicari deberet agi de teste traditionis antiquae.

In eodem contextu...[36] affirmatur etiam religiosos accipere missionem ab episcopo, quin haec affirmatio sive explicetur, sive *ullo vel minimo argumento* [37] fulciatur.

Ubi est sermo de praerogativis Romani Pontificis circa Concilium *oecumenicum* [38] convocandum vel saltem confirmandum...[39] non offertur nisi respectivus canon Codicis Iuris Canonici — canon 227 — quod eo vel magis insufficiens est, quod Ecclesiae Orientales...[40] hoc praecise negant. E contra res sine difficultate deduci posset ex primatu ad concretas circumstantias applicato...[41]

Non addo alia exempla.

Quae hodie praestanda sunt, etiamsi iam partim in Vaticano I et in Tridentino tractata sunt, hodiernis conditionibus et necessitatibus accommodanda sunt ita ut possint servire in dialogo cum nostris fratribus seiunctis.[42]

Haec iam sufficiant, ut ostendatur schema *accurate revidendum esse quantum ad textus biblicos et argumentationes Traditionis. Non dico nova argumenta esse proponenda, sed ut ex argumentis quae exstant, et numerosa exstant, ea proponantur quae hodiernis exigentiis magis accommodata sunt.*[43] Quod si non *fiet,*[44] schema...[45] unitati non inserviet, i. e. non respondebit illi redintegrationi unitatis inter christianos quam Summus Pontifex ante paucos dies unum ex scopis principalibus Concilii esse edixit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] s. m. iam. [2] deest. [3] deest. [4] pluribus. [5] Unde puto. [6] gl. r. [7] vult. [8] probant. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] non probatur. [14] deest. [15] deest. [16] pag. 17. [17] non. [18] dum hoc. [19] multo. [20] cohaeret. [21] deest. [22] scripta. [23] lin. 24 ss. [24] deest. [25] (*1 Cor.* 3, 16; 16, 19 etc.). [26] deest. [27] (*Io.* 4, 14). [28] propter iustitiam. [29] posteriorum. [30] posteriorum. [31] posteriori. [32] explicationi. [33] (I, p. 25). [34] deest. [35] (notae 17, 19). [36] (I, p. 26, lin. 16). [37] ulla vel minima ratione. [38] deest. [39] (p. 27, lin. 30). [40] seiunctae. [41] et proinde reduci ad locos classicos N. T.: *Mt.* 16, 18; *Io.* 21, 15-17, collato *Lc.* 22, 32 de fratribus a Petro confirmandis). [42] Cum enim in Concilio agat collegium apostolorum ut tale, patet primas partes in eo vi dictorum textuum spectare ad Petrum eiusque successores. Quod ulterius confirmari posset exemplo Concilii Hierosolymitani (*Act.* 15, 6 ss.). Quae omnia praestanda sunt, etsi argumentum hoc in Vaticano I explicite tractatum fuit et

hic tantum recapitulatur. Affirmationes enim tam magni momenti in constitutione quae ex professo de Ecclesia agit, aliqua saltem brevi argumentatione minime carere possunt. Conclusio. [43] accuratae revisioni subiciendum esse, vocatis etiam collaboratoribus qui interpretationis S. Scripturae et Traditionis antiquissimae Ecclesiae apprime periti sunt. [44] fit. [45] non solum theologice insufficiens erit, sed etiam.

Animadversiones additae:

N. B.: Praeter observationes generales circa cap. I-II in aula conciliari propositas, haec *particularia* addere liceat. (Haec saltem ex parte procedunt ex principiis in dictis observationibus generalibus expositis).

Pag. 7, lin. 3: « Claritate eius, super faciem Ecclesiae resplendente... Evangelium annuntiando »: cum supra (lin. 1) dictum sit lumen gentium esse Christum, hic non debet dari impressio ac si Ecclesia se ipsam Christo substituat; periculum autem talis falsae intellectionis eo magis in hoc loco adest quia immediate postea sermo est de Evangelio annuntiando; textus enim prout stat saltem ita intelligi potest, ac si Christus extra Ecclesiam staret et eius lumen *extra* Ecclesiam stantis in facie Ecclesiae resplendeat. Proponitur proinde: « claritate Christi in Ecclesia viventis, in ea et per eam operantis et proinde super eius faciem resplendentis... ».

Lin. 13: « addunt vim et *instantiam* »: quid significat vox « *instantiam* »? Forte sensus est: « operam Ecclesiae magis urgentem reddunt ».

Lin. 22: « Haec congregatio iustorum... »: in praecedentibus sermo est de adiumentis a Deo *omnibus* hominibus in Adamo lapsis dato. Quomodo nunc hic sermo continuari potest ac si de solis « iustis » sermo fuisset? Et quid significat « congregatio iustorum »? Forte sensus est: eos qui haec Dei adiutoria admiserunt et cum eis cooperati sunt iustos fuisse et aliqualem communitatem constituisse (« congregatio »), quae prima quaedam initia Ecclesiae constituebat. Sed haec omnia clarius exponenda essent ac curandum esset ne dein eadem idea repetatur pag. 8, lin. 2.

Lin. 25: omittatur citatio *Rom.* 1, 4; ibi enim de alia aliqua « praedestinatione » agitur, dicitur enim « qui praedestinatus est *Filius Dei in virtute...* ».

Lin. 26: « De populo electo »: adde « Israel », non enim apparet cur nomen populi electi taceri debeat.

Lin. 26: « Fratresque suos in filios Patris constitueret »: quinam est sensus huius expressionis? Nam in ordine gratiae natura prius est esse filium adoptivum Patris quam fratrem Christi; ergo agi posset solum de hominibus « fratribus » Christi, inquantum etiam Christus « participavit... carni et sanguini » (*Hebr.* 2, 14). In hoc casu dicatur: « homines, fratres suos secundum carnem ».

Pag. 8, lin. 2: ubi Ecclesia iam « ab origine humani generis » praefigurata invenitur? Item aliqua probatio in textu ipso adferenda esset de praeparatione Ecclesiae in Foedere Antiquo; est idea magni momenti, quae aliquo modo probari debet.

Lin. 8: « Humano generi firmissimum unitatis principium »: affirmatio tanti momenti certe aliquomodo probanda esset. Iamvero textus qui in nota 3 citantur non sunt ad rem. Afferri deberet textus *Eph.* 1, 10 de proposito Dei omnia « instaurandi » in Christo, id est Christo tamquam capiti subiciendi et ita ad unitatem redigendi. Cf. etiam *Eph.* 2, 11-20.

Lin. 15: « Ecclesia Christi nuncupatur »: adde: ipse enim Christus ad Petrum dixit: « et aedificabo Ecclesiam *meam* » (*Mt.* 16, 18).

Lin. 17: « Aptisque mediis... aedificans »: nonne res inverti deberet? Prius enim est super Petrum et apostolos aedificare dein, magis specificando « mediis... unionis instruere ».

Lin. 18: « Congregatio eorum... »: quinam est nexus cum praecedentibus? Videtur dari aliqua definitio Ecclesiae. Si ita est, proponitur: « Est *autem* Ecclesia cum congregatio eorum... ». Si tamen auctores intendunt dare veram definitionem, quaeri potest, num haec definitio vere completa sit, v. g. clarius exprimenda essent elementa socialia et plura alia.

Lin. 23: « ipsa supra tempora... »: ne ingeratur idea Ecclesiam vivere extra tempus (nam in « supra » etiam « extra » includi videtur) proponitur: ipsa *simul* supra tempora... ». Ita extollitur quod praecedit, Ecclesiam intrare in historiam hominum.

Lin. 25: hic ab opere Christi in terris immediate transitus fit ad opus redemptionis subiectivae, nam sermo est de missione Spiritus Sancti in *corda* hominum. Iamvero prius de Christi glorificatione aliquid dicendum esset et dein de missione Spiritus Sancti ad Ecclesiam die Pentecostes. Ita enim in Novo Testamento res cohaerent. Spiritus non datur nisi Christo glorificato (cf. *Io.* 7, 39); dein sollemniter mittitur Spiritus super discipulos, id est super initia Ecclesiae. Proinde dicatur: « in terra faciendum... et Christo glorificato, misit Deus Paraclitum, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit » (cf. *Io.* 15, 26).

Lin. 27: « In quo uno Spiritu... »: textus qui hic citatur loquitur de accessu tum Iudaeorum tum gentium ad Patrem in uno Spiritu (« ambo in uno Spiritu »). Ergo optimam praebet occasionem recolendi ideam supra (pag. 8, lin. 8) expressam de Christo principio unitatis pro toto humano genere. Proponitur proinde: « in quo uno Spiritu nos omnes de quacumque natione oriundi accessum habemus... ».

Lin. 32: « donis et charismatibus suis dirigit... adornat »: loco « dirigit » ponatur modo magis generali « locupletat »; « dirigit » posset enim inferre ideam ac si Ecclesia dirigatur charismatibus et non auctoritate aliqua stabili et sic haberetur Ecclesia sic dicta « charismatica ».

Lin. 34: quid significat: « Spiritus Dei *per virtutem Evangelii* iuvenescere facit Ecclesiam... »? Spiritus enim Dei certe dirigit *etiam* per praedicationem Evangelii, sed multo magis per influxum internum gratiae et non potest affirmari hunc influxum semper dari necessario in connexione cum « Evangelio », sive Evangelio lecto sive praedicato.

Lin. 38: quid significat Ecclesiam apparere « sicut de unitate Patris et Filii... plebs adunata »? E praecedentibus hoc minime apparet, nam ibi fere exclusive opus Spiritus Sancti et non opus Patris et Filii explicabatur. Deinde etiam expressio ipsa non est valde clara: sensus videtur esse adunationem plebis *originem* suam habere in unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti. Et etiamsi hic textus ut conclusio totius pag. 8 consideratur, res non quadrat; non enim constituit veram conclusionem huius paginae. Nam in tota pagina fere nihil dicitur de modo quo adunatio procedat *ab unitate* SS. Trinitatis.

Pag. 9, lin. 3: « Populum Dei »: addatur « novum », id est non populum Dei electum Veteris Testamenti. Quid est ille « populus Dei »?

Lin. 5: « fratres suos »: ex parte eadem difficultas habetur ac pag. 7, lin. 26.

Lin. 6: « Convocatos »: nonne melius adhiberetur terminus textus latini Novi Testamenti « vocatos »; saltem clarior esset.

Lin. 6: « Ut filios Dei... sui coheredes... in Se unit »: nonne *natura* prius est hominem Christo uniri, dein per hanc unionem filium Dei fieri et coheredem Christi? Praeterea loco « *sui* coheredes » dici deberet « *suos* coheredes »; secus enim idea ingeritur ac si Christus sit obiectum quod baptizati hereditate accipiunt, id quod certe non exprimitur in textu citato *Rom.* 8, 15-17.

Lin. 7: « et tamquam Corpus Suum... constituit »: Cum obiectum grammaticale huius sententiae sit « fratres suos » (lin. 5), sensus sententiae est Christum fratres credentes Corpus mysticum Suum constituere. Iamvero ipsi *singuli* credentes (nomen plurale indicat agi de singulis!) constituuntur *membra, non* corpus; proinde melius omittatur vox « tamquam » et dicatur « et sic Corpus suum mysticum constituit ».

Lin. 10: « E diversis membris aedificatum »: melius dicitur corpus « compositum » e diversis membris vel ipsis instructum (ita pag. 9, lin. 17!).

Lin. 11: « Fidem *eius* »: melius « fidem in eum »; « fides Jesu » minus clarum est et rarissime tantum in Novo Testamento habetur (cf. *Rom.* 3, 22).

« In unum Corpus baptizati »: haec expressio Vulgatae minus clara est; ex graeco melius vertitur « baptizati ad unum corpus constituendum ».

Lin. 12: « De eius corpore *ut* uno pane participamus »: melius et magis textui originali correspondens esset: « omnes de uno pane, Christi scil. corpore participamus ».

Lin. 15: « ut corpora nostra per sensibilia sacramenta corpori eius clarificato coniungantur »: primo omittatur vox « sensibilia », cuicumque enim patet sacramenta ut talia esse *signa* sensibilia, sed sacramenta *ut talia* non possunt simpliciter dici esse sensibilia. Praeterea notum est hominem per sacramenta uniri cum Christo glorificato, sed quomodo affirmari potest per sacramenta, quatenus sunt signa sensibilia, praecise *corpus* hominis cum *corpore* Christi clarificati uniri? Sacramentum, quatenus signum sensibile est, utique immediate applicatur corpori hominis, effectus tamen sacramenti, seu res sacramenti, non respicit corpus sed hominem simpliciter. Etiam in SS. Eucharistia species quidem sacramenti uniuntur cum corpore hominis, sed relate ad effectum ipsum non potest dici *corpus* Christi uniri cum *corpore* hominis et animam Christi cum anima hominis, sed Christus totus simpliciter unitur homini toto. Ergo generatim loquendo, fortasse dici posset unionem hominis cum Christo in sacramentis fieri *mediante* corpore, quippe cui sacramentum, quatenus signum est visibile, applicatur, non vero fieri praecise unionem corporis hominis cum corpore Christi.

Lin. 19: « In gloria »: ne perperam intelligatur de gloria caelesti, melius dicatur « in bono » vel « laetitia ». In textu *1 Cor.* 12, 26 agitur de vita terrena, nullo modo de *futura.*

Lin. 25: « Caput et munere et perfectione... praestat, quos (dicatur " quae " scil. membra!) tum dirigit cum *vita sua replet* »: Hic cavendum est ne Concilium *suis* verbis et *suo* nomine loquens videatur aliquid de physiologia hominis affirmare, quod scientifice minime sustineri potest. Hodie enim scientia minime statuit *caput* replere totum corpus sua vita. Quod affirmatur praestantia capitis super cetera organa nihil obstat, sed Concilium non debet affirmare caput cetera organa et membra et « vita sua replere ». Ad evitandum proinde hoc periculum simpliciter afferantur verba S. Pauli ubi dicit Christum esse Caput Ecclesiae « ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis, secundum operationem in mensuram uniuscuiusque membri, augmentum corporis facit

in aedificationem sui in caritate » (*Eph.* 2, 16), vel ille alius textus secundum quem Christus est caput « ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum crescit in augmentum Dei » (*Col.* 2, 19). Notum est enim in his textibus vocem « caput » (graece « Kephale ») ab aliis exegetis verti voce italica « testa » (gallice « tête ») ab aliis autem voce capo (« chef »). Qui in his textibus de capite sensu physiologico cogitant, dicunt S. Paulum loqui secundum conceptiones physiologicas sui temporis. Iamvero etsi hae conceptiones secundum conclusiones scientiae hodiernae falsae sunt, hoc nihil officit veritati enuntiationis theologicae. Conceptio enim physiologica nonnisi imago quaedam est ad veritatem aliquam ordinis supernaturalis exprimendam.

Notandum demum est etiam ipsam Encyclicam *Mystici Corporis* loco in schemate, nota 9 citato minime illo modo loqui, qui habetur hic in schemate. Immo etiam ubi ideam Christi capitis mystici Corporis ex professo explicat, potius aliqua conceptione physiologica moderna utitur. Non enim loquitur de « *vita* », quae procedit e capite in corpus, sed dicit: « sicut scilicet *nervi* in omnes nostri corporis artus e capite infunduntur, iisdemque sentiendi seseque movendi facultatem impertiunt, ita servator noster vim virtutemque suam in Ecclesiam immittit... » (*A.A.S.* 35, 1943, p. 215).

Linn. 26 ss.: idea baptizatos esse « membra » Corporis mystici et etiam membra relate ad invicem, sine dubio ab hodiernis hominibus perperam intellegi posset ac si ipsi eo perdant dignitatem propriam personae, ratione praeditae et liberae. Proinde meo quidem iudicio *paucis* declarari deberet dignitatem humanam in baptizatis minime destrui vel etiam laedi. Posset autem fieri fere hoc modo: Ipsi enim omnino libere Christo et Ecclesiae adhaerent, cum « nequeat credere nisi qui vult », secundum notum verbum S. Augustini. Credere enim significat secundum Novum Testamentum « obedire Evangelio » (*Rom.* 10, 16) et Deus per iudicium finale « reddet unicuique secundum opera eius » (*Rom.* 2, 6), quae omnia indicant et supponunt adhaesionem et submissionem Christo eiusque Ecclesiae esse vere liberam. Immo per fidem homo in propria cognitione elevatur et perficitur. Sicut enim in Christo « sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi » (*Col.* 2, 3), ita et baptizati in Christo in omnibus divites fiunt « in omni verbo et omni scientia » (*1 Cor.* 1, 5), ita ut sint « repleti omni scientia » (*Rom.* 15, 14). Praeterea in Christo etiam donum libertatis humanae exaltatur. Nam a Christo redempti in libertatem vocati sunt, sed non ut libertas occasionem det carnis, sed ut per caritatem spiritus serviant invicem (cf. *Gal.* 5, 13). « Lex enim spiritus vitae in Christo Iesu liberavit te a lege peccati et mortis » (*Rom.* 8, 2), ut iusta postulata legis implerentur in nobis, « qui non secundum carnem ambulamus sed secundum spiritum » (*Rom.* 8, 4). Qui enim donum Spiritus Sancti acceperunt et in vita propria ab hoc Spiritu se duci sinunt, non iam sunt sub lege (*Gal.* 5, 18), id est lex pro eis iam non est durus paedagogus, qui eos vi et timore impellit, quia ipsi sub influxu gratiae spontanee et instinctu interiori adimplent quae lex iubet. Ac ita, dum « Spiritu Dei aguntur » et libertate filiorum Dei fruuntur.

Lin. 29: « servitia praestamus »: non videtur bona vox latina; dicatur vel « inservimus » vel « ministramus ».

Lin. 30: « qui est caput nostrum »: ne fiat confusio ac si Christus esset caput *singulorum* membrorum; caput est enim caput corporis, non manus vel pedis etc., omittatur « nostrum » et dicatur sicut prostat in loco S. Scripturae citato « qui est caput, *Christus* » (*Eph.* 4, 15).

Lin. 33: « Praesertim quando ministeriis S. hierarchiae... »: hoc incisum potius omittendum videtur. Non est enim modus loquendi S. Scripturae, quae omnino eodem modo loquitur de influxu Christi in omnes species activitatis membrorum Ecclesiae, « ministrationum, operationum » etc. cf. *Rom.* 12, 4-8; *1 Cor.* 12, 4-11; *Eph.* 4, 7-12. Immo S. Paulus explicando parabolam de corpore dicit: « Sed multo magis quae videntur membra corporis infirmiora esse, necessariora sunt... ». Certe debitus honor iis, qui in auctoritate positi sunt, tribuendus est, sed hoc minime transferendum est in influxum Christi per gratiam.

Pag. 10, lin. 9: verificare citationes nota 13. « Ad se ipsum... suaviter attrahit... »: videtur aliquomodo affectatum esse; forte melius, loco formulae huius potius sentimentalis, dicatur: suis diversimode assistit, secundum illud: « Ecce Ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20) simulque in domo Patris, ubi mansiones multae sunt, suis parat locum (cf. *Io.* 14, 2)...

Lin. 12: « Eique compatimur... »: expressio prout iacet male intelligi posset de compassione affectiva; in textu citato *Rom.* 8, 17 de facto verbum adhibetur sine pronomine « ei »; proinde dicatur « cum eo patimur ».

Lin. 11: « Quia... Christus caput... iunctus est »; hoc non est sola ratio cur corpus Christi mysticum Christum in terris repraesentet, sed quia ipse in Ecclesia vivit ipsam sibi conformem efficit per eamque in mundo operatur; proinde dicatur: « quia vero Christus, Ecclesiae glorificatum caput, in caelis vivens, intima unione cum Ecclesia, corpore suo in terris iunctus est, in eadem vivit eam sibi conformem efficit et per eam operatur, hoc corpus... ».

Lin. 13: « germen et initium »: forte melius adhibetur expressio biblica « primitiae ».

Lin. 14: « sicut Christus est pleroma... ita Ecclesia est pleroma... »; cavendum est ne haec comparatio male intellegatur ac infinitae differentiae obliviscamur, quae inter plenitudinem Christi et plenitudinem Ecclesiae intercedit. In Christo enim « inhabitat *omnis* plenitudo divinitatis corporaliter » (*Col.* 2, 9).

Ecclesia autem est « corpus ipsius (Christi) et plenitudo eius, quia omnia in omnibus adimpletur » (*Eph.* 1, 23) id est ipsa non *omnem* plenitudinem Christi possidet, sed *tendit* ut paulatim occurrat « in virum perfectum, in mensuram aetatis plenitudinis Christi » (*Eph.* 14, 13) et proinde etiam plenitudinis Dei (*Eph.* 3, 19).

N. B.: Notum est exegetas catholicos textum *Eph.* 1, 23 vario modo explicare. Alii (v. g. S. Ioannes Chrysostomus) intelligunt: Ecclesia est « supplementum vel complementum » Christi, id est Christi *totalis,* capitis et corporis; alii autem intelligunt Ecclesiam esse plenam Christo (sed nullo modo *omnem* plenitudinem Christi continet!). Textus constitutionis ergo ita sonare debet ut ab hac vel illa interpretatione huius loci controversi independens sit.

Lin. 14: « ad quod sperando perducitur »: expressio minus concinna et clara. Forte melius « ad cuius consummatam possessionem paulatim per patientiam et spem perducitur ».

Lin. 21: « Est enim Ecclesia grex... »: forte melius pro homine moderno, qui voce « grex » offendi posset, dicatur « assimilatur enim Ecclesia gregi... ».

In adhibenda metaphora « gregis » respective « ovium » cavendum est ne metaphora male intelligatur ac si fideles entibus ratione expertibus (« pecore ») assimilarentur; dicatur ergo fere hoc modo: assimilatur gregi non quod christifide-

les careant donis et facultatibus quibus ipsi quoque se ipsos dirigant, sed quod Ecclesiae societas *ut talis* indigeat personis, quae eam regant, ad pascua sanae doctrinae ducant et a periculis defendant.

Lin. 22: corrigatur citatio cf. *Io.* 10, 41.

Lin. 23: « Etsi a pastoribus... gubernantur »: forte melius: « etsi a humanis *quoque* pastoribus... *ducuntur et diriguntur* »; ita enim statim praeannuntiatur adesse alium quoque Pastorem non mere humanum et praeterea voces « ducere vel dirigere » melius quam « gubernare » respondent metaphorae « pastoris ». Haec opera pastorum *humanorum* potest praeterea confirmari *1 Petr.* 5, 2 ss.; *Io.* 21, 11-17.

Lin. 27: « Est etiam Ecclesia vinea »: uti supra forte melius « assimilatur ».

Lin. 28: loco *Io.* 15, 1 ss. ponatur *Mt.* 21, 33. In priore loco sermo est de vite et palmitibus, non directe de vinea qua tali; e contra *Mt.* 21, 33 vere sermo de vinea qua tali.

Lin. 29: « Dei familia »: citetur pro hac pulcherrima idea *Eph.* 2, 19: « estis cives sanctorum et domestici Dei ».

« ... eiusque templum... »: etiam haec metaphora saltem brevissime explicari deberet, secus nullum sensum habet illam afferre; proinde addantur fere haec verba: « templum, quatenus scilicet Deus in medio Ecclesiae, tamquam novi populi Dei et in eiusdem singulis membris colendus adoramus habitat eis assistens eosque adiuvans ».

Lin. 30: « in lapideis sanctuariis repraesentata »: haec expressio vix intelligitur.

Lin. 31: « in qua Deus in spiritu et veritate adoretur »: non in « Spiritu (Sancto) », sed « spiritualiter »...

Lin. 32: « pastores... confortat... »: haec pulcherrima idea aliquatenus magis explicetur, fere hoc modo: « Spiritus eis sensus filiales erga Patrem communicat (*Rom.* 8, 15; *Gal.* 4, 6), eorum infirmitatem in precando adiuvat (*Rom.* 8, 26 ss.), eos ducit (*Rom.* 8, 14) ac ab intus docet cum omnes fideles (*1 Io.* 2, 27) tum speciatim praepositos Ecclesiae (*Io.* 16, 13) atque in reddendo testimonio pro Iesu adiuvat (cf. *Lc.* 12, 12) ».

Lin. 37: pulcherrima et profunda idea de Ecclesia sponsa Christi multo accuratius — etsi breviter — exponenda est, additis locis Sacrae Scripturae, respective traditionis, fere ad hunc modum: « Christus sponsus est, qui habet sponsam » (*Mt.* 9, 15; *Io.* 3, 29) Ecclesiam scilicet, quam dilexit « et se ipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret..., ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi, sed ut sit sancta et immaculata » (*Eph.* 5, 25-27). Similiter ac Eva, primi hominis sponsa, formata est ex latere viri, ita ex latere transfixo Christi, novi Adam (cf. *1 Cor.* 15, 45; *Rom.* 5, 12-19) in cruce dormientis, manante aqua et sanguine, formata est Ecclesia, prout pluries affirmatur in traditione inde ab antiquis Patribus secundum illud Origenis — quod variis modis dein repetitur a posterioribus Patribus — « Ecclesia, quae de latere Christi processit » (*In Proverb.* 31, 88 MG 17, 251) vel S. Epiphanii « Ecclesiam ex ipso latere (Christi) velut aedificatam fuisse, cum eius latus est cuspide sauciatum » (*Adv. haer.* 78, 19 MG 12, 731); conferantur quoque lectiones Brev. Rom. in festo SS. Cordis Iesu lectio 7 e S. Bonaventura et illa quae quondam habebatur F. II infra octav. e S. Laurentio Iustin.; plurima alia

testimonia exhibentur a S. Tromp, *De Nativitate Ecclesiae e Corde Iesu in Cruce, Gregorianum* 13 (1932) 489-527 speciatim pag. 502 ss.

Lin. 39: « mater vere viventium »: adducantur testimonia antiquissimae traditionis, maxime apud S. Iustinum, *Dialogus cum Tryphone,* 100, PG 6, 710; S. Irenaeum, *Adversus haereses,* c. 24, 4; PG 7, 959; alia testimonia citantur in schemate *de B. Virgine Maria* pag. 22, nota 16.

Lin. 40: « In dilectione ac fidelitate subditam » corrige citationem sic: (cf. *Eph.* 5, 29. 33).

Pag. 11, lin. 3: « Ecclesia sancta, fidei, amoris et gratiae communitas »: nonne prius *gratia* nominari deberet, quam eius effectus in homine, fides et amor?

Lin. 6: « in terris mediorum sanctificationis... »: quidnam sunt haec media sanctificationis? Sacramenta tantum quae ordinarie sub his vocibus intelliguntur, vel etiam gratiae actuales?

Lin. 11: « Sicut enim natura... »: nonne addendum esset: « *humana* natura in unitate Personae a Verbo assumpta et per gratiam sanctificantem et dona sanctificata... »?

Lin. 12: dicatur parallele ad lineam antecedentem: « ita socialis organismus Ecclesiae, Christi Spiritu tamquam anima animatus et sanctificatus eidem Spiritui in exaedificando... ».

Lin. 13: « docet autem... non esse nisi unicam... »: estne hic locus maxime proprius in constitutione pro quaestione unicitatis Ecclesiae tractanda? Videtur aliquomodo ex inopinato hic introduci. Praeterea haec doctrina primo loco e S. Scriptura probanda esset, uti hucusque constitutio procedebat, ne ingeratur idea ac si haec nota Ecclesiae e S. Scriptura probari nequeat.

Lin. 18: « salutis sacramentum, columnam... »: hic modus loquendi ideam suggerit ac si Ecclesia maxime, si non exclusive, salutis sacramentum esset eo quod *veritatem docet* — et non quatenus per sacramenta hominibus gratiam affert.

Lin. 21: « a Romano Pontifice »: addatur « successore S. Petri ».

Lin. 23: « Elementa plura sanctificationis inveniri possint »: Quid significant haec « elementa sanctificationis »? Praeterea nonne deberet dici « inveniantur », nam de facto inveniuntur, id quod nullo modo negari potest; praeterea, nonne extra Ecclesiam non solum elementa sanctificationis, sed etiam multi thesauri veritatis et etiam vera sanctitas christiana inveniuntur?

Lin. 17: nota 20: in textibus citatis nihil de identitate Ecclesiae societatis cum Corpore Christi mystico invenitur; praeterea testimonia non deberent incipere a Pio XII; qui sunt illi « multi praedecessores »? Cum haec identitas a christianis non catholicis omnino negetur, solido argumento biblico et ex traditione probari deberet.

Lin. 24 ss.: « ut sacramentum Christi, Ecclesia est... »: quid significant haec verba? Significatne hic vox « sacramentum » mysterium vel sanctificationis medium, uti sunt septem sacramenta?

Lin. 26: « Etiam in paupertate »: forte clarius: « etiam *per* suam paupertatem Evangelicam... ». Sed idea paupertatis hic non expectatur, aut clarius definienda esset.

Lin. 28: thema de sanctis et peccatoribus *simul* in Ecclesia exsistentibus et etiam factum persecutionum et saltem apparens lentus progressus Ecclesiae multis fidelibus scandalo sunt. Ergo haec paulo melius e S. Scriptura evolvenda et explicanda sunt. Fere hoc modo: Sicut Ecclesia, regnum caelorum inchoatum, simile

est sagenae missae in mare et ex omni genere piscium, tum bonorum tum malorum congreganti (*Mt.* 13, 47 ss.) vel etiam agro in quo praeter granum habentur etiam zizania (*Mt.* 13, 24-30), sic secundum occulta consilia providentiae divinae in Ecclesia usque ad consummationem saeculi habentur tum sancti tum peccatores; ac ex ipsius Ecclesiae proprio sinu exsurgunt viri loquentes perversa (*Act.* 20, 30), qui resistunt veritati (*2 Tim.* 2, 25; 3, 8), immo etiam « corrupti mente, reprobi circa fidem » (*2 Tim.* 3, 8), a veritate excidentes et aliorum quoque fidem subvertentes (cf. *2 Tim.* 2, 18), immo naufragium circa fidem patientes (*1 Tim.* 1, 19).

Praeterea secundum mysterium providentiae divinae item Ecclesia vivit et crescit in humilitate ut pusillus grex (*Mc.* 12, 32) sicut granum sinapis, quod solum post longam evolutionem fit arbor ita ut volucres caeli veniant et habitent in ramis eius (*Mt.* 13, 31 ss.). Ecclesiae quoque pulchritudo et efficacia in hoc mundo absconditae sunt sicut fermentum in massa fermentanda, donec fermentatum est totum (*Mt.* 13, 33). Ecclesia quoque multis persecutionibus obnoxia est sicut Magister eius (cf. *Io.* 15, 20); thesauros ipsi a Christo concreditos in vasis fictilibus habet, « ut sublimitas sit virtutis (i. e. eminens virtus et efficacia) sit (i. e. cognoscatur) Dei et non ex nobis » (*2 Cor.* 4, 7), semper mortificationem Iesu in corpore suo circumferens, ut et vita Iesu manifestetur in ipsa (cf. *2 Cor.* 4, 10). In omnibus enim tribulationem patitur, sed non angustiatur; aporiatur sed non destituitur; persecutionem patitur sed non derelinquitur; deicitur sed non perit; semper in mortem traditur propter Iesum ut et vita Iesu manifestetur in carne sua mortali (cf. *2 Cor.* 4, 8-10). Nonne haec omnia iis Ecclesiae partibus, quae persecutionem patiuntur et per tribulationes vitam Iesu aliis communicant, maximo erunt solatio, ita ut vere gaudebunt quod digni habiti sunt pro nomine Iesu persecutionem pati? (*Act.* 5, 41).

Lin. 38: « non ignorantes »: forte magis praecise loquendum esset; non enim quaelibet cognitio sufficit; proponitur: « conditam scientes vel intellegentes, eam tamen mala fide renuant intrare » (cf. pag. 13, lin. 16: « sine culpa ignorantes »).

Lin. 39: « revelatio »: melius et magis determinate dicatur « S. Scriptura » vel adhuc melius « evangelia ».

Pag. 12, lin. 5: « media salutis in ea instituta »: hae expressiones suggerere possunt ideam ac si media aliqua salutis, ergo v. g. sacramenta, *ab* ea instituta fuissent; forte melius « in ea exsistentia » vel « in ea a Christo Domino instituta ».

Lin. 9: « qui in fide spe et caritate non vivit, sed peccans... »: hic textus etiam ita intellegi potest ac si effectus, de quibus lin. 10 sermo est, habentur ubi *cumulative* contra *omnes* virtutes theologicas aliquis peccat et non etiam ubi aliquis quocumque modo peccat *sive* contra fidem sive contra spem etc.; item explicandum esset hoc fieri tantum ubi *graviter* peccat. Ergo proponitur: « qui sive in fide sive in spe sive in caritate non vivit graviter contra quamcumque ex his virtutibus peccans ».

Lin. 13: « cui si cogitatione... nedum salventur... »: iterum uti lin. 9 praecisius dicendum esset: « non respondent *in rebus gravibus sub peccato mortali* praeceptis ».

Lin. 18: « Suo modo idem valet... »: Nonne hoc melius diceretur in pag. sequenti, n. 10?

Lin. 22: « interna fide spe et caritate »: quomodo haec omnia, scilicet fides, spes et caritas (*supernaturales*) haberi possunt apud illos, qui nondum baptizati sunt atque nullo modo cum Ecclesia coniunguntur? Haec enim ponuntur *ut con-*

dicio sub qua hi non christiani cum Ecclesia *primo* coniunguntur; ergo habenda sunt ut condicio, quae exsistit *ante* ipsam coniunctionem. Quomodo autem hoc fieri potest? Fortasse dici deberet: « sincere sub influxu gratiarum actualium, quae quidem illis semper praesto sunt, implere satagunt ». Ita enim haberentur *actus impliciti* fidei spei et caritatis, qui via essent et medium ad se cum Ecclesia coniungendum ac ita *habitus* virtutum theologicarum obtinendum (cf. pag. 13, lin. 17: « voluntatem Dei... adimplere *sub influxu gratiae,* conantur »).

Lin. 26: « pia omnium mater »: melius « pia omnium *baptizatorum* mater », hoc enim modo datur simul ratio cur Ecclesia horum quoque mater sit.

Lin. 27: « Amanter... credunt »: quid significat « amanter » credere? Hoc sonat aliquam affectationem. Proponitur: « sincere et ardenter » vel adhuc melius: « credunt in Christum eumque diligunt ».

Lin. 29: hic videtur sermo esse de solis *individuis.* Nonne oporteret hos fratres respicere et considerare quatenus *communitates* vel (ubi hierarchia adest) « Ecclesiae » sunt?

Lin. 31: nonne hic ardens quoque orientalium Ecclesiarum devotio erga SS. Eucharistiam et B. Virginem mentionanda essent? Item addendum esset Ecclesiae catholicae cum oriente communem esse non solum fidem in constitutionem hierarchicam Ecclesiae sed etiam exsistentia ipsius hierarchiae genuinae, quae scil. vera successione apostolica praedita est. In hac connexione cum agnitione hierarchiae item addi posset eos propterea vere nomen « Ecclesiae », sensu Ecclesiae localis vel regionalis mereri. Ita enim simul ratio dabitur, cur Ecclesia catholica nomen « Ecclesia » aliis communitatibus, in quibus hierarchia et successio apostolica desunt, non applicat.

Lin. 28: « Baptismo... signantur »: effectus baptismi etiam in christianis non catholicis melius explicentur; dicatur ergo: « baptismo vere cum Christo uniuntur, gratia sanctificante ornantur, filii Dei adoptivi constituuntur et ut tales etiam donum Spiritus Sancti accipiunt ».

Pag. 13, lin. 4: « ad omnes homines missa est, pro quibus... »: haec verba, prout sonant *etiam* male, sensu scil. restrictivo intellegi possunt, ac si Ecclesia sit missa ad omnes illos homines *tantum* pro quibus Dominus sanguinem suum fudit. Proponitur: « ad omnes homines missa est, *cum* Dominus pro omnibus sanguinem suum fuderit ». Nonne utraque affirmatio in linn. 8-10 aliquomodo, saltem brevissime probari deberet? Pro universalitate redemptionis citari posset v. g. *Mt.* 20, 28, addito *1 Tim.* 2, 4: « Deus vult omnes homines salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire ». Pro universalitate autem missionis Ecclesiae: v. g. *Mc.* 16, 15: praedicate evangelium *omni* creaturae.

Lin. 8: « Iam prope fuerunt » hic citari debet potius *Eph.* 2, 17; nam solum ibi sermo est de iis (Iudaeis) qui iam ante Christum Deo prope fuerunt.

Lin. 9: « fratres secundum carnem »: hoc elementum non correspondet textui *Eph.* 2, 11-13, nam ibi non agitur de iis qui Domino prope erant « secundum carnem », sed « secundum testamenta, promissiones » etc.

Lin. 11: « sive longe ab eo... agnoscant... quaerant... »: inde a voce « longe » textus iam non intelligitur; nam si linn. 11-13 explicant illam vocem « longe », nonne eadem forma grammaticali praeterita construi deberent sicut ubi est sermo de Israel? Vel, potius, etiam de Israelitis dici deberet: « sive Domino prope *sint* ». Si auctores exprimere voluerunt hanc conditionem etiam hodie perdurare, saltem constructio ex parte ob claritatem alia esse deberet, fere in hunc modum:

« sive longe ab eo, sed ab eo minime derelicti, sive eum creatorem agnoscant, sive adhuc sibi ignotum in umbris (vel melius *per*) umbras et imagines adhuc quaerant ».

Lin. 12: « Quidquid enim... »: forte melius omittitur vox « enim » cum ea quae sequuntur non sunt proprie ratio probans pro illis verbis « Ecclesia prece et praedicatione... » (lin. 6).

Nonne hic ante omnia agnoscenda essent dona *naturalia prouti sunt dona Dei* creatoris et solum postea ea quae sunt praeparatio quaedam ad Evangelium? Ergo proponitur fere in hunc modum: « quidquid enim boni apud illos invenitur ab Ecclesia maximi aestimatur, quippe quod vel imago et reflexus quidam Dei creatoris sit, qui hominem ad suam imaginem etiam naturalem creavit vel etiam donum quo Deus homines ad Evangelium accipiendum praeparabat. Deus enim ab initio mundi... ».

Lin. 19: « in terris tamen agnitione Christi... non locupletantur »: Quidnam haec verba significant? Nonne est tautologia quaedam dicere eos qui « Christum eiusque Ecclesiam... ignorant » (lin. 16), « agnitione Christi non locupletari » (lin. 20)? Ad summum dici posset: « sperare, quamquam hic in terris agnitione... non locupletantur ».

Nonne hae affirmationes saltem aliqua ratione probari deberent? « Sperare *possunt* »: nonne etiam *debent*?

Quomodo salvari possunt, si salutem a Deo non sperant? « Credere *oportet* accedentem ad Deum, quia est et inquirentibus se remunerator sit » (*Hebr.* 11, 6).

Lin. 22: « ad Corpus Christi adducat »: locutio minus felix; proponitur: « ad Christum cognoscendum eique sese uniendos in Corpore eius mystico ».

7

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS ŠEPER

Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Non parum placet haec descriptio intimae naturae Ecclesiae in cap. I, quae varios aspectus mysterii prae oculis ponit, suggerit, evocat, insinuat. Sperandum enim est ex huiusmodi sollemni proclamatione synodali eximios fructus proventuros esse. Praedicatores etenim et catechetae, aliique doctrinae sacrae praecones, maiore cum auctoritate atque alacritate omnes hos aspectus fidelibus proponere et etiam profundius explicare poterunt, fideles autem procul dubio ex profundiori cognitione naturae et missionis Ecclesiae in hoc mundo, suarum partium in hac realitate divino-humana, maiorem atque genuiniorem sensum ecclesialem propriae vitae acquirent, ideoque etiam vita et actione demonstrabunt.

Valde placet, praeterea, quod descriptio Ecclesiae non nimis exclusive in una sola imagine biblica — puta « corporis » aut alia — fundatur, sed omnes imagines, quarum unaquaeque aliquid de complexa realitate

ecclesiali dicere habet, assumuntur. Verum quidem est imagines has in schemate, uti proponitur, logicam connexionem et speculativam unitatem minime assecutas esse. Sed speculativa et logica huiusmodi connexio et unitas — ratione habita hodierni status reflexionis theologicae in hoc campo — nondum possibilis videtur. Quapropter descriptio haec Ecclesiae quam maxime stimulativa erit pro ulteriori reflexione atque investigatione theologica, cautos autem theologos faciet ne nimis unilateraliter procedant, sed ut omnia data Scripturae et Traditionis de mysterio Ecclesiae sedulo perpendant atque unitatem internam inveniant.

Dolendum tamen est, quod nonnullae imagines aut tantum incidenter aut nullo modo in hac descriptione afferantur. Sic e. g. pag. 10, linn. 27-28, sermo est de Ecclesia tamquam vinea, sed praetermittitur imago de vite et palmitibus *ab ipso Domino Nostro prolata.*[1] Breviter sed optime proponitur imago sponsae (pag. 10, linn. 37 ss.), at imago templi hic illic nonnisi tangitur et nullatenus suscipit momentum quod in antiqua traditione habebat. Unde provenit quod in descriptione naturae Ecclesiae ideae *sacrificii* minime locus correspondens adiudicetur. Quare sacrificium eucharisticum, quod certo certius locum centralem in mysterio Ecclesiae habet, nullam quasi mentionem obtinuit (cf. solam lin. 13 pag. 9): in hoc puncto schema absque dubio complendum est! Etiam imago seu conceptus Regni Dei non ponitur uti iustum et necessarium esset, *uti iam pluries dictum est.*

Aliquas minores emendationes propono:[2]

In pag. 7, lin. 27, loco « in filios » *puto poni posse*[3] « ac filios », *et sic forsan eliminari posset difficultas quam em.mus Ruffini nuper movit; puta ut textus esset*: « *ut de populo electo secundum carnem natus, omnes sua morte redimeret, fratres suos ac filios Patris constitueret* ».[4]

Pag. 9, linn. 16-17, loco textus: « sed etiam ut unum *corpus fidelium,* variis organis instructum, formemus... », *propono ut ponatur*[5] « sed etiam ut in Christo Iesu alter alterius membra fiamus ». Non est bonum, *uti arbitror,*[6] ut in constitutionem synodalem introducatur terminus « corpus fidelium », tamquam si fideles haberent unitatem quamdam supernaturalem *directam et immediatam* inter se, quae non esset per Christum, sed melius manere in conceptu paulino *unitatis in Christo Iesu...*[7]

Pag. 11, linn. 34-36, *in initio n. 8, loco verborum*[8] « Docet Sancta Synodus cum Sacra Scriptura et Traditione Ecclesiam esse institutum necessarium ad salutem », *forsan melius dici posset — humiliter propono*[9]: « Docet Sancta Synodus, Scripturae Sacrae et Traditioni fidelis (aut: innitens) Ecclesiam esse necessariam ad salutem... ». Aliis verbis

expungatur vocabulum « institutum », quia non iustificatam restrictionem secum ferre potest et sic confusionibus ansam praebere, in Traditione autem fundatum non est. Traditio loquitur de necessitate *Ecclesiae,* non Ecclesiae quatenus est *institutum!* Praeterea, primum incisum loci citati quod attinet, Sacra Synodus est *magisterium,* Scriptura et Traditio vero *medium et locus,* ubi Synodus veritatem revelatam invenit. Unde actus docendi Synodi et Scripturae non est eiusdem naturae.

Duobus locis,[10] pag. 12, lin. 21 et pag. 13, lin. 11, loco vocabuli « Creatoris » et « Creatorem », ponatur, velim, verbum « Remuneratoris » et « Remuneratorem »; *dicitur enim*: « ... *voluntatem Dei Creatoris qui vult omnes homines salvos fieri* », *et* « ...*non derelicti, Deum creatorem agnoscant* »: *potius dicatur* « *remuneratorem* »,[11] ne videretur ac si haec Synodus proclamare intendisset, quod nullus salvari posset nisi conceptum *creationis mundi* haberet! *Nos scimus necessarium esse ad salutem ut aliquis existentiam Dei et Dei remuneratoris credat.*[12]

Placet, *in fine,*[13] quod in n. 10, ubi *sermo est*[14] de habitudine Ecclesiae ad omnes homines non christianos, specialis mentio fit populi Israelitici. Sed iustum esset, ut in tractatione de Ecclesia, amplior et accuratior descriptio positionis populi olim electi, qui...[15] non est abiectus absolute et definitive, fieret. Iudaei longe plura quam alii populi cum Ecclesia habent communia — uti Scripturam Veteris Testamenti...[16] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] ponatur. [4] deest. [5] ponatur sic. [6] enim. [7] Non est necessarium — neque res matura videtur — ut Concilium in discussione theologorum sumat partem pro una aliave sententia. [8] verba. [9] reformari vellem sic. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] loquitur. [15] tamen. [16] Nemo est qui non videret, relationem populi israelitici erga Ecclesiam omnino specialem *esse,* cum nullo populo communem!

8

Exc.mus P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD
Archiepiscopus Adamantinus

Venerabiles Patres conciliares,

Pauca dicam de n. 6. In cap. I, n. 6 schematis *de Ecclesia* sermo est de Ecclesiae imaginibus. Plures imagines seu metaphorae adducuntur quibus in Sacra Scriptura intima natura Ecclesiae adumbratur et explicatur. Ecclesia dicitur grex, vinea, ager, agricultura Dei, templum Dei, domus, habitaculum etc. Inter has imagines adducitur in eodem n. 6, pag. 10, lin. 29, Ecclesia uti « Dei familia ». De ista expressione loquar.

Salvo meliore iudicio dicenda est Ecclesia « Familia Dei » sensu vero, sensu proprio, etsi analogico, nullo modo ut simplex metaphora *vel imago.*[1] Revera, non agitur de metaphora seu de imagine sed de dulcissima et formali realitate.

Reapse in Ecclesia Deus, Christus, fideles, veram — sensu proprio — efformant familiam. Deus est vere « Pater Noster qui in caelis » est. Christus...[2] est vere, non metaphorice, frater noster, « primogenitus inter multos fratres »; Maria Virgo est vera, et non metaphorica, Mater nostra; nos sumus, per baptismum, ad invicem fratres. In nobis est vere, quamvis participative, natura Patris, qua « filii Dei nominamur et sumus »; gratia sanctificante sumus « divinae consortes naturae ». Spiritus Sanctus est anima, vinculum, vita, amor huius familiae, orans in nobis « gemitibus inenarrabilibus », « in quo clamamus Abba, Pater ». Gratia et virtutes informant modo vitali, divino, substantiam et facultates nostras. Baptismus est vera nativitas, est lavacrum regenerationis verae in verbo vitae, quo Deus revera nos generat et nos nascimur in *sinu* [3] huius familiae. In Eucharistia « carne Christi saginamur »...[4]

In Ecclesia Christus dat nobis illam potestatem « filios Dei fieri, qui non ex sanguinibus neque ex voluntate carnis nec ex voluntate viri sed ex Deo nati sunt »...[5]

His consideratis haec *proponam* [6]:

1. In cap. I schematis de Ecclesia, *illo loco indicato,*[7] n. 6, pag. 10, lin. 29, expungatur inter imagines et metaphoras de Ecclesia verbum « est Dei familia ».

2. In fine n. 5, pag. 10 eiusdem cap. I, post lin. 18 addatur vel uti continuatio n. 5, vel uti novus n. 6, explanatio « De Ecclesia uti Dei familia » his vel similibus verbis: « Ecclesia catholica in terris peregrinans, est vere Dei familia. In hac familia divina Deus est benignus Pater, B. Virgo Maria est dulcissima mater, Spiritus Sanctus est anima et vinculum et amor; Iesus Christus Redemptor est caput invisibile et frater, « primogenitus inter multos fratres »; fideles, per baptismum ex Deo nati et per Eucharistiam carne Christi saginati (*vel saginandi* [8]) sunt filii Dei et Mariae, et ad invicem fratres; Romanus Pontifex, Christi Vicarius, est caput visibile; episcopi sunt fratres, per quos Pater caelestis generat, nutrit, educat, et regit familiam suam, pro qua terra est exilium, caelum haereditas et civitas manens ».

Venerabiles Patres, schema mihi videretur mancum, si conceptus Ecclesiae uti Familiae Dei tamquam metaphora tractaretur, *vel figurae* [9] et furtive, quasi per transennam declararetur.

Si ex rationibus pastoralibus quaerimus descriptivam sed praecisam definitionem Ecclesiae Catholicae, ubinam gentium meliorem invenie-

mus quam illam qua « praeceptis salutaribus moniti et divina institutione formati audemus dicere: Pater noster, qui es in caelis », ad quem dicimus « hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae, quaesumus Domine, placatus accipias »?

Similia possint dici de illa expressione « Sponsa Christi », sed haec scriptis tradam.[10]

Huic propositioni assentiunt plures episcopi, quorum nomen tradam Secretariatui.[11] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Iesus. [3] sinum. [4] (S. Ignatius Antiochenus). [5] (*Io.* 1). [6] propono. [7] sub. [8] deest. [9] deest. [10] Similes rationes valent etiam de locutione « Sponsa Christi », de qua in n. 6, pag. 10, lin. 36 usque ad pag. 11, lin. 3 agitur in hoc cap. I. Quando de aliqua sanctimoniali dicitur eam esse « sponsam Christi », mihi videtur adesse metaphoram. Sed quando de Ecclesia dicitur eam esse « Sponsam Christi », iam non agitur de mera imagine, sed de dulcissima, mystica realitate. Analogice quidem. Per Ecclesiam Christus Homo-Deus generat filios Patri suo. Unde proponam: transferatur iste locus a n. 6 actuali ad finem n. 5, ubi agitur de Corpore Christi mystico, et agetur, si mea propositio accipitur, de familia Dei. [11] His duabus propositionibus assentiunt sequentes episcopi et abbas: Marcel Lefebvre, arch. tit. Synnadae in Phrygia; Iohannes, ep. Leiriensis; Aloisius, ep. Caxiensis (in Maragnano); Carolus, ep. Palmensis; Antonius de Castro Mayer, ep. Camposinus; Ioannes, ep. Monoecensis; fr. Ioannes Prou, abb. Solesmensis, sup. gen.

[*Subscripserunt etiam:*] card. Câmara; Gerardus arch. Iudiciforensis; José Varani; José d'Angelo Neto; Gregorio Warmeling; Pedro Filipiak; Guido M. Casullo ep. tit. Uticensis; Manuel P. C. Cintra, bispo de Petropolis; José Thurler; Orlandus Chaves; Zacaria, bispo de Cajazeiras; Othon Motta, bispo de Campanha; José Lazaro CM, bispo de Assis; José bispo de Estancia; Antonius ep. tit. Ucrensis; José Costa Campos; Oscar de Oliveira; José Vicente Távora; José Gonçalves de Costa; José Melhado Campos, bispo Lorena; Eliseu Mendes, bispo Campo Mourâo; Daniel Tavares Baêta Neves, bispo tit. Alexandria Menor; Hamleto de Angelis bispo de Viana; Benedictus ep. Caxiensis; Aloisius Lorscheider, ep. Angelopolitanus; Manuel Konner, Modra; Thijssen, Larantuka Indonesia; Paul Sani ep. Denpasarensis; Leo Arkfeld SVD, vic. ap. Wewakensis NG; Jorge Kemerer VR Posadas Argentina; Aug. Olbert Tsingtao.

9

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA
Archiepiscopus Bhopalensis

Venerabiles Patres Concilii,

Pauca velim dicere imprimis de par. 10 huius cap. I. Loquor nomine *20 episcoporum* [1] in India Septemtrionali.

Dicitur in *pag. 13,*[2] lin. 6: « Ecclesia a prece et praedicatione quiescere nequit, donec omnes in eam in unum corpus adsciscantur... ». Certe opportunum est ut principio subiacentis schematis animadvertatur in summam responsabilitatem quae Ecclesiae vi suae naturae competit, totius mundi evangelizandi. Attamen nobis videtur distinctius elucidandum et pressius asserendum esse hanc responsabilitatem esse communem *toti Ecclesiae* et specialiter *toti collegio episcopali,* et non tantum parti, ut ita dicam, specializatae mandari posse.

Miramur et quidem dolemus schema *de missionibus* nondum esse paratum. Sunt quidam qui dicunt superfluum esse particulare de missionibus schema. Nonne, sic dicunt, munus dilatandi Evangelii est pars integra ipsius vitae Ecclesiae? Nos quidem aestimamus schema separatum de missionibus conficere debere ob rationes quas longius est hic enumerare. Sed saltem hic in par. 10 fundamentum dogmaticum missionum multo distinctius enucleetur.

Nam quid videmus, venerabiles Fratres? Quod in praxi — et hic non tantum de Ecclesiis quae iam a saeculis sunt stabilitae loquor — cum aestimatione quam omnes quidem erga missiones ad paganos profitentur, coexistit practica indifferentia adversus eas, tamquam si res esset supererogatoria, quae paucorum idealistarum interest.

Aliud periculum videmus. Viginti abhinc annis liber sacerdotum Godin et Daniel: « France, pays de Mission » multos commovit, et paucis abhinc annis eminens quidem purpuratus commemoravit Ecclesiam esse « in statu missionis », i. e. omnibus baptizatis competere ut Christo fratres suos lucrari conentur. Num exaggeramus innuendo supradictos libros influxisse in praeoccupationem pastoralem, cuius prima huius Concilii sessio tanta signa dedit? Sed videtur nobis, episcopis in terra non-christiana laborantibus, usus verbi « Missionis », ut in Europa nunc spargitur, non ambiguitate nec periculo expers. *Ambiguitate,* num idem verbum assumitur ad designandam ex una parte pastoralem magis realisticam et operosam in regionibus, in quibus, ...[3] Christianismus iam antiquitus altas radices egit; ex altera parte praedicatio evangelii in gentibus quae numquam christianae fuerunt, immo Christum ignorant...[4] Nonne tunc erunt inter nos, immo iam sunt, qui putent se suo officio missionario satisfecisse si in propria dioecesi pastoralem activam instaurent?

Ne obliviscamur verba: « Euntes, docete omnes gentes » *ad totum collegium apostolicum* fuisse dicta. Ideoque omnis episcopus, quicumque est, habet partem suam in solemni hac responsabilitate Ecclesiae, et pro viribus adlaborare debet ut missio ad paganos augeatur.

Sed quid videmus, venerabiles Fratres? Qui summam totius laboris

apostolici, qui in bonum animarum a totius orbis sacerdotibus et religiosis praestatur, statistice computet, nonne ad haec sequentia data perveniet? Multo maior pars operae — etiam in multis territoriis de Propaganda Fide — navatur in pastoralem ...[5] conservatricem, id est in conservandam fidem et mores catholicorum, a. v. « iustorum » qui vix indigent poenitentia. Iam minor pars laboris apostolici adhibetur in reducendis ad Ecclesiam eis qui fide vel moribus ab ea defecerunt, i. e. ovibus quae perierunt de domo Israel. Quod ad immensam massam infidelium attinet, ad plus quam bis millies milliones paganorum, vix eis dantur micae quae de mensa cadunt. Vix quinque pro cento, fortassis ne tres pro cento quidem conatus apostolici Ecclesiae in eos expenditur! Nonne ei qui in Christo Iesu considerat, hic status rerum lugendus et intolerabilis videtur?

Facile putant episcopi et superiores religiosi in regionibus quas vocamus « veteris Christianitatis », etsi centena, immo millia sacerdotum vel sodalium habent, magis facere non posse, quin deprivent dioeceses aut opera instituti necessariis adiumentis. Sed quid vocant « necessarium »? Nonne quandoque est, quod solet fieri, aut quod derivatur statica conceptione organizationis ecclesiasticae? Quot parochi parvarum paroeciarum, quot professores, quot religiosi praedicatores aut confessarii, post bene absoluta officia muneris sui quotidie plures horas liberas habent? et quot sacerdotes et religiosi detinentur muneribus quibus etiam laici fungi possunt? Nonne audaci reorganizatione multos subditos ad munia stricto sensu missionaria destinari possunt? Utcumque utile et meritorium est ministerium quod domi exercent, ne obliviscamur maioris etiam meriti et pretii esse dilatare in omnem terram regnum Dei et Christi eius...[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] episcoporum provinciarum de Delhi, Agra, Calcutta, Ranchi, Nagpur et Bophal. [2] par. 10. [3] utcumque videantur, neopaganismo infectae. [4] *Periculo*: nam sic conceptus missionis potest perdere suam vim, ut ita dicam, percussivam, et potest pessumdari « mystica missionaria » qua dicimus: « Vae mihi si non evangelizavero! ». [5] (quam non peiorative vocabimus). [6] De forma concreta qua haec cooperatio episcoporum inter se organizari potest, alio loco sermo esse poterit. Unum dicere volumus: Ecclesiae munus missionarium stricto sensu pressius asseratur et theologice fusius exponatur hoc loco disquisitionis de eius ministerio. Alioquin non poterimus sperare ut in Ecclesia quaedam « Coperciana revolutio » fiat, quae in eo consistit ut omnes orbis episcopi necessitates Ecclesiae missionariae ut veras necessitates propriae dioecesis considerent.

10

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine *quorumdam* [1] episcoporum Hispaniae, *quorum nomina hic veniunt.*[2]

Cap. I, de Ecclesiae mysterio, prout in schemate iacet, in aequivoco positum videtur...[3] *Aequiparantur, forte confunduntur,*[4] hae duae supremae realitates: Christus *Redemptor* et, ut talis, Caput totius generis humani, et Christus Fundator et Caput Ecclesiae Corporis sui. Sicut non datur aequivalentia et adaequatio inter integrum genus humanum redemptum et Ecclesiam visibilem a Christo fundatam, sic nec datur inter Christum Caput totius generis humani et Christum Caput Ecclesiae Corporis sui.

Omnes homines, ab Adamo usque ad ultimum electum, a Christo sunt redempti omnesque, intuitu meritorum Eius, ad salutem sunt vocati, at non omnes pertinuerunt nec hodie pertinent ad Ecclesiam ab Ipso fundatam, cum apud nos in Palaestina degeret...[5]

Omnes utique redempti de Ecclesia Christi dici possunt eorumque congregatio « ecclesia » vocari potest et quandoque ab ipsis etiam Patribus vocatur, at tunc terminus « ecclesia » cum minuscula scribi et sensu quodam generico et lato sumi debet, pro congregatione redemptorum et ad salutem in Christo *Redemptore* [6] vocatorum, non autem de Ecclesia cum maiuscula, de Ecclesia hac historica et concreta a Christo super Petrum, quodam die, fundata. Una et altera intime inter se connectuntur in universali consilio salvifico augustae et individuae Trinitatis, una attamen et altera clare inter se quoad nos distingui possunt, immo et debent...[7]

Nos...[8] in Concilio, *quod sciam* [9] — consulto non dixi: in schemate — minime loquimur de ecclesia illa cum minuscula, quae, utpote futuram praefigurans, prae-Ecclesia dici posset, sed de nostra hac agimus visibili Ecclesia, hodie in mundo viva et perenniter duratura. De ipsa Christus locutus est illamque fundare venit et de facto fundavit.

Quae autem et qualis est huius Ecclesiae natura et configuratio? Sensibilis simul et suprasensibilis cum sit, spiritualis et adspectabilis societas — en propria ratio mysterii *Ecclesiae* [10] — Christus Dominus, ut pro suo ministerio pastorali, mysteriosam illam realitatem populo vulgaret, diversis imaginibus illam depinxit et delineavit...[11]

Christum igitur sequentes, nos ipsi etiam imaginibus Ecclesiae naturam explicare in schemate intendimus, *at meo iudicio,*[12] in cassum ...[13] et vano intentu. Imagines utique nonnullas adducimus et adnotamus, at extra locum proprium in decursu logico schematis et nulla adiecta de illarum contentu explicatione, quo fit ut et contextura logica ...[14] interrumpatur et fidelibus, pro quorum catechesi pastoraliter loqui intendimus, imagines inutiles et ferme inintelligibiles ultimo evadant.

Haec ...[15] duo *faciliter*[16] corrigi possunt, si ...[17] numerus in schemate sextus anteponatur quinto tamquam continuatio verborum S. Cypriani in fine quarti, et *aliunde*[18] brevissima saltem addatur de contentu *imaginum*[19] explicatio...[20] Quae vero est et qualis esse poterit talis explicatio?

Meo iudicio, diversis illis imaginibus haec subest idea medullaris: « realitas communitaria cuiusdam coetus, congregationis, communitatis et communionis, organizationis tandem et societatis in qua et per quam veluti per " organon " opus salutis inter homines exerceretur ». Voluit nempe Christus indigitare opus salutiferum suum, redemptivum et sanctificativum, exercendum et applicandum fore hominibus non praecise singillatim sumptis, quavis mutua inter ipsos connexione seclusa, sed communitario et sociali modo, in coetu quodam, in congregatione, in familia et societate illa quam Ecclesiam suam Ipsemet appellabat.

...[21] Quae autem erit imago aptior hunc in finem adhibenda? Imago « Corpus Mysticum »? De facto — et hoc est mirum — Christus Dominus illam numquam adhibuit. Imago « corporis » occurrit certe in S. Paulo, at non ut unica, fortasse neque praecipua, sed una e pluribus, eamque apostolus assumpsit quia, ni fallor, in mundo Hellenico vocabulum « corpus » (*numquam dixit « mysticum »*[22]) frequenter adhibebatur ad societatem — hoc quidem notandum est — significandam.

Quidquid vero de usu Paulino dici valeat, liceat nobis iterum quaerere: eritne imago « corpus mysticum » aptior inter omnes pro explicatione pastorali mysterii Ecclesiae proponenda? Verum si dicam, mihi negative videtur respondendum. Volumus enim fidelibus et mundo explicare mysterium Ecclesiae et, data intentione, mysteriosa utimur formula « corpus mysticum », cuius idea et conceptio captum hominum communiter fugit. Obscura oportet clarioribus, numquam mysterium mysterio explicare licebit. Clariorem igitur et simpliciorem pro fidelibus formulam — populum, familiam, sponsam — adhibere debemus, ut et illi, catechetica et pastorali instructione, quasi ad manum ...[23] ducti, deinceps ad ulteriora gradatim et fructuose ascendere possint. Nec de cetero, imago « Corpus mysticum » saltem prout *iacet in schemate*[24] mysterium Ecclesiae satis accurate videtur explicare...[25]

...[26] In schemate ...[27] sermo utique fit de *uno ex elementis quibus Ecclesia coalescit, de elemento nempe interno,*[28] nescio an semper satis accurate, et fere nihil dicitur de externo, de Ecclesia societate visibili, ac si timor nos premeret loquendi *nunc in Concilio* [29] hac de re.

Conclusio:

1. *Videtur aequivocitas vitanda* [30] in usu vocis « Ecclesia ».

2. Restituatur nexus logicus in contextura schematis.

3. Addatur apta explicatio imaginum Ecclesiae in Scriptura, *deque illarum contentu.*[31]

4. Accuratius explicetur imago « Corpus mysticum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nonnullorum. [2] deest. [3] saltem et praecipue a n. 2 ad 5 inclusive. Ex hac aequivocatione nonnullae derivantur possibiles confusiones et phrases impraecisae, ne dicam inexactae, fortasse etiam falsae. [4] Confunduntur, ne fallor. [5] Ecclesia enim haec non ab initio, non in epocha patriarcharum, non in foedere mosaico, sed historice, abhinc tantum XX saeculis, fundata fuit et fundata manet. Hinc et ipse Christus primis ministerii sui temporibus, de Ecclesia sua loquens, in futuro loquebatur: « Aedificabo Ecclesiam meam ». [6] deest. [7] Quia in schemate nostro non ita clare forte distinguuntur, quaedam in illo occurrunt phrases inconcinnae, impraecisae et, meo iudicio, inexactae, ut puta in n. 2, linn. 22-23: « haec congregatio iustorum a SS. Patribus Ecclesia universalis vocatur », et quae in eodem numero, ultima paragrapho leguntur: « Haec Sancta Ecclesia... in novissimis temporibus est manifestata », de qua iam em.mus card. Ruffini accurate locutus est. [8] igitur. [9] deest. [10] deest. [11] aedificatio, domus, grex, vinea, campus, familia, regnum, licet haec ultima, imago regni, in nostro schemate, semel pro semper, nescio quo iure, e medio tollatur. [12] deest. [13] tamen. [14] schematis. [15] autem. [16] facili remedio. [17] nempe. [18] deest. [19] deest. [20] Hac ratione nexus logicus gradatim evolvitur et simul facile vitatur violentus ille saltus in paragraphum de Ecclesia mystico Corpore Christi, de quo hiatu prima die exc.mus Morcillo locutus est. Inseratur ergo n. 6 ante n. 5, et imagines evangelicae illuc adnumeratae pro nostro scopo quadantenus explicentur. [21] Qualiter nunc procedendum est in explicando naturam et conditionem mirabilis illius Institutionis a Christo Domino pro salute hominum in terris constitutae? Supremus paedagogus, Christus Dominus imaginibus hoc fecit, nosque Magistrum fideliter secuti, imaginibus etiam facere debemus. [22] deest. [23] paedagogice prius. [24] in schemate proponitur. [25] Ecclesia duplici constat elemento, at praecipua et propria ratio mysterii non est praecise in eo quod elementum internum, invisibile et supernaturale secum portet, sed in intima et mirabili connexione utriusque elementi: externi et interni, visibilis et invisibilis, naturalis et supernaturalis, pari modo ac propria et formalis ratio mysterii Incarnationis non in eo est quod Christus Deus sit et etiam homo, sed in ipsa secretissima unione. [26] Nunc autem. [27] nostro. [28] elemento interno Ecclesiae. [29] deest. [30] Vitetur aequivocitas. [31] deest.

[*Subsignaverunt etiam*:] Marcellus, ep. Asturicensis; Vincentius, ep. Celsonensis; Antonius, ep. coad. Cadiz y Ceuta; Petrus, ep. Huelvensis; Emmanuel, ep.

Cordubensis; José Maria (ep. tit.) Drusilianensis; Narciso Jubany, ep. tit. Orthosiensis in Phoenicia.

Animadversiones additae:

1. Cap. I, praecipue nn. 2-5, in aequivoco positum videtur. Hinc terminus « Ecclesia » aequivoce frequenter usurpatur.
2. Ordo praeposterus in exponenda natura Ecclesiae imaginibus mediantibus. Anteponatur n. 6 numero 5. Explicetur *contentum medullare* sub diversis imaginibus latens, ut nexu logico simul et paedagogico recte procedatur.
3. Imago « Corpus mysticum » non videtur aptior pro mysterio Ecclesiae fidelibus pastoraliter explicando, neque, prout in schemate proponitur, rationem mysterii explicare videtur.

11

Exc.mus P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Venerabiles Fratres, Patres conciliares,

Valde placet nova redactio huius schematis *de Ecclesia,* in qua clare exprimitur triplex dimensio essentialis Ecclesiae: nempe, dimensio theologica, ex Patre in Filio per Spiritum Sanctum; dimensio apostolica ac missionaria, in universalem salutem; dimensio eschatologica, « per patientiam ad caeleste regnum in gloriam Patris ». Item optime declaratur multiformis ac polyvalentia mysterii Ecclesiae — in specie notatum est — et quoad rem ...[1] et quoad verbum ...[2], Ecclesiam Christi esse Dei familiam, *quod optime evolvit nuper exc.mus D. Sigaud, arch. Diamantinus in Brasilia*[3]; quod rursus invenietur dictum immo cum nova emphasi in schemate de Oecumenismo.

Talis aspectus Dei familiae iam in Vetere Testamento adumbratus, in Novo Testamento et in toto decursu Traditionis fere ubique indigitatus — non quidem ad modum synthesis organicae ordinatae ut in expositione paulina de Corpore Mystico — sed ad modum realitatis ubique diffusae ac praesentis, tam obviae ut omnes spontanee agnoscant, tam familiaris ut vix ad eam specialiter attendant.

Etenim Christus regnum suum in terris haud raro proposuit ac descripsit: « Simile est regnum caelorum homini patrifamilias... » ...[4] Similiter sub eodem aspectu familiali realitates et habitudines denominativas Novae Oeconomiae saepe saepius praesentavit. Sic primo ante passionem: « Unus est Pater Vester » (*Matthaeus*[5]); « Et sic Eum orabitis: « Pater Noster... » (*Matthaeus*[6]); « Omnes vos fratres estis » (*Idem*[7]).

Et post passionem. Quae denominationes familiales, redemptione peracta, sensum obtinuerunt plenum: « Vade ...[8] ad fratres meos et dic eis: Ascendo ad Patrem meum et Patrem vestrum »...[9] Deinceps in usum communem et tritum Ecclesiae transierunt. *Nobis*[10] sufficiat attendisse ad apostolorum loquendi modum. « Videte qualem caritatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur et simus ». « Carissimi, nunc filii Dei sumus » (*1 Ioannis*[11]). « Si autem filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi » (*Romanos*[12]).

Item habitudines inter fideles, sub aspectu familiali, ob consanguinitatem cum Christo, regulantur: « Frater cum fratre in iudicio contendit? » (*1 ad Corinthios*[13]). « Qui diligit fratrem... in lumine manet, qui odit fratrem suum, in tenebris est » (*1 Ioannis*[14]). « Si frater et soror nudi sint et indigeant victu quotidiano... » (*S. Iacobus*[15]). Et subsequenter in Ecclesia locuti sunt pastores, post apostolos, ita ut pagani, in exordiis Ecclesiae mirarentur dicentes: « Eorum fundator eis persuasit se omnes esse fratres ». Et sic nunc in praedicationibus sacris et etiam in hac aula *sacra,*[16] omnis interpellatio fit sub *vocabulo*[17]: Fratres carissimi, venerabiles, et numquam cara membra.

Sic et loquitur sacra Liturgia sive in orationibus: « Respice quaesumus Domine super hanc familiam tuam ...[18] », et in canone Missae: « Hanc igitur oblationem servitutis nostrae sed et cunctae familiae tuae... ».

Liceat de cetero, recoluisse quantopere haec realitas familiae divinae totam Ecclesiam ab intus quasi transfigurans, principiis fundamentalibus doctrinae revelatae optime respondeat: v. g. de effectu iustificationis in Christo, seu de filiatione adoptiva; de baptismo quo fideles non tantum ut membra Ecclesiae incorporantur, sed simul regenerantur et in eam ut filii introducuntur, filii « in Filio » *ut affirmavit S. Ioannes in prima epistula,*[19] mutuo fraterne consociati, in fraternum commercium ac convivium ad eamdem mensam familialem, ubi Corpore et Sanguine Christi satiati, intime coniunguntur cum Deo et invicem per Ipsum — in pignus futurae resurrectionis. Item in Oecumenismo, omnes rogare debemus Patrem omnipotentem ut tandem aliquando fratres usque nunc separati, ad eamdem domum paternam redeant.

Crederem hunc prospectum tam profundum et traditionalem *familiae Dei*[20] quo indoles Ecclesiae atque relationum fidelium ad Christum ac inter *invicem*[21] tantopere illuminatur ac transfiguratur, in schemate, post paragraphum de Corpore mystico, fusius evolvendum:

1. Respondet enim scopo principali Concilii, doctrinali quidem, sed et directe pastorali, ita ut omnes ad eam quasi sponte attrahantur, cuiusvis gentis et culturae; talis aspectus hodiernae aspirationi ad authenticam

ac solidam pacem revera aptatur, clarificans ea quae in Corporis mystici figura obscuriora remaneant.

2. Cum Ecclesia debitrix sit omnibus cuiusvis aetatis et conditionis, doctrina de Ecclesia Dei familia directe omnibus accessibilis est, non tantum doctis sed et rudibus, non solum senibus et adultis sed etiam pueris et iuvenibus, non tantum christianis initiatis, sed etiam catechumenis et paganis.

3. Dicere auderem quod in toto oriente ubi familia adhuc est in magno honore, talis propositio altius in intellectum ascendit et in cor profundius descendit.

4. Denique, sensus familialis non parum luminis in totam vitam liturgicam et socialem fidelium transfudit, ea filiali pietate erga Patrem communem, erga Filium unigenitum et Primogenitum, erga Spiritum Sanctum ex Patre Filioque procedentem, erga B. Mariam Virginem Primogeniti et aliorum filiorum adoptivorum Matrem; erga sanctos ut nostros fratres iam glorificatos, et cum nota respective conducente, erga superiores, aequales et inferiores, omnes authentice fratres in Domino.

Et sic concludo. Optarem ut nova paragraphus addatur in hoc schemate et in qua Ecclesia definiri potest ut familia [22] filiorum Dei in Christo per Spiritum Sanctum quae iam in terris inchoatur sub ministerio pastorali successorum apostolorum duce Christi Vicario, ad quam omnes filios prodigos et separatos fratres invitare non cessat Christus, atque finaliter in caelis, in domo paterna, in qua « mansiones multae sunt » ...[23], consummabitur.[24] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (p. 7, linn. 23-27; p. 8, linn. 5-6; p. 8, linn. 25-27; p. 9, linn. 5-7). [2] (p. 9, lin. 29). [3] deest. [4] (cf. parabolas de invitatis, filio prodigo, duobus filiis...). [5] (*Mt.* 23, 9). [6] (*Mt.* 6, 9). [7] (*Mt.* 23, 8). [8] autem. [9] (*Io.* 20, 17). [10] deest. [11] (*1 Io.* 3, 1). [12] (*Rom.* 8, 17). [13] (*1 Cor.* 6, 6). [14] (*1 Io.* 2, 10). [15] (*Iac.* 2, 15-16) etc. [16] conciliari. [17] voce. [18] pro qua D. N. I. C. non dubitavit ... crucis subire tormentum. [19] (*1 Io.* 2, 24). [20] deest. [21] se. [22] Mihi novae paragraphi textum promere concedatur. (Ecclesia Dei familia). Humana familia prius in Adam ad vitam divinam elevata ac unita, per Adae peccatum a Deo separata est et in se divisa. En Dei miserentis consilium: « Ubi venit plenitudo temporis, misit... Filium suum, factum ex muliere » (*Gal.* 4, 4) qui ut novus Adam (*Rom.* 5, 14 s.; *1 Cor.* 15, 22. 45) sua morte « filios Dei qui erant dispersi, congregaret in unum » (*Io.* 11, 52); familiam initio mirabiliter conditam, mirabilius denuo reformaret. « Ipse autem veniens evangelizavit pacem (iis) qui longe... et pacem iis qui prope, quoniam per ipsum habemus accessum ambo in uno Spiritu ad Patrem» (*Eph.* 2, 17-18); nec iam ut hospes et advenae, sed ut veri filii in domum paternam redintegrati: « Videte qualem caritatem dedit nobis Pater, ut filii nominemur et simus! » (*1 Io.* 3, 1), filii quidem in Filio (*1 Io.* 2, 24) « quoniam Filium suum Unigenitum

misit Deus... ut vivamus per eum » (*1 Io.* 4, 49). « Si autem filii et haeredes, haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi » (*Rom.* 8, 17; *Io.* 14, 2, 3). Quam grates debemus esse erga Patrem qui dignatus est nos omnes sine exceptione vocare ad Ecclesiam seu familiam. [23] (*Io.* 14, 2). [24] Ad hanc observationem consentiunt exc.mi DD. Thaddaeus Tu, Ios. Dai, Domin. Doan, Michael Ngu, Ant. Thien, Phil. Dien.

12

EXC.MUS P. D. HERMANNUS VOLK
Episcopus Moguntinus

Venerabiles Patres, carissimi Observatores,

Rogatus a Patribus conciliaribus linguae germanicae et nonnullis aliis circa ...[1] cap. I huius schematis haec propono *aliis iam dictis omissis,*[2] non exclusis aliis observationibus istorum Patrum forsan addendis...[3]

Ad cap. I: caput quoad substantiam placet. Iam a pluribus Patribus desiderabatur, ut in hoc capitulo aliqua mentio fieret tam de verbo Dei in Ecclesia quam de Eucharistia, culmine omnium sacramentorum et unitatis Ecclesiae sacramento. Quod re vera magni momenti est. Nam Ecclesia est locus, in quo verbum Dei de die in dies praedicatur et Dominica coena reliquaque sacramenta celebrantur. Ecclesia verbum Dei fide recipiendo et ore testificando atque cultum Christi Patri offerendo vivit. Ideo, quid sit Ecclesia, non perfecte describitur, nisi sermo est de illis, ut ita dicam, functionibus vitalibus Ecclesiae. Quare propono ut nisi extensius de his rebus agatur, saltem in pag. 11, lin. 6, post verbum « communitas » tamquam specialis numerus haec inserantur:

« Verbi Dei praedicatione et coenae Dominicae solemniis iugiter aedificatur. Deus enim Verbi sui virtute populum sibi ex omnibus gentibus convocat omnem intellectum captivans ad oboeditionem fidei (*epistola ad Romanos* [4]), et foedus aeternum pangit cum hoc fideli populo suo. Quare Ecclesia verbum Dei sibi concreditum semper praedicat, cui oboediens nutritur et crescit et a quo regitur « mortem Domini annuntians donec veniat » (*epistola I ad Corinthios*).[5]

Corporis et Sanguinis Christi participatione Ecclesia ipsa unum corpus efficitur et recolit memoriam Dominicae passionis ex qua ipsa originem duxit. Per Christum Patri gratias agens pro hoc Novi et Aeterni Testamenti beneficio Deum summo cultu adorat et suam ipsius mirabilem unitatem in uno hoc pane et accipit et repraesentat...[6]

Praeterea aliud adhuc punctum considerandum propono: ubi sermo est de Ecclesia in terris peregrinante, pag. 11, n. 7, aptus locus est

dicendi quaedam de huius Ecclesiae visibilis relatione ad regnum Dei. Ecclesia visibilis non simpliciter identificanda est cum regno Dei. Ecclesia inquantum est a Christo ad salutem conferendam instituta, in adventu Domini esse desinit, regnum Dei autem quod inchoative continetur in Ecclesia visibili tamquam suo signo efficaci, consummatur in Ecclesia triumphante.

Differentia et coniunctio indissolubilis Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesiae triumphante — Ecclesiae enim, in quantum est medium salutis, a Christo Domino institutum et a Spiritu suo vivificata et unita, et Ecclesiae, inquantum est fructus redemptionis, congregatio enim sanctorum in visione Dei immediata — facilius reddit descriptionem Ecclesiae in terris et habitudinis eius ad regnum Dei, quod secundum orationem Dominicam in his temporibus peregrinationis semper est vivens. Haec distinctio reddit facilius ne Ecclesia in peregrinatione se simpliciter identificet cum regno Dei in fine saeculi, quod est dominium Dei manifestum...[7] in adventu definitivo Domini Nostri et totius mundi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] prooemium et. [2] deest. [3] Desiderandum, immo necessarium videtur ut valor theologicus huius decreti *de Ecclesia* clare indicetur secundum desiderium a Patribus conciliaribus iam pluries significatum. In prooemio, pag. 7, lin. 11 post verbum « enucleans » ergo inserantur quae sequuntur: « non novas definitiones condens, sed traditam Ecclesiae doctrinam authentice illustrans ». Rationes: 1. Haec Concilii declaratio omnino corresponderet menti Summi Pontificis in eius oratione inaugurali huius secundae sessionis significatae. 2. Evidens est tantam molem doctrinarum non constituere posse seriem definitionum infallibilium sibimetipsis succedentium. 3. Concilium ita posse docere, ex eo elucet quod praeterita Concilia Oecumenica saepius tali modo docuerunt, et insuper ex eo quod ipse Romanus Pontifex eadem potestate doctrinali pollens saepissime suas declarationes hoc valoris theologici gradu munitas esse vult. [4] (*Rom.* 16, 26). [5] (*1 Cor.* 11, 26). [6] Hoc unitatis mysterium, quod Ss.ma Eucharistia et repraesentat et efficit, S. Paulus (*1 Cor.* 10, 16) clare edocuit et inter Patres orientales praesertim S. Cyrillus Hierosolymitanus, inter occidentales S. Augustinus, luculenter explanaverunt; cf. etiam S. Thomae Aquinatis Summam Theologicam et Concilium Tridentinum et Catechismum Romanum. [7] et non diminutum.

Animadversiones additae:

Votum ad disceptationem generalem schematis *de Ecclesia* adhuc pertinens, in nomine 66 episcoporum linguarum germanicae et scandinavicarum in scriptis propositum:

Ecclesia peregrinans non sufficienter describitur nisi de eius coniunctione cum Ecclesia triumphante sermo est. Lex orandi ipsius Ecclesiae sanctos nobiscum coniunctos esse eo ostendit, quod eos nominat in Canone Missae et in confessione generali ante Missam recitanda. Sanctorum festa per totum annum liturgicum

celebrantur. Sanctorum intercessionem invocamus in variis nostris condicionibus. S. Ioseph statutus est ipsius concilii patronus.

Unio ergo Ecclesiam triumphantem inter et peregrinantem omitti non debet in essentia Ecclesiae recte describenda. Ecclesia in terra degens signum levatum est consummati regni Dei, in quod Ecclesia visibilis, quatenus est institutio ad salutem conferendam condita, in fine saeculi transmutatur. Etiam B. Virginis in caelestem gloriam assumptio ostendit Ecclesiam in terra degentem virtute Christi ordinari ad regnum Dei eschatologice consummandum. Ecclesiam describens, Ecclesiae concilium oecumenicum hoc quoque exprimere debet.

Propter hunc inter Ecclesiam peregrinantem et Ecclesiam triumphantem nexum sancti in caelis, praeprimis B. Maria Virgo, ad Ecclesiam in terra degentem, immo ad omnes homines peregrinantes, converti, fides et preces Ecclesiae testantur. Ideo hic etiam est locus aptissimus loquendi de B. Maria Virgine, quae est figura et exemplar Ecclesiae, quatenus hac in terra Dei verbo fidem praestitit et in caelo est consummata, mater non tantum Christi, sed etiam fidelium. Sic evitatur separatus de B. Maria Virgine sermo et tam ecclesiologiae quam mariologiae nutrimentum praebetur.

Propterea propono, ut schemati *de Ecclesia* addatur caput quoddam, quo de respectu illo eschatologico, id est de coniunctione Ecclesiae peregrinantis cum triumphante, de nexu sanctorum cum Ecclesia in terra degente sermo sit. Proprio schemate de B. Maria Virgine deinde non iam indigebimus.

Hoc modo etiam mysterium passionis Domini in Ecclesia semper existens melius explanari potest. Ex differentia etenim et coniunctione Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesia caelesti apparebit quomodo Ecclesia in huius mundi tribulationibus incedens Christo compatitur et sic cum eo etiam conglorificabitur.

13

Exc.mus P. D. ANTONIUS PILDÁIN Y ZAPIÁIN
Episcopus Canariensis

Venerabiles Patres,

Miror quidem, humiliter dico, quod in hoc cap. I, in quo duae adsunt integrae paragraphi, opportunissime certe, de nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis, et de non christianis ad Ecclesiam adducendis, neque ullum verbum dicatur de reducendis ad Ecclesiam illis qui matrem nostram his nostris diebus maxime contristant, scilicet de filiis qui nuper nostri, a nobis baptizati et nobiscum conversati, nunc omnino ab Ecclesia abalienati vivunt.

Phaenomenon quidem nostris temporibus peculiare. Hoc est enim deplorandum illud, quod insignis Pius XI appellabat « magnum scandalum nostri saeculi ».

Hoc est obiectum Constitutionis Apostolicae Pii XII, felicis recordationis, de sic dicta et notissima « Missione Galliae ».

Hoc fuit thema praecipuum magnae illius hebdomadae pastoralis quinque ab hinc annis Mediolani habitae in qua tam egregias orationes pronuntiavit tunc temporis archiepiscopus Mediolanensis, nunc vero Summus Pontifex, feliciter regnans.

Hoc denique, de quo Papa dulcis memoriae, Ioannes XXIII, in prima sua encyclica dicebat episcopis: « Novimus etiam angustias vestras et dolores vestros prae tantis filiis qui abalienantur ».

Et sane, nec unus aderit *hic* [1] in hoc sacrosancto coetu episcopus qui de hoc saepissime et acerbissime, ore et scripto non sit conquestus. Cur *ergo* [2] tacere nunc?

Propono igitur vestro sapienti iudicio, venerabiles Patres, ut paragraphis huius capitis sub nn. 9 et 10 notatis, in quibus agitur *ut dixi,*[3] de christianis non catholicis coniungendis et de non-christianis ad Ecclesiam adducendis, addatur alia paragraphus de his filiis misere abalienatis, ad Ecclesiam reducendis.

Ut autem omnibus manifeste pateat Ecclesiam nostram in his suis conatibus alliciendi ad se omnes homines, non propriam gloriam quaerere sed Dei, et quoniam insuper, enucleatio ipsa dogmatica huius capitis de Ecclesiae mysterio hoc postulat, videtur mihi, omnino necessarium, ut peculiaris paragraphus inseratur hic, de scopo et fine Ecclesiae expresse tractando.

Hoc desiderabat unus ex Patribus conciliaribus, et quidem ex eminentissimis in diebus illis in quibus fervebat discussio de priori schemate de Ecclesia. Rediit nunc schema illud modificatum, sed eodem defectu laborans. In ipso enim, non nisi semel, et celerrime quidem et quasi per transennam, de ipso agitur. Et tamen, hoc in primis a Concilio promulgandum videretur, Ecclesiam nempe ipsam, et omnia quae in ipsa sunt, ad gloriam Dei, tamquam ad supremum et principalem finem subordinari, iuxta illa magnifica verba apostoli ad Ephesios quae deberent esse, *puto* [4], veluti lemma totius huius capitis. Ipsi, i. e. Deo, gloria in Ecclesia. Deo gloria in Ecclesia, Deo qui est omnipotentia et lux et amor, Ipsi gloria in Ecclesia.

En conspectus sub quo, meo humili iudicio, concilium hoc nostrum Ecclesiam exhibere deberet huic mundo hodierno, potentiam et scientiam et amorem veluti totidem idola adoranti.

Demum, et quod attinet ad filios abalienatos de quibus locuti sumus, quoniam maximam illorum partem constituunt multitudines operariorum qui veluti rationem suae defectionis afferre solent Ecclesiam partem agere divitum, operariorum vero et pauperum necessitatibus et angustiis minime commoveri, necessarium existimo, ut Concilium no-

strum inde a principio constitutionis *de Ecclesia,* ipsam exhibeat ut veram et amantissimam ipsorum Matrem.

Opportunissimam igitur censeo, emendationem sive additionem quam huic primo capiti schematis de Ecclesia proposuerunt tredecim episcopi ex Africa Centro-Orientali, et quae sic se habet: « Ut homines cuncti plenam unitatem in Christo consequantur », dicit schema, et praedicti episcopi africani *proponunt*[5] additionem: « et sciant praesertim illi omnes qui toto orbe terrarum dira paupertate premuntur, necnon illae laboriosae classes quarum vitae condiciones hanc ipsam in Christo unitatem et religiosam praxim tam difficilem reddunt, se in caritate Christi et Ecclesiae eximiam partem habere ».

Haec est, inquam, emendatio sive additio quam praedicti episcopi africani proponunt, cui ex toto corde adhaereo et meam totaliter facio ut corollarium eorum quae dixi.

Vos igitur ceteri, venerabiles Patres, vestro sapiente iudicio dicetis, utrum haec propositio nostra vobis placeat an non. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] proposuerunt.

Animadversiones additae:

Votum I. Propono ut cap. I *de Ecclesia* post ultimum numerum, addatur n. 11: (De abalienatis ad Ecclesiam reducendis) hoc vel simili modo: « Sancta Mater Ecclesia, quae admodum est sollicita de christianis separatis sibi coniungendis, et de non christianis adducendis, non potest maiori praeoccupatione, non curare de tot abalienatis ad vitam christianam reducendis. De filiis enim agitur, qui ab ipsa generati et enutriti, nunc misere perierunt, et in statu versantur miserabilissimo; nemo enim non videt tremendum periculum in quo inveniuntur beatitudinem aeternam amittendi. Hinc maior christianorum responsabilitas erga ipsos, utpote fratres proximiores, ex quibus multi, forte, a propriis fratribus scandalum aliquando passi sunt, praesertim in re sociali.

Vel ipse Christus Dominus, quando primum misit apostolos, praecepit eis potius ire ad oves quae perierunt domus. Et S. Paulo tristitia magna illi erat, et continuus dolor cordi eius, pro fratribus suis. Sic et filii Ecclesiae, pro suis fratribus abalienatis ad ipsam et ad vitam christianam reducendis, adlaborent orationibus et operibus et, inter haec, apostolatu praecipue contactus personalis.

Votum II. Propono ut addatur, aut inseratur, huic cap. I *de Ecclesia* haec altera paragraphus: Ecclesia, ad sui Fundatoris exemplum, gloriam propriam non quaerit, sed Dei glorificationem, ad quam, in ipsa, omnia ordinantur, sive praedicatio verbi, sive sacramenta, sive cultus. Sanctus Paulus existimat laudem Dei finem Ecclesiae primarium, adeo ut vel ipsa hominum salvatio ad illam ordinetur laudem Dei; « qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum: secundum propositum voluntatis suae... in quo etiam et nos sorte vocati sumus praedestinati secundum propositum eius qui operatur omnia, secundum consilium voluntatis suae: ut simus in laudem gloriae eius nos, ... ei autem,

qui potens est omnia facere superabundanter quam petimus, aut intelligimus, secundum virtutem, quae operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia ».

Hoc maxime prae oculis filii Ecclesiae habere debemus, et gloriam Dei et finem supremum ipsius intendere, praesertim, nostris hisce diebus propter innumera conamina quibus homines nituntur ut ideam Dei a mentibus et cordibus humanis delere valeant, forsitan quia falsam et erroneam de Deo ideam habent.

En, igitur, missio peculiaris filiorum Ecclesiae praesertim nostris diebus: Deum ostendere ut omnipotentiam, et lucem indeficientem, et amorem infinitum huic mundo hodierno, qui potentiam, et scientiam, et amorem, veluti totidem idola, adorat.

14

Exc.mus P. D. ANGELUS IOSEPH JELMINI
Episcopus tit. Thermensis, adm. ap. Luganensis

Nomine loquor Helvetiae episcoporum *et quam breviter.*[1] Nobis liceat, venerabiles Patres, emendationem circa n. 5 cap. I, pag. 9 et pag. 10, *humiliter*[2] proponere.

Quoad naturam Ecclesiae describendam, pro humana fandi facultate, omnino necesse est loqui de praesentia Christi Capitis in suo Corpore mystico quod est Ecclesia, et principaliter de praesentia Christi in Ss.ma Eucharistia. Praesentia haec totum deberet schema animare.

Etenim Ecclesia ut militans et peregrinans in terris, nonnisi per Christum eucharisticum definiri potest, cum Christus praesens in Eucharistia sit signum quo unitas Ecclesiae praefiguratur et simul vigor perennis quo aedificatur. Secundo, Ecclesiae natura definienda est non solum per praesentiam Christi in Eucharistia, sed etiam per praesentiam in praedicatione Ecclesiae. Etenim Christus est semper praesens in mundo ut verbum efficax revelationis ex qua fit Ecclesia. Tertio, Christi praesentia habetur etiam per eius apostolos, missos, delegatos, vicarios. Petrus cum apostolis semper adsunt nobiscum in Summo Pontifice cum episcopis. Ideo Corpus mysticum etiam definiri debet, in suo fieri, relate ad Summum Pontificem cum episcopis. Quarto denique, Christus est praesens in populo Dei, qui per ipsum fit Ecclesia, id est Christus totus.

Uno verbo, Ecclesia ut Corpus mysticum Christi debet omnino definiri per referentiam ad hanc quadruplicem praesentiam Christi in Eucharistia, in praedicatione, in Summo Pontifice cum episcopis et in populo Dei. Corpus dicit relationem ad caput. Ecclesia aut est Christi, aut est nihil. « Christum, Christum dicimus principium nostrum esse », instat Paulus VI sessionem hanc inchoando.

Haec visio Ecclesiae in praesentia actuali et continua Christi filios

Dei dispersos in mundo adunantis, valde oecumenica et pastoralis est. Omnes Ecclesiae separatae plus minusve Christi praesentia gaudent et fidelibus nostris catholicis magis magisque apparere debet simul Ecclesiam esse et medium ad unionem cum Christo et fructus unionis cum Christo. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest.

Animadversiones additae:

Textus propositus loco textus iacentis (cap. I, n. 5, p. 9, linn. 9-41 et p. 10, linn. 1-18).

« Huius corporis caput Christus est quem dedit Pater », caput supra omnem Ecclesiam, quae est corpus ipsius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adimpletur (*Eph.* 1, 22-23) « ut sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare » (cf. 1, 18-19).

Ita Christus indesinenter unitur corpori suo quod est Ecclesia, ipsum nutriendo, illuminando, regendo et pascendo: « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20) ut omnes sint unum (*Io.* 17).

Illa praeeminens praesentia Christi Capitis congregantis filios Dei dispersos in mundo, est eminentior et profundior aspectus quo Ecclesia, pro humana fandi facultate, describi potest et quo melius cunctis apparet salutis ministra. Etenim, « Christum, Christum dicimus principium nostrum esse » (Paulus VI).

Illa autem praesentia Christi Capitis in suo corpore quadrupliciter licet diverso modo apparet. Primo, Christus ut praesens in SS. Eucharistia est signum quo unitas Ecclesiae praefiguratur et simul perennis vigor quo aedificatur principaliter Ecclesia: « Qui manducat meam carnem et bibit meum sanguinem in me manet et ego in eo » (*Io.* 6, 56). Secundo, Christus ut praesens in praedicatione verbi divini est Verum vivum et aeternum ex quo Ecclesia semper vocatur. Ideo valet nunc quod Christus dixit: « Verba quae Ego locutus sum vobis spiritus et vita sunt » (*Io.* 6, 63). Tertio, Christus ut praesens in Petro cum apostolis est vere caput nostrum (*Eph.* 4, 11-16) « ex quo totum corpus per nexus et coniunctiones subministratum et constructum, crescit in augmentum Dei » (*Col.* 2, 19). Quarto denique, Christus ut praesens in populo Dei per Spiritum eius est principium quo vita sua in membra Ecclesiae diffunditur et cum eo et in eo unum corpus efficiunt.

Unde quidquid Ecclesia ad salutem operatur, a Christi praesentia per eam operantis procedit et quidquid Ecclesia tribulationis et persecutionis patitur, Christi passionibus tanquam corpus capiti consociatur et expectat mortuorum resurrectionem. Ita vere et proprie Ecclesia definitur tanquam « pleroma » seu plenitudo Christi in Ea inhabitantis et prout tendit ad omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 1, 23; 3, 19; *Col.* 2, 10). Ita Ecclesia ut medium ad unionem cum Christo et ut fructus unionis cum Christo simul apparet.

15

EXC.MUS P. D. IOANNES HEENAN

Archiepiscopus Vestmonasteriensis

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine totius hierarchiae Angliae et Cambriae. *Nobis* [1] schema generaliter placet. Attamen aliquid sat magni momenti addendum censemus in par. 9, pag. 12, *ubi de christianis non catholicis agitur.*[2]

In hac par. 9 sermo est de reconciliatione acatholicorum cum Ecclesia et in sequenti par. 10 *agitur* [3] de conversione ad veritatem Evangelii eorum qui baptizati non sunt. Unde hic agitur de obligatione evangelizandi quae in tota Ecclesia et in singulis catholicis incumbit. Omnis catholicus debet esse apostolus. S. Ioannes Bosco dicere solebat quod si iuvenis quattuordecim annorum spiritu apostolatus imbutus non esset, fides eius periclitaretur.

Sed quomodo hoc munus exercetur? Triplici modo: oratione, exemplo, tandem et verbo *seu praedicatione.*[4]

Iamvero in par. 10 ubi de conversione non baptizatorum loquitur bene dicitur (pag. 13 linn. 5 s.): « quapropter Ecclesia a prece et praedicatione quiescere nescit donec omnes in eam in unum corpus adsciscantur, etc. ». Optime dictum, et nota quod hic inculcatur obligatio *praedicandi,*[5] praedicandi verbum et veritatem catholicam iis qui foris sunt.

Nunc autem [6] in par. 9 ubi de reconciliatione acatholicorum baptizatorum, fratrum *i. e.*[7] seiunctorum, cum Ecclesia loquitur, quid invenimus? *Prorsus* [8] nihil de *nostra* [9] obligatione apostolatus. Tantum dicitur (linn. 38-39) « Ecclesia precari, sperare et agere non desinit omnesque ad orandum et ad cooperandum *exhortatur* ut purificati et renovati, signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgens extollant ».

Sed [10] quaenam media hic proponuntur ad fratres seiunctos attrahendos?...[11] ut preces Deo fundamus et ...[12] ut nosmetipsos reformemur ita ut Ecclesia catholica refulgeat ut vera. Certo certius hoc necessarium est. Sed non sufficit. Debemus etiam praedicare verbum Dei fratribus *nostris* [13] seiunctis...[14]

Omnis catholicus, sive sit sacerdos sive laicus, imbutus esse debet spiritu apostolatus ut ferventer et indesinenter oret pro reconciliatione fratrum seiunctorum, vitam exemplarem demonstret ad hunc finem assequendum, et verbo et opere laboret pro reconciliatione omnium cogna-

torum vel sociorum qui nondum catholicam fidem in tota plenitudine a Deo receperunt.

Fratres nostri *carissimi*[15] seiuncti *bene sciunt*[16] quod nos numquam contenti *esse poterimus*[17] usquedum omnes in domo materna catholicae Ecclesiae aggregati sint. *Pro nostra parte*[18] scimus quod maiorem caritatem *erga eos*[19] monstrare non possumus quam ut ipsis plenitudinem veritatis, Deo adiuvante, *communicare.*[20]

Quam ob rem proponimus[21] ut par. 9 sic legatur incipiendo a lin. 38, pag. 12, *his verbis*[22]: « Quod ut obtineat Ecclesia (*i. e. ubi sermo erat de uno grege sub uno pastore*), *quod ut obtineat Ecclesia,*[23] preces effundit et doctrinam a Christo acceptam omni creaturae praedicat: omnesque fideles monet ut precibus, exemplo, verbo et opere omnes conatus faciant ad plenitudinem veritatis fratribus seiunctis communicandam. Nec oblivisci debent vitam propriam renovare et purificare ut signum Christi super faciem Ecclesiae effulgens extollant ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Nobis videtur quod non sufficienter ibi inculcatur obligatio quae Ecclesiam ligat, fidem praedicandi fratribus seiunctis etiam baptizatis. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] Attamen. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] Duo media tantum: 1). [12] 2). [13] deest. [14] baptizatis. [15] deest. [16] debent scire. [17] erimus. [18] deest. [19] ipsis. [20] communicamus. [21] Propono igitur. [22] deest. [23] deest.

16

EXC.MUS P. D. FELIX SCALAIS
Archiepiscopus Leopoldpolitanus

Venerabiles Patres,

Loquor nomine episcoporum omnium conferentiae episcopalis ex Congo Leopoldville.

Cum ad mentem nostram, nulla ex figuris biblicis ex se sola, satis apta sit ad perfecte exprimendum mysterium Ecclesiae, oportet uti notionibus principalioribus Sacrae Scripturae quae, sese complentes, hoc mysterium probe describunt, et insuper in lucem ponunt dimensiones historicas et eschatologicas Ecclesiae, ac eius naturam intrinsece missionalem.

Hae tres notiones principales nobis videntur sequentes: populus Dei, Corpus mysticum Christi, regnum Dei.

1. *Populus Dei.* Sub specie populi Dei Ecclesia sese manifeste profert praeparata in Veteri Testamento. Revera, in populo a Deo electo,

qui locum dat, in Novo Testamento, novo populo, scil. Ecclesiae Christi, assidue crescenti ad omnes homines unitatem unius ovilis adunandos « ut unum sint », plane significantur dimensio historica simul et eschatologica Ecclesiae, atque munus missionale.

2. Notio *Corporis mystici Christi* perfecte significat unitatem intrinsecam Ecclesiae in qua membra omnia Christo resuscitato et totius Corporis capiti stricte coniunguntur, ac etiam principium internum incrementi totius Corporis usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi, ut ait apostolus in epistola ad Ephesios, cap. 4, v. 13.

3. *Regnum Dei* est obiectum primum praedicationis Christi. Si inter notionem regni et notionem Ecclesiae non exstat aequalis paritas, oportet tamen earum relationes explicitari.

Regnum iam in mundo exstat, ab Ecclesia *sustentatur,*[1] quae tota versa est ad adventum regni caelestis per proprium adventum Domini.

Itaque proponimus ut: par. 5 sit: De Ecclesia ut populo Dei; par. 6 sit: De Ecclesia ut mystico Corpore Christi (ut in schemate invenitur); par. 7 sit: De Ecclesia progrediente ad regnum Dei; ita ut hae tres notiones coniunctim adhibeantur ad mysterium Ecclesiae exponendum.

Quod si potius placeat caput integrum, scil. II, perficere de Ecclesia ut populo Dei, nihil obstat quominus in tali capite exponantur amplius elementa populi Dei, id est « laos » Dei in quo status laicorum plane perluceret, et hierarchia.

Textus harum propositarum emendationum iam tradidi exc.mo secretario generali. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sustentum.

Animadversiones additae:

Paragraphus inducenda ante par. de Ecclesia ut mystico Corpore Christi.

De Ecclesia ut populo Dei.

Deus cuius in aeternum est misericordia, praenuntians iam factis Incarnationis Unigeniti mysterium, sese accommodare voluit humanis contingentiis temporis et historiae.

Priusquam e Crucis et Resurrectionis Iesu mysterio ortum daret Ecclesiae, illam iam concepit et per multa saecula praeparavit, « formator eius ex utero » (*Is.* 44, 24). Populum nomini suo elegit ex gentibus (*Act.* 15, 14), cui sese coniunxit solemnissimo foedere: « Ero Deus vester vosque eritis populus meus » (*Lev.* 26, 12). Quem populum, per varias humanae historiae vicissitudines, conduxit ad proprii Filii adventum, in quo Filio novum et aeternum testamentum feriit (cf. *Mt.* 26, 28; *Lc.* 22, 20; *1 Cor.* 11, 25).

Populi Israel haeres, Ecclesia est novus Dei populus, non ex carne vel sanguine natus, sed ex fide in Iesum Christum ad quam vocantur omnes homines: « euntes

docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19), ita ut « denuo renati » (*Io.* 3, 3) filii Dei fiant, « consortes divinae naturae » (*2 Petr.* 1, 4), et sint « genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis » (*1 Petr.* 2, 9). Et in hoc populo « non est Gentilis et Iudaeus, circumcisio et praeputium, Barbarus et Scytha, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus » (*Col.* 3, 11). Hac voce « populus » inclusio pleno iure laicorum (laos) in lucem ponitur.

Nam si primum foedus a prophetis haberi potuit ut nuptiae Dei cum populo suo, Ecclesia novi Testamenti iam est vera Sponsa Christi (hic resumitur textus schematis pag. 10, linn. 37 ss. et primo loco deleatur:) quam mundatam sibi voluit coniunctam et in dilectione ac fidelitate subditam (cf. *Eph.* 5, 22 ss.), quam tandem bonis caelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et Christi erga nos caritatem quae omnem scientiam superat, comprehendamus (cf. *Eph.* 3, 39).

Hic Dei populus, Ecclesia, Sponsa Christi et credentium mater, nova et meliori spe (cf. *Heb.* 7, 19) sublevata, per saeculorum cursum, dum adunentur in uno ovili omnes filii Dei adhuc dispersi, progreditur ad adventum Domini in gloria.

Paragraphus inducenda post par. de Ecclesia ut mystico Corpore Christi.

De Ecclesia progrediente in regnum Dei. Primo suo adventu, Dominus Iesus regni Dei, a prophetis praenuntiati, radices plantavit: non est regnum huius mundi gladio fulcitum (cf. *Mt.* 26, 52-53; *Io.* 19, 36), sed regnum apertum illis qui sunt pauperes spiritu, qui lugent, qui esuriunt et sitiunt iustitiam, qui sunt misericordes... (*Mt.* 5, 3 ss.).

Regnum hoc crescere debet et transfigurare mundum sicut semen parvum fit arbor magna, sicut fermentum totam massam sublevat (cf. *Mt.* 13, 31-33). In terrestri sua phasi, regnum hoc imperfectum et malis permixtum remanet (cf. parabolae zizaniae et retis, *Mt.* 13, 24-30; 47-50) et plenitudinem nonnisi in fine saeculi obtinebit.

Est in hoc mundo Ecclesia regni Dei vehiculum. In ea enim ex una parte, iam aliquo modo prostant regni caelestis bona; ex altera parte per eam ut instrumentum a Christo volitum ad opus suum continuandum, regnum Dei in mundo praesenti aedificatur, donec Christus hoc regnum in manibus Patris sui remittet (cf. *1 Cor.* 15, 24): illuminat enim mundum per praedicationem evangelii omni creaturae, vita supernaturali homines donat, paterneque per apostolos eorumque successores pascit.

De non-christianis ad Ecclesiam adducendis.

Commentarium praevium.

1. Textus cap. I, n. 10 schematis *de Ecclesia,* etsi bonus est, tamen meliorandus videtur ut melius appareat:

Amplitudo consilii redemptivi Dei non tantum ad homines individuos sed etiam ad societates et religiones non-christianas.

« *Apertura* », *ut aiunt, Ecclesiae* et missionis ad omnia elementa positiva extra christianismum.

Spiritus « constructionis » quo animari debet missio et missionarius.

2. Textus remanebit *in campo theologiae* generalis, de Ecclesia et mundo christiano, cum locus non sit nunc pro particularibus.

3. Utemur persaepe *textibus biblicis,* praesertim ex illis locis ubi elucet consilium divinum erga non-christianos, ut sunt: verba Petri ad Cornelium (*Act.* 10);

concio Pauli ad Athenienses (*Act.* 17); doctrina eiusdem de paganis (*Rom.*); mysterium universalis redemptionis in Christo (*Eph.; Col.*).

4. *Motus totius expositionis* quattuor partibus constat:

Exponitur breviter universalitas functionis Verbi Incarnati et Ecclesiae.

Modo correlativo, describitur universalis aspiratio religiosa, erga « Deum ignotum ».

Ostenditur, per modum consequentiae, quomodo thesauri non-christiani admitti et elevari debeant in Ecclesia.

Unde clarius appareat et modus et finis « missionis » in non-christianos.

Textus renovatus.

A) Ecclesia, cum sit Sponsa et Corpus Christi universalis Redemptoris, qui « primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiat populo et gentibus » (*Act.* 26, 23) debet ipsa quoque, ex natura sua « in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo» (*Col.* 3, 8 et 9), « annuntians pacem per Iesum Christum» (*Act.* 10, 36).

Quam essentialem missionem significavit ipse Iesus, cum apostolis mandaverit: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15) et: « Docete omnes gentes, baptizantes eos... » (*Mt.* 28, 19).

Quapropter Ecclesia, verba Pauli sibi applicans: « Vae mihi si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16), non potest quiescere ab evangelizatione totius mundi procuranda; orationibus, testimonio sanctitatis, exercitio caritatis, et praesertim labore apostolico ad non-christianos; donec omnes praesertim pauperes, in unum Christi Corpus adsciscantur.

B) Sic autem obviat totius humani generis necessitatibus et votis: « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei » (*Rom.* 3, 23). Et Deus « fecit omne genus hominum habitare super universam faciem terrae... quaerere Eum si forte attrectent aut inveniant Eum » (*Act.* 17, 27). Reapse « non est longe ab unoquoque nostrum » (*ib.*); « invisibilia Ipsius a Creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur » (*Rom.* 1, 20). « Legem non habentes ipsi sibi sunt lex, testimonium reddente illis conscientia ipsorum » (*Rom.* 2, 14-15). Non defuerunt in omni religione, in quovis populo, viri religiosi qui Deum ignotum in templis vel in cordibus suis coluerunt...

C) Qui sic vivere conantur in spiritu et veritate secundum conscientiae dictamen, fideles sunt divinae voluntati. Quidquid boni, quidquid sancti homines hominumque coetus non-christiani habent, praeparatio est evangelica; ordinatur ad Christum « auctorem et consummatorem fidei » (*Heb.* 12, 2) et ab Eo per Ecclesiam assumi et elevari potest et debet.

D) Ut ad plenam lucem, revelationis quidem christianae, perveniant, requiritur ergo modo urgenti ut « cognoscant solum Deum verum et quem misit Iesum Christum » (*Io.* 17, 3), et sic ad Corpus Christi, quod est Ecclesia, adducantur, ope eiusdem Ecclesiae.

Omnis ergo qui ab Ecclesia mittitur ad non-christianos, curet esse « Minister Iesu Christi in Gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio Gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16). Sic authenticum patrimonium religiosum uniuscuiusque religionis, civitatis vel personae Deo oblatum non tantum non destruetur sed, ad sublimiorem et definitivam dignitatem evectum, conferet ad splendorem Ecclesiae, quae magis magisque populorum varietate cir-

cumdari debet; conferet ad plenitudinem Corporis Christi, in quo « omnia instauranda sunt » (*Eph.* 1, 10), donec « tradat regnum Deo et Patri » (*1 Cor.* 15, 24).

Notae de valore aliquorum verborum.

A) *Sponsa et Corpus*: indicatur unitas vitalis in qua fundatur identitas functionis Christi et Ecclesiae.

Natura sua... mandaverit: Duplex fundamentum, vitale et praeceptivum, functionis expansivae Ecclesiae.

Divitias Christi... pacem per Iesum: Notatur quomodo elementum essentiale totius evangelizationis sit Christus.

Omnimode procuranda: Variae formae functionis missionalis a christianis exercendae.

Donec omnes: Notatur finis universalis essentialis.

B) *Ea quae facta sunt... conscientia...*: Testimonium Dei duplex: externus... internus. Cf. notam 38, optimam, schematis *de Ecclesia.*

C) *Fideles sunt*: Salus individuorum.

Quidquid boni... *hominum coetus*: Locus proprius societatum et religionum in opere redemptionis.

Quidquid: Ergo non dicitur, e contra, omnia esse bona.

Assumi et elevari: Functio Ecclesiae erga « valores » non christianos.

D) *Cognoscant... adducantur ad Corpus*: Adhaesio interna per fidem, visibilis per baptismum et vitam in Ecclesia.

Omnis ergo...: Positio generalis, theologica omnis missionarii.

Sic conferet: De pluriformitate in unitate Ecclesiae.

Regnum tradat: Eschatologia missionis.

17

Exc.mus P. D. GERARDUS VAN VELSEN

Episcopus Kroonstadensis

Venerabiles Fratres,

Missionarius sum, proinde non nimis mihi familiaris est lingua latina et theologia technica. Attamen, quando in cap. I legi nn. 8, 9 et 10, statim percepi in hoc perpulchro schemate quaedam inveniri, quae non sunt in harmonia cum mente pastorali et cum ipsa realitate concreta.

Incipio loqui de *n. 8. a*) Pag. 12, lin. 3 dicitur: « reapse et simpliciter loquendo... ». Verba haec pertinent ad terminologiam technicam theologicam et inserta sunt hic evidenter propter claritatem dogmaticam.

Sed rogavi theologos de exacta explicatione horum verborum, et plures mihi confessi sunt, quod adhuc controversia est inter theologos de praecisa illorum interpretatione.

Quaero a vobis: nonne melius est in textu conciliari abstinere a verbis quae controversias theologicas implicant, et rem sub aspectu

pastorali ita simpliciter describere prouti ab omnibus accipitur et ab omnibus fidelibus facile comprehenditur?

b) Pag. 12, linn. 15-17: de catechumenis. Iam alii proposuerunt expungendum esse terminum « voto » quia inadaequate reddit realitatem spiritualem catechumenorum. Ego omnino accedo.

c) Pag. 12, linn. 18-22, ibi in fine n. 8 describitur habitudo omnium, qui in sic dicta bona fide extra saepta Ecclesiae vivunt, exceptis solis catechumenis; i. e. simul veniunt tam pagani quam christiani. Sed hoc proprie non placet, quia christianae dignitati quodammodo iniuriam facit. Praeterea terminus « suo modo », qui initio huius phraseos stat, tam indeterminatus est, ut fit obscurus. Mea opinione, melius erit totam hanc phrasim expungere.

Ad n. 9: Non est hic mea intentio iudicium proferre de omnibus quae in hoc numero stant. Sed unum procul dubio mihi constat ex propria mea personali experientia qua multos non-catholicos christianos cognovi et saepe collocutus sum; i. e.: *numerus hic maximi est ponderis pro re oecumenica*. Sed, proh dolor, est in praesenti forma incompletus, requirit novam redactionem; retinenda sunt multa bona quae continet et adiungenda illa omnino necessaria quae desunt.

a) Cum de christianis reformatis agitur, insufficiens est nihil dicere de Scripturis Sacris et de verbo Dei.

Neque in textu satis exprimitur baptismi efficacia relate ad communitatem, in quam baptizati inchoative incorporantur.

b) cum autem de orientalibus agitur, insufficiens est nihil dicere de eorum sacerdotio et episcopatu cum liturgia eucharistica, quae sunt elementa constitutiva quae ecclesiam localem aedificant, quamquam ibi desit plena communio et unitas regiminis cum Sede Apostolica.

Ubi Ordo sacerdotalis valide servatur, Christus sacramentaliter vivit et operatur. Propter eximiam schematis pulchritudinem vehementer exopto aptiorem emendationem huius numeri.

Ad n. 10. Conditio illorum qui in gratia vivunt extra christianismum exponatur modo biblico, e. g. iuxta ad Romanos cap. 2...[1]

Ultimo: tota haec materia locum aptiorem habebit in contextu de populo Dei, ideo transferatur in cap. II. Expositio de « populo Dei » et de « familia Dei » multo magis apta est *a*) ad loquendum de « fratribus seiunctis »; *b*) ad loquendum de « non-christianis », qui Deum habent patrem et sunt de familia Dei.

Hoc facilius intelligent nostri Africani. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] sicut et alii dixerunt.

18

EXC.MUS P. D. HERCULANUS VAN DER BURGT
Archiepiscopus Pontianakensis

Venerabiles Patres,

Nomine episcoporum Indonesiae, qui sunt numero 31, has observationes ad cap. I propono.

1. Placet nobis quod inter nomina Ecclesiae populus Dei primo loco ponitur. Nomen hoc est optimum sub aspectu pastorali. Transitus autem a voce populi ad imaginem mystici Corporis deficiens apparet. Hiatus autem iste mederi potest, si expressius sermo fit de praesentia Christi modo quem iam approbavimus in cap. I schematis *de S. Liturgia.* Proponimus ergo ut inserantur post n. 4 e. g. verba sequentia: « Dominus Iesus Christus, post passionem suam exaltatus et glorificatus, populum suum non derelinquit, sed per Spiritum Sanctum praesens in eo manet, non tantum ut Ecclesiam confortet et illuminet, sed etiam ut una cum populo gloriam reddat aeterno Patri et redemptionem suam, semel per mortem et resurrectionem suam factam, Ecclesiae suae et toti mundo applicet. Christus semper adest ad opus redemptionis una cum populo suo perficiendum. Haec praesentia Christi fit, ut Christus cum suo populo in unum Corpus sub uno capite coalescant ».

Haec praesentia Christi affirmatur in pag. 9, n. 5, regula 34 ss. pro hierarchia Ecclesiae. Oportet ergo primum hanc praesentiam affirmare pro toto populo et hoc specialiter pro cultu Dei, qui est centrum vitae Ecclesiae. Hoc videtur optima introductio mystici Corporis. Insuper ita cohaerentia apparet cum schemate *de S. Liturgia.*

2. Bene dicitur in pag. 10, sub n. 5, regula 13, Ecclesiam non esse simpliciter regnum Dei, sed eius germen et initium in hoc mundo. Sed aspectus eschatologicus, in hac affirmatione contentus non elaboratur.

Etiam in pag. 11, n. 7, sub titulo Ecclesiae peregrinantis, ubi certe exspectari posset, non bene attenditur ad statum viae populi Dei.

Proponimus ergo ut vel in fine n. 5, vel potius in n. 7, clare exprimatur, quod Ecclesia in hoc mundo tendens ad plenitudinem et perfectionem regni Dei, bene conscia sibi sit conditionis suae adhuc imperfectae. Vere humiliter confiteri debemus, nos omnes esse peccatores, quotidie deficientes in caritate Christi.

3. In pag. 10, sub n. 6 colliguntur in unum aliae imagines Ecclesiae. Melius autem ante n. 5 ponantur ne rumpatur ordo logicus inter nn. 5 et 7. Ita agendo etiam imago mystici Corporis clarius elucebit.

4. Ad pag. 11, n. 8, regulam 35 ss.: quae dicuntur de necessitate Ecclesiae ad salutem non sufficiunt. Modus quo necessitas affirmatur suggerit potius necessitatem praecepti quam medii, dum tota traditio docet necessitatem medii. Haec necessitas medii in textu intenditur, sed non bene exprimitur.

Insuper quae hic dicuntur nimis negative et casuistice sonant. Tamen in hac re vehementer desideratur positiva annuntiatio, quae corda etiam commovere possit. Tandem expositio necessitatis Ecclesiae debet respicere non solam salutem individualem, sicut in textu fit, sed et salutem ipsorum populorum et totius familiae humanae.

Haec quaestio maximi est momenti motivo tum pastorali praesertim pro opere missionario, tum oecumenico. Quare dolendum est schema in hoc puncto tantopere deficere.

5. Ad pag. 12, n. 8, regulam 3 ss.: quae dicuntur de incorporatione *minus apte* [1] cohaerent. Displicent etiam termini « reapse » et « simpliciter ».

Voce « reapse » omnes baptizati non catholici omnino excluduntur ab hac incorporatione. Hoc falsum videtur, ut iam in discussione primae sessionis huius Concilii clare et saepius dictum est. Quomodo enim christiani non catholici vere Christo incorporari dici possunt, nempe baptismo, fide, spe et caritate, si non etiam modo reali Ecclesiae incorporantur?

Etiam vox « simpliciter » displicet. Videtur in contextu immediato contradici. Dicitur enim, quod catholici qui in statu peccati versantur, corpore sed non corde in sinu Ecclesiae remanent. Quis autem dicet hominem, qui corpore sed non corde ad Ecclesiam pertinet, simpliciter in ea incorporatum esse? Quapropter S. Thomas expressis verbis dicit talem peccatorem « secundum quid et non simpliciter » uniri Christo...[2] Proponimus nos loqui de plena incorporatione pro catholicis.

Quoad vocem « voti » hoc observare volumus: commendamus ut usus huius vocis restringatur ad catechumenos. Extensio enim huius vocis ad homines qui vix ullo voto in sensu proprio moventur, confusionem parit et a fidelibus non intelligitur.

Pro christianis non catholicis bene enumerantur sub n. 9 elementa Ecclesiae, quae apud illos agnoscuntur. Haec elementa aliquam veram et sacramentalem, sed non plenam, ergo defectuosam unionem cum Ecclesia efficiunt. Hac ratione Ecclesia seipsam cum ipsis coniunctam scit, uti dicitur in regula 27. Etiam apud non christianos schema agnoscit bona religiosa, quae sunt bona Christi et Ecclesiae suae. Etiam pro iis ergo aliqua unio, et quidem non mere interna, affirmanda est.

Ultimo: ad pag. 13, n. 10: hoc loco expressius dicatur Missionem

esse functionem Ecclesiae essentialem. Quod bene cohaereret cum dictis in introductione et in initio huius capitis.

Petimus ut fundamenta theologica Missionum bene evolvantur in hoc schemate *de Ecclesia*.

Cetera scripto tradam secretario. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] male. [2] S. Thomas, III, q. 8, a. 3 ad 2: Qui vero his subduntur peccatis (scil. mortalibus), non sunt membra Christi actualiter, sed potentialiter; nisi forte imperfecte per fidem informem, quae unit Christo secundum quid et non simpliciter, ut scil. per Christum homo consequatur vitam gratiae. Percipiunt tamen tales a Christo quendam actum vitae, qui est credere »; cf. III Sent., dist. 13, q. 2, a. 2, sol. 2.

Animadversiones additae:

1. Ad pag. 8, n. 3, lin. 23: mirum nobis videtur quod de Ecclesia dicitur: « ipsa supra tempora et fines populorum exsistens ». Vox « supra » ansam praebet falsae interpretationi, quasi Ecclesia esset revera intemporalis. Melius dicatur: « ipsa omnia tempora et fines populorum complectens » vel aliquid simile.

2. Pag. 11, n. 7, lin. 22: loco « extra totalem compaginem » dicatur: « extra compaginem eius ».

19

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. MARTIN

Archiepiscopus Rothomagensis

Venerabiles Patres,

Brevissimas animadversiones facere vellem, brevitatis et etiam caritatis causa.[1]

Discrepantia adest aliqua inter modum quo Ecclesia describitur in cap. I schematis *de Liturgia* et modum loquendi de Ecclesia in praesenti schemate. Discrepantia haec apparet inter duo schemata, in par. 3 et 4, quae Ecclesiam ex Deo Trino oriri ostendunt.

1. In par. 3, bene dicitur quod Pater aeternus Filium suum misit in mundum ut peccatores salvos faceret et redemptos in unum congregaret. Attamen non dicitur quod Deus convocat populum ut per Christum in Spiritu Sancto glorificationem et adorationem aeterno Patri tribuat et speciatim in Eucharistiae celebratione.

2. In par. 4, bene dicitur quod Spiritus mittitur ut Ecclesiam muneribus suis ditaret. Attamen non explicatur quod Spiritus mittitur ut populum novum in novam creaturam *conformaret*[2] et in Liturgia eum gaudia caelestia praegustare faceret.

Rogo ergo ut in par. 3 et 4, in praesentatione trinitaria sanctae Ecclesiae, ipsa Eucharistia tamquam culmen exhibeatur, in qua Filius suam missionem adimplet et Spiritus Sanctus in populo adorante operatur.

Notae. 1. Secundum praeclariorem Ecclesiae traditionem, quae apte a Sancto Augustino exprimitur, si sola Ecclesia facit Eucharistiam, verum est etiam quod Eucharistia facit Ecclesiam. Hoc aperte iam declaratur in schemate *de Liturgia,* cap. I, ...[3] a Patribus Concilii approbato: « Liturgia est culmen ad quod actio Ecclesiae tendit et simul fons unde omnis eius virtus emanat».

2. *Haec praesentatio mysterii Ecclesiae et eucharistica et pneumatologica, maximi momenti nobis videtur ut orationem habeamus et integrae doctrinae Sacrae Scripturae, et legitimarum traditionum theologiae orientalis.*[4]

In textu scripto tradito: [1] Breves has animadversiones facere vellem. [2] transformaret. [3] par. 16. [4] Praeterea notandum est id maximi esse momenti ad intelligendum nexum Ecclesiae cum christianis non catholicis. Cum in par. 9, pag. 12, lin. 30 agnoscatur quod fides erga Eucharistiam apud christianos seiunctos inveniatur, melius et verius esset dicere, quod Eucharistia realiter habeatur in multis Ecclesiis a nobis seiunctis, ita ut earum membra in mysterio unitatis profundius trahantur. Etenim baptismus certe vinculum est unitatis. De natura sua tamen baptismus tendit ad suam adimpletionem in Eucharistia, quae vere et proprie Sacramentum est unitatis.

Animadversiones additae:

Praeter ea quae a pluribus Patribus iam indicata sunt, in hoc schemate duo prospectus fundamentales theologici fere omnino neglecti videntur, quippe qui maximi momenti sunt ut fides catholica circa mysterium Ecclesiae plene exponatur atque insimul fratribus nostris qui nomine christiano ornantur magis accessibilis fiat.

Prima consideratio ad missionem Filii (in n. 3 praesertim) spectat. Nam, Pater Filium misit, non solummodo ut peccatores salvos faceret et filios Dei dispersos congregaret in unum (uti recte dicitur in n. 3) sed ut hanc necessitudinem restitueret inter Deum et hominem quae a culpa amissa est et sic in Christo Filio Dei Incarnato debitum *cultum* ille homo Deo reddere posset.

Per mysterium Incarnationis, Crucis et Glorificationis Iesu Christi, habemus ergo Pontificem magnum qui penetravit caelos (*Heb.* 4, 14) ita ut per ipsum et cum ipso et in ipso verum cultum homo redemptus Deo offerat et sint veri adoratores qui patrem in spiritu et veritate adorant (*Io.* 4, 23). Heic enim datur finis ultimus totius oeconomiae salutis ad quam Pater misit Filium Suum qui Ecclesiam suam, novum Israel, elegit et condidit: est ergo ille cultus verus Dei Patris.

Atqui cultus ille his in terris *culmen suum* obtinet in ipso Eucharistiae et sacramento et sacrificio quo non tantum nos unum in Christo facit (ut dicitur in n. 5, pag. 9, lin. 13), sed nobis concedit ut partem veram habeamus in cultu Patri red-

ditum ab ipso Christo passo et glorificato, semper vivente ad interpellandum pro nobis (*Heb.* 7, 25).

Proinde hoc Eucharistiae sacramentum simul ac tota cultualis vita novi populi Dei, Corporis mystici Christi, cardo faciendus est huius praesentationis trinitariae in variis articulis huius cap. I, praesertim cum agitur de nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis, qua Ecclesiae sunt non-catholicae quae non solum *fidem* erga SS. Eucharistiam servaverunt (n. 9, pag. 12, lin. 30) sed *in ipso sacramento* altaris iam de facto, modo omnino eximiore, in mysterio Ecclesiae inseruntur, quam illae communitates quae solum sacramentum baptismatis rite servaverunt.

Denique si fundamentum firmum dare volumus doctrinae collegialitatis episcoporum praeprimis enucleanda est illa doctrina de Ecclesia locali sub respectu sacramenti Eucharistiae qua effulget summi sacerdotis munus episcopi in Ecclesia sua locali de quo erit sermo quando cap. II disceptabitur.

Altera consideratio est de munere Spiritus Sancti in mysterio Ecclesiae. N. 4 et totum cap. I in eo peccant quod de opere ultimo et essentiali Spiritus Sancti incomplete habent rationem. Etenim, multas citationes Sacrae Scripturae quas textus n. 4 offert de Spiritu Sancto utpote Ecclesiam sanctificante ad varias quidem actiones Divini Spiritus referuntur; rei tamen substantiam intactam derelinquunt. Deus, certo, Spiritum Filii sui in corda nostra misit, per Spiritum accessum ad Patrem habemus, Spiritus ille aqua saliens est in vitam aeternam, habitat in Ecclesia tamquam in templo et eam diversis charismatibus adornat; sed fine finaliter hoc est quia prophetia Ioel adimpleta est (*Act.* 2, 16 ss.) in die Pentecostis non tantum cum Ecclesia repleta est Spiritu Christi, sed ultro cum *nova creatura* in Christo condita sit. Christus ex Spiritu Sancto et Maria Virgine conceptus novus Adam apparuit et ille Spiritus qui iam ab exordiis historiae salutis humanitatem ducebat, populum electum Deo praeparabat, in Christo autem virtutem Dei plene manifestavit. Ascendens vero ad Patrem, Christus Paraclitum qui ex Patre procedit nobis misit et per illum Christus nobiscum est usque ad consummationem saeculi.

Per Spiritum enim — supremum magistrum scientiae et veritatis (cf. *Io* 14, 26; 16, 13, 15) — Christum cognoscimus qui nobis Patrem ostendit.

Proinde tota vita Ecclesiae ab illa praesentia perenni Spiritus in ea pendet, immo per Spiritum *homo* in baptismate *novus* efficitur, Christo novo Adamo conformatur; in sacrificio eucharistico Spiritus Dei uti virtus principalis agit (S. Thomas Aq. post S. Ioannem Damascenum; cf. *IV Sent.,* l. IV, dist. VIII, q. 2, a. 3, ad 1; Summ. Theol. III, q. 88, a. 4, ad 1 et ad 2) et in eodem sacramento Ecclesiam et alit et corroborat in unitate ut vita gratiae, pignus futurae gloriae, in homine sit ipsa praesentia Spiritus Sancti in nobis.

Haec vero praesentatio mysterii Ecclesiae et eucharistica et pneumatologica maximi momenti nobis videtur ut rationem habeamus et integrae doctrinae Sacrae Scripturae et legitimarum traditionum theologiae orientalis.

Secretarius generalis: De mandato consilii praesidentiae: prohibetur omnino omnibus, qui in Concilio partem habeant, quominus distribuant Patribus vel peritis libros, folia, textus quoscumque sine permissione expressa eiusdem consilii praesidentiae, quae permissio dabitur per secretarium generalem tantummodo.

Communico pariter omnibus Patribus, proximis diebus distributum iri emendationes circa cap. II schematis *de sacra Liturgia,* ita ut proxima hebdomada incipere possit suffragatio supra emendationes a Patribus propositas, et a commissione examinatas. Dixi.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

Moderator: Proxima congregatio erit cras, hora 9.

CONGREGATIO GENERALIS XLI

4 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLI

4 octobris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis S. Concilii*:

Moderatur hanc quadragesimam primam congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Antequam legam nomina eorum, qui petierunt loqui adhuc circa introductionem et cap. I schematis *de Ecclesia,* et deinde circa cap. II, communico omnibus Patribus et peritis hodie in hac aula distributum iri emendationes circa cap. II schematis *de sacra Liturgia,* i. e. de Sacrosancto Eucharistiae Mysterio.

Suffragatio, post debitam relationem, circa hoc caput incipiet feria tertia proximae hebdomadae.

Petierunt igitur loqui circa introductionem et cap. I schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Petrus Gerlier, arch. Lugdunensis in Gallia, Randulfus Silva, Arch. S. Iacobi in Chilia; deinde exc.mi DD. Antonius Grauls, arch. Kitegaënsis in Urundi Africae Centralis, Mauritius Baudoux, arch. S. Bonifacii in Canada, Henricus Jenny, ep. aux. Cameracensis in Gallia, Iosephus Marling, ep. Civitatis Jeffersoniensis in Statibus Foederatis, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia, Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia, Carolus Himmer, ep. Tornacensis in Belgio.

Postea transitus fiet ad cap. II, circa quod petierunt loqui: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia; Antonius Bacci; exc.mi DD. Aemilius Guerry, arch. Cameracensis in Gallia, Raphaël de Castro, arch. Granatensis in Hispania, Petrus Veuillot, arch. coad. Parisiensis in Gallia, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis in Gallia, Fidelis García, ep. tit. Sululitanus in Hispania, Carolus Saboia, ep. Palmensis in Brasilia, Petrus Massa, ep. Naniamensis in Sinis, Michaël Builes, ep. Sanctae Rosae de Osos in Columbia, Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India, Ioseph De Smedt, ep. Brugensis in Belgio, Carmelus Zazinović, ep. aux. Veglensis in Iugoslavia, Georgius Beck, ep. Salfordiensis in Anglia, Ioannes Rupp. ep. Monoecensis in Principatu, Ioseph Heuschen, ep. aux. Leodiensis in Belgio, Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio.

1

EM.MUS P. D. PETRUS CARD. GERLIER
Archiepiscopus Lugdunensis

Venerabiles Fratres,

In omnibus memoriis nostris manent, quae in fine primae sessionis, plaudente aula, dicebat em.mus card. Lercaro, et quae confirmabat heri in eadem aula: « Eo autem tendunt haec mea verba ut intentiores nos faciant in adspectum huius Mysterii Christi in Ecclesia, non tantum perennem et essentialem, sed etiam maximae historicae actualitatis. Hoc dicere volo: Mysterium Christi in Ecclesia semper est, sed hodie est praecipue Mysterium Christi in pauperibus; quatenus Ecclesia, prout ait Sanctus Pater Ioannes XXIII, Ecclesia quidem est omnium, et praesertim est *Ecclesia pauperum* ».

Praeterea, Sanctus Pater Paulus VI, in oratione ad aperiendam secundam sessionem, ait: « Ecclesia contuetur pauperes, egenos, maerentes, eos qui fame et dolore premuntur, qui in vincula sunt coniecti; hoc est eam humani generis partem peculiari modo aspicit, quae dolet et luget, cum sciat hos homines ad se iure evangelico pertinere; quare gaudet iisdem adhibere Dominica verba: Venite ad me omnes...[1] ».

Venerabiles Fratres, cur mysterium hoc Christi pauperis et pauperibus identificati ...[2] tam exiguum locum habet in praedicatione nostra habituali, et in huius Synodi laboribus, et praesertim in hoc schemate *de Ecclesia?*

In nomine plurium episcoporum tam orientis quam occidentis, regionum tam divitum quam pauperum, propono ut addatur in fine introductionis schematis *de Ecclesia* emendatio 10, a tredecim episcopis ex Africa Centro-Orientali exhibita: « Et praesertim illi omnes, qui toto orbe terrarum dira paupertate premuntur, necnon illae laboriosae classes, quarum vitae condiciones hanc ipsam in Christo unitam et religiosam praxim tam difficilem reddunt, se in caritate Christi et Ecclesiae eximiam partem habere sciant ».

Propono denique ut addatur argumentum theologicum: « Fundamentum illius praedilectionis est Mysterium Christi, qui semetipsum cum pauperibus identificavit: " Esurivi enim et dedistis mihi manducare "...[3] Pauper enim adimplet vitam Christi pauperis et passiones eius, ita ut pauper significet praesentiam Christi inter nos» .

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 11, 28). [2] (*Mt.* 25, 35). [3] (*Mt.* 25, 35).

2

Exc.mus P. D. ANTONIUS GRAULS
Archiepiscopus Kitegaënsis

Venerabiles Patres,

Loquar nomine 55 episcoporum de Burundi et Ruanda ac simul de Congo-Léopoldville, auditis vocibus plurimorum Africae episcoporum.

Optamus quod in capite de Mysterio Ecclesiae, mentio explicite fiat de illius catholicitate.

Ecclesia peregrinans est sacramentum Verbi divini incarnati; Verbum autem incarnatum in se assumpsit omne quod humanum est, secluso peccato. Qua de ratione, Ecclesia ornatur mira unitate simul et diversitate.

1. Mira unitate: quia constituta per unum Dominum, in uno Spiritu, una fide, uno baptismate et una Eucharistia. Insuper aedificata est super unum Petrum et fundamentum apostolorum.

2. Diversitate praefulget Ecclesia. Nam debet, secundum incarnationis oeconomiam, assumere in suam praeclaram unitatem et Spiritu Christi imbuere omnes humanos valores cuique culturae proprios. Et ideo, Ecclesia peregrinans una et catholica signatur ex eo quod sit capax omnia assumendi in unitatem fidei et caritatis, circumdata tamen varietate.

Quando Verbum Dei caro factum est in Palaestina, incorporatum fuit nationi Iudaicae et stirpi peculiari cum cultura, traditionibus modisque cogitandi huic nationi propriis.

Sed per totum mundum fere tot sunt culturae quot sunt regiones. Talis diversitas a Deo provenit: oportet ergo ut diversae culturae « in domo Dei » cum observantia recipiantur et foveantur et adimpleantur ita ut fidele obsequium voluntati Dei praestetur.

Inde elucet catholicitas Ecclesiae qua dona naturalia simul et supernaturalia ad plenam perfectionem perducuntur. Etenim Ecclesia ad id fundata est ut omnes filios Dei dispersos congreget in unum et in eo tendit ut unitas sit in diversitate et diversitas in unitate. Inde patet, in ecclesiastica communione, legitimitas Ecclesiarum quae traditionibus necnon liturgiis et regiminibus fruuntur propriis...[1]

Iam a primis Ecclesiae exordiis, talis catholicitatis conditio enucleata est, quae mirabiliter effloruit in mirificam varietatem traditionum tam in orientalibus quam in occidentalibus Ecclesiis.

Nostra tamen aetate, fides christiana immensos protulit fructus in

regionibus, quorum incolae communi quodam religioso, culturali et sociali patrimonio participant. Harum culturarum ambitus quandoque pene ad integrum continentem sese extendit, in tali specifica diversitate quae plene nec ad orientem neque ad occidentem reduci potest.

Oportet ergo, ut haec diversitas novellarum Ecclesiarum assumatur in Ecclesiae unitatem, in catholicae Ecclesiae sinu sub oboedientia Romani Pontificis.

Unitas enim[2] et diversitas inseparabiliter inserviunt ad Ecclesiam Dei his in terris aedificandam. Ex una parte, vi unitatis, oriuntur vincula intimae communionis ecclesialis inter diversas Ecclesiae partes, quae inter se uniuntur communione sanctorum, perseverantes unanimiter in doctrina, in communione, in panis fractione et in orationibus...[3] Quinimmo debent ad invicem adiuvari tum per operarios apostolicos, tum per adiumentum materiale.

Ex altera parte, vi diversitatis differunt mores religiosi, cultus liturgicus...[4], fidelium pietas *et alia*.[5] Attamen omnes Ecclesiae eadem dignitate pollent et iisdem fruuntur iuribus.

Quibus dictis, proponimus inseri novum articulum de Ecclesiae unitate et diversitate, cuius textum secretariatui praebebimus.[6]

Venerabiles Fratres, aliquis collega noster in mente habuit alterum argumentum tractare nomine episcoporum supra memoratorum, sed, ne abutatur patientia vestra auditione alterius interventus, satis sit vobis aperire mentem nostram paucis his verbis: Optamus, quod in art. 10 tractetur de ipsa functione missionali Ecclesiae, dicendo in quo consistit, ad quos dirigitur, quibus incumbit et quibus mediis utitur. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] sed integro semper manente Petri cathedrae primatu. [2] Insuper unitas. [3] (cf. *Act.* 2, 42). [4] theologorum elucubrationes et. [5] deest. [6] [*cf. pag. 161*].

3

EXC.MUS P. D. MAURITIUS BAUDOUX
Archiepiscopus S. Bonifacii

Venerabiles Fratres,

Duas solum animadversiones facere cupio ad cap. I schematis *de Ecclesia*.

1. Id quod in par. 9 dicitur de nexibus Ecclesiae cum aliis christianis, non est fundamentum adaequatum pro dialogo fraterno cum fratribus separatis.

In hac paragrapho nempe, christiani seiuncti solummodo considerantur ut baptizati et credentes tamquam individui, et nihil dicitur de ipsis communionibus christianis quae ab Ecclesia sunt seiunctae. Ecclesia catholica se agnoscit ut Ecclesia vera et unica; attamen omnes novimus quod adsunt in mundo multae communiones christianorum quae Evangelium Christi proclamant, quae regnum Dei annuntiant et baptismum et alia sacramenta celebrant. Etiam si nobis difficile est determinare relationes inter Ecclesiam catholicam et istas communiones christianas, attamen bene novimus, quod Deus per ipsas communiones homines salvos facit et sanctificat. Si Deo Salvatori placet per ipsas Ecclesias separatas hominibus gratias dare et cultum divinum ab eis accipere, Ecclesia catholica hoc aperte et gaudenter agnoscere deberet.

2. In cap. II *novo,* in quo de populo Dei tractabitur, clare et humiliter exprimantur defectus et peccata in isto populo.

Quamvis Ecclesia Christi semper et indefectibiliter sancta est, secundum quod Christus in ea operatur, tamen defectus et peccata huius populi audacter agnoscenda sunt ut omnes christiani sensum historiae Ecclesiae melius intelligant. Calamitates in historia Ecclesiae, sicut schismata, divisiones aut diminutio fidei, a Deo permittuntur non solum quia populus Dei sanctus est et cum Christo pati deberet, sed etiam, et praesertim, quia peccaverit populus et a Deo misericorditer castigatur et purificatur.

Hunc aspectum *positivum* divisionum nostrarum clare exprimere debemus. Hoc maximi momenti est pro vita Ecclesiae, ut omnes christiani melius intelligant quod mala quibus Ecclesia patitur saepissime fructus sunt nostrae infidelitatis. Hanc per causam cotidie oramus: « Dimitte nobis debita nostra, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris ». Dixi!

Animadversiones additae:

Has duas emendationes subiungere cupio animadversionibus a me in aula conciliari factis feria VI, die 4 octobris: ad cap. I:

In pag. 12, lin. 35, post finem sententiae addatur: « Agnoscendum est insuper quod communiones christianae ab Ecclesia seiunctae in mundo exsistunt non ut societates profanae, sed ut instrumenta, secundum varios gradus defectiva, quibus Deus homines salvos facit et sanctificat».

In pag. 11, lin. 31, post referentiam ad *Cor.* addatur: « Iste populus in terra peregrinans, cum a Christo semper renovatur et sanctificatur, adhuc in fidelium peccatis et defectibus participat, quare in historia et vita eius a Deo misericorditer iterum iterumque castigatur et purificatur. Sic per poenitentiam et patientiam... ».

4

EXC.MUS P. D. HENRICUS JENNY
Episcopus tit. Lycaonensis, aux. Cameracensis

Venerabiles Patres,

In schemate *de Ecclesia* multa inveniuntur elementa quae respondere valent quaestioni illi: « Quid dicis, o mater nostra, de teipsa? ». Sed elementa illa nimis disiuncta et quasi coacervata sunt, et semper addita; si qua parabola uti fas est: ad aedificandum templum multi sunt qui lapides, pretiosos quidem, afferunt, sed plus minusve aptabiles. Architecti etiam sunt plurimi; elementa enim ...[1] indigent quadam ratione seu interno nexu, qui totum in unum contineat et a quo intellecta omnia conspiciantur.

A vobis, Patribus venerabilibus, veniam peto, si quae dicturus sum ab aliis oratoribus optimo sed forsan alio modo iam proposita sunt, et ad cohaerentiam seu rationem istam quaerendam, meam humillimam adiungere cogitationem ad Dei gloriam permittatur.

Haec mihi videntur tria puncta essentialia quae e Novi Testamenti fonte uberrimo oriuntur:

1. De persona Christi Domini nostri, ducis et pastoris Ecclesiae.
2. De mysterio paschali per quod novus homo creatus est.
3. De populo Dei qui est humanitas in Christo suscitato renovata.

1. *De persona ipsius Christi Domini.*

Non possumus de Christo non loqui, quando de Ecclesia disseritur. Non ego dico, sed alii *multi*[2] Patres, et praesertim dicebat SS. Pater Paulus, quando die dominica solemniter mundo haec annuntiavit: « Utinam hoc Concilium oecumenicum — ait Sanctus Pater — vinculum illud plane perspectum habeat, unum et multiplex, firmum et incitans, arcanum et manifestum, arctum et suavissimum, quo nos cum Iesu Christo coniungimur, quo haec vivens ac sancta Ecclesia, hoc est nos, copulatur cum Christo, a quo procedimus, per quem vivimus, et ad quem tendimus».

Et prosequebatur Pontifex hymnum proclamans qui fratrum et observatorum corda atque nostra tantopere commovebat, hymnum dico gloriae Domini nostri Iesu Christi qui ut Pantocrator apparet in arcu triumphali Basilicarum et cuius imago « immensa magnitudine praestans praesidet multitudini congregatae ».

Sed non imago sola; ipse est Christus Dominus in medio Ecclesiae omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi. Ipse Magister et Pastor, Pontifex et Hostia, unicus Mediator inter Deum et homines, ipse benedictus in saecula!

Certissime, venerabiles Patres, in schemate, de Christo multa dicuntur sed forsan nimis dispersa; nonne possibile esset ut in prooemio solemnis declaratio fieret de gloria et maiestate Domini sicut in Actibus Apostolorum, antequam incipiat missio apostolorum et Ecclesiae fundatio per orbis vias ac civitates, Iesus in caelos ascensurus, suis apparebat ut Caput; sicut in epistulis B. Pauli, in cuius vocatione Christus sic alloquebatur: « Ego sum Iesus quem tu persequeris »; sicut denique in Apocalypsi, ubi videmus primos christianos in tribulatione positos, de vivido fonte spei et fortitudinis, a Dei throno salienti, sitim extinguere suam.

2. *De mysterio paschali.*

Non sufficit de persona ipsa Christi Salvatoris in schemate praedicare; oportet etiam ostendere quomodo Christus homines omnes salvos fecit et in Ecclesiam vocavit atque constituit. Opus redemptionis adimplevit non solum per verba, sed pauper et humilis usque ad mortem testis fuit et martyr veritatis. Peccata nostra in humeris portavit, in ipso mortis dominio mortem superavit; per crucem ad gloriam transivit et nos cum seipso ad Patrem duxit.

Et ideo, impossibile est ut de Ecclesia, *quando de Ecclesia disserimus, de oeconomia, sic dicta, salutis, non revocemus.*[3]

Forsan cogitant quidam, hoc in schemate clare dictum; sed mihi videtur facta illa per quae liberati sumus et in unum corpus creati, non synthetico modo praesentari nec in illorum centro luminoso poni, quod est mysterium paschale. Nihil, v. g., pag. 8, lin. 16, nihil dicitur de Ascensione Domini quae magni momenti est in Ecclesiae mysterio.

3. *De populo Dei.*

In schemate praesenti Ecclesia affirmatur ut populus Dei, et quidem optime. Nam populus Dei non est solummodo quaedam imago seu metaphora Ecclesiae; sicut corpus Christi *realiter* est Ecclesia, ita *realiter* populus Dei constituitur per Ecclesiam.

Ostendendum puto melius in schemate quomodo fiat ille novus populus, qualis sit, i. e. humanitas ipsa, sed nova in Christo, qui fuit simul et « filius hominis » et « filius Dei » ita ut omnes homines in ipso et per ipsum fierent divinae familiae membra.

Quomodo haec nova humanitas a Christo reformata seu creata est? Per mysterium utique crucis et resurrectionis quod paschale vocamus. Quando Iesus mortuus est omnes homines cum ipso in profunda mortis et sepulcri mystice ad inferos descenderunt, et per resurrectionem et ascensionem Christi in gloriam Patris transierunt et in sinum Trinitatis ducti sunt. Hoc est iterum mysterium paschale quod est mysterium novi hominis qui secundum Deum creatus est. Hoc mysterium Ecclesiae!

Si ita demonstratur humanitatis novae nova creatio, consequentiae magni momenti pro nostra aetate manifestantur: sic Ecclesia non apparet ut societas extranea, sed ipsissima humanitas a Iesu renovata. Idem populus, qui in tenebris et in umbra mortis ambulabat, idem qui in luce paschatis nunc iam in caelis cum Christo regnat. Idem homo qui patitur et laborat, idem qui per Christum in spem vivam et beatitudinem elevatur. Haec sunt maximi momenti pro famoso illo schemate futuro, decimo septimo, de Ecclesia quae in mundo est, de Ecclesiae quae homo est, homo novus, Christus ipse, frater et caput nostrum.

Nunc...[4], aliqua de minoribus in textu vellem dicere:

Pag. 8, in ultima linea: S. Cypriani laudabiliter citati verba non sunt completa; dicebat Cyprianus: « De unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata *sacerdoti* ». Multum interest ad notionem et actionem Ecclesiae ut « sacerdoti » uniatur plebs sancta. Sacerdos ille Christus est, sed et episcopus, imago Christi mediatoris, dispensator et minister mysteriorum Dei. Sic nexus ostendetur intimus inter Christum et populum et ministerium sacerdotale.

Pag. 9, lin. 9, dicitur « Christi glorificati ». Cur tolleretur vox « glorificati »? Necesse est ut maneat: Christus enim si mortuus est, iam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Ille est qui sedet ad dexteram Patris et ducit Ecclesiam. Ipse in medio nostri!...[5] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (quae tanta sunt). [2] deest. [3] disseramus quin oeconomiam, sic dictam, salutis revocemus. [4] (si tempus est). [5] Ipsi gloria in saecula!

5

EXC.MUS P. D. IOSEPH MARLING

Episcopus Civitatis Jeffersoniensis

Venerabiles Patres,

Est propositum meum ut emendetur par. 9, pag. 12, cuius titulus est De nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis, *quia fundamentum doctrinale oecumenismi et praesertim invitationem ad fervidum oecumenismum, parum videtur exprimere, et quidem sine ordine.*

Si retenta est par. 8, et acatholici christiani non ut membra mystici Corporis, ne modo quidem imperfecto, salutati sunt, propono sequentia in par. 9,[1] quae offero sine commentario vel explanatione.

« Cum omnibus illis qui christiano nomine gloriantur, licet integram fidem vel unitatem communionis cum Romano Pontifice non profiteantur, Ecclesia, pia omnium Mater, semetipsam scit plures ob rationes coniunctam. Agnoscit enim multos extra suam communionem explere conditionem a Christo *denotatam,*[2] et ideo dignos esse sua promissione: « Si quis diligit me... et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus» (Evangelium secundum Ioannem, *cap. 14* [3]). Cum istis, gratia sanctificante ornatis, Ecclesia quamdam coniunctionem in Spiritu Sancto habet. Asseverat etiam ...[4] Mater Ecclesia quod fratres separati ornati sunt tam in fronte quam in corde, glorioso nomine Christi, quia per baptismum induerunt Christum ...[5], et consepulti sunt cum illo in mortem ...[6] Vincula firmiora et strictiora fatetur Ecclesia quando, ut *fit in casu Orientalium dissidentium,*[7] omnia alia sacramenta recipiuntur, *praesertim* [8] Eucharistia sacramentum unitatis ...[9], successio apostolica aliquo modo conservatur, et pietas erga Deiparam Virginem fovetur ».

Sit ultima sententia exhortatio gravis ad omnes, intra et extra communionem Ecclesiae, ad orandum et cooperandum ut *mox* [10] obtineatur desiderium Christi, unum ovile sub uno Pastore. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] Mihi videtur quod ut fundamentum doctrinale oecumenismi, et praecipue ut invitatio ad oecumenismum fervidum exemplum nobis datum parum exprimat. Substituere volo sequentia. [2] allatam. [3] 14, 23. [4] sancta. [5] (*Gal.* 3, 28). [6] (*Rom.* 6, 4). [7] cum orientalibus dissidentis. [8] praecipue. [9] fraternae. [10] maturate.

6

EXC.MUS P. D. SALVATOR BALDASSARRI
Archiepiscopus Ravennatensis

Venerabiles Patres,

Addam, et ego, quasdam brevissimas[1] observationes ad cap. IX, ubi de nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis.

1. Homo per baptisma intrat in Ecclesiam, ergo qui sunt baptizati, etsi non catholici, intrant, quamvis non perfecte, in Ecclesiam. Nonne hic ingressus est primum vinculum *et primus nexus*[2] et quasi dicerem plus quam vinculum *et plus quam nexus*[3]? Cur de hoc silet, saltem explicite, cap. IX, et tantum quasi timorose et peripherice adfirmat: « qui christiano nomine decorantur »?

2. In lin. 28 adnumerantur nexus incipiendo: « Amanter enim credunt in Christum... ». Adderem in initio, *uti logicum est,*[4] « communem fidem trinitariam », et *speciatim adderem*[5] in contextu, suo loco, *haec verba*[6]: « quam maxime aestimant et venerantur sacram Scripturam; habent et custodiunt venerandas traditiones antiquorum Patrum ». Et insisto in his duobus explicitis notis *seu*[7] « Scriptura » et « veneranda antiquorum traditio Patrum », quia in dialogo cum nostris fratribus seiunctis, Scriptura et veneranda traditio antiquorum Patrum sunt argumentum sat utile et *forsitan*[8] necessarium.

3. In linn. 38 ss., dicitur *Ecclesia*[9] pro unione « precari », et verbum « precari » est verbum clarum et practicum. Additur « sperare », et hoc est etiam verbum clarum et practicum. Additur ultimo verbum « agere » et hoc est verbum minus clarum sed potius genericum. *Esset melius, non tantum in textu sed*[10] in notis, specificare praecipuos modos actionis qui feliciter sunt in *actu.*[11] Non audeo suggerere *res minutas*[12] sed tantum recordari quia ad hanc actionem *hodie*[13] certo pertinet vocatio observatorum ad Concilium facta a Ioanne XXIII venerabilis memoriae, et tunc repetita a Paulo VI feliciter regnante; et verba ardentissimae invitationis factae a Pauli VI in sermone quo initiata est nostra sessio.

Meminisse etiam iuvat verborum nostri Sancti Patris qui nobis dixit non excludere in actione pro unione *etiam sinceram*[14] confessionem eventualium nostrarum culparum in divisione, dolenter peracta. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] En quaedam brevissimae. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] fere. [9] deest. [10] Non esset melius. [11] actu? [12] rem praecisam. [13] deest. [14] deest.

7

EXC.MUS P. D. IOSEPH D'AVACK

Archiepiscopus Camerinensis

...[1] Videtur dolendum quod schema, loquens de mysterio Ecclesiae, nihil habeat de fundamentali munere proprio cuiusvis christiani in Ecclesia, de vera intima vita Ecclesiae; unde autem fundamento careat ut postea, suo loco, satis rite et plene dicat de populo Dei, de sanctitate, de B. Maria Virgine.

Videtur ...[2] esse regressus — non progressus — relate ad Litteras Encyclicas *Mystici Corporis,* quas nuper Summus Pontifex revocabat; regressus relate ad hodiernum statum studiorum theologicorum et sanae pietatis.

Siquidem Litterae Encyclicae *Mystici Corporis* passim docent Ecclesiam — cum sit opus maximum divinae caritatis — esse non tantum societatem, non tantum familiam, sed *corpus*: mysteriosum utique, mysticum; sed omnino reale. Huius corporis — sicut in nostris corporibus moralibus seu societatibus — singula membra sunt personae, libertate praeditae. Sed in hoc corpore — quasi sicut in corporibus physicis sed omnino excellentius — caput infundit revera vitam in membra; et membra quo magis vivificantur, eo magis concurrunt ut vivificentur alia membra, licet infirma, et mortua et separata. (Deus enim nos videt simul qua singulos et qua membra Corporis mystici, magis sibi complacens de uno membro, eo magis se complacet de toto corpore, totumque magis diligendo eo magis vivificat in singula membra).

Hanc vitam nobis comparavit, semel seipsum offerendo in caritate oboediens usque ad crucem, Christus Dominus nobis Sacerdos a Patre constitutus, Sacerdos, scil. Mediator, repraesentans Patrem apud nos, repraesentans nos apud Patrem.

Nos, sua gratia praeventi, libertate praediti, debemus velut agnoscere et acceptum habere Sacerdotem a Patre nobis constitutum, debemus velut ratificare suum sacrificium, prosequentes eius oboedientiam in caritate sub cruce vitae christianae, ita ut revera sacrificium Christi exprimat nostram voluntatem, et vere et sincere a nobis et nomine nostro offerri possit in Missa. « Salvare in perpetuum potest accedentes per semetipsum ad Deum »; « causa salutis aeternae omnibus obtemperantibus sibi » (*ad Hebraeos* [3]).

Quae omnia, quo perfectius in caritate unusquisque fecerit, eo ube-

rius fructum sacrificii Christi, scil. gratiam, recipiet; pro se ipso etiam de condigno; pro toto Corpore mystico, de congruo.

De congruo: at revera bonum maximum est sic mereri de congruo, cum Pius XII loquens de consequenti nostra responsabilitate exclamet: « Vere tremendum mysterium et nunquam satis meditatum... » ...[4] Et apostolus, cum de Christo affirmaverit: « Non potest caput dicere pedibus: non estis mihi necessarii » (utique, Deo sic statuente), de seipso dicit: « Adimpleo in carne mea ea quae desunt passionum Christi, pro corpore eius quod est Ecclesia »...[5]

(Utique sacrificium Christi omnino perfectum est, et aeternam redemptionem invenit: nam si nos accedimus ad Patrem, si Christo obtemperamus, hoc est fructus sui sacrificii: attamen nobis indispensabile est ut, sua gratia praeventi et moti, cum pervenerimus ad usum rationis, et accedamus et obtemperemus).

Haec est vita intima Ecclesiae. Quaevis anima, vel humillima et mundo contemptibilis, prosequens per gratiam oboedientiam redemptricem Christi, iuvat vitae totius Ecclesiae, iuvat ut gratia uberius fluat in animas, iuvat ut sacerdotum munus sanctificandi, docendi et regendi, efficax evadat.

Exinde patet essentia vitae christianae, et verae vitae liturgicae. Exinde patet momentum et vis vitae consecratae ad perfectionem caritatis. Patet quam stricte sacerdotium exigat sanctitatem et perfectionem in sacerdotibus.

Exinde patet fulgide munus B. Mariae Virginis Matris Dei et Matris Ecclesiae. Sicut fusius de hoc dici poterit suo loco, Maria, nova Eva, iuxta traditionem, quasi de Christo « sumpta », intuitu meritorum Christi Virgo Immaculata, omnino in mensura suprema et unica Christo coniuncta ineffabili caritate usque ad crucem, recepit nobis transfundendam totam vitam supernaturalem, totam gratiam. Vera Mater: non mater adoptiva cui Christus commiserit filios iam progenitos, sed vera Mater per quam Christus generat nos ad vitam: vera « Mater viventium », vera Mater Ecclesiae. En Mariologia et Ecclesiologia omnino inseparabiles.

Ardentissime igitur rogo Sacrosanctum Concilium ut poliendo et complendo ea quibus summatim et imperite annui, ostendat in plenam lucem Mariam et Ecclesiam, ostendat in plenam lucem veram fecundam vitam christianam.

Loquamur utique suo loco de apostolatu hierarchico; loquamur de apostolatu laicorum (qui hierarchiae debent auxilium praebere in suo ordine, debent in omnibus formis et gradibus vitae humanae ducere in actum ea quae hierarchia docet et praecipit).

Sed prius et profundius et instantius loquamur oportet de hac vera intima vita christiana in Corpore mystico, in Ecclesia; ut utar sanctis verbis venerandi domini Chautard, est « anima cuiusvis apostolatus ».

Numquid infirmi — recordemur, quaeso, moribundi arch. Di Leo, offerentis pro Concilio suos « inenarrabiles dolores » — numquid pater vel materfamilias, oberati cura et aerumnis filiorum, nihil conferunt ad vitam Ecclesiae? Summus Pontifex recentissime aiebat quasi magis conferre ad felicem exitum Concilii orationes et poenitentias vel simplicium fidelium, quam laborem et opera nostra. Recordemur S. Teresiam a Iesu Infante, Patronam Missionum aeque ac S. Franciscum Xaverium.

Doceamus has fulgidas veritates; demus solacium innumerabilibus animabus; indicemus verum remedium ad omnia mala, fundamentum ad omnia cetera remedia, quod est prae manibus omnium vel humillimorum et insipientium coram hominibus; excitemus sic ardentiorem puriorem caritatem; ostendamus in vera sua fulgida luce Mariam Matrem Ecclesiae, ut abundantius impetremus gratiam: per quam tandem aliquando, luce et vi superna, etiam dirimi et superari poterunt discrepantiae et difficultates circa ipsum ordinem hierarchicum Ecclesiae. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Loquar de argumento per se intermedio inter caput de mysterio Ecclesiae et caput de populo Dei. Cum adhuc in schemate duo haec capita sint seiuncta, melius videtur loqui nunc. Mihi. [2] hoc. [3] (*Hebr.* 7, 25; 5, 9). [4] (*Myst. Corp.*). [5] (*1 Cor.* 12, 21; *Col.* 1, 24).

8

Exc.mus P. D. CAROLUS HIMMER
Episcopus Tornacensis

Dilectissimi Patres,

Veniam vobis peto dum iterum in hac disceptatione circa ...[1] definitionem quam Ecclesia de se ipsa dare intendit, audeo quaedam addere de relatione eiusdem Ecclesiae ad pauperes evangelizandos et sublevandos. *Em.mus card. Gerlier, arch. Lugdunensis, iam vobis recoluit in initio huius congregationis augustissima verba tum Beat.mi Patris Ioannis XXIII tum Pauli VI circa locum primarium in Ecclesia pauperibus reservandum.*

Faveatis tamen mihi indulgere si paulisper insisto. Sit mihi S. Franciscus Assisiensis, « il poverello di Assisi », tutamen et protectio!

His textibus duorum Summorum Pontificum in mente revocatis, speciali modo illa verba allocutionis magnificae, quam Paulus VI tenuit

in hac aula dominica elapsa — dicebat: Ecclesia scit hos pauperes, maerentes, etc., « ad se iure evangelico pertinere » —, his tamen, dico, verbis in mentibus nostris revocatis, dilectissimi Fratres,[2] meo saltem humili iudicio, videtur Ecclesiam non posse faciem genuinam quam ei Christus contulit vere et plene manifestare, speciatim mundo hodierno ubi sunt innumeri pauperes cuiuscumque generis, quin quodammodo sese praesentet ut in pauperum servitium ab ipso suo *divino* [3] Conditore essentialiter ordinatam.

Christus enim Dominus in Evangelio *prophetatus est* [4] Ecclesiam suam sicut omnes credentes, *sicut omnes pastores, omnes episcopos,*[5] in fine saeculorum iudicandam esse secundum caritatem quam ipsa erga pauperes et degentes efficaciter exercuerit. Rationem etiam profundam indicavit propter quam Rex in hoc ultimo decernendo iudicio unice attenderet ad caritatem pauperibus sive concessam sive denegatam: nempe suam *intimam* [6] praesentiam in ipsis pauperibus cum quibus mysteriose sese identificat: « Amen dico vobis — ait in Matthaeo, 25, 40 — quidquid uni ex minimis meis feceritis, mihi fecistis ».

Quamobrem, *dilectissimi Fratres,*[7] humiliter sed instanter peto, etiam nomine multorum episcoporum, ut de hac re uberior mentio fiat in nostro schemate. Non ignoramus constitutionem dogmaticam *de Ecclesia* non posse continere totum et quidem completum tractatum. Hoc tantum in nostris votis est *quod* [8] in prooemio vel cap. I introducantur uno alterove modo hae duae ...[9] notiones:

prima nempe, de missione essentiali Ecclesiae ad pauperes evangelizandos et sublevandos,

secunda, de illa mysteriosa praesentia Christi in pauperibus, quibus sese dignatus est identificare.

Plene ...[10] assentire volumus illi emendationi *propositae ab em.mo card. Gerlier.*[11] Iam hoc modo votis nostris fieret satis. Melius tamen adhuc huic problemati provideretur, si in enucleatione notionis « Regni Dei », secundum id quod heri *feliciter* [12] innuebat em.mus card. Lercaro, in maiori luce poneretur servitium Ecclesiae erga parvos et pauperes. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] hanc. [2] Omnes enim recolimus quod die 11 mensis septembris 1962 Summus Pontifex Ioannes XXIII dulcissimae memoriae declaravit Ecclesiam esse Ecclesiam omnium et maxime pauperum. Scimus etiam Beat.mum Patrem nostrum Paulum VI in sua magnifica allocutione qua hanc sessionem aperiebat explicitis verbis dixisse quod « Concilium contuetur pauperes, egentes, maerentes, eos qui fame et dolore premuntur... ». Quibus verbis addere dignatus est Augustus Pontifex « Ecclesiam scire hos homines ad se iure evange-

lico pertinere ». His in mente revocatis. [3] deest. [4] prophetavit. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] ut. [9] praecipuae. [10] ergo. [11] a tredecim episcopis ex Africa centro-orientali pro introductione propositae: « Et praesertim illi omnes, qui toto orbe terrarum dira paupertate premuntur, necnon illae laboriosae classes quarum vitae condiciones hanc ipsam in Christo unitatem et religiosam praxim tam difficilem reddunt, se in caritate Christi et Ecclesiae eximiam partem habere sciant ». Quibus verbis addere haec vel similia petimus: « Christi, qui ipse in Evangelio pauperibus sese identificavit ». [12] deest.

Moderator: Loquatur em.mus card. Michaël Browne, relator schematis *de Ecclesia,* ad concludendam disceptationem circa cap. I ipsius schematis.

Post ipsum, incipiet disceptatio de cap. II huius schematis.

9

EM.MUS P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

Brevissimus ero. Audivimus cum summa attentione observationes omnes venerabilium Patrum, et superfluum quasi est ipsis dicere: de ipsis omnibus nos, in commissione conciliari de sacra doctrina, de omnibus rationem attentissimam habebimus.

Et nunc, adiungam duas parvas, brevissimas observationes. Habui aliquas alias, sed iam dictae sunt ab aliis Patribus.

Unde nunc loquor ut simplex Pater conciliaris, sed per unum minutum: scilicet de quaestione de usu verbi *sacramenti* in introductione, in pag. 7, linn. 5-7, ubi dicitur: « ... Cum vero Ecclesia sit in Christo signum et instrumentum, seu veluti sacramentum totius humani generis unitatis eiusque cum Deo unionis ». Hoc est quaestio quae magni interest. Unde si vox « sacramentum » retineatur, in ultimo examine ego suggererem potius ut diceretur « velut sacramentum amoris eius — scilicet Christi — amoris eius erga totum genus humanum quod Ipse ad unionem cum Deo trahere indesinenter cupit... », vel aliquid analogum.

Et tunc in fine, in pag. 13, lin. 15, vox *efficaciter* non bene ponitur et omitti potest, et in lin. 22 dicerem: « Corpus Christi mysticum ».

Haec sunt omnia quae volui dicere, et confirmo ea quae in initio dixi. Satis.

Textus scripto traditus:

Circa cap. I: 1. In pag. 7, linn. 5-7 (i. e. in introductione) dicitur: « ... Cum vero Ecclesia sit in Christo signum et instrumentum seu *veluti sacramentum totius*

humani generis unitatis, eiusque cum Deo unionis ». Dicerem potius: « ... *veluti sacramentum amoris eius erga totum genus humanum quod ipse ad unionem cum Deo trahere indesinenter cupit...* » vel aliquid simile.

2. In pag. 8, lin. 18 occurrit expressio « eam super Petrum et apostolos aedificans ». Haec expressio sine dubio *posset* recte exponi. Spiritus enim Sanctus in duobus locis Novi Testamenti loquitur de apostolis ut quodam fundamento Ecclesiae, scil. *Eph.* 2, 20 et *Apoc.* 21, 14.

In priori textu ita habetur: « (Vos ephesini) superaedificati super fundamentum apostolorum et prophetarum... ». Ratio fundandi indicatur ut communis et apostolis et prophetis, proinde, ut videtur, prout utrique praedicaverunt ephesinis verbum evangelicum, vel si, in casu, agatur de prophetis Veteris Testamenti, prout ipsi verbum evangelicum (ab apostolis nuntiatum) prae-annuntiaverunt. Tamen, ut patet, haec ratio fundandi non est ex omni parte univoca cum illa S. Petri, prout quis intellligere posset ex nuda phrasi schematis, scil. « eam super Petrum et apostolos aedificans ».

Alter textus, scil. ille *Apocalypseos,* sonat: « Et murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni ». In primo loco notanda est natura mysteriosa plurium eorum quae in hoc libro continentur, quae suadet ut textus ex eo desumpti adhibeantur cum magna prudentia. Civitas de qua in hoc textu agitur, sine dubio apte accipitur ut typus Ecclesiae, sed nomina apostolorum inscribuntur in muro qui eam circumdat, non proprie in fundamentis ipsius civitatis. Quidquid sit, sumus in quadam distantia a ratione fundandi Ecclesiam quae Petro convenit.

3. In pag. 13, lin. 15, vox « efficaciter » proprie loquendo non esset ponenda. Omitti potest. Ibidem, in lin. 22 dicerem: « ... ad Corpus Christi mysticum ».

10

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. SPELLMAN

Archiepiscopus Neo-Eboracensis

Venerabiles Fratres,

Schema huius constitutionis mihi videtur optime exarata: miratus autem sum quod in cap. II, n. 15, linn. 33-41, pag. 26, habetur propositum ut instauretur diaconatus tamquam gradus hierarchicus stabilis et permanens. Haec est materia disciplinaris et *mea opinione* [1] locum habere non deberet in hac constitutione dogmatica.

Quaeritur ergo utrum haec res alibi tractanda esset. Mihi videtur respondendum esse negative et his quidem rationibus:

1. Diaconatus quidem ut gradus stabilis et permanens olim in Ecclesia latina vigebat, per saecula autem ut talis obsoletus est et ut gradus transitorius ad sacerdotium habebatur. Antequam ergo instauretur, inquirendum esset in rationes cur ut gradus permanens obsoletus sit. Item

perpendendae essent difficultates quae ex eius instauratione evenire possent.

2. Diaconi permanentes ad munus suum perficiendum satis praeparati esse deberent. In multis regionibus autem vix possibile est, vel ne vix quidem, aedificare et sustentare seminaria pro candidatis ad sacerdotium formandis. Quomodo ergo in eiusmodi regionibus provideri possent aliae domus formationis pro diaconis?

3. Ratio cur diaconatus in Ecclesia latina ut gradus permanens obsoleverit videtur fuisse sacri ministerii necessitates, quum sacerdotes fideles satis curare non possent. Quae conditio in fere omnibus mundi partibus adhuc viget.

Praeterea hodie multi habentur religiosi laici et sodales institutorum saecularium, qui munus diaconi maxima ex parte adimplent. Etiam magis ac magis crescit numerus laicorum, qui servitio Ecclesiae sese devovent, quod quidem hoc sacrum Concilium ut foveatur et augeatur exoptat.

Denique propositum, ut diaconatus tamquam gradus stabilis et permanens instauraretur, videtur maxima ex parte procedere a fautoribus Liturgiae, qui usus Ecclesiae antiquae instaurare vellent, quin prae oculis teneant conditiones actu vigentes. Pius XII autem hac de re declaravit: « ... vetus usus, non idcirco dumtaxat quod antiquitatem sapit ac redolet, aptior et melior existimandus est vel in semetipso, vel ad consequentia tempora novasque rerum conditiones quod attinet... Ad S. Liturgiae fontes mente animoque redire sapiens profecto ac laudabilissima res est... non sapiens tamen, non laudabile est omnia ad antiquitatem quovis modo reducere» (Litt. Enc. *Mediator Dei* ...[2]).

Hodie quidem sacrorum alumni sacerdotes esse exoptant, quod recte habetur signum divinae vocationis. Deus autem Providentiam suam super Ecclesiam conditionibus vigentibus accommodat. Quaeri autem potest utrum melius sit voluntatem divinam praeterire et pauciores sacerdotes habere cum diaconis permanentibus an plures sacerdotes sine huiusmodi diaconis.

Omnibus ergo perpensis, tollendum esse existimo propositum de diaconatu stabili et permanenti in Ecclesia latina.

Hoc tantum excepto, schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* placet. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] *AAS*. 39, 1947, p. 545.

11

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres,

In hoc quoque cap. II, sicut in primo, plura sunt clara et indubitata; sed hic illic verba aut singula aut coniuncta inveniuntur quae mutari vel saltem explicari debent ne pravae interpretationi et inde falsae doctrinae ulla causa praebeatur. E. g.:

Pag. 23: in prooemio, linn. 1 et 2 legimus: « Christus Dominus, ad populum Dei augendum et Corpus suum exaedificandum et nutriendum, etc. ».

Populus Dei coniunctus est necessario cum Christo, cuius Corpus mysticum constituit. Itaque, cur in textu sermo fit de populo Dei *et* de Christi Corpore, mystico sane, quasi sint duo entia (ut vocabulo philosophico utar) plane inter se distincta?

Ibidem, linn. 2 et 3, legimus: « Christus in Ecclesia sua varias ministrationes, *praesertim stabiles,* instituit ».

Vocabulum « ministrationes » adhibetur a S. Paulo qui, ad supprimendas divisiones inter Corinthios exortas charismatum causa, haec scribebat: « Divisiones vero gratiarum (*διαιρέσεις χαρισμάτων*) sunt, idem autem Spiritus, et divisiones ministrationum (*διαιρέσεις διακονιῶν*) sunt, idem autem Dominus, et divisiones operationum (*διαιρέσεις ἐνεργημάτων*) idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus » etc. (*1 Cor.* 12, 4 s.).

Apostolus hoc loco non agit de gradibus hierarchicis, ut verbis « praesertim stabiles » in textu nostro affirmatur; sed tantum loquitur de donis charismaticis, quorum tres veluti species enumerat.

Item de charismatibus intelligenda sunt verba Pauli quae in altero testimonio laudato i. e. *Eph.* 4, 11 s. inveniuntur: « Et ipse (i. e. Dominus) dedit quosdam quidem *apostolos,* quosdam autem prophetas, alios vero evangelistas, alios autem pastores et doctores etc. ». Et eadem Paulus recenset in epistola 1 ad Corinthios, cap. 12, inde a vers. 28.

Capta occasione, confirmo quod feria II asserui, et feria IV em.mus et carissimus card. Alfrink refutare mihi visus est: apostoli, quos Paulus in eadem epistula ad Ephesios (2, 20) vocat simul cum prophetis, fundamentum super quod superaedificantur fideles, non sunt proprie apostoli a Christo missi in mundum universum, sed homines charismate apostolatus donati, sicut erant charismate prophetiae ornati prophetae.

Qua admissa veritate, elucet coram omnibus fundamentum a charismaticis apostolis et prophetis positum, in sensum latiorem esse accipiendum, quatenus, nempe, initio Ecclesiae illi efficacissimi Evangelii propagatores fuerunt. Certo certius duodecim apostoli, praeter missionem divinam quam acceperant directe a Christo, donis charismatibus multis, et forsan omnibus, praediti erant, sed, rursus dico, alii, praeter ipsos, charisma possidebant apostolatus.

Multa adhuc exponenda essent de hoc gravi argumento ad omnem confusionem vitandam, sed tempus mihi deest.

Ex iis autem quae dixi consequitur verba lin. 4 « munera et ministeria » in orationis contextum non quadrare, et verba lin. 10 quibus Petrus et apostoli in fundamento Ecclesiae consociantur, nullo testimonio biblico vere inniti iterum iterumque assero.

Lin. 20: « Ratione sacri apostolici primatus »: velim adici post vocem « primatus »: *verae propriaeque iurisdictionis*. Quae verba bis inveniuntur in mirabili constitutione dogmatica I Concilii Vaticani (*Pastor aeternus*: de Ecclesia Christi, cap. I).

Lin. 23: episcopi appellantur successores apostolorum et id pluries repetitur in capite, iure quidem meritoque; sed ut recte haec veritas intelligatur, valde utile esset — mea quidem humili sententia — declarare quid intersit inter potestatem duodecim apostolorum propriam, et potestatem quam apostoli successoribus transmiserunt.

Apostolis succedunt, ex voluntate Christi, episcopi in ordinario munere (vel potestate) docendi, sanctificandi, regendi; sed missio ad omnes gentes, sine ulla limitatione, et praesertim donum infallibilitatis, quo singuli apostoli praediti erant, ad successores non transierunt.

Num. 12, linn. 31 et s.: « quos et apostolos nominavit, et ad instar instituit *cuiusdam collegii* ».

De episcoporum collegio est sermo quasi continuus, e. g. in pag. 27 octies nominatur; quod demonstrat quantum momentum collegio episcoporum tribuatur.

Nemo, procul dubio, prohibere intendit quominus episcopi, simul sumpti, collegium quoddam conficiant, et collegialiter (sit venia verbo), Summo Pontifice permittente, loquantur et agant, immo id utilitatem habere potest, sicut iam valde utiles sunt conferentiae episcopales; sed usque ad hodiernum diem mihi — *saltem mihi* [1] — persuadere non potui Iesum Christum constituisse collegium apostolorum, cuius haeres sit episcoporum collegium.

Verum quidem est apostolos vitam simul degisse cum Christo, ab ipsorum vocatione usque ad Christi passionem; verum quoque est in Evangeliis saepe apostolos appellari nomine collectivo: *δώδεκα*; at eos,

ex Christi institutione, congregatos esse in societatem quandam seu in collegium proprie dictum, opinor ad fidem historiae non constare, eo vel magis quod cum apostoli se disperserint in varias mundi partes, ab anno aerae nostrae cir. 42 ad annum 67, numquam collegialiter quidquam egerunt, praeter Concilium Hierosolymitanum, cap. XV Actuum Apostolorum descriptum, quod primum Concilium Oecumenicum haberi posset.

Pag. 26, lin. 2 et s., asseritur: « Episcopos in presbyteros gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundere ».

Hanc locutionem dicerem falsam, sed ne redactorem nimis offendam satis mihi est affirmare eam esse graviter impropriam. Usque adhuc de solo Christo audivimus omnes nos de plenitudine eius accepisse.

Pag. 26, linn. 15-20, legimus: « Circa episcopum, coetum coaptatum et concordem constituentes, agnoscant presbyteri cuncti etc. ».

Cur silentio praetermittitur oboedientia, quam iam antiquissimus Pater apostolicus S. Ignatius Antiochenus in septem epistulis suis tantopere presbyteris inculcat, et pia Mater Ecclesia in extremo ordinationis sacerdotalis, saltem in ritu latino, ab omnibus qui facti sunt sacerdotes solemniter exquirit?

Inde a lin. 28 et deinceps: institutionem diaconatus tamquam permanentis gradus hierarchiae ubi S. Sedes id opportunum censuerit, non infitior; sed minime adprobo quod subiicitur: praepositis Ecclesiae concedi facultatem decernendi utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne.

Inde enim grave infligeretur vulnus caelibatui ecclesiastico, de quo hierarchia Ecclesiae latinae per plura saecula gloriata est et adhuc gloriatur.

Pag. 29, linn. 9 et s.: mirum est quod asseritur, nempe apostolos missos esse, ut prophetarent gentibus et populis et regibus, non a Christo sed a Spiritu Sancto!

Linn. 11-14: munus autem illud quod Dominus pastoribus populi sui commisit « verum est servitium seu diakonia apostolica ».

In schemate ministerio sacro, ut servitio in bonum animarum omnium, multum insistitur, quod spero utile fore; sed vocabulum *διακονία* in Novo Testamento est omnino *vagum,* ita ut ei variae subsint significationes; etenim exprimit, praeter sacrum officium muneris ecclesiastici, officium ministrandi ad mensam, sublevationem egestati pauperum per eleemosynas, ministerium verbi, peculiare charisma ministrandi aliquomodo Ecclesiae, etc.

N. 19, linn. 31-34: dicitur magisterium infallibile omnium episcoporum, una cum Romano Pontifice authentice docentium ut testium

fidei in veritatibus divinitus revelatis, tradendis, adhuc *manifestius haberi* in Concilio oecumenico.

Cur, *quaeso*,[2] secundum doctrinam in omnes scholas nostras theologicas receptam, non fit clara distinctio inter magisterium Ecclesiae ordinarium — quod cotidie, Spiritu Sancto adsistente, infallibiliter docet — et magisterium extraordinarium quod praesertim in Concilio oecumenico exercetur?

Pag. 30, lin. 1: statim post « Romanus Pontifex » addi velim « etiam solus », ut apertis significetur Romanum Pontificem, utpote totius Ecclesiae caput, vicem visibiliter gerentem Iesu Christi ad doctrinam de fide vel moribus definiendam non indigere collegio episcoporum.

Eadem pag. 30, linn. 18-21: sermo latinus qui hic adhibetur quodammodo emendari debet, *ut fiat clarius*[3]; sed quod mihi nullo modo placet est praescribi, *saltem implicite*,[4] Romano Pontifici veritatis revelatae indagatio, *adhibito etiam consilio theologorum et exegetarum*. Profecto Summus Pontifex graviter peccaret si ad aliquam definitionem in re fidei vel morum procederet quin diligens studium et accuratam indagationem praemittat; at si id, imprudenter quidem, omitteret, Spiritus Sancti adsistentiam, qua infallibilis est, non amitteret. Ceterum suggerere Romano Pontifici prudentiam minime decet.

Lin. 22: « novam vero revelationem *publicam* tamquam ad divinum fidei depositum pertinentem episcopi et Romanus Pontifex non accipiunt ».

Non recte *nova* revelatio dicitur *publica*; quaevis enim revelatio facta post apostolorum mortem, qua depositum divinae revelationis pro Ecclesia universa clauditur, est tantum privata. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

12

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Loquar tantum de par. 15, pag. 26 circa finem, id est de diaconis. Quae dicuntur de diaconis non omnia mihi probantur, immo aliquid mihi videtur non opportunum *et*[1] valde periculosum.

Hanc opinionem meam quam brevissime proponam. Censeo nempe opportunum non esse restituere diaconatum ut gradum permanentem ita ut exerceatur ut munus proprium in hierarchia ecclesiastica. Rationes, quae me movent ad hoc asserendum, hae sunt:

1. Non omnia, quae antiquiora sunt, etiam meliora sunt, ut nonnulli putant. Tempora mutantur itemque rerum condiciones mutantur, quibus Ecclesia quoque, quantum fas est, se accommodare conatur, ut aptius prospiciat saluti animarum procurandae, *ut optime dixit em.mus card. Spellman.*[2]

2. Hodie in Ecclesia latina diaconatus est tantum gradus necessarius ad ordinem sacerdotalem assequendum et ad legem caelibatus tenetur. Atqui si institueretur munus proprium et permanens diaconorum qui a lege caelibatus dispensari possent, non levia haberentur detrimenta ac pericula. Si hoc enim eveniet, hi diaconi facile rogabunt ecclesiasticam auctoritatem ut eos dispenset a lege caelibatus si iam non fuerint antequam ordinarentur dispensati. Itaque habebitur in Ecclesia corpus diaconorum coniugatorum qui munus sacrum exercebunt, ac necessario etiam beneficio ecclesiastico fruentur, quia beneficium propter officium.

Tunc quid continget? Haec profecto, mea sententia, contingent:

A) Necessarium ...[3] erit nova seminaria constituere pro sacrorum alumnis, qui ad diaconatum tantum exercendum se praeparent; etenim valde inconveniens est sacrorum alumnos una simul instituere et educare, qui ad legem sacri caelibatus tenentur, et qui ab hac lege dispensari possunt. Hoc profecto explicatione non indiget, cum sit sole clarius.

B) Ac praeterea hoc ut certissimum censeo: nempe si diaconi instituantur cum proprio exercendo munere ac proinde cum adiuncto beneficio fruendo, cum possint a lege sacri caelibatus dispensari, numerus sacerdotum seu presbyterorum procul dubio decrescet, ac multum multumque decrescet. Si enim iuvenes, qui ad sacra capessenda munera vocantur, noverint se modo multo faciliore posse Ecclesiae servire et ecclesiasticos percipere proventus in diaconali munere, quod per se non exigit caelibatum, facile ad hoc munus transibunt. Idque etiam si eorum vocatio ad sacra munera exercenda *valida*[4] ac vera sit. Hoc eveniet propter humanam fragilitatem, cum praesertim agitur de iuventute, quae cerea volvitur ad ea, quae commodiora sint, nec gravia incommoda postulet. Non pauci igitur iuvenes qui reapse ad sacerdotium vocantur, hac de causa in diaconali exercendo munere et in consentaneo percipiendo beneficio permanebunt.

Haec, quae dixi, intento animo considerate, venerandi Patres conciliares. Viginti, *plus quam viginti*[5] et tres annos in seminario fui, *primo*[6] ut alumnus ac deinde ut moderator. Ex habita igitur experientia loquor.

C) Postremo, venerandi Patres conciliares, trepido animo vos appello, ne velitis vulnus inferre legi sacri caelibatus; quod quidem eveniret si haec paragraphus, ut iacet, approbaretur, ut optime asseveravit em.mus card. Ruffini.

Ad praecavenda igitur haec detrimenta ac pericula gravissima, peto iterumque peto ut haec pars paragraphi ...[7] vel corrigatur proposito modo, vel — quod multo multoque melius *erit*[8] — omnino expungatur.

Timeo ne, si fenestella hac de causa aperiatur, periculum sit ut nonnulli postea fenestram pandere velint. Quod Deus avertat!

Haec habui, venerandi Patres conciliares, quae sapientiae, meditationi ac prudentiae vestrae proponerem.

In textu scripto tradito: [1] immo. [2] deest. [3] profecto. [4] solida. [5] deest. [6] deest. [7] XV. [8] est.

13

Exc.mus P. D. AEMILIUS GUERRY

Archiepiscopus Cameracensis

Venerabiles Patres,

Loquor in nomine episcoporum Galliae.[1] Maximi ponderis est declaratio a Concilio facienda de episcopatu ut sacramento. In pag. 25, exponitur breviter, quoad essentiale, quaestio sub aspectu doctrinae. Licet tamen aestimare hunc locum insufficienter ostendere quantum sit momentum istius decisionis conciliaris; non enim inde apparent huius positionis consequentiae, quarum paucis verbis duas tantum dicere intendimus.

Prima consequentia: quoad formationem cleri et quoad relationes inter sacerdotes et episcopum.

Radicaliter futura est in tractatu de Ordine mutatio.

Usque modo sacramentum Ordinis in presbyteratu inspiciebatur directe; postea tantum quaestio movebatur: quaenam potestas nova per episcopatum accedit.

In posterum, contraria erit via. Ex una parte, ab alto procederetur, id est ab episcopatu ut gradu supremo sacerdotii, de quo participant alii gradus: presbyteratus, diaconatus. Ex alia parte, non in linea potestatum investiganda erit in primis quid proprium sit episcopatus, sed in linea *doni supernaturalis et gratiae* divinitus acceptae in consecratione per impositionem manuum et Spiritum Sanctum.

Testis est enim *traditio* Orientis christiani, necnon et consecratio episcopalis in omnibus liturgiis. Hic inveniunt sacerdotes firmum et

commovens fundamentum dependentiae erga sacerdotium episcopi qui, per ordinationem, eos admisit in participationem sacerdotii Iesu Christi, Mediatoris unici et Summi Sacerdotis. Dependentia igitur non mere iuridica, sed vitalis et filialis erga plenitudinem sacerdotii in episcopo; dependentia in qua fundatur etiam unitas presbyterii circa episcopum, tamquam sacramentum sacerdotis supremi.

Secunda consequentia: quoad relationes inter consecrationem episcopalem et collegium apostolicum.

Veritas quaedam maxima datur, quam asserere firmiter expediret, quae in schemate tacetur: nempe de consecratione episcopali. Haec est per quam fit incorporatio novi electi ad corpus episcoporum, ad « ordinem episcoporum », intuitu missionis ad salutem omnium hominum, quam missionem Iesus Christus corpori apostolorum duodecim credidit cum Petro capite.

Ad hanc missionem, quam simul et coniuncte a Domino receperunt, apostoli etiam simul et coniuncte per Spiritum Sanctum virtutem ab alto acceperunt...[2]

Inde duo sequuntur maximi momenti:

1. Structura sacramentalis, et non primo et unice iuridica, fundatur et stat communio omnium episcoporum inter se circa Successorem Petri.

2. Utpote membrum corporis episcopalis, in solido cum Summo Pontifice et sub auctoritate eius respondet episcopus, qua Evangelium ad mundum universum annuntiando antequam respondeat de propria dioecesi. Utpote membrum corporis episcopalis, huius est in Ecclesia sua particulari, in quam iurisdictionem accipit, universum mysterium Ecclesiae praesens facere.

Votum: quia maximi momenti est illa quaestio de episcopatu ut sacramento et ad omnem aequivocationem vitandam, votum proponimus ut clare et expressius Patres conciliares vellent declarare doctrinam de sacramentalitate episcopatus. Dixi!

In textu scripto tradito: [1] In nomine episcoporum Galliae in coetu 2 oct. 1963. [2] (*Act.* 1, 4-9).

14

Exc.mus P. D. RAPHAËL GARCÍA Y GARCÍA DE CASTRO
Archiepiscopus Granatensis

Venerabiles et carissimi Patres,

1. In schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* cap. II, n. 14, pag. 25, affirmatur: 1) episcopatum esse gradum supremum sacramenti Ordinis; 2) propterea, numquam posse episcopum iterum simplicem sacerdotem fieri; 3) episcopum esse vi sacramenti presbytero superiorem.

Hae affirmationes, quae intime inter se connectuntur, continebantur iam in primo schemate...[1] De ea, quae fundamentalis est inter illas, i. e. episcopum esse vi sacramenti presbytero superiorem, fatendum est positionem contrariam communem fuisse in Medio Aevo, nempe episcopum esse presbytero superiorem solum vi iurisdictionis. Neque desunt theologi recentes qui talem sententiam sequantur, maxime post novas notitias *et studia*[2] recenter inventas. Unde sequitur agi de quaestione implicata, disputata, et nondum apta ad constitutionem dogmaticam.

Ut appareat quam haec quaestio implicata sit, animadvertatur theologos, qui affirmant episcopum esse presbytero superiorem solum vi iurisdictionis, ad hanc theoriam recurrere, non solum ut explicent cur Summi Pontifices potuerint presbyteris potestatem ordinandi aliquando concedere, verum etiam ut explicent — eo quod potestas iurisdictionis episcopo ordinanti substrahatur — casus reordinationum, qui historice frequentiores fuerunt, quam quod solet putari.

Argumentum liturgicum pro sacramentalitate episcopatus, quod schema affert, non omnibus theologis videtur validum. Re vera, si ubicumque manuum impositio et invocatio Spiritus Sancti habentur, sacramentum exsistit, dicendum esset ritum consecrationis diaconissarum sacramentum fuisse.

Ex alia vero parte, dignitas et magnitudo episcoporum in Ecclesia, quatenus successores apostolorum sunt, non eget definitione sacramentalitatis episcopatus.

2. In schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* cap. II, n. 15, pag. 26, formulae adhibitae referunt prorsus ordinem presbyteralem ad episcopalem plenitudinem. Quamquam hae formulae in omnibus sententiis theologorum catholicorum explicari possunt, suggerunt tamen determinatam sententiam, utique valde probabilem, sed *adhuc*[3] disputatam, circa relationem inter presbyteratum et episcopatum: sententiam,

nempe, quae concipit presbyteratum tamquam participationem episcopatus, solum intelligibilem ab episcopatu procedendo.

3. In schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* cap. II, n. 20, pag. 30, dicitur: « Ipsi (episcopi, nempe) sunt ministri sacrae ordinationis et ministri ordinarii Confirmationis ». His verbis videtur excludi posse presbyterum ministrum esse extraordinarium sacramenti Ordinis. Praeterquam quod hoc est etiam quaestio *adhuc*[4] disputata, non potest ignorari existentia quarumdam concessionum a Summis Pontificibus presbyteris datarum, ut etiam alios presbyteros ordinarent.

Optamus ergo:

1. In n. 14, cap. II, schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* supprimi par. 1 a verbis « Ita episcopalis consecratio... » usque ad finem; atque etiam supprimi titulum eiusdem numeri (De episcopatu ut sacramento).

2. In n. 15, referatur ordo presbyteralis ad sacerdotium ipsius Christi magis quam ad plenitudinem episcopalem, *ut nuper innuebat em.mus card. Ruffini.*[5]

3. In n. 20, loco « Ipsi sunt ministri sacrae ordinationis et ministri ordinarii confirmationis », dicatur: « Ipsi sunt ministri ordinarii sacrae ordinationis et confirmationis ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nondum reformato. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest.

15

Exc.mus P. D. PETRUS VEUILLOT

Archiepiscopus tit. Constantiensis in Thracia, coad. c.i.s. Parisiensis

Venerabiles Patres,

In n. 13, pag. 24, agitur de *successione apostolica episcoporum.* Omnibus patet quanti momenti sit illud argumentum, tam pro doctrina ipsa de episcopatu, quam pro dialogo oecumenico: in hoc enim sistit una ex difficultatibus maioribus cum aliquibus fratribus seiunctis.

De hoc numero duas animadversiones facere vellem.

Prima animadversio: Doctrina catholica de successione apostolica episcoporum fundatur in duobus argumentis, quae strictissimo nexu coniunguntur.

a) *Verbum Domini,* per quod apostolis propria missio concreditur, cum certitudine adsistentiae divinae: « Euntes ergo docete omnes

gentes... et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi»...[1] Haec autem missio et haec adsistentia manifeste sese extendunt ultra limites vitae terrestris apostolorum usque ad consummationem saeculi.

b) Ipsum *factum,* in Scripturis declaratum, quod apostoli propriam missionem a Domino receptam illis cooperatoribus transmiserunt qui eorum successionem acceperunt. Sic scribit apostolus Paulus discipulo suo Timotheo: « Quae audistis a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere »...[2] Easdem commendationes faciebat Paulus eodem Timotheo, praevidens quod *post suam mortem* [3] in novissimis diebus instarent tempora periculosa...[4]

In nostro schemate omnino desunt citationes illae Sacrae Scripturae. Immo periculum adest, ne ex primis lineis, nimis deductivis, *huius n. 13,*[5] institutio hierarchica prave intendatur. Videtur enim talis institutio probari ex quibusdam rationibus ex iure vel ex argumento convenientiae desumptis, non autem, ut decet, ex verbo Domini et ex ipso facto institutionis, quae certissimum argumentum in hac materia proferunt.

Quapropter modificationem quamdam proponimus, quae exc.mo secretario Concilii tradere intendimus.

Secunda animadversio est de fundamento collegialitatis episcoporum.

Principale argumentum in hoc consistit, ut clare appareat quod episcopi, successores apostolorum, collegialitatem retinent tamquam unam ex notis apostolicis quae in episcopatu perdurat.

Certe omnia apostolorum privilegia episcopi non detinent, quod in nostro textu clare enuntiatur (lin. 20: potestas non quidem Ecclesiam fundandi sed sustentandi et pascendi).

Sed in hoc ipso n. 13, fortius *ac clarius* [6] affirmanda est collegialitatem illam episcopalem suum fontem proprium invenire in ipsa successione apostolica.

Clare autem apparet in Scripturis illa natura collegialis ministerii illorum virorum qui fuerunt primi cooperatores et successores apostolorum.

1. Vocabula quibus apostolus Paulus utitur ad designandos coadiutores suos apostolicos semper sunt vocabula quae collegialitatem illorum cum ipso apostolo in ministerio evangelico manifestant. Vocantur etenim saepe « cooperatores », « conmilitones » (graece: *συν-εργοὶ* ...[7], *συν-στρατιώτης* ...[8]). Immo Paulus etiam « apostolos » nominat Barnabam, vel Silam ...[9], vel Andronicum, *etc.*[10]

2. Cooperatores illi cum apostolo Paulo intime coniunguntur in exercitio *unius eiusdemque ministerii apostolici.* Sic Paulus Timotheum appellat « fratrem nostrum et ministrum Dei in Evangelio Christi »...[11]

Eo ipso Paulus Timotheum coniungit ministerio ipsorum apostolorum, quod est, *sicut dixit Scriptura,*[12] ministerium verbi et ministerium Evangelii...[13]

Pariter, cum Paulus de « ministerio iustitiae » loquitur ...[14], vel de « ministris Novi Testamenti non littera sed spiritu » ...[15] vel de « cooperatoribus Dei » ...[16], haec omnia apostolus, tam de suis cooperatoribus, quam de seipso, eodem plane modo enuntiat.

Conclusio: Haec collegialitas episcoporum, ab origine Ecclesiae, apparet tamquam nota essentialis. Et quando id perspicitur, totus textus capitis nostri clarior efficitur.

Ideo necessarium videtur, huic n. 13 aliquid adiungere quod secretariatui proponitur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 28, 19-20). [2] (*2 Tim.* 2, 2). [3] deest. [4] (cf. *2 Tim.* 3, 1). [5] deest. [6] deest. [7] (*Phil.* 2, 25; *Col.* 4, 11; *Rom.* 16, 21; *2 Cor.* 8, 23; *Philem.* 24). [8] (*Philem.* 2). [9] (*1 Thess.* 2, 6). [10] et Iuniam (*Rom.* 16, 17). [11] (*1 Tim.* 3, 2). [12] (*Act.* 6, 4). [13] (*Eph.* 3, 7; *Col.* 1, 25; *2 Cor.* 1, 19). [14] (*2 Cor.* 3, 9). [15] (*2 Cor.* 5, 6). [16] (*2 Cor.* 5, 20).

Animadversiones additae:

Propositio emendationis schematis *de Ecclesia,* cap. II, n. 13, pag. 24, linn. 15-30.

(*De Episcopis successoribus apostolorum*). Ministerium illud sanctissimum a Domino Iesu apostolis concreditum est pro Ecclesia usque ad finem saeculi duratura, sicut promisit Dominus apostolis suis dicens: « Euntes ergo docete omnes gentes... docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 19-20). Quapropter morte eorum temporali non erat terminandum.

Itaque, Ecclesiae consuluerunt apostoli etiam per successores, eadem divina potestate non quidem eam fundandi sed sustentandi et pascendi praeditos.

Apostoli etenim, qui ipsi collegialiter evangelium ministrabant, de instituendis successoribus, tanquam fratribus et cooperatoribus in suo apostolico evangelii ministerio, curam egerunt. De qua cura Paulus apostolus testis est, cum, in novissimis diebus tempora periculosa praevidens (cf. *2 Tim.* 3, 1), ad cooperatorem Timotheum scribebat: « Quae audisti a me per multos testes, haec commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2).

Ministerium apostolorum fidem salutarem praedicandi supponit missionem divinam (cf. *Rom.* 10, 13-18; *Io.* 20, 21) annuntiandi laetum nuntium et manifestandi mysterium Christi eis pro omnibus gentibus revelatum (cf. *Eph.* 3, 5; *Col.* 1, 26) ut Evangelium continenter et in omne tempus sit in Ecclesia totius vitae principium.

Quapropter suis successoribus commendarunt apostoli ut attenderent seipsis et universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28). Qui... etc.

16

Exc.mus P. D. ANTONIUS VUCCINO

Archiepiscopus tit. Aprensis

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine septem Patrum quorum aliqui in regionibus missionum degunt.

Perdurante sessione prima huius Sacrosanctae Synodi, olim em.mus D. S.R.E. card. Montini, *nunc autem gloriose regnans Paulus VI,*[1] in aliqua sua epistola pastorali dubium enuntiabat de opportunitate tractandi de divina revelatione in nostra sacrosancta Synodo, cuius indoles principaliter pastoralis est.

Insuper in congregatione generali XXIV, rev.mus D. Marty, arch. Remensis, vindicabat inclusionem schematis *de divina revelatione* in schemate *de Ecclesia,* quia Christus mediante Ecclesia sua hominibus tradit doctrinam revelatam.

Haec autem propositio duobus argumentis innititur, pastorali scil. et oecumenico.

Argumentum pastorale. Teste Scriptura, viget relatio vitalis inter divinam revelationem et sacramentum baptismi, nam Christus apostolos mittens dicebat: « Euntes in mundum universum, praedicate evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit »...[2]

In baptismo vero actus fidei praecedit sacramentum; in ipso autem sacramento infunditur virtus theologica fidei, cuius « obiectum quod » est veritas a Deo revelata, cuius nucleus et culmen mysterium redemptionis est, quod in Christo consummatum est. Scribit enim apostolus ad Romanos: « Quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum, ut quomodo Christus surrexit a mortuis per gloriam Patris, ita et nos in novitate vitae ambulemus » (*ad Romanos* [3]). Ad Galatas autem scribebat: « Omnes filii Dei estis per fidem quae est in Christo Iesu. Quicumque enim in Christo baptizati estis, Christum induistis »...[4]

In ipso vero baptismo fides ab Ecclesia petitur et ab ea obtinetur, ita ut baptizatus, Christum induendo, membrum corporis sui efficiatur simulque veritati in Christo revelatae firmiter inhaereat. Haec autem veritas, quae constituit nuntium evangelicum, ab ipso Christo apostolis tradita est, Domino dicente illis: « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes in Ierusalem et usque ad ulti-

mum terrae » (*in Actibus Apostolorum* [5]). Vi igitur verbi dominici apostoli constituti sunt de iure « dispensatores mysteriorum Dei ». Omnia autem haec pertinent ad actionem pastoralem Ecclesiae. Propterea, schema *de divina revelatione,* quod in libello schematum Concilii simile est nebulae erranti, Patribus propono ut in schemate *de Ecclesia* collocetur.

Argumentum oecumenicum. Inter catholicos et Reformationis sectatores essentialis viget dissensio super fontem revelationis, quam primi in Scriptura et Traditione, ultimi autem in sola Scriptura includunt. Mihi videtur quod dissensio e medio tolletur quando utrimque consensus habebitur de Ecclesiae natura. Certum est enim famosum illud dictum « sola Scriptura » ortum habuisse e conceptu de Ecclesiae natura cum Scriptura Sacra dissonante. Nos autem cum apostolo declaramus quod « Ecclesia Dei vivi est columna et firmamentum veritatis » (*1 Tim.*). Ecclesia etenim...[6]

Moderator: Exc.me Domine, velis loqui de cap. II huius schematis!

Orator: De cap. II loquor. Propterea loquendo de Ecclesia sua, quae est supra Petrum fundata, Dominus adiungebat: « et portae inferi non praevalebunt adversus eam », quia « firmiter » aedificata est domus Domini supra firmam petram...[7]

Sequitur quod ad solam pertinet Ecclesiam ius et onus docendi veritates a Deo revelatas, cum ad solos apostolos Christus mandavit « docere omnes gentes », quos et « testes suos » constituit « usque ad ultimum terrae ». Ipsi vero apostoli « profecti praedicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis » ...[8]. Iam a principio ipsa Ecclesia discrimen operata est inter Scripturam a Deo inspiratam et scripta apocrypha, quia ipsa sola est constituta a Domino possessor, custos et interpres veritatis revelatae, quam sollicite custodit in verbo scripto et non scripto. Unde S. Augustinus dicebat: « Credo Evangelio quia credo Ecclesiae ». Unde illi omnes qui solam Scripturam confitentur esse unicum fontem revelationis, extra Ecclesiam vagantur, quia in vanum laborant qui conantur seorsum ab Ecclesia probare Scripturam Sacram esse verbum Dei. Unde enim negatores magisterii Ecclesiae acceperunt Scripturam Sacram ut verbum Dei nisi ab ipsa Ecclesia? *Unde clare patet, quod ad fovendum opus oecumenicum, opportunius esset includere schema de divina revelatione in illo de Ecclesia.*

Propono humiliter ut schema de divina Revelatione collocetur in schemate de Ecclesia.[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Mc.* 16, 15). [3] (*Rom.* 6, 3). [4] (*Gal.* 3, 27). [5] (*Act.* 1, 8). [6] est corpus Christi, Spiritu Sancto vivifica-

tum, cuius caput est ipse Christus. Sed dicit Ioannes: « qui habet Filium, habet et Patrem ». Tota igitur sancta Trinitas manet in Ecclesia. [7] proindeque recte haec appellatur « columna et firmamentum veritatis». [8] (*Mc.* 16, 20). [9] Forsitan supradicta non habebunt beneplacitum fratrum christianorum ab Ecclesia catholica seiunctorum, sed haec Sacrosancta Synodus adunata est ad proclamandam veritatem quam sola Ecclesia catholica, ut « columna et firmamentum veritatis » integram custodit et annuntiat hominibus per divinum magisterium. Ideoque humiliter propono Patribus conciliaribus ut schema constitutionis *de divina revelatione* aliquantulum contractum ponatur in cap. II schematis constitutionis *de Ecclesia* ubi tractatur de episcoporum munere docendi.

Animadversiones additae:

De matre Ecclesia.

Hoc schema *de Ecclesia* non intendit, sicut iam a peritis dictum est, praesentare nobis tractum completum de Ecclesia, sed sibi proposuit respondere expectationi et necessitatibus christianorum hodiernae aetatis enucleando aliqua puncta generalia sub aspectu positivo, pastorali et oecumenico. Meum propositum est insistere super certum aspectum Ecclesiae magis aptum ad movenda corda hominum, quam mentem eorum praestringere totam imbibitam spiritu rationalistico et aliqua arrogantia scientifica inflatum. Olim iam ipse Dominus Iesus dicebat ad animam sanctam omnibus notam: « Ecce Cor qui tantum amat homines, qui parum amant illum» .

Legi et perlegi textum cap. I schematis nostri sed, o me miserum, confiteor pauca invenisse quae indole pastorali pollent. Indoles enim pastoralis mihi videtur oritur caritate, loquitur de caritate ad quam omnia referre oportet et ad caritatem suscitandam intendit. Tum recordatus sum illius sacerdotis qui post gravem lapsum, ab Ecclesia seiunctus, dicebat ad amicum suum: « Nunc, non sum nihil aliud quam quidam philosophus solitarius ».

Repentine venerunt in memoria verba Creatoris: « Non est bonum esse hominem solum. Faciamus ei adiutorium simile sibi » (*Gen.* 2, 18).

Post vero lapsum filii sui misertus est Pater eius dando ei Matrem, quia sola Mater dolori filii sui potest indulgere.

O altitudo sapientiae et bonitatis Dei, qui mandat ad hominem lapsum Filium unigenitum, factum ex muliere assumendo et sibi sponsando naturam humanam simulque constituendo eam instrumentum perfectissimum salvationis humanae ipsemet moriendo ad peccata destruenda et resurgendo ad vitam reparandam. Etenim e latere Christi super lignum crucis dormientis orta est Ecclesia secundum illud Evangelistae: « Et aperuit lancea latus eius et exivit sanguis et aqua ». Quae verba concordant cum sacra liturgia ubi dicitur: « Ex corde scisso Ecclesia, Christo iugata, nascitur. Hoc ostium arcae in latere, est genti ad salutem positum. Ex hoc perennis gratia, ceu septiformis fluvius, stolas ut illic sordidas lavemus Agni sanguine ». Ipse vero Christus, sicut primus Adam de Eva dicebat videndo Ecclesiam e latere suo natam: « Hoc nunc est os ex ossibus meis et caro de carne mea ».

Legimus in Apocalypsi quod senex ille dicebat Ioanni: « Veni et ostendam tibi Sponsam, uxorem Agni. Et vidi sanctam civitatem Ierusalem, novam, descendentem de caelo a Deo, paratam, sicut Sponsam ornatam viro suo ». Paulus autem scribebat ad Galatas: « Illa autem quae sursum est Ierusalem, libera est, quae

est *mater* nostra » quae incedit gaudens quia « induit eam Dominus, Sponsus eius » vestimentis salutis quasi Sponsam ornatam corona. Unde Sponsus dicit ei: « Ecce tota pulchra es amica mea et macula non est in te ». Haec autem omnia facta sunt a Parasceve ad diem Resurrectionis Domini.

In die autem Pentecostes Ecclesia, Sponsa Agni, a Spiritu sui Sponsi foecundata post orationem principis apostolorum coepit generare, ex aqua et Spiritu Sancto, pueros quibus nomen filiorum Dei imposuit. In posterum Mater Ecclesia suo divino Sponso iugata et Spiritu Sancto foecundata exercitura est ministerium maternae suae pietatis homines sanctificando per gratiam et ad finem eorum aeternum eos manu materna eos ducendo.

Ipsa piissima Mater Ecclesia ministerio hominum a Spiritu Sponsi sui consecratorum per sanguinem Sponsi tradit hominibus vitam eius, id est gratiam quae purificat, vivificat, sanctificat et salvat.

Etenim, virtute Sanguinis Sponsi et effusione Spiritus eius Mater Ecclesia in lavacro Baptismi generat filios aeterno Patri, quae appellantur membra Corporis Christi. Postea corroborat filios suos per sacramentum Chrismatis ita ut fiant testes firmissimi Sponsi eius, simulque nutrit et facit crescere pueros suos carne et sanguine Sponsi, lavat etiam maculas eorum in ipso Sanguine Sponsi, dum eligit e filiis suis illos quos vocat dispensatores mysteriorum Dei. Denique oleo sancto ungendo filios suos ad ultima huius vitae pericula feliciter adeunda non derelinquit eos sed pro eis rogat Dominum ut a peccatis solvantur et in aeterna tabernacula collocentur. Ipsa Mater Ecclesia assumit responsabilitatem formare ad imaginem sui Sponsi pueros suos organizando cyclum liturgicum per quem instruit eos, nutrit et associat adorationi Sponsi sui inculcando animae eorum gratiam et spiritum Dei. A teneris iam annis docet filiis suis veritatem revelatam totaliter inclusa in Sponso suo qui dicebat de se: « Ego sum veritas. Ego sum Lux mundi ». Insuper exhortatur filios suos ad honorandos, glorificandos et imitandos sanctos et sanctas et speciali modo Reginam eorum.

Non relinquit solos pueros suos in semitis huius saeculi ubi multa pericula expectant eos, conservando cum sollicitudine materna fidem, spem et caritatem in cordibus eorum simul cum omnibus aliis donis Dei, speciali autem modo imaginem divini Sponsi quae est summus thesaurus filiorum Dei.

Possunt inde filii sui dicere: « Omnia bona venerunt nobis pariter cum illa ». Ipsa pia Mater sine interruptione dicit ad filios suos verba apostoli: « Filioli mei quos iterum parturio donec formetur Christus in vobis » (*Gal.* 4, 19). Potest etiam adiungere: « Filioli mei, omnia vestra sunt et Pater aeternus et Filius meus Sponsus et Spiritus Sanctus et Mater Dei et Ecclesia, Mater vestra, etiam virtutes et exempla sanctorum, doctrina Patrum, doctorum et sanctorum, testimonium martyrum, zelus apostolorum et missionarium, omnia bona omnium saeculorum quae exstant in terris et in caelis, quia omnia facta sunt a Deo propter electos suos.

Amate ideo Matrem vestram Ecclesiam sicut ipsa amat vos cuius sola ratio existendi est salus vestra, felicitas vestra. Animadvertite ne Matrem vestram contemnatis considerantes eam non ut Matrem sed ut novercam. Sic facientes iugum subiectionis vestrae erit leve et suave, quia ubi amatur exstat unanimitas et conformitas voluntatum et cordium. Cavete vos a filiis meis qui cum levitate iudicant et condemnant et apud alienos calumniant Matrem eorum. Audite Matrem vestram quae desiderat videre omnes homines in sinu suo materno adunatos et congregatos. Etenim nomen meum originem trahit ab ipso Deo qui est caritas. Placet mihi

audire vos iterare verba filiae meae Theresiae a Iesu Infante: « In corde Ecclesiae desidero exercere officium amoris ».

Officium pastorum Ecclesiae est officium amoris quorum corda oportet esse ad imaginem cordis Ecclesiae Matris ut melius possint exercere auctoritatem paternam. Hic iacet secretum actionis pastoralis.

Ideoque humiliter propono ut in loco evidenti schematis de Ecclesia ponatur et sufficienter enucleatur aspectus Maternitatis Ecclesiae, qui est pars essentialis naturae suae et constituit simul fontem curae animarum quae locum suum habet in schemate speciali.

Loquor nomine septem Patrum in diversis regionibus degentium, munus missionarii exercentes.

De constitutione hierarchiae Ecclesiae.

Loquor nomine septem Patrum. In n. 16 pag. 27 cap. II schematis constitutionis de Ecclesia sermo fit de collegio episcopali eiusque capite. Commissio theologica censuit tangere unice aspectum socialem collegialitatis episcopalis. Sed cum Ecclesia sit vere mysterium fidei videtur quod, ad habendam perfectam notionem quaestionis tam gravis, praesertim nostris temporibus, non esset superfluum inquirere qualis est radix mystica et fundamentalis collegialitatis episcopalis ex qua ortum habet unitas Ecclesiae socialis.

Collegialitas eget aliquo principio quo alicuius coetus elementa coalescunt ut fiant unum. Videtur autem quod Sacerdotium Christi sit principium ontologicum et radix fundamentalis unitatis ex qua ortum habet, diversimode tamen, duplex collegialitas mystica et socialis.

Etenim, vi primae ordinationis sacerdotalis episcopus recepit iam a summo et unico sacerdote Christo, mediante unctione Spiritus Sancti, potestatem conficiendi Corpus Domini in sacramento eucharistico, cuius finis principalis est unitas, secundum illud apostoli « Unus panis unum corpus » et etiam secundum dictum S. Augustini de sacramento altaris quod est « signum unitatis et vinculum caritatis ». Sub hoc aspectu, ordinando presbyterum episcopus coniungit eum sacerdotio suo, cuius principalis scopus est oblatio sacrificii eucharistici. Haec ordinatio ad Corpus Domini conficiendum constituit principium unitatis simulque mysticae collegialitatis episcoporum, nam ante omnia episcopus est sacerdos vocatus a Deo et ab Ecclesia electus ut offerat sacrificium eucharisticum tam pro vivis quam pro defunctis.

Quia autem ex una parte summus sacerdos est unus et unicus et sacrificium et ex altera parte est unum et unicum, sequitur quod sub hoc aspectu sacramentali et mystico quod omnes episcopi et sacerdotes secundi ordinis ita inter se connectuntur ut fiat quaedam collegialitas et etiam aequalitas, secundum quam principium activum et ingenitum potestatis sacerdotalis est episcopus, presbyter vero elementum quod ortum habet a principali.

Notandum est hic quod ex hac primaria unitate et collegialitate pendet unitas totius Corporis Christi, nam si Ecclesia conficit Eucharistiam ipsa Eucharistia efficit unitatem Ecclesiae.

Et nunc sermo de unitate sociali collegii episcopalis.

Dictum est quod Sacramentum Eucharistiae, ad quod ordinatur principaliter sacerdotium est principium vitale quo unitas et collegialitas mystica et interna

episcopatus et presbyteratus constituitur et efficitur simulque vero unitas et fraternitas mystica et vitalis filiorum Ecclesiae.

Vi sacramenti ordinis efficitur aliquis et sacerdos et episcopus in duobus tamen temporibus. Nam praecedit presbyteratus, dignitas secundi et inferioris gradus et sequitur, pro aliquibus tantum, episcopatus, qui est gradus primus et superior. Non additur quidem secundus character sacramentalis, cum in ipso charactere sacerdotali virtualiter et in potentia invenitur potestas et dignitas episcopalis quae transeunt in actum interveniente consecratione episcopali.

Etenim Christus Dominus in ipsa sua Incarnatione fuit unctus Pontifex et Rex sed fuit proclamatus Rex a Patre in die suae Resurrectionis et in caelum Ascensionis expleto munere suo sacerdotali, oblatione facta Corporis et Sanguinis sui super lignum Crucis. Ideo regia potestas Christi connectitur cum sacerdotio suo sicut effectus ad causam suam.

Vi consecrationis sacramentalis episcopus consociatur regiae potestati et principatui Christi Regis ita ut Christus ministerio eius possit exercere ius magistri, sanctificare animas fidelium per manus suorum ministrorum administrando sacramenta praesertim Eucharistiam, et per eos regere Ecclesiam suam, secundum dictum apostoli ad maiores Ecclesiae Asiae « in quo, scil. grege, vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act.* 20, 28).

Attamen cum multi sunt pontifices, ut patet in hac aula, necessarium est quod omnes in unum coetum coalescant ad formandam unitatem socialem seu collegialem. Nam, Christus Dominus unam et unicam Ecclesiam aedificavit quam vocat « Ecclesiam suam » et « Regnum suum ». Non sufficit enim ut unitas haec sit mere interior et mystica. Ipse enim voluit ut unitas Ecclesiae sit evidens et socialis. Narrat autem Matthaeus quod post orationem nocturnam « convocatis Iesus duodecim discipulis dedit eis potestatem spirituum immundorum ». Et adiungit evangelista: « Duodecim autem apostolorum nomina sunt haec. Primus, Petrus, Andreas etc. » (*Mat.* 10, 1-2). Quaeritur nunc qua ratione impulsus evangelista scripsit Primus Petrus, et non scripsit secundus Andreas etc.? Ex una parte ponitur Petrus in loco conspicuo cum verbo Primus, ex altera parte ponuntur cumulatim nomina apostolorum.

Notandum autem est quod haec dignitas non est mere honoris causa, sed munus et officium a Domino impositum Petro ad bonum Ecclesiae. Quae omnia consonant cum aliis verbis Domini ut « Tu es Petrus et super hanc petram... Pasce oves meas... Confirma fratres tuos. Ego rogavi pro te ut non deficiat fides tua », quae ad Petrum tantum dicta sunt. Dominus enim voluit vicarium suum esse fortem et stabilem in fide quia praedestinavit eum fundamentum unitatis coetus apostolici et per consequens Ecclesiae suae. Exinde non sequitur quod Petrus sit seorsum seu separatim a fratribus suis apostolis, sed est membrum coetus apostolici, quia duodecim sunt omnes apostoli, omnes missi a Domino ad vineam suam, sed ex eorum unus praeeminet et est coryphaeus, caput scil. collegii episcopalis. Omnes unum collegium efformant et assumunt munus docendi, sanctificandi et regendi, sed inter illos unus, Petrus scil., pollet personaliter eadem potestate qua pollent omnes collegialiter, quia ipse est principium eorum unitatis et collegialitatis. Vi consecrationis episcopalis, quae communis est omnibus episcopis summo Pontifice non excepto, episcopus ascribitur et quodammodo incorporatur collegio episcopali cuius coryphaeus de iure divino est successor Petri. Etiam quando episcopo aliquo committitur directio seu regimen Ecclesiae localis seu dioeceseos epi-

scopus ille non regit dioecesim suam separatim a collegio episcopali, sed in communione cum fratribus suis episcopis universi. Haec veritas evidens est in concilio oecumenico ubi omnes episcopi sub capite eorum curam habent totius Ecclesiae.

Conclusio: Vi sacramenti ordinis Christus suo sacerdotio, cuius finis primarius est sacrificium eucharisticum, consociat presbyteros et episcopos qui personaliter et collegialiter ordinantur ad Corpus Domini conficiendum. Vi eiusdem sacramenti ordinis episcopi habent a Christo rege potestatem regiam ad formandum collegium unicum sub potestate suprema Petri.

17

EXC.MUS P. D. FIDELIS GARCÍA MARTINEZ
Episcopus tit. Sululitanus

Venerabiles Patres conciliares,

Meum votum versabitur circa cap. II, n. 19, pag. 29.

Omnibus [1] Patribus conciliaribus non ignotam esse credimus historiam, quam in Actis Concilii Vaticani I videre licet, *laboriosae quidem et per integros menses protractatae* [2] elaborationis formulae definitoriae infallibilitatis Romani Pontificis.

Cum schema constitutionis *de Ecclesia Christi* iam confectum et Patribus traditum esset, a die 21 ianuarii anni 1870, in quo obiectum seu extensio infallibilitatis Ecclesiae sufficienter determinata erant, pars maior, quae tandem unanimitas devenit, Patrum *Deputationis fidei* existimabant et melius et expeditius esse infallibilitatis Romani Pontificis obiectum seu extensionem definire per respectum ad infallibilitatem Ecclesiae — quae quidem infallibilitas Ecclesiae nullam in Concilio oppositionem suscitabat — id est asserendo simpliciter hoc obiectum seu extensionem infallibilitatis pontificiae eadem esse ac illa determinata pro infallibilitate Ecclesiae. Hac ratione, spes erat eliminandi novas discussiones, et occasiones, quibus profiteri possent adversarii infallibilitatis pontificiae, ad ulteriores promovendas difficultates seu dilationes. Iuxta hoc propositum, formula elaborata est a Deputatione fidei, die 2 maii anni 1870, in qua declarabatur: « Romani Pontificis infallibilitatis praerogativam ad idem obiectum porrigi, ad quod infallibilitas Ecclesiae extenditur »...[3]

Et haec formula, post varias discussiones et verbales correctiones ...[4], a Concilio approbata et promulgata est, die 18 iulii anni 1870, his terminis *tam notis* [5]: « Docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem... ea infallibilitate pollere qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit ».

Verum, si haec formula definitionem infallibilitatis pontificiae faciliorem reddere potuit, illud habebat *incommodum,*[6] quod ipsi quaestioni de obiecto seu extensione eiusdem infallibilitatis responsum directe non dabat, sed potius hoc procrastinabat, seu ad aliam occasionem remittebat. Ad quaestionem quae sit infallibilitas Romani Pontificis vel quae eiusdem extensio, Concilium respondet: eaedem quibus gaudet Ecclesia. At si rursus quaerimus: quae sit infallibilitas Ecclesiae vel eiusdem extensio, Concilium responsum non dat. Nam illud quod dare intendebat, immo quod paratum iam habebat, ob notam eius ex causis externis suspensionem, nec definitive approbare nec promulgare potuit. Unde ipsa Romani Pontificis definita infallibilitas incompleta et quasi pendula remansit.

Et hanc deficientiam vel hanc absentiam debitae responsionis in Concilio Vaticano I supplere inter prima proposita huius Concilii Vaticani II computandum esse putamus.

Forsan dici poterit, laudatum responsum datum iam esse a tota theologia catholica. Certe doctrina fuit semper, permanens et moraliter unanimis, huius theologiae catholicae, consona cum doctrina et praxi Magisterii ...[7], obiectum infallibilitatis Ecclesiae tantum patere, quantum patet depositum revelationis, nec solum circa ea quae in dicto deposito explicite seu formaliter apparent, sed circa ea etiam quae in ipso nonnisi implicite seu virtualiter continentur, i. e. circa ea omnia quae cum formaliter revelatis necessario nexu interno connexa sunt.

Et haec doctrina, non solum a theologis docetur ut certa omnino et proxima fidei, sed et non paucis videtur iam de fide, utpote a magisterio ordinario universali definita. Deest tamen definitio solemnis Concilii oecumenici, ad omne dubium tollendum, et ut decet complemento debito definitioni solemni Concilii Vaticani I.

Unde hisce omnibus praemissis, approbationi huius sacrosancti Concilii oecumenici emendationem sequentem reverenter subicimus:

In cap. II, n. 19, pag. 29, lin. 40, post verba « Concilium ea infallibilitate pollet qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definiendo doctrinam de fide et moribus instructam esse voluit », addatur: « Obiectum autem huius revelatae infallibilitatis Ecclesiae haec sacrosancta oecumenica Synodus profitetur et docet: tantum patere quantum revelationis patet depositum, et eiusdem custodiendi et explicandi seu enucleandi officium, unde tam in veritatibus in se aut expresse in ipso deposito contentis, quam in veritatibus cum his necessario connexis definiendis, et oppositis erroribus supremo iudicio damnandis, magisterium Ecclesiae, ex assistentia Spiritus Sancti, infallibile esse declaramus».

Haec nostra formula nihil aliud est nisi expressio concisa doctrinae

a Patribus Concilii Vaticani I iam paratae ad eiusdem definitionem, ut constat in actibus ipsius Concilii, quorum textus ob temporis defectum hic referre non possum sed secretariatui tradam.[8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ut iam alias diximus, rev.mis [2] deest. [3] Mansi, tom. 53, col. 240-244. [4] Mansi, tom. 53, col. 240-286. [5] deest. [6] inconveniens. [7] Ut unum saltem textum exhibeamus, sequentem sumimus ex enc. *Humani generis*: « Hoc sacrum magisterium, in rebus fidei et morum, cuilibet theologo proxima et universalis norma esse debet, utpote cui Christus Dominus totum depositum fidei... et custodiendum et interpretandum concredidit... Deus Ecclesiae suae magisterium vivum dedit, ad ea quoque illustranda et enucleanda, quae in fidei deposito nonnisi obscure ac veluti implicite continentur ». Iuxta Divum Thomam (in IV *Sent.*, d. XIII, q. e, a. 1) *contineri implicite* dicitur de conclusione theologica: « Et quia quaedam sunt quae in fide Ecclesiae implicite continentur, ut conclusiones in principiis... ». Idem S. Doctor (*Quodl.* l. 9, a. 16), ubi quaerit quibus in rebus Ecclesia sit infallibilis, respondet: « in iis quae ad fidem pertinent »; et (II-II, q. XI, a. 2) addit: « ad fidem aliquid pertinet dupliciter, uno modo directe et principaliter, sicut articuli fidei; secundo modo indirecte et secundario, sicut ea ex quibus negatis sequitur corruptio alicuius articuli; et circa utraque potest esse haeresis, eo modo quo et fides ». [8] 3. *Nonnulli textus...* manum imponat (*cf. vol. II, Pars I, pag. 666-668*).

Animadversiones additae:

Multa et optima a pluribus Patribus dicta sunt circa collegium episcoporum. Hoc collegium, quod ab aliquibus dicitur corpus, vel coetus, vel ordo successorum collegii apostolici — quaestio de nomine accidentalis est dummodo in substantia rei consensus detur — et a S. Scriptura et a traditione et a theologia probatur, cum in ipso tria elementa inveniantur, quae requiruntur et sufficiunt ad verum collegium constituendum, nempe: *seiunctio* ex aliqua nota specifica, qua ii qui collegium constituunt ab aliis ad ipsum non pertinentibus seiungantur, in episcopis successio apostolica et consecratio sacramentalis; *communitas finis*: in episcopis finis ab ipso Christo assignatus: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae, docentes... » etc.; *communitas mediorum* ad talem finem adsequendum, praedicatio Evangelii, administratio sacramentorum, ministerium pastorale, « quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo, et quaecumque solveritis super terram... » etc. (*Mt.* 18, 18).

In eo quod attinet ad nomen collegii, commune etiam in linguis vernaculis ad designanda instituta humana, quae haec tria elementa, etsi non ita perfecta, possident: collegia notariorum, collegia advocatorum, collegia medicorum, etc., et a Ss. Patribus et a theologis et a Summis Pontificibus usitatum iam est.

Obiiciunt tamen aliqui: si hoc collegium ab ipso Christo institutum est, sive iuris divini dicendum, quomodo non permanenter auctoritatem suam, seu missionem universalem a Christo receptam supra totam Ecclesiam exercet, sed, ad summum, in Concilio Oecumenico tantum, vel in Conciliis particularibus supra aliquas determinatas regiones, vel unusquisque episcopus in sua assignata dioecesi?

Cum homines eorumque actio et tempore et spatio necessario limitati exsistant, lex, quae dicitur divisionis laboris, exigit ut labor cuiuslibet collegii ab ipso colle-

gio vel eius capite inter membra eiusdem collegii distribuatur, prout adiuncta et locorum et temporum suadeant. Et hoc Christus, cum evangelizationem et sanctificationem et regimen pastorale universale collegio apostolorum cum eiusdem capite Petro et eorum successoribus commisit, non solum non prohibuisse sed et praevidisse et voluisse dicendus est.

Commissio universalis iuris divini est; distributio laboris iuris ecclesiastici. Sed cavendum ne hoc ius ecclesiasticum iuris divini commissionem seu intentionem penitus ignoret aut ad nihilum redigat.

Res exemplo lucescet: Sacerdotes omnes in sua ordinatione potestatem accipiunt remittendi peccata: « accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, remittuntur ei... » etc. Et iuris divini est. Nihilo minus haec potestas limitari potest iure ecclesiastico ad certum tempus, ad certa loca, ad certas personas. Sed contra mentem illius iuris divini esset quod omnium sacerdotum potestas absolvendi peccatores et tempore, et loco, et personis ita limitaretur, ut practice inexistens evaderet.

Haec sufficiant cum tempus plura addere non permittat.

De charismate infallibilitatis in Ecclesia Christi.

Quaedam veritates seu principia fundamentalia.

Ecclesiam Christi, in rebus fidei et morum, infallibilem esse, dogma est fundamentale, a tempore apostolico, in ipsa Ecclesia; unde haec meruit appellari « columna et firmamentum veritatis »; quin huius dogmatis sollemnis definitio necessaria fuerit, cum haec veritas praevium suppositum iam sit omnis infallibilis definitionis.

Iamvero, huius infallibilitatis duplex subiectum a Ss. Patribus et theologis distingui solet: Ecclesia docens, et Ecclesia discens seu credens. Haec Ecclesia discens constituitur universalitate christifidelium, qui Corpus Christi mysticum efficiunt, ipsis non exclusis qui ministri fuerint in Ecclesia docente, cum hi quoque eamdem fidem profiteri debeant quam universa profitetur Ecclesia.

Ecclesia docens constituitur, ex divina institutione, collegio successorum apostolorum, i. e., episcopis. Haec Ecclesia docens, sicut omnes ministrationes in Ecclesia Christi, in bonum eorum qui credituri sunt ordinata est, ut gentibus doctrinam Evangelii praedicaret, et in iam credentibus Christi fidem sancte custodiret et fideliter exponeret; in quo munere implendo, ipse Christus suam efficacem praesentiam promisit usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 20).

Hanc traditionalem et semper in Ecclesia vigentem doctrinam, de duplici subiecto charismatis infallibilitatis, ita paucis declarat, ut unum saltem maximi ponderis theologum citemus, S. Doctor Bellarminus: « Cum dicimus Ecclesiam non posse errare, id intelligimus tam de universalitate fidelium, quam de universalitate episcoporum, ita ut sensus sit eius propositionis *Ecclesia non potest errare,* i. e.: id quod tenent omnes fideles tanquam de fide, necessario est verum et de fide; et similiter, id quod docent omnes episcopi tanquam ad fidem pertinens, necessario est verum et de fide » (*De Ecclesia Militante,* lib. III, cap. 14).

Accuratior explicatio constitutionis Ecclesiae docentis.

Haec Ecclesia docens constituitur, ut nuper diximus, collegio episcoporum, quod successor est collegii apostolici. Iamvero, in collegio apostolorum, ex ipsa institutione Christi, non omnes fuerunt aequales, sed Petrus primatum tenuit et caput fuit ipsius collegii. Unde in collegio episcoporum, pari modo, non omnes

sunt aequales, sed episcopus romanus, successor Petri, primatum inter ipsos tenet et caput est ipsorum collegii, ac infallibilitate quoque per se pollet; non quidem personali, sed tunc solum cum, ut supremus pastor et doctor pro tota Ecclesia, doctrinam de fide vel moribus definitorio actu [1] proclamat.

Haec doctrina de primatu et infallibilitate R. Pontificis, ab aliquibus in decursu saeculorum in dubium vocata, a Conc. Vaticano I sollemniter et definitorio modo proclamata est; unde non est cur in hoc amplius immoremur.

At quaedam apud aliquos manere videtur obscuritas, seu non sufficiens explicatio, circa mutuas relationes inter has tres infallibilitates in eadem Ecclesia Christi: infallibilitatem R. Pontificis, infallibilitatem collegii episcoporum et infallibilitatem Ecclesiae discentis seu credentis. Suntne inter se independentes?; quaenam earum prior seu maior est?; casu oppositionis, quaenam praevalere debet?

Haec ultima quaestio similis illi est, qua nonnulli antiqui scholastici tempus terere solebant, scil.: casu quo magisterium Ecclesiae aliquid definiret contrarium S. Scripturae, cui potius credendum esset, magisterio an Scripturae?

Verum hae hyptheses absurdae sunt, cum infallibilitas infallibilitati, seu veritas veritati contrariae esse non possint; aliis verbis, cum istae hypotheses componi non possint cum promissa a Christo Ecclesiae suae usque ad consummationem saeculi indefectibilitate. Nam Ecclesia, in qua caput eius visibile, R. Pontifex, separatum esset in doctrina fidei, quae fundamentum et radix est eiusdem vitae supernaturalis, a collegio episcoporum ab ipso Christo instituto, aut a corpore universitatis fidelium; vel haec universitas fidelium separata, in illa doctrina fidei, a collegio episcoporum aut eiusdem capite, iam non essent vera Christi Ecclesia, Corpus eius mysticum, unum et vivum, sed discerptae reliquiae alicuius cadaveris. I. e., actum esset de vera Christi Ecclesia. Hae ideae infra erunt magis evolvendae, sed antea quamdam difficultatem historicam oportet solvere.

Responsum datur cuidam difficultati historicae.

Dicet forsan aliquis: nonne aliquoties, e. g., in Conciliis oecumenicis Constantiensi et Basileensi, aperta oppositio doctrinalis data est inter R. Pontificem et episcopatum ipsius Ecclesiae catholicae?

Non est huius loci accuratam dissertationem texere circa historiam et valorem horum Conciliorum; pauca notabimus ad rem nostram pertinentia. Ac, in primis probe distinguere oportet, id quod frequenter obliviscitur, inter Concilium, sive particulare sive generale seu oecumenicum, et collegium episcoporum.

Concilium institutum quoddam est iuris ecclesiastici, et perutile et commendandum, saltem in quibusdam circumstantiis, sed Ecclesiae non absolute necessarium. Unde Concilium oecumenicum, ut legitimum sit et valorem canonice oecumenicum habeat, a R. Pontifice, qui illud suspendere vel dissolvere potest, convocari et approbari vel saltem ab ipso seu Ecclesia universali recipi debet.

Collegium vero episcoporum institutum est iuris divini, in Ecclesia Christi indeficiens, sicut indeficiens est ipsa Ecclesia, cum episcopi successores sint apostolorum, participes promissionis ab ipso Christo apostolis factae: « Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20).

---

[1] I. e., non aliquo quasi habitu vel facultate infallibili permanenter gaudens, sed, ut recte dicebat relator Gasser, in Conc. Vaticano I (Mansi, tom. 52, col. 1213): tunc solummodo « quum munere supremi iudicis in controversiis fidei et universalis Ecclesiae doctoris *reipsa et actu* fungitur ».

Hoc episcoporum collegium constituitur omnibus et singulis episcopis intra unitatem Ecclesiae existentibus. Ex viginti autem Conciliis oecumenicis hucusque celebratis, nullum eorum omnes, saltem moraliter, orbis catholici episcopos congregavit; immo, uno alterove forsan exceptis, nec maiorem quidem partem, sed minorem, vel etiam minimam.[2] Unde si valorem oecumenicum canonice adepta sunt, id R. Pontificis approbationi vel universalis Ecclesiae acceptationi tribuendum erit. In his, quae nec a Pontifice approbata nec ab Ecclesia recepta, nullus valor oecumenicus vel definitorius agnosci poterit, nec ulla authentica repraesentatio veri sensus seu doctrinae collegii episcoporum; nisi forte in ipso Concilio universum, saltem moraliter, collegium episcoporum de facto praesens fuerit.

In eo quod attinet in concreto ad Concilia Constantiense et Basileense, ex summatim dictis in praecedente nota 2 clare patet, non agi in illis de oppositione doctrinali inter collegium episcoporum et Apostolicam Sedem, sed, ad summum, inter hanc Sedem Apostolicam et quamdam minorem vel minimam partem episcopatus universalis Ecclesiae; quae quidem minor vel minima pars huius episcopatus, bona voluntate ducta finem imponendi tristissimae conditioni Ecclesiae, ob magnum schisma occidentale, erravit quidem in mediis eligendis seu in modo procedendi; licet, si hoc inexcusabilis, non tamen, coram Deo et historia, ipsa *maius peccatum* habuisse videatur.

---

[2] Notum est, in octo prioribus Conciliis oecumenicis, episcopos Ecclesiae occidentalis minimam vel nullam habuisse praesentiam. Sic v. g., in Conc. Nicaeno I, quinque solummodo episcopi ex occidente praesentes fuerunt; quinque similiter in Conc. Calcedonensi; nullus in Conc. Constantinopolitano I. In reliquis Conciliis oecumenicis, exceptis forsan Vaticano I vel etiam Lateranensibus III et IV, maior, vel etiam maxima, pars episcoporum absens fuit.

Circa Concilia Constantiense et Basileense haec notanda. Primum a pseudo-Pontifice convocatum, et in quo non a singulis episcopis, sed per nationes suffragia ferebantur, et ius suffragandi habebant etiam clerici inferiores, et doctores, et plures saeculares procuratores regum vel principum, etc., quorum numerus numerum episcoporum multum superabat, iam ab initio indolem potius habuit conventionis cuiusdam democraticae, quam veri Ecclesiae Concilii.

Non est facile numerum episcoporum, qui in Concilio praesentes fuerunt, determinare. Cum sessionibus assistentes globatim numerentur, discerni non potest, quot eorum dignitate episcopali gaudeant. Sic, v. g., in sessione V, in qua doctrina de suprematia Concilii supra Papam proclamata fuit, 200 praesentes computantur. At, cum aliunde constet, ut nuper dictum est, clericos, doctores, etc., suffragium etiam habentes, numerum episcoporum multum superare, verisimile est hos numerum centesimum non attigisse. Quidam chronista illius temporis loquitur de circiter ducentis episcopis in sollemni Concilii inauguratione; sed forte non pauci discesserunt. Etiam admisso hoc numero ducentesimo, quartam partem non attingeret episcoporum Ecclesiae, cum sedes episcopales, tunc temporis existentes, numerum octingentesimum superaret (cf. P. B. GANS, *Series Episcoporum Ecclesiae Catholicae,* Ratisbonae 1873; C. EUBEL, *Hierarchia Catholica Medii Aevi,* Monasterii 1912, vol. I-II).

De C. Basileensi eadem fere dici possunt ac de C. Constantiensi; sed numerus episcoporum multo inferior fuit. In sessione III, in qua decretum de suprematia Concilii renovatum fuit, decem episcopi praesentes fuerunt; et in sessione XXXIV, cum iam schismatice procedens Papam Eugenium IV deponere praesumpsit, septem tantum episcopi.

De necessaria concordia et mutua coordinatione triplicis infallibilitatis in Ecclesia Christi.

In collegio successorum apostolorum R. Pontifex, successor Petri, caput est ipsius collegii et petra Ecclesiae fundamentalis, perpetuum in ea unitatis fidei et communionis principium; unde haec duo, collegium et ipsius caput, ex institutione Christi, inseparabilia sunt, cum caput sine membris aut membra sine capite functione et vita careant.

Inde etiam triplex illa infallibilitas: R. Pontificis, collegii episcoporum, et Ecclesiae discentis, nunquam inter se oppositae esse poterunt; cum separatio inter corpus Ecclesiae, eiusdem membra superiora, episcopos, et caput visibile, R. Pontificem, ipsam constitutionem divinam Ecclesiae et ipsius proinde existentiam destrueret.

E contrario, triplex laudata infallibilitas, Spiritu Sancto assistente aut ducente, ad mutuam confirmationem et mutuam pleniorem efficaciam ordinari dicendae sunt. Sic, cum populus fidelis vel episcopi per orbem dispersi de aliqua fidei veritate, vel non plene consentiunt vel maiorem exquirunt certitudinem, R. Pontifex, ut historia docet, suprema sua auctoritate rem, pro opportunitate, solemniter definit. At idem R. Pontifex, ut alias historia docet, et quidem in recentioribus temporibus, cum iam infallibilitas Pontificia solemniter definita fuerat, fidem episcoporum et populi christiani exquirere curavit, priusquam ad definitionem procederet.

Deque hac universali fide episcoporum et populi christiani, ita loquitur constitutio apostolica *Munificentissimus Deus*: « Haec singularis catholicorum antistitum et fidelium conspiratio... cum concordem Nobis praebeat ordinarii Ecclesiae magisterii doctrinam concordemque christiani populi fidem... idcirco *per semetipsam* ac ratione omnino certa ab omnibus erroribus immuni manifestat... veritatem esse a Deo revelatam in eoque contentam divino deposito quod Christus tradidit sponsae suae fideliter custodiendum et infallibiliter declarandum ».

Haec, igitur, mutua et necessaria concordia inter doctrinam R. Pontificis, doctrinam universalis episcopatus per orbem dispersi, et fidem populi christiani, non aliqua structura mere iuridica suffulta, sed indefectibili promissione assistentiae Spiritus Sancti firmata, potius quam triplex infallibilitas, una infallibilitas dici posset triplici modo manifestata: infallibilitas Ecclesiae Christi, quae « columna est et firmamentum veritatis ».[3]

Inde consequens: semper ac constet de aliqua ex hac triplici manifestatione, certi esse possumus quod et aliae duae concordes cum ipsa erunt, saltem tacite seu implicite; simili modo hac omnes fideles credimus omnia quae docet et credit sancta Ecclesia catholica, etsi aliqua ipsius dogmata actu ignoremus, vel haec explicite non profiteamur.

Quaedam doctrinae hucusque expositae applicatio:

Ideo minus placet formula qua, in cap. II n. 19, linn. 29-33, infallibilitas episcopatus per orbem dispersi definitur. Ut haec infallibilitas detur, tria exigit dicta formula: *a*) ut episcopi sint « collegialem nexum servantes » id est, si recte interpretamur, ut sint in communione cum ceteris membris collegii et eiusdem

[3] Ipsum Conc. Vaticanum I infallibilitatem R. Pontificis, per comparationem ad hanc unam Ecclesiae infallibilitatem declarat: « definimus R. Pontificem... ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam... instructam esse voluit ».

capite; *b*) ut « testes fidei in revelata fide tradenda in unam sententiam conveniant »; *c*) ut doceant « una cum Romano Pontifice ».

Admissis duobus prioribus requisitis, quid his verbis « una cum Romano Pontifice » significari intenditur?; doctrinam episcoporum doctrinae R. Pontificis contrariam esse non debere? Certe, infallibilitas infallibilitati contradicere non potest. Verum, quid si circa illam doctrinam nulla adhuc a R. Pontifice prolata fuerit sententia? En casus de quo non raro in historia dogmatum.

Et de eodem quidem agebatur in textu nuper citato ex constitutione apostolica *Munificentissimus Deus,* in quo ipse R. Pontifex, priusquam ad suam definitivam sententiam deveniat, immo ut principale fundamentum huius definitionis, concordem magisterii ordinarii universalis episcoporum et populi christiani fidei conspirationem, immunem *per semetipsam* ab omni errore declarat.

Hoc ipsum, et expressis verbis, docebat Pius IX in litteris *Tuas libenter* (Denz.-Bannw., n. 1683): « Namque etiam si ageretur de illa subiectione, quae fidei divinae actu est praestanda, limitanda tamen non esset ad ea, quae expressis oecumenicorum Conciliorum aut Romanorum Pontificum huiusque Sedis decretis definita sunt, sed ad ea quoque extendenda, quae ordinario totius Ecclesiae per orbem dispersae magisterio, tamquam divinitus revelata traduntur ». His verbis, distinctione facta inter magisterium Romanorum Pontificum et magisterium episcopatus per orbem dispersi, eadem pro utroque asseritur infallibilitas et idem assensus fidei divinae eorum decretis seu doctrinis — dum definitorio, ut patet, modo docent — praestandus ».

Supra vidimus textum S. Bellarmini in quo eadem doctrina, quae communis est et theologorum et Ss. Patrum, compendiose sed perlucide affirmabatur.[4]

Et haec sufficiant in re in qua et auctoritates et citationes textuum sine fine protrahi possent.

De mutuis relationibus inter potestatem Romani Pontificis et potestatem collegii episcoporum in regimine Ecclesiae a Christo instituto.

Theologus, qui naturam regiminis a Christo instituti in gubernatione Ecclesiae investigare velit, id primum conari debet ut, abiecto quovis praeiudicio hausto ex structuris constitutionalibus vel iuridicis quas in usu novimus in historia civilium statuum vel regiminum, notiones exclusive quaerat in authenticis revelationis fontibus, in Evangeliis seu Scriptura et in traditione.

Etenim in regimine Ecclesiae Christi, praeter elementa humana rationis naturalis, praeter constructiones iuridicas, praeter considerationes historicas vel psychologicas individui vel collectivi hominis, praeter id genus cetera, dantur alia elementa supernaturalia vel pneumatica, inter quae eminet promissa Sancti Spiritus assistentia, semper influens, interdum efficacia indefectibili operans: Spiritus enim est qui praecipue et ab intra Ecclesiam regit, nihil obstantibus illis hominum deficientiis quae, ut humana servetur libertas, a Deo permittuntur, quin ideo labefac-

---

[4] Ipse Bellarminus rationem reddit, cur doctrina universalis episcopatus per orbem dispersi infallibilis sit, utpote necessario coniuncta cum infallibilitate in credendo Ecclesiae discentis: « Si omnes episcopi errarent, tota Ecclesia erraret, quia tenentur populi sequi pastores, dicente Domino (*Lc.* 10, 16): *qui vos audit me audit* » (*De Ecclesia Militante,* lib. III, cap. 14).

tetur Ecclesiae perduratio atque essentialis constitutio usque ad consummationem saeculorum.

Regimina statuum civilium, cum his elementis pneumaticis minime funciantur, committere debent ordinem et sui ipsius tutelam rectae structurationi elementorum humanorum, neque id ipsum, quantumvis prudentissime ac perfectissime excogitatum sit, potuit umquam vel laetifera discrimina vitare vel perennitatem suae vitae tueri.

Studium igitur investigantis theologi in id praecipue intendat necesse est, quid potissimum a Christo in regimine Ecclesiae constitutum sit, omissis interea quid ex ea constitutione derivari potuerit, vel quaenam quaestiones difficiliores inde enatae sint, persuasum tamen habendo esse aliquam rationem illius dispositionis, esse quoque solutionem harum quaestionum, etiamsi eas theologus nondum perspiciat: et non ideo sibi licere sententiam Christi vel minime a vero suo sensu torquere, ut proprius accedat solutioni quaestionum, quae ipsi sola possibilis apparet.

Sequentes ergo ea quae praemisimus, investigare iam liceat, sincere et rerum obiectivitati conformiter, quid Christus constituerit in Ecclesiae regimine,[1] usque ad mundi consummationem duraturo. Sed ob eam brevitatem maximam quam tempus et locus postulant, tum textus ipsos tum ipsorum commentarium, ad essentialia constringemus et sub aspectu theologico tantummodo.

Iesus Christus instituit in Petro et in eius successoribus primatum iurisdictionis in universam Ecclesiam et in singula eius membra.

Evangelici textus, prout eos traditio intellexit et Concilium Vaticanum I — hunc primatum definiens — ratos habuit, sunt absoluti: « Tu es Petrus et super hanc Petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni caelorum. Et quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis; et quodcumque solveris super terram erit solutum et in caelis » (*Mt.* 16, 18-19). « Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus confirma fratres tuos » (*Lc.* 22, 32). « Pasce agnos meos... pasce oves meas » (*Io.* 21, 15-17).

Immorandum nobis non est in explicandis his textibus, nam eorum vis et ipsa definitio vaticana hanc doctrinam extra catholicorum disceptationem posuerunt; transeamus potius ad id quod Concilium Vaticanum I, immature et vi conclusum, non potuit sollemniter definire, quod tamen speramus fore ut Concilium Vaticanum II faciat. Id, quod, in suis elementis substantialibus, doctrinam saltem *proximam fidei* reputamus, vel etiam magisterio ordinario universali definitam, hoc modo exprimendum censemus: Iesus Christus instituit in collegio[2] apostolorum (quorum Caput Petrus est) et in eorum successoribus praeter

---

[1] Egimus in alia lucubratiuncula *De charismate infallibilitatis in Ecclesia Christi*, i. e., in Romano Pontifice et in episcoporum collegio: nunc ergo agemus tantummodo de potestate iurisdictionis vel gubernii in utroque.

[2] Cum nobis quaestiones de nomine vel inutiles vel minoris momenti sint, quodcumque vocabulum quo successores apostolorum collective designari solent: *collegium, corpus, ordo, coetus,* acceptari posset, modo conveniamus in rem signo repraesentatam. Res autem his tribus notis definiri potest: 1) nota quadam specifica qua membra huius collectivitatis discernuntur ab aliis non pertinentibus ad ipsam: haec nota in casu est

missionem praedicandi Evangelium et omnes homines sanctificandi, missionem gubernandi Ecclesiam a se conditam.

Id Christus egit forma sollemnissima: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra: euntes ergo docete omnes gentes; baptizantes eos in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti; docentes eos servare omnia quacumque mandavi vobis; et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 18, 18-20). Eamdemque substantialiter rem, narrat S. Marcus.[3]

Quibus verbis Christi ad apostolos, expresse significantur potestates magisterii et sanctificationis, quae implicite secum ferunt potestatem iubendi seu gubernandi; affirmatur praeterea transmissio istarum facultatum in collegii apostolici successores, siquidem eadem missio quae illis committitur et praesentia ipsius Christi cum illis mansurae erunt usque ad consummationem saeculorum.

Sed potestas iurisdictionis in gubernando confertur eis alias praeterea, et quidem expresse, ipsis verbis quibus Petro commissa erat: « Amen dico vobis: quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo » (*Mt.* 18, 18). Quam potestatem iurisdictionalem gubernandi in episcopis, successoribus apostolorum, eis divinitus communicatam, expresse Concilium Tridentinum asserit (Sess. XXIII, cap. 4): « Proinde sancta Synodus declarat, praeter ceteros ecclesiasticos gradus, episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum gradum praecipue pertinere, et *positos* (sicut idem apostolus ait) *a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei* ». Idque passim invenitur in magisterio ecclesiastico.

Est igitur in Ecclesia Dei, et iuxta institutionem ipsius Christi, duplex subiectum potestatis iurisdictionalis ad regendam seu gubernandam Ecclesiam: Romanus Pontifex, Petri successor, et episcopi collective, « qui a collegio apostolorum originem ducunt eiusque veri sunt haeredes », ut verbis utamur Pontificis feliciter regnantis, Pauli VI (in allocutione ad Patres Conc. Oecumenici Vaticani II, die 29 septembris 1963).

Sed hic duplex aperiri videtur quaestio vel duplex explicatio postulari. Prima quaestio: Quomodo solvitur possibilis conflictus inter haec duo subiecta unius potestatis iurisdictionalis, collatae ab ipso Christo? Altera quaestio: Qua ratione coordinari debet exercitium huius potestatis regiminis seu gubernii, ita ut alterum subiectum ab altero non supprimatur?

Plura de his dici, explicari vel enucleari possent, sed quae simpliciora et tutiora sunt persequamur.

Quod ad primam quaestionem attinet, praemissa illa distinctione quam iam fecimus et explicuimus in lucubratiuncula *De Charismate infallibilitatis in Ecclesia Christi,* conciliorum particularium vel oecumenicorum (in quibus numquam ad-

---

successio apostolica et consecratio episcopalis; 2) munere vel missione communi (quam descripsimus), a Christo tradita; 3) instrumentis communibus ipsius missionis, quales sunt facultates a Christo commissae. Huiusmodi sunt notae quas, etsi minus perfecte, habent hodie alia collegia societatum civilium, exempli causa; medicorum, architectorum, advocatorum; i. e., specialis titulus, munus commune, instrumenta seu media communia. Ideo ex diversis vocabulis *collegium* selegimus, quia alia, vel nimis generica sunt vel captui hominum minus intelligibilia.

[3] « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae. Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit, etc. » (*Mc.* 16, 15 ss.).

fuit nisi pars vel minor vel etiam minima totius episcopatus), quae concilia ut talia instituta sunt iuris ecclesiastici, et collegium episcoporum, seu episcopatum Ecclesiae universae, qui est institutionis divinae, praemissa — inquam — hac distinctione Concilii ab episcopatu, negamus simpliciter hypothesim, id est, posse dari umquam talem conflictum inter Pontificem et episcopatum. Id tunc rationibus confirmavimus, idemque nunc repetere placet, verbis J. Kleutgen, potioris theologi in redigendo schemate reformato *De Ecclesia* in Concilio Vaticano I; qui ita dicit (Mansi, tom. 53, col. 322): « Animadvertendum est, si per corpus episcoporum non intelligantur episcopi in Concilio congregati, sed omnes per orbem terrarum dispersi, accidere numquam posse, in iis quidem rebus in quibus ecclesia errare et deficere nequit, ut corpus episcoporum, hoc est, omnes aut fere omnes episcopi, a papa dissentiant. Hoc infertur primo ex promissione divina, ecclesiam perpetuo duraturam. Corpore enim a capite disiuncto periret. Infertur deinde ex assistentia divina ut Petro, ita corpori apostolorum promissa, verbis " Ecce ego vobiscum sum, etc. ". Quemadmodum enim promissio Petro facta falleret, si Romanus Pontifex ex cathedra loquens erraret; sic promissio collegio apostolorum facta, si totum corpus episcoporum in errorem laberetur ».

Solutio alterius quaestionis est magis obvia et naturalis, si ita loqui fas est, licet fortasse longiorem expositionem exigat. Cum homines sint omnes, quoad facultates et capacitatem laborandi, limitati, peculiariter quidem limitati quoad tempus et spatium, quoties quaelibet hominum collectivitas aggredi debet rem spatio et tempore nullatenus limitatam, perficiat eam necesse erit per personarum substitutionem et per laboris divisionem inter membra.

In ipso collegio apostolico, ipsa evangelizatio mundi dispertienda fuit, susceptis a quoque apostolo aliqua vel aliquibus regionibus, et designatis, post ipsorum mortem, successoribus illorum in iisdem regionibus.

Ipse S. Paulus, qui in plures regiones Evangelium dilatavit, curavit vivens ut, in aliquibus saltem regionibus, aliquis ex discipulis suis ecclesiis conditis praeesset. Quae necessitas laborem dispertiendi, crescente catholicitate Ecclesiae per universum mundum, pariter crevit.

Nullus Romanus Pontifex, licet universa iurisdictione in Ecclesia gaudeat, poterit eam unus gubernare: neque id posset per simplices delegatos; illud gubernium seu regimen, voluntate Christi episcopis concreditum est. Quae est quaedam limitatio potestatis Pontificis.

Nulla humana potestas, quantumvis suprema et plenaria dicatur, limitatione caret. Neque collegium episcoporum neque ipse Summus Romanus Pontifex, praeterquam quod legi naturae et positivo-divinae subiiciuntur, possunt, e. g., definire ullam veritatem quae non contenta sit, saltem virtualiter, in deposito revelationis; etenim, ut dicitur in Conc. Vaticano I (Denz.-Bannw., n. 1836) assistentia Spiritus Sancti promissa illis tantummodo est ut « traditam per apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent »; nec possent mutare substantiam sacramentorum aut eorum numerum minuere vel augere; nec possent — ut in casu nostro — episcopatum a Christo institutum supprimere ut Ecclesiam potius per delegatos pontificios gubernarent.

Poterunt quidem exercitium huius gubernii episcopalis quibusdam normis constringere, iuxta varietates personarum, locorum, temporum, quae omnes sunt circumstantiales; semper vero vitandum erit ne illud moderamen detrahere, impedire vel supprimere velit efficaciam illius regiminis episcopalis, sed potius id tutius

et efficacius reddat; ita tandem ut haec maior tutela et efficacia ratio fiat illarum normarum quae exercitium potestatis delimitare possent.

Iam vero, possuntne omnes normae quibus exercitium episcopalis iurisdictionis hodie regulatur, peculiariter in Ecclesia occidentali, hac potissimum ratione iustificari? Velit Spiritus Sanctus Summum Pontificem et Concilium illuminare in re tanti momenti pro vita totius Ecclesiae Christi.

Ut rem clarius concludam, exemplum afferam in materia gravissima, quo et status, ut ita dicam, quaestionis et via ad eiusdem solutionem magis clarescant.

Denominatio magistratuum in omni societate quae plenaria vel perfecta auctoritate gaudeat, munus est ipsius societatis, id est, illorum qui in ipsa vel fons auctoritatis sunt vel organum quo auctoritas illa exercetur. Cum vero Ecclesia societas sit non democratica sed hierarchica, in qua auctoritas, ex ipsa sua indole supernaturali, non deorsum venit, ex populo, sed desursum, ab ipso conditore Iesu Christo, designatio magistratuum seu ministrorum, i. e. episcoporum, competit hierarchiae ab ipso Christo constitutae.

Notum est primaevis Ecclesiae temporibus designationem episcoporum per metropolitas et per episcopos comprovinciales fieri, admisso etiam quodam minore vel maiore cleri et populi interventu.

Canone autem 4 Concilii I Nicaeni absolute statuitur ut episcopus ab omnibus episcopis comprovincialibus eligatur, a metropolita confirmetur, consecretur saltem a tribus episcopis.

Procedente tempore, prout interventus cleri et populi, qui potius ad modum informationis fiebat, evanuit, eius locum occupavit interventus — saepe per abusum — imperatorum vel regum.

Saec. autem XIII designatio episcoporum transiisse iam plerumque apparet ad Capitula cathedralitia. Tantummodo a saec. XIV, asserit canonista Wernz (*Ius Canonicum* Romae 1943; tom. II *De Personis*; tit. 8, cap. I, n. 592): « Romani Pontifices sibi coeperunt reservare provisionem canonicam episcoporum ».

Hanc proclivitatem omnia in centrum reducendi, credendum est enatam esse ex desiderio confirmandi Ecclesiae unitatem; nihilominus, post saeculum et dimidium, ecce magna Europae pars Protestantismi occasione ab Ecclesia catholica scinditur. Est ergo unitas Ecclesiae non in iuridicis structuris praecipue ponenda, sed in qualitate subiectorum, in eorum spiritus soliditate, si Ecclesiae Christi non ob commoda qualiacumque sed sinceris animis adhaereant. Possuntne informationes quae Romam perveniunt, per aliam et aliam manum transmissae, circa qualitatem, soliditatem atque sinceram adhaesionem subiectorum, tutiores esse quam eae quas episcopi comprovinciales habere facile possunt, cum proximiores ipsis sint vel cum ipsis paene commorentur? En quaestionem matura consideratione dignissimam.

Illud certe dissimulari non potest, coacervationem in centrum factam tot reservationum episcopatuum et aliorum beneficiorum, quorum plura committebantur cardinalibus vel altis praelatis, qui nec in locis eorum beneficiorum (interdum ne in eadem prorsus natione) commorabantur nec commissas oves curabant, nisi ut beneficiorum redditum perciperent, coacervationem hanc, inquam, perpetuam fuisse tentationem quorumdam ambitioni, vel ipsae Romanae Curiae; pessimum exemplum toti Ecclesiae ob odium talium commendarum; cladem tandem spiritualem dioecesibus harum commendarum victimis.

Summatim. Christus Dominus collegio apostolorum, cuius caput erat Petrus,

et horum successoribus plenam potestatem tribuit Ecclesiam suam regendi; et etiam Petro eiusque successoribus, personaliter seu singillatim, eamdem plenam potestatem tradidit. Haec, proinde, iuris divini sunt, ideoque immutabilia.

Modos autem seu formas concretas hanc potestatem exercendi, limitatione humana, quae quidem Christo nota erat, impositas, ordinationi ac prudentiae reliquit ipsius hierarchiae ab illo institutae; ea tamen conditione, ut substantiale ab Ipso institutum minime immutaretur, i. e., ut nec Pontificatus nec episcopatus deleantur, aut quivis eorum ita imminuatur ut dici iam nequeat, ipsum vere regere Ecclesiam Christi. In hoc regimine, nec episcopatus potest Pontificatum praeterire, nec Pontificatus episcopatum.

Dispositiones, igitur, illas quas hi sumere possunt ad laudati regiminis concretum exercitium, iuris ecclesiastici erunt, ideoque mutabiles; ipsarumque exitus vel frustratio, influxus beneficus vel nocivus in vitam Ecclesiae et animarum, maior vel minor earumdem adaequatio Christi menti, ut haec ratione et sensu christiano, sub Spiritus Sancti assistentia agnosci potest, horum omnium laus vel culpa in ipsos hierarchas decernentes recident, et quidem graviter.

Nunc vero, cum et nota limitatione humana et ipsa divina institutione perspectis, nullus Pontifex universalem Ecclesiam per se solum gubernare possit, apparet mentem Christi, in concessione ei facta plenitudinis potestatis super totam Ecclesiam, non fuisse, ut R. Pontifex, in omnibus et singulis eiusdem regiminis negotiis, positive et immediate ageret — id quod practice regimen episcoporum ad nihilum redigeret —, sed potius et quam maxime, prout ipsum Conc. Vaticanum I dicit, ut « fidei et communionis unitatem » in praedicto regimine servaret. En textus integer Concilii (Denz.-Bannw., n. 1821): « Quemadmodum igitur apostolos, quos sibi de mundo elegerat, *misit, sicut ipse missus erat a Patre*; ita in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum ceteris apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae caelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret ».

In praecedenti textu Conc. Vaticani I habemus expresse declaratos, et rationem et finem divinae institutionis Primatus iurisdictionis Romani Pontificis in Ecclesia Christi; proinde et normam potissimam eiusdem exercitii.

Collegio episcoporum, cuius caput est successor Petri, plena iurisdictio commissa est ad regendam Ecclesiam Dei; etsi huius potestatis exercitium, ob humanam limitationem, inter singulos dispertiri debeat, ita ut unaquaeque dioecesis suum habeat proprium episcopum, et unusquisque episcopus suam dioecesim; sicut et Petrus suas rexit determinatas ecclesias, primam Antiochenam ultimam Romanam, et hodie Summus Pontifex hanc Romanam Ecclesiam ut suam immediate regit.

Sed Episcopus Romanus, ratione Primatus, habet praeterea iurisdictionem plenam et supremam super totam Ecclesiam et singulos fideles, ad hoc ipsi a Christo commissam, ut nullus ab ea se exemptum putet, et nulla ab eiusdem iudicio sit appellatio ad superiorem iurisdictionem in terris. At proprium et specificum, huius plenae, supremae et immediatae iurisdictionis super totam Ecclesiam et singulos fideles, obiectum, ut dicit Concilium Vaticanum I, fidei et communionis unitatis in ipsa Ecclesia conservatio est. Petrus est petra, seu rupes. Rupes non est quidem

tota compagies templi vivi Ecclesiae, et multo minus tota eiusdem vita. Sed est id in quo tota illa compagies solidatur, incidit et necessario unitur.

Omnia, igitur, quae ad huius unitatis conservationem necessaria vel opportuna fuerint, plene sub hac iurisdictione Primatus cadunt. Quae nihil ad hanc unitatem conferant, sed potius illam fallaciter pervertant, ut commendae [4] de quibus supra diximus, iustificatione carebunt. Quae regiminis universalis Ecclesiae efficaciam minuant, contra mentem Christi erunt.

18

Exc.mus P. D. CAROLUS E. SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Venerabiles Fratres,

Mihi videtur in n. 9 esse contradictionem inter Concilium nostrum et alia Concilia, quia in aliis Conciliis semper anathematizabantur ii qui doctrinam catholicam non accipiebant; in nostro, non. Non potest haberi contradictio. Ergo peto ut aliqua explicatio detur quare in hoc Concilio aliter agimus.

In pag. 27, n. 16: Censeo hunc numerum debere esse de Romano Pontifice priusquam locutio fiat de collegio episcopali. Alioquin videretur quasi Romanus Pontifex nonnisi in collegio episcopali ut eius caput supremam auctoritatem obtinere, quod est falsum.

Commissio videtur habere metum profitendi aperte fidem omnem Ecclesiae catholicae in Romanum Pontificem, quia quasi occulte hoc in uno numero tradit. Sed nos scimus, inde a Vaticano I, maximum scandalum quod adversarii fidei catholicae contra nos sumunt esse primatus et infallibilitas Summi Pontificis. Si hoc in nostro Concilio quasi coopertum tantum denuo affirmatur, mundus universus putabit nos velle rem aliquantulum mitigare vel non habere animum ad confitendam veritatem illam religionis christianae in deposito fidei contentam.

Praeterea in hoc ipso n. 16, aperte loquendo de praerogativis Summi

---

[4] Ut unum, inter millia, exemplum demus illarum commendatarum dioecesium episcopis non residentibus, en sequens omnino historicum: quaedam principalis archidioecesis, per plus quam integrum saeculum ita commendata fuit episcopis non residentibus, quorum ultimus (per 18 annos) in extranea natione degens. Relaxatio morum et ecclesiasticae disciplinae, in dicta infelici archidioecesi, eo devenit, ut in ipsa seges latronum daretur ex clericis coadunata. Et, quod indicium forte non minoris gravitatis videri posset, cum primus sanctus (iam canonizatus) archiepiscopus residens, sacerdotem quemdam, Romae degentem et ibi nominatum parochum alicuius principalis paroeciae, *simul cum dispensatione a residentia,* cogere voluit, vel ad renuntiationem vel ad residentiam, per quinque annos luctam cum romana Curia sustinere debuit, ut id obtineret.

Pontificis, debemus, censeo, adiicere id quod exspectatur iam inde immediate a proclamato dogmate de infallibilitate Romani Pontificis et hodie summe necessarium est explicare, scilicet Romanus Pontifex, etsi supremum principatum obtinet in universa Ecclesia, in pastores et fideles, cum potestate immediata et ordinaria in omnibus dioecesibus ac partibus earum ita ut decisiones eius ex sese sint infallibiles, non ex consensu Ecclesiae, hoc tamen ita intelligendum est quod et ipse, membrum Ecclesiae, scilicet eius caput, non arbitrarie pro lubitu suo quidquam decernere vel definire potest; sed agit ex sensu Ecclesiae — non ex consensu — ex sensu, ex organismo Ecclesiae, in communione connaturali quam caput habet cum corpore, in aedificatione Corporis Christi, sub speciali providentia quam ei praestat Spiritus Sanctus a Patre missus.

Haec est fides catholica et christiana in deposito fidei conservata, etsi decursu tantum temporum enucleata, quam historice quoque eruimus ex epistola Clementis I Papae, ex gestis Victoris I multorumque aliorum Pontificum, et ex habitudine sanctorum Patrum tam in Oriente quam in Occidente.

In pag. 24 et 25, post lin. 39: qua successores apostolorum, episcopi potestates apostolorum et praerogativas eorum receperunt, praeter infallibilitatem qua singuli non sunt praediti. Ex successione apostolorum enim in ordinem episcopalem evehuntur, non ex commissione vel traditione potestatis ab alio, ut esset Romanus Pontifex, sicut iam dictum est in Vaticano I. Nam episcopi ex ipsa Dominica institutione « ponuntur a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei » (non ab aliqua humana institutione) propter apostolorum successionem, quamvis a Summo Pontifice eligantur et dioeceses ab eo designatas recipiant.

Ad bonam Ecclesiae administrationem humanice factum est ut potestates episcoporum decursu temporum limitarentur; iam non possunt ubique terrarum ius suum exercere sed ad dioeceses coarctantur; nec possunt leges universales condere et alia eiusmodi. Legibus ergo Ecclesiae et praescriptis Romani Pontificis omnino subiacent.

Haec est fides in universa christianitate inde a principio, quam cunctus populus christianus profitetur inde a principio.

Postea, in pag. 25 et s., lin. 4, post « super omnes fideles dispergant » censeo adiiciendum esse: episcopi enim, ut patet ex historia, potestates suas decursu saeculorum paulatim diviserunt inter presbyteros et eis eas tradiderunt; sicut apostoli partem sui apostolatus diaconis tradiderunt, ita etiam decursu temporum factum est ut etiam episcopi suas potestates diviserint; initio potestatem dederunt offerendi sacrificium, sicut docet historia; postea baptizandi; post, in Ecclesia orientali etiam chrismandi; multo post, absolvendi peccatores; extrema unctio

iam in epistola S. Iacobi presbyteris commissa est, quamquam nescimus num hi proprio nomine presbyterorum, ut hodie nuncupantur, recensentur; demum dederunt eis potestatem administrandi verbum Christi et regendi partem in dioecesi, i. e. paroecias, et denique benedicendi nuptias.

Ergo presbyteratus non est, ut episcopatus, ex sese, ex successione, sed directe ab episcopo traditur. Ex historia patet hoc.

Quapropter presbyteri, non solum ob iurisdictionem, sed etiam ob ipsam ordinationem ab episcopo pendent. Episcopi possent plus vel minus tradere — ex hodierna praxi, certe non; sed possent — ex plenitudine potestatis suae; et in principio sicut fuit, sicut hodie adhuc accidit, possunt ad administrandum sanctum chrisma et presbyteros delegare, etsi hoc non est inclusum in ipsa ordinatione. Illi theologi qui sentiunt episcopos non posse facere hoc, solummodo nisi ex delegatione Romani Pontificis, non vident inde nihil explicari. Nam quaeritur: unde Romanus Pontifex habet hanc potestatem, nisi ex plenitudine sacerdotali, de qua decursu temporum episcopi suas potestates subdiviserunt?

Censeo doctrinam hanc de episcopatu et de presbyteratu clarius exponendam esse. Nam proh dolor! sunt hodie multi sacerdotes qui, practice saltem, aliter sentiunt et se aequales episcopis considerant, salva iurisdictione. Dicunt, e. g., potestatem chrismandi se non posse recipere nisi eam iam in ordinatione recepissent; se non posse ordines conferre ex sola prohibitione Ecclesiae.

In pag. 27: ex hoc numero apparere videtur solummodo collegium episcoporum in successionem apostolicam intravisse, et non singulos episcopos.

De collegio quidem episcopali optime multa dicta sunt, sed in hoc capite adhaereo verbis card. Ruffini.

Et de aliis, in eis quae conferentia episcoporum Brasiliae statuit, me etiam immediate et Conciliis oecumenicis adhaerere dico. Dixi!

Textus scripto traditus:

Quaedam fusius explananda sunt.

In cap. II, n. 13, pag. 24, adiungendum post lin. 39:

1. Qua successoribus apostolorum, omnes horum potestates et praerogativae ad episcopos transierunt, praeter infallibilitatem, qua singuli praediti non sunt. Ex successione apostolorum enim in ordinem episcopalem evehuntur, non ex commissione vel traditione potestatis ab alio, ut esset Romanus Pontifex. Nam episcopi ex ipsa Dominica institutione « ponuntur a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei », non ex aliqua humana ecclesiastica institutione, etsi, vel melius, propter apostolorum successionem; quamvis a Summo Pontifice eligantur et dioeceses ab eo designatas recipiant.

2. Ad bonam vero administrationem Ecclesiae humanice factum est, ut potestates episcoporum decursu temporum restringerentur: iam non possunt ubique terrarum ius suum exercere; nec leges universales condere; et alia eiusmodi. Legibus ergo Ecclesiae et praescriptis Romani Pontificis omnino subiacent.

Ratio propositi mei est: Haec est fides in universa christianitate inde a principio, quam cunctus populus christianus profitetur.

N. 15, pagg. 25-26: adiungendum in pag. 26 lin. 4, post « ... super omnes fideles dispergant »: Episcopi enim, ut patet ex historia, potestates suas Ordinis (imitantes exemplum apostolorum) decursu saeculorum *paulatim* diviserunt et presbyteris tradiderunt; in initio potestatem offerendi s. sacrificium; postea baptizandi; in Ecclesia orientali, chrismandi; multo post absolvendi peccatores; Extrema Unctio iam in epistola S. Iacobi ap. presbyteris commissa est, quamquam nescitur, num hi proprio nomine presbyterorum, ut hodie nuncupantur, recenseantur; tum potestatem administrandi verbum Christi; demum regendi partem dioecesis, quae paroecia nominatur, atque benedicendi nuptias. Liquet ergo, potestates, quibus presbyteri ex ordinatione imbuuntur, ex sola dimanatione ex episcopo transire ad eos, quos ordinant, non ex institutione quadam superiore (sicut in episcopis est successio apostolica), seu ex alio simili fonte. Sunt divisiones datae ex pleno sacerdotio in episcopo.

Quapropter presbyteri, non solum ob iurisdictionem, sed etiam ob ipsam ordinationem ab episcopo pendent. Episcopi possent plus vel minus dare. Iuxta canones et hodiernam praxim hoc non debent facere; scimus. Possent autem ex potestate suae plenitudinis sacerdotalis. Ita, ut exemplum afferam, possunt eos ad administrandum S. Chrisma delegare, id quod in ordinatione latina non habetur. Ergo possunt dare plus quam in ordinatione presbyteri invenitur. Theologi, qui sentiunt, episcopos hoc facere posse solummodo ex delegatione S. P., non vident, inde nihil explicari. Nam semper quaeritur: unde R. P. habeat hanc potestatem, nisi ex plenitudine sacerdotali in Ordine episcopali, quam subdividere potest?

Censeo doctrinam claram hanc in schemate explanari oportere. Nam pro dolor! sunt multi hodie sacerdotes, qui practice saltem aliter sentiunt et se aequales episcopo considerant, salva iurisdictione. Dicunt e. g. potestatem chrismandi non possent recipere, nisi eam iam in ordinatione presbyteri contentam recepissent; dicunt se non posse ordinare ex sola prohibitione Ecclesiae. Horribile cogitatu!

N. 14, pag. 22: ex hoc numero apparere videtur solummodo collegium episcopale in successionem apostolorum intravisse, et non singuli episcopi. Haec apparentia delenda est. Optime quidem de collegio episcoporum in hoc numero tractatur. Tamen ad praecavendas malas interpretationes, bonum erit intercalare, ubi melius: « ... sine praeiudicio eorum, quae iam dicta sunt de episcopatu in se et de episcopis singulariter consideratis... ».

In reliquo evitandae sunt repetitiones, quae occurrunt, nec necessariae.

Si de Romano Pontifice numerus specialis dedicatur, sicut spero, superfluum erit repetere doctrinam de hac re, quomodo habetur in pag. 30.

Cap. II, pag. 27, n. 16. Hic numerus debet esse de Romano Pontifice priusquam locutio fit de collegio episcopali. Alioquin videretur quasi R. P. nonnisi in collegio episcopali ut eius caput supremam auctoritatem obtinere, quod est falsum. Nec iuvat, repetendo verba Vaticani I, miscere, quasi cum metu profitendi, praerogativas, quas Vat. I Papae tribuendas definivit. Non est oecumenicum. Inde a Vaticano I maximum scandalum, quod adversarii fidei catholicae

contra nos sumunt, est Primatus et Infallibilitas Summi Pontificis. Si hoc in nostro Concilio quasi coopertum tantum denuo affirmatur, mundus universus putabit nos velle rem aliquantulum mitigare, vel non habere animum ad confitendam veritatem illam religionis christianae, in deposito fidei contentae.

Ergo: n. 16. (De Romano Pontifice) et repetuntur verba, quae definitive de hoc Vaticanum I prolatum est. (Sic etiam consequemur, ne necessarium sit, ut iterum atque iterum, sicut factum est in schematibus, dicendum sit: sub ductu R. P., vel subiecti R. P., vel alia huiusmodi). In hoc numero, aperte loquendo de praerogativis S. P., debemus adiicere id, quod exspectatur iam inde a proclamato dogmate de infallibilitate, et hodie summe necessarium est explicare, scil.: Romanus Pontifex, etsi supremum principatum obtinet in universa Ecclesia in pastores et fideles, cum potestate immediata et ordinaria in omnibus dioecesibus ac partibus earum, ita ut decisiones eius ex sese sint infallibiles, non ex consensu Ecclesiae, — hoc tamen ita intelligendum est, quod, et ipse membrum Ecclesiae, scil. eius caput, non arbitrarie pro libitu suo quidquam decernere vel definire potest, sed agit et agere debet *in sensu Ecclesiae,* in communione connaturali, quam caput habet cum corpore, « in aedificatione Corporis Christi », sub speciali providentia, quam ei praestat Spiritus a Patre missus. Haec est fides catholica et christiana in deposito fidei conservata, etsi decursu tantum temporum enucleata; quam historice quoque eruimus ex epistola Clementis I Papae, ex gestis Victoris I multorumque aliorum, et ex habitudine Ss. Patrum in oriente et occidente (vel aliter et melius).

Animadversiones additae:

De sacramentalitate episcopatus deque eius relatione ad alios Ordines.

1. *Omne et totale sacerdotium est in episcopatu.* Sic intellegitur verbum « plenitudo sacerdotalis » ab universo populo christiano. Id est: omne id quod ad sacerdotium quoquo modo pertinet, quod eius substantiam efficit, quod in sacerdotio transmisso Christi exsistit, quod in eiusdem sacerdotii participatione transmittitur, hoc omne et totum in episcopo invenitur. Utpote quia est successor in muneribus apostolorum, quibus Dominus sacerdotium suum infudit. Nemo autem dicet apostolos non recepisse cunctum sacerdotium omnino et totaliter. Ergo, si apostoli munera sua successoribus transmiserunt, episcopi habent, ut illi, totum et cunctum sacerdotium Christi, independenter a presbyteratu.

Certe quibus potestatibus antea pollebant ex ordinatione presbyteri, diaconi, necnon ordinum minorum, has non iterum recipiunt, quia eas iam habent. Hae vero includuntur in consecratione episcopali et una cum aliis potestatibus, quibus consecratione imbuuntur, plenitudinem sacerdotalem conficiunt. Qui hoc negant, falsae S. Thomae interpretationi innituntur, vel etiam exclamationi cuidam S. Hieronymi, quae autem in vero suo sensu ultimis temporibus explicata est.

Esset nempe ridiculum affirmare S. Paulum non recepisse totale sacerdotium, quando Antiochiae in apostolum consecratus est! Vel cum eo S. Barnabam! Idem ridiculum affirmare S. Timotheum vel S. Titum quando impositione manuum S. Pauli tacti sunt, non fuisse constitutos in sacerdotes, quia antea presbyteratum non recepissent! Quod est falsum asserere pro initio christianismi de rebus fidei, hoc falsum quoque est sustinere hodie. Unde sequitur: dogmatice certum est *consecratione aliquem sacerdotem fieri, sine praevia ordinatione in presbyterum.*

2. *Munera, seu ministeria,* quae Christus Dominus apostolis dedit et apostoli successoribus suis transmiserunt, *esse munera sacerdotalia, ex ratiocinio theologico*

compertum est; quod ratiocinium S. Paulus in epistola ad Hebraeos insinuat respectu ad Christum et postea a theologis christianis hierarchiae ecclesiasticae attributum est. Revera sunt munera sacerdotalia, sicut ex ipsa natura rerum consequitur. Attamen et apostoli et per tria saecula Ecclesia eos, quibus ministeria conferebantur, sacerdotes nominare renuit, ne confusio oriretur cum sacerdotio iudaico vel ethnico. Sunt autem sua ipsorum essentia vera sacerdotalia munera « in aedificationem Corporis Christi » interne seu externe ordinata. Omnia ea proinde, quae ad hunc finem institutione speciali diriguntur, sive natura rei sive ex institutione posteriore Ecclesiae (vd. infra), munus sacerdotale includunt et (sequitur ex n. 1) in episcopatu continentur; ut sunt: presbyteratus, diaconatus, subdiaconatus, necnon ordines minores, utpote quae interne vel externe ad eum finem ordinantur. Proindeque in sacramento Ordinis inclusa sunt (etsi Concilium Tridentinum hoc definire non potuit ob oppositionem thomistarum, sicut docet historia). Omnino vero retinendum est: haec omnia in episcopatu contineri, ab ostiariatu usque ad potestatem ordinandi et consecrandi.

Unde sequitur: *sacerdotium non consistere in presbyteratu.*

3. Ex plenitudine suarum potestatum episcopi decursu saeculorum, immo millennii paulatim munera sua, exemplum sequentes apostolorum, quia diaconos instituere, ad alios transmiserunt, praesertim presbyteros, quos in adiutorium secundi ordinis sibi eligebant. *His quidem, scilicet presbyteris, sacerdotium in vero et strictu sensu infundebant,* utpote quos ordinabant cum potestate directa in Corpus Christi verum (Eucharistia) et in Corpus eius mysticum (regimen et iurisdictio in fideles). Consequens est: *presbyteri sunt veri, sensu stricto, sacerdotes.*

Attamen hoc non sunt ex eo quod ritus ordinationis per se confertur, sed ex eo quod episcopus per ritum ordinationis eis sacerdotium tradit; ex opere operato quidem, sed *effluendo ab episcopo*; e plenitudine eius pars quaedam muneris sacerdotalis in ordinatum intrat. Quaenam pars transfunditur, vel quaenam partes sacerdotii transmittuntur, ex institutione Ecclesiae desumitur. Revera in presbyteratu potentia datur ad omnia munera ecclesiastica, melius sacerdotalia, quippe quod ordinati in vero sacerdotio constituuntur. Ergo: praeter ea sacerdotii ministeria, quae in ritu expressis verbis conferuntur, *alia etiam sacerdotalia munera in presbyteratu in potentia inveniuntur,* quae simplicibus sacerdotibus episcopus mero iurisdictionali actu dare potest. Quod revera accidit, quando aliquem illorum ad chrismandum delegat. Non posset, nisi in potentia hoc in presbyteratu inclusum esset. Magis clarescit adhuc, si consideramus ritum ordinationis in Ecclesia orientali. Nulla in ritu mentio fit de transmissa potestate chrismandi; attamen omnes sacerdotes ritus orientalis chrismare valide possunt. Sed nec in ritu latino specialis mentio fit, in forma sacramentali, munerum transmissorum. Forma simpliciter id dicit, quod per materiam confertur, nempe sacerdotium.

Dogmatice ergo, non considerata ordinatione Ecclesiae, certo certius inde a principio christianismi, episcopus posset alia sacerdotalia munera presbyteris delegare, cum in potentia ad omnia ordinantur. Nihil ergo obstat, quominus accipiatur ordinationes in presbyterum, aliquando commissas simplici sacerdoti a Romano Pontifice, fuisse validas. Posset fortasse immo concedi, et consecrationes episcopales, aliquando delegatas simplici sacerdoti, validas fuisse. Nam in his casibus Romanus Pontifex nihil aliud fecisset, nisi ex potestate plena sua munus aliquod, quod in presbyteratu in potentia inest, transmittere. Qui hoc negant, non bene intelligere videntur, quid sit sacerdotium in presbytero, seu unde ortum habeat.

De his vero disceptare vanum est; nam, si posset, attamen non debet ita procedi.

Consectaneum autem omnino firmiter sustinendum est; scil. discrimen inter presbyteratum et episcopatum: episcopatus in ipsa successione apostolorum transmittitur, presbyteratus a persona episcopi effluit! Inde: Non potest consecrator totum sacerdotium apostolorum electo in episcopum non conferre.

Posset ordinator aliquam sacerdotii potestatem ordinando non influere, — quod revera per multa saecula factum est —; non autem ei *potentiam* in omnia munera sacerdotalia, conficiendo ritum, demere; alioquin non esset sacerdos; nec postea (sicut docet historia) munera sacerdotalia presbyteris committi potuissent, quin quidquid aliud factum sit in conficiendo ritu.

Definiri forsitan libet in nostro Concilio atque valde hoc opto: episcopatus est sacramentum; episcopatus a sola successione apostolorum venit; episcopatus in se, absque aliis gradibus, totum et plenum sacerdotium continet, omnesque eius gradus in se complectitur.

Presbyteratus ab homine (episcopo) venit. Presbyteratus est verum sacerdotium, etsi non plenum eo sensu, quod non omnia sacerdotalia munera et potestates complectitur, nisi in potentia.

Episcopatus et presbyteratus una cum diaconatu aliisque gradibus sacerdotalibus unicum sacramentum efficiunt, nempe Ordinis, a Christo Iesu immediate *institutum in episcopatu* (seu apostolatu Duodecim, cui succedit).

Circa diaconatum stabilem.

1. Omni cum humilitate, attamen firmissime contestor: *diaconatus stabilis non debet reinstitui universaliter,* nec in tota Ecclesia, nec a quadam conferentia nationali.

Non respicio ad rationes praesentatas in aula Concilii, sive contra sive in favorem reinstitutionis, quamquam a Patribus magni ponderis exaratas et prolatas; pro me rationes negativas amplector. Sed hoc est minimi momenti. Rationes omnes autem in aere pendent, quia nemo ex nobis experientiam fecit, proindeque solummodo imaginare potest, quomodo res in futuro se habeant.

Dico tamen diaconatum stabilem non esse reintroducendum universaliter, simpliciter quia non est mentalitas hodierno die pro statu hoc. Non est mentalitas in mundo pro diaconatu, non est sensus, in lingua lusitana dicimus « meio ambiente », i. e. condiciones animae una cum circumstantiis ambientibus homines. Hoc deest totaliter fere in hodierna societate, quae iam non in religione nititur, sed in materialitate. Quod valet et pro acatholicis et pro catholicis. Nemo intelliget, quomodo quis officium hoc suscipiat; eum qui diaconatu ornatus est non reveretur, eum tamquam laicum considerabit quisquis, invidia moti plures eum sinistre aspicient.

Sed, quod gravius, ubi inveniemus « viros boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super opus » sicut exegit S. Petrus ante electionem primorum diaconorum? Non sunt, nec inter catholicos. Non sunt ex simplici ratione, quod mens hodierna ad has res non attendat.

Quid vero, si instituatur diaconatus stabilis universaliter, vel in aliqua regione? Viri, qui eo spiritu imbuti non sunt, ad diaconatum current et quidam episcopus, qui eos huiusmodi in sua dioecesi vel in suo seminario habere nolit, eos tamen accipere cogetur; ex simplici causa, quod dicetur episcopum contra corpus episcoporum agere, proinde eum non posse se opponere, quominus quis diaconus evadat. Ergo, schismata et dissensiones venient in Ecclesia.

2. Ast detur licentia unicuique episcopo, ut rem in sua dioecesi consideret, et si ibi inveniat qui digni sint diaconatu, hos colligat, instruat, ordinet, cum magna cautela et sollertia, et paulatim diaconatum, ubi bonum sit, inducat. Attendere debet ad id, quod princeps apostolorum dixit, hocque cum omni impartialitate et severitate.

Circa collegium episcoporum.

1. Semper exstitit, semper existit, semper in mente fidelium vixit et vivit, in re viget et floret.

Attamen non eo sensu, quasi episcopi nonnisi in collegio, ex collegio, per collegium suis muneribus fungi possint. Non est e. g. ut collegium cardinalitium, ubi unusquisque non valet Romanum Pontificem eligere, sed tantum collegium qua tale. Collegium episcoporum hoc sensu accipere est qui novissimum in Ecclesia Dei, etsi sapientissimi ex Patribus huius Concilii sententiam hanc sustentent; etsi theologi ponderis Torquemada et aliorum hoc sentiant. Hoc sensu fideles universi nunquam censuerunt, nec in Biblia invenitur, nec a Patribus, seu traditione, doctum est. Qui ex Sacra Scriptura collegium stricte tale apostolorum — et exinde, in successione, episcoporum, probare satagunt, plus probant quam in Sacris Litteris continetur, ergo nihil probant. Nam passus Scripturae, qui in hoc sensu interpretari possint, in alio quoque sensu sumi possunt. Ergo. Et « peiorem sequitur semper conclusio partem ».

Sed est et contra Sacram Scripturam. Ex actibus apostolorum, praecipue S. Pauli, clarissime apparet, neminem eorum de collegio stricte tali unquam cogitavisse. Totum primum caput epistolae ad Galatas refutat omnimode opinionem hanc nefastam. S. Paulus fere loquitur, quasi expresse se adversari subiectioni « ton Dodeka ». « Alium autem apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini ». Ubi in collegio fuit? quando ex collegio apostolorum suam missionem recepit? Expresse dicit se a solo Domino in apostolum electum esse, quamquam consecrationem Antiochiae a « presbyteris » recepisset.

Esset vere ridiculum cogitare, quendam apostolum licentiam aliquando petivisse ad praedicandum, vel scribendum verbum Dei, seu regendi fratres, fundandi ecclesias etc., a collegio quodam!

2. Collegium, sive apostolorum, sive episcoporum, est ligamen aliquod morale inter eos, *in fide et caritate et bona administratione Ecclesiae Dei consistens,* gratia Spiritus Sancti sustentatum « ut omnes unum sint », quo quis, *in suo ipsius munere et auctoritate autonomus perseverans,* tamen in bonum Ecclesiae *unanimiter procedit cum aliis;* quamvis alii, nec singulariter ullus, nec corporaliter cuncti, maiorem auctoritatem super fratres recipit. Uni, soli, unico Romano Pontifici subiiciuntur et singuli et corpus. Videtur hoc clarissime in S. Scriptura unaquaque vice qua Petrus, etsi ex sinu quasi apostolorum loquitur, tamen *primus* et *solus* verbum facit. Alia postea.

Exemplum fortissimum habemus in S. Augustino, cum aliquando clamaret: « Potestis recurrere ad undecim millia conciliorum; dum ego episcopus sum, ita erit in mea ecclesia ». Attamen semper Conciliis Africanis adsistebat, eis fidem dabat, eis obsequebatur. Insuper maximam fidem in Romanum Pontificem ostendebat, quem super se et super Concilia agnoscebat, cui subiiciebat decisiones a Concilio aliquo prolatas, summa cum reverentia.

Quare redibimus ad Concilium Constantiense? Quare, quare? Ibi, sicut de

paupertate Ecclesiae veredictum latum est, ita ut iam non habeamus necessitatem audiendi ulterius in hoc Concilio de paupertate episcoporum, ita etiam ibi clare proclamatum solum Romanum Pontificem totam Ecclesiam regere. Videtur autem aliquos ex Patribus huius Concilii adhuc ante fores Constantiensis stare. Progrediamur! Lites antiquorum post nos relinquamus! Collegium episcoporum non est aliquid iuridicum tale, sed est unum unitum, quo singuli mutuo adiuvantur, iuvantes quoque principem apostolorum in Petri successore, quando necesse est et quando ab eo vocantur; non autem quotidie, ut ita dicam, se in regimine Ecclesiae immiscentes. Sollicitudinem omnium Ecclesiarum in strictiore sensu interpretari, est peccatum contra philosophiae dictamen: « latius hos quam praemissae conclusio non vult ».

Nec quicquam iuvat profiteri collegium non existere sine R. P., sed sub eius regimine, tamquam capitis, semper esse. Hoc valet logice tantum loquendo, non psychologice. Episcopi homines sunt; si collegio episcoporum maior auctoritas tribuatur, psychologice certum est collegium aliquando contra R. P. se elevaturum. Inspiciamus historiam, Gallicanismi v. g., Iosephinismi etc.

Quare potestatem episcoporum diminuere, ponendo eos in dicione collegii et quasi iuxta Pontificem Romanum? Si iuxta R. P. ponamur et non complete sub eo, cunctam nostrum ipsorum auctoritatem amittemus; subditi nostri iam non erunt nostri, sed collegii, et exinde ansam sapient rebellandi contra nos, appellandi ad collegium, negandi nobis oboedientiam. Vis nostra cuncta in Petra Ecclesiae subsistit, non in nobismetipsis, nec in collegio nostro! Exemplum videatis aliorum coetuum christianorum, precor. Ii, qui collegium iuridicum statuere conantur, dicunt quidem se velle episcopatum valorizare, nec vident se eo ipso episcopatum deprimere. Repeto: nostra vis et valor noster est in *omnimoda* subiectione sub vicario Christi, Petri successore.

Illi qui satagunt explicare, quomodo haec suprema auctoritas successoris Petri cum alia doctrina catholica conformatur, quae docet: « suprema auctoritas in Ecclesia est apud Concilium Oecumenicum », se ipsos consolentur. Est mysterium, quod nemo hominum aliquando explicare poterit. Suprema auctoritas est in vicario Christi et in Concilio Oecumenico. Non quia Concilium a R. P. auctoritatem suam sumat. Nam auctoritatem suam a se ipso habet, melius a Christo. Nec Papa, quia est caput Concilii. Suam enim auctoritatem habet ex successione Petri. Uterque est in summitate Ecclesiae. Quomodo non se excludant, solus Deus nobis explicare potest. Sed quod ita est, scimus et credimus, et in hoc beati sumus. Et Summus Pontifex et Concilium Oecumenicum supremam potestatem in Ecclesia possident. Theologi, qui hoc mysterium explicare conentur, vel ex hoc mysterio difficultatem inveniant, ita ut ex hac causa collegium aliquod iuridicum in Ecclesia statuere debere affirment, demonstrant se non esse sinceros. Sinceri sunt ii, qui asserunt hoc esse mysterium in mysterio Ecclesiae, et exinde dicunt nihil aliud faciendum, nisi fideliter credere — sicut fecit S. Petrus, cum audiret sermonem Christi de Eucharistia. Et in hoc beatissimi sunt, nosque omnes. Est mysterium sicut alterum: episcopus pollet omnimoda immediata et ordinaria potestate in sua dioecesi, *non cum* Romano Pontifice, sed *per se ipsum*, quamvis *sub* Romano Pontifice; et aliud: Romanus Pontifex habet potestatem ordinariam, immediatam in omnes dioeceses. Si esset res humana, contradictionem includeret. Nam unusquisque episcopus est episcopus suae dicionis, sicut Summus Pontifex est episcopus Romae. Et tamen hic immediate in dioeceses regit, quin suae potestati limites

poni possint. Quomodo? Nemo explicat. Sed res ita se habet. Scimus hanc esse doctrinam infallibilem Ecclesiae, scimus res ita esse ex constitutione divina Ecclesiae. Ergo, est, et verum est, et hoc defendimus, et in hoc beati.

Exponatur doctrina catholica.

Episcopatus catholicus in universo orbe collegium efficit una cum Pontifice Romano, i. e. unionem quandam mysticam, Spiritu Sancto specialiter alitam, quo quisquis in munio suo et auctoritate propria perseverans, quae a Christo Domino receperunt, tamen cum Petri successore et sub eo pro tota Ecclesia sollicitudinem suscipit, invicem se adiuvat, concorditer agit, specialibus occasionibus se coadunat, praesertim cum Summus Pontifex eos ad Concilium Oecumenicum vocat.

Romanus Pontifex, etsi est caput huius collegii, attamen super id est atque nunquam ab eo dependet.

Episcopi singuli, etsi sunt membra huius collegii et a Romano Pontifice pendent, attamen totam suam ordinariam potestatem in singulis dioecesibus retinent.

Moderator: Ultimus pro hodierna sessione loquatur nunc exc.mus Philippus Pocci, ep. tit. Ierichuntinus, nomine quidem em.mi card. Clementis Micara, ep. suburbicarii Veliterni.

Post ipsum, exc.mus secretarius generalis quasdam communicationes faciet Patribus conciliaribus, et statim addo quod proxima congregatio generalis habebit locum feria II, die 7 octobris, hora nona.

19

EM.MUS P. D. CLEMENS CARD. MICARA

Episcopus suburbicarius Veliternus, vicarius Summi Pontificis in Urbe

Generalia circa schemata examinanda in secunda sessione Concilii Oecumenici.

Circa decretorum schemata examinanda in proxima Concilii oecumenici sessione, haec in genere animadverti posse videtur.

Non solum non impetuntur, immo silentio praetereuntur, nonnulli et quidem gravissimi errores, qui inter catholicos et clericos quoque serpunt et quandoque per libros diffunduntur etiam ecclesiastica licentia impressos. Errores dicimus qui proferuntur cum aeterna inferni poena negatur aut mitigatur; cum doctrina tridentina de peccato originali enervatur; cum illud negligitur quod encyclica *Mystici Corporis* monuit, scil. « qui ad aspectabilem non pertinent catholicae Ecclesiae compagem... de sempiterna cuiusque propria salute securi esse non possunt »; cum denique errores non attenduntur et pervagare libere sinuntur quos refellit Encyclica *Humani Generis.*

Nunc vero, cum schemata, errores huiusmodi reprobantia, Concilium seposuerit et ab eisdem erroribus profligandis abstinere videatur, Ecclesiam exinde multi censere possent antiquiorem rigiditatem fregisse et de quaestionibus talibus libertatem sentiendi indulgere.

Profecto, error non probatur cum de eodem siletur, sed silentium in casu nostro et in re tam gravi consectaria gravia gignere potest. Exemplo sit modus quo se gesserunt Honorius Papa in monothelitarum errorem et Concilium Lateranense V erga Protestantes: Concilium hoc multi historici putant minuere potuisse vim et diffusionem protestantium errorum si eos tempestive denuntiasset.

Pastoralis cura et sollicitudo, nedum excludat, requirit fidei integritatem in tuto collocari: nihil enim efficacius ad Deum animas ducit quam annunciatio integrae veritatis, divinitus pro nostra salute traditae.

Secretarius generalis:

Quidam Patres petierunt, dubio anxii, utrum monitum quod heri datum est, de non distribuendis foliis vel textibus Patribus sine permissione consilii praesidentiae, valeret tantum in hac aula. Hoc est evidentissimum, nam in hac aula tantum distribuuntur quae sunt officii, et ideo egent permissione consilii praesidentiae et exsecutione secretarii generalis.

Post haec, communico Patribus proxima hebdomada distributum iri inter ipsos novum elenchum Patrum conciliarium, qui ad hoc munus electi sunt usque ad diem 30 mensis septembris proxime elapsi. Amplius fieri non poterat. Item, non post multum tempus distribuetur libellus novus, exaratus ad hos dies, Commissionum conciliarium.

Et nunc, aliqua communicatio quae repetetur diversis linguis.

Cum in sessione publica inaugurali huius periodi Concilii oecumenici non pauci Patres nomina sua non dederint secretariae generali, necesse est novas sedes Patribus assignare ut praecedentiae ordo rite servetur.

Quod ut expeditissime fiat (velitis attendere ad haec): Patres qui in institutis vel diversoriis habitationem obtinuerunt a secretariatu administrativo recipient in suo domicilio inde a die crastina — sabbato — schedulas personales indicantes novas sedes. Ceteri poterunt certiores fieri de nova sede feria II proximae hebdomadae vel in aula hac conciliari vel in sic dicto « Ufficio d'informazioni » (Via della Conciliazione, 54), inspiciendo regestum in quo sedes indicatur.

Sedes autem immutabuntur tantummodo in congregatione generali feriae III proximae hebdomadae. Hoc modo putamus omnia bene fieri posse. Communicatio repetitur diversis linguis.

Versio hispanica

(P. D. Casimirus Morcillo, subsecretarius)

Aviso importante. Por no haber dado su nombre algunos Padres en la sesión inaugural de este nuevo período del Concilio, se hace necesario asignar ahora nuevos escaños a todos los Padres. Para hacerlo con toda rapidez, los Padres que del Secretariado Administrativo han obtenido hospedaje en casas religiosas o en hospederías recibirán, a partir de mañana, un aviso con indicación del nuevo puesto que han de ocupar. Los demás podrán ser informados el lunes próximo del nuevo puesto que les corresponde. Esta información les será suministrada en el aula conciliar o en la oficina informativa del Concilio (Via della Conciliazione, 54) viendo el registro de puestos que allí se guarda.

Los cambios de puesto no se harán hasta el martes de la próxima semana.

Gracias!

Versio gallica

(P. D. Ioannes Villot, subsecretarius)

Un certain nombre de Pères n'ayant pas rempli leur fiche nominative à la session publique inaugurale du 29 septembre, il faut procéder à une nouvelle répartition des places, afin de respecter l'ordre de préséance.

Pour que cette répartition se fasse le plus vite possible, les Pères qui sont logés, par les soins du Secrétariat administratif du Concile, dans des Instituts ou des pensions recevront d'ici demain à leur domicile les fiches indiquant leur nouvelle place. Tous les autres Pères pourront prendre connaissance de leur place lundi prochain, soit dans l'Aula, soit à l'Office d'Information, 54 via della Conciliazione, où ils pourront consulter le registre mis à leur disposition.

Mais c'est seulement à la Congrégation générale de mardi 8 octobre que les nouvelles places devront être occupées.

Versio anglica

(P. D. Ioannes Krol, subsecretarius)

May I have your attention, please! Some of the Council Fathers did not submit their names at the inaugural session last Sunday and as a result their names were not included in the arrangements of the seating plans. To accomodate all according to rank and precedence, there will be a complete re-assignment of seat numbers. To expedite matters a notice of the new numbers will be sent to those who live in institutions and pensions designated by and at the convenience of the administrative secretariate to-morrow. Others who do not live in these or have not been assigned to such institutions and pensions can learn of their new seat numbers beforehand at the Council Office of Information located on the ground floor of the Via della Concilia-

zione, 54 (at the end of the piazza), or in any case they will learn of their new numbers here at the Basilica Monday morning. The new seating plan will go into effect Tuesday morning next. Thank you!

Versio germanica

(P. D. Villelmus Kempf, subsecretarius)

Da in der öffentlichen Eröffnungssitzung dieser zweiten Sitzungsperiode eine Reihe von Konzilsvätern sich nicht gemeldet haben, ist es notwendig, eine neue, der Präzedenz entsprechende Sitzordnung aufzustellen. Damit das baldmöglichst geschieht, erhalten diejenigen Väter, die ihre Unterkunft von Seiten des administrativen Sekretariats erhalten haben, von morgen an die schriftliche Anweisung ihres neuen Sitzplatzes in ihrer Unterkunft.

Die übrigen Konzilsväter können sich über ihren neuen Sitzplatz orientieren am nächsten Montag hier in der Aula oder auch in dem Informationsbüro des Konzils, Via della Conciliazione Nr. 54.

Es wird hier und dort ein Verzeichnis der neuen Sitzordnung zur Einsichtnahme aufliegen. Diese neue Sitzordnung tritt am nächsten Dienstag in kraft.

Versio arabica

(P. D. Philippus Nabaa, subsecretarius)

لما كان عدد غير يسير من الآباء لم يعطوا اسماءهم للامانة العامة قبل افتتاح هذه الدورة الثانية ، اصبح من الضروري تعيين مقاعد جديدة للآباء ، حفظا لترتيب التقدم بينهم .

ولكي يتم هذا التعيين بسرعة ، سيرسل منذ غد الى الاباء الذين استضافوا بعض المعاهد الدينية او بعض الفنادق بامر من مصلحة المجمع الاقتصادية ورقة ~~جديدة~~ تعين لهم مقاعدهم الجديدة . اما سائر الاباء فيمكنهم ان يستفهموا عن مقاعدهم الجديدة نهار الاثنين من الاسبوع القادم ، في قاعة المجمع او في مكتب الاستعلامات رقم ٥٤ Via della Conciliazione

وعليه فان مقاعد الاباء ستخير يوم الثلاثاء من الاسبوع القادم في الجلسة العامة .

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD PROOEMIUM ET CAP. I SCHEMATIS DE ECCLESIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD PROOEMIUM ET CAP. I SCHEMATIS DE ECCLESIA

1

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Ad primam partem. Textus propositus apprime mihi placet, ipsique libens subscribam. Annotationes tamen quasdam addam.

Ad cap. I. Meas facio emendationes ac suggestiones a diversis Patribus sub sequentibus numeris positas in fasciculo nobis tradito « Emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitae super schema constitutionis dogmaticae de Ecclesia » videlicet: 4. 7. 10. 20. 25. 29. 33. 36. 45. 85. 87. 93. 104. 111. 112. 114. 121. 124. 134. 136. 137. 147. 150. 158. 161.

Item, sub n. 64, manentibus tamen titulis de Ecclesiae imaginibus et de Ecclesia ut mystico Corpore Christi.

Duas insuper annotationes addam: Ad n. 7 (pag. 11, lin. 7) post « sustentatur » addatur: « Ecclesia igitur indissolubili unitate, simul et fructus redemptionis Christi existit et medium quo Christus redemptionem suam exsequitur ».

Ad n. 10 (pag. 13, linn. 3-23) modificetur ordo paragraphi, quo clarior evadat ordo logicus; ut post « dirigeret » (lin. 5) ponatur: « Qui Christum ... locupletantur » (linn. 16-21); « Quapropter Ecclesia ... efficaciter intendit » (linn. 5-16); omittaturque « Quapropter Ecclesia ... sternatur » (linn. 21-23) quae praecedentis est repetitio.

2

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. MORANO

Cum maxima humilitate audeo indigitare defectum quem deprehendo in schemate proposito. Precor scilicet ut in constitutione quae paratur clare edicatur (en defectus schematis) quaenam sit in Ecclesia christiana *lex officiorum,* super qua traditionalis doctrina est prorsus mutila. Et profecto scriptores theologiae, libri catechesis, praeceptores scholarum generatim tradunt in Ecclesia christiana legem officiorum esse in mandatis Veteris Testamenti et in praeceptis Ecclesiae, nulla facta mentione de praeceptis Iesu Christi, qui est fundator Ecclesiae christianae et legislator christianae religionis. Verum facile intelligitur hoc silentium super praeceptis Iesu Christi esse quam maxime absurdum.

Precor idcirco Sacrosanctam Synodum ut in constitutione *de Ecclesia* omissionem corrigat, atque edicat in Ecclesia christiana legem officiorum esse in mandatis Veteris Testamenti, in praeceptis Iesu Christi et in praeceptis Ecclesiae. Et adderem, sicut in expositione mandatorum Veteris Testamenti praecipua tantummodo selecta sunt quae exprimunt spiritum et sensum legis antiquae (talia sunt *Mandata Magna* et *Mandata Decalogi*), ita in expositione praeceptorum Iesu Christi praecipua seligenda esse quae exprimant spiritum et sensum praeceptorum Iesu Christi. Qua emendatione praecepta Iesu Christi coniuncta cum mandatis Veteris Testamenti et cum praeceptis Ecclesiae conficient textum unicum atque fundamentalem Legis christianae.

3

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA
Episcopus Bukobaensis

Ad art. 1 cap. I « De mysterio Ecclesiae ».

I. Considerationes praeliminariae:

1. Non satis explicitatur aspectus fundamentalis missionis Ecclesiae, scil. evangelizatio et prae-evangelizatio, nam « fides ex auditu ». Aliis verbis: non sufficit dicere quod Ecclesia est « sacramentum... unitatis et cum Deo unionis » (lin. 7), dicatur etiam quod debet praeconium salutis proclamare.

2. Missio Ecclesiae declaretur conspecta sua realitate historica: in multis regionibus (scil. Islamismi, Buddhismi, Induismi et ubi viget dechristianizatio), perpauci sunt qui, audito evangelio, convertuntur. Tamen Ecclesia ibi praesens esse debet ex mandato Domini. Hanc praesentiam Ecclesiae iustificari oportet titulo eius missionis universalis quae non tantum consistit in praeparatione remota ad evangelizationem proprie dictam, sed reapse iam impletur cum ordinata sit a Deo ut influat et ad Deum magis dirigat spirituales et religiosos valores hominum et societatum. Hoc titulo praesentia Ecclesiae iustificatur apud gubernia civilia vel coetus hominum qui evangelizationem aegre ferunt vel quasi prohibent.

II. Concluditur. Art. 1 in tres paragraphos distribuatur:

1. Titulus « Lumen Gentium » a Christo ad communitatem ab eo fundatam translatum est: schema linn. 1-5.

2. Missio Ecclesiae declaratur secundum totum suum ambitum: vide textum infra propositum, sub III.

3. Unificatio progressiva mundi explanationem de fundamentali omnium unitate in Christo urgentiorem facit: schema linn. 6-15.

III. Textus propositus: inserendus in fine lin. 5:

Ab eodem Christo Iesu mandatum praedicandi Evangelium omni creaturae accepit Ecclesia (*Mc.* 16, 15; cf. *Mt.* 28, 19-20) ut in suo sinu aggregentur quos dedit ei Pater.[1] Ut sit sal terrae et lux mundi (*Mt.* 5, 13-14) instituta est,

evangelicum fermentum veritatis, iustitiae, caritatis et pacis (Encycl. *Pacem in terris*) spargens in mundum [2] ut, sui et Spiritus Sancti influxu (*Mt.* 10, 20; *Io.* 14, 26; *Rom.* 8, 26; *Act.* 1, 8; 15, 28; *1 Cor.* 2, 4, etc.), vita hominum socialis, culturalis et religiosa ad prosecutionem spiritualium valorum cuique culturae vel religioni propriorum profundius inclinetur et sic mundus Deo fiat propinquior. Tandem sublevatione pauperum et cura aegrotantium caritatis Christi testimonium (cf. *Act.* 6, 1-6; *Io.* 13, 35) saeculo exhibet.[3]

Insuper, inserendum est lin. 14: ... coniuncti, *meliorem cognitionem Verbi salutis adipiscant* et plenam *inde* unionem in Christo consequantur.

IV. Notae: 1. « quos dedit ei Pater »: ad significandum 1) conversionem esse donum Dei; 2) libertatem conscientiarum.

2. Haec actio transformans mundum pertinet ad missionem fundamentalem Ecclesiae et reapse iustificat suam actualem praesentiam sanctificantem, tam in coetibus hominum nondum maturis ad kerygma audiendum quam ubi socialis ordo practice prohibet conversiones.

3. Navitas caritativa Ecclesiae expresse dicatur eodem motivo de quo sub 2.

Ad art. 2 cap. I « De mysterio Ecclesiae »: (*Aeterni Patris de universali salute consilium*).

I. Consideratio praeliminaria:

Idea missionaria absens est. Divinum de universali salute consilium realizatur *in* « congregatione iustorum » (lin. 22) sub uno Capite constituta (pag. 8, lin. 1). Dicendum erit insuper quod realizatur *per* hanc ipsam Ecclesiam.

II. Textus propositus, inserendus pag. 8, lin. 1, post verbum « constitueret »: in divina oeconomia, haec communitas salutis est etiam salutifera; mediationem Christi exercens per Spiritum Sanctum, ut sit salus Dei usque ad extremum terrae (cf. *Is.* 49, 6; *Act.* 13, 47) et ambulent nationes in lumine suo (cf. *Is.* 60, 3).

Ad art. 3 cap. I « De Ecclesiae mysterio ».

Propositio prima:

I. Consideratio praeliminaria:

Ecclesia praesentatur ut a Deo convocata « ut sit pro universis et singulis sacramentum visibile huius salutiferae unitatis » (lin. 21). His verbis non satis clare indicatur missio Ecclesiae, quia utitur verbis quae ad ordinem sacramentalem sese referunt (cf. nota 5, par. 2, pag. 15) et non praecise ad evangelizationem. Textus valet pro « christianitate », minime vero pro Ecclesia in statu missionali.

II. Textus propositus, inserendus lin. 22, post verbum « unitatis »: ... et sit et ipsa convocans ad Christum per Spiritum Sanctum, missa ad complendum Christi opus evangelizando eos qui foris sunt, cum sit in Christo lumen ad revelationem gentium.

Propositio secunda:

I. Consideratio praeliminaria:

Lin. 22, inveniuntur verba « ad omnes regiones ». Optamus ut categoriis mere geographicis substituatur realitas sociologica coetuum humanorum (parler de « milieux humains » plutôt que de régions) quia melius respondeat necessitatibus evangelizationis.

II. Proposita emendatio: linn. 22-23 sic legantur: « Ad universas regiones *et diversos hominum coetus* extendenda, in historiam *humanam* intrat, ipsa super tempora et fines populorum exsistens ».

Ad art. 4 cap. I « De Ecclesiae mysterio »: (De Spiritu Ecclesiam sanctificante).

I. Considerationes praeliminariae:

1. Perspectiva huius articuli est « christianitas », minime vero Ecclesia in statu missionali (v. g.: lin. 26 « in corda nostra »; lin. 30 « in fidelibus »). Sed Spiritus Sanctus non soli Ecclesiae inservit eam sanctificando ut ad consummationem cum Christo Sponso unionem perducatur (lin. 36), eam insuper vivificat ut, verbis et factis Christum annuntiando, homines nondum conversos illuminet et in suo sinu aggreget.

2. Curandum quoque est ut Ecclesia non appareat ut in se tanquam in « ghetto » quasi monopolio fruens Spiritus Sancti. Per Ecclesiam sane sed extra eam, operatur Spiritus Sanctus in mundo, per decursum saeculorum in eo intime agendo, eum progressive, quamquam lente, ad cognitionem Dei Salvatoris et Christi eius disponendo.

II. Textus propositus, inserendus post lin. 37: « Ipse est Spiritus Vitae, quem emisit Christo in cruce (*Io.* 19, 3) et dedit Ecclesiae suae ut portans Nomen Iesu coram gentibus et regibus et filiis Israel (*Act.* 9, 15), navitet ad complendum mysterium Christi donec veniat. Idem Spiritus confirmat quod operatus est in nobis (Offert. Missae Sp. S.), sua virtute universaliter operante in diversis hominum coetibus, ut magis eis pateat accessus ad cognitionem et amorem Dei Salvatoris; quapropter profusis gaudiis totus in orbe terrarum mundus exsultat (Praef. Missae Sp. S.) ».

Ad art. 5 cap. I « De Ecclesiae mysterio »: (De Ecclesia ut mystico Corpore Christi).

Caracteristica missionaria Corporis Christi mystici non sufficienter apparent in textu. Quapropter:

Quoad primam paragraphum:

1. Ecclesia describatur non tantum « in facto esse », sed etiam « in fieri ». Linn. 4-6 sic emendentur: « ... credentes *Verbo salutis* (vel: *praeconio paschali*) *ab Ecclesia proclamato,* non tantum huic populo aggregat fratres suos, ex omnibus gentibus *convocandos,* ut filios.

2. Argumentum non limitetur ad « conditionem » (linn. 3-4) acquisitam

populo Dei, sed exprimat insuper vitalem funditionem augmentum extensivi Corporis mystici Christi.

Unde textus propositus, lin. 8 inserendus: « Illud Corpus ad hoc constitutum est ut vitali quadam operatione augmentum faciat in aedificationem sui in caritate (cf. *Eph.* 4, 16) ».

Quoad secundam paragraphum:

Linn. 9-20, agitur de vita Christi prout est communicata *in ipsa Ecclesia* (omnia verba in prima persona plurali: profitemur, sumus etc.). Unde, quae dicuntur linn. 21-26, applicantur Corpori mystico Christi prout est iam constituto, minime vero prout est « in fieri ». Dicatur quod Corpus Christi mysticum est in statu expansivo sui: vita Christi, quae est *in Ecclesia,* eo tendit ut aliis *per Ecclesiam* communicetur.

Vehementer instamus ut aspectus missionarius, scilicet extensio quantitativa Corporis Christi mystici et assumptio omnium humanorum valorum in plenitudinem eius, *clare* explicitetur ope locorum Sacrae Scripturae quae occurrunt in linn. 21-26. Praesertim sequentia in meliorem lucem edantur:

1. Christus per Ecclesiam omne quod humanum est in plenitudinem suam trahit, qui omnia in omnibus adimpletur (*Eph.* 1, 23).

2. Thema Novi Adami, in se assumentis totam substantiam primi, Spiritu suo operante in mundo per Ecclesiam inter Ascensionem et Parousiam, adiungendum Alpha incarnationis et Omega parousiae.

Haec enim sunt maximi momenti, non solum respectu functionis missionalis Ecclesiae, sed pro adaequata intelligentia mysterii Ecclesiae.

Itaque *instanter petimus* ut haec in capite « de Ecclesiae mysterio » inveniantur.

Assumptio valorum humanorum in Christo totali, hic inserenda, non officit quominus haec idea rursus reassumatur in articulo novo quod infra proponemus « de unitate et diversitate Ecclesiae ».

Quoad tertiam paragraphum:

1. « Dona ministrationum » inserviunt augmento qualitativo Corporis Christi mystici (linn. 28-29: nobis invicem), sed, quod inserviunt ei augmento quantitativo siletur in textu. Deest ergo aspectus missionarius in descriptione vitae intimae Ecclesiae!

Textus propositus, inserendus lin. 33, post verba « augmentum Dei »: « quibus etiam, repleti Spiritu Sancto, loquimur verbum Dei cum fiducia (*Act.* 4, 31) resurrectionem Domini et adventum eius testificantes, testimonio praesertim caritatis (cf. *Io.* 13, 35) et verbi salutis praedicatione (cf. *Act.* 13, 26), iis qui credituri sunt per verbum nostrum in Eo (*Io.* 17, 20), ita ut credentium in Domino multitudo magis augeatur (*Act.* 5, 14) ».

2. Lin. 40, loco verborum « vivificat, unit et movet » forsitan melius erit Canonis Missae Romanae textum invocare. Unde emendatio sic sonaret: « Spiritus autem Christi est qui unus idemque in Capite et in membris exsistens, totum corpus *pacificare, custodire, adunare et regere dignatur toto orbe terrarum,* ita ut principium vitae seu anima Ecclesiae iure vocatus sit ».

3. Lin. 6, pag. 10; passiones et tribulationes proficiunt nobis ad gloriam aeternam adipiscendam. Nihil clare dicitur de aspectu missionario tribulationum, et praesertim persecutionum (sanguis martyrum, semen christianorum, Tertullianus), quibus Ecclesia in opere redemptivo Christi, et ideo in augmento qualitativo et quantitativo corporis, pretiosissimas partes agit.

Ideo, emendatur textus modo sequenti, lin. 6: « ... consociamur, *adimplentes in carne ea quae desunt passionum Christi pro corpore Eius* (*Col.* 1, 24), eique compatimur ut cum Ipso conglorificemur ».

Ad art. 6 cap. I « De Ecclesiae mysterio »: (De aliis Ecclesiae imaginibus).

Imagines invocatae describuntur modo statico, iniuriam faciendo thematibus biblicis quae dynamismum prae se ferunt, et tacendo aspectum missionarium, scil. propagationem regni Dei, assumptionem valorum humanorum gentium.

Emendationes minores supplere possunt huic defectui, v. g.:

Lin. 26: « ... pinguibus pascuis nutriuntur, *et memores verbi eius, desiderio flagrant Christo adducendi eas oves quas licet habens tamen non sunt ex eius ovili ita ut unum fiat ovile et unus pastor* (cf. *Io.* 10, 16) ».

Lin. 28: « ... plantat, mundat et fovet *ut radices agens terram impleat* (*Ps.* 79, 10) *et reddat fructum temporibus suis* (*Mt.* 21, 43) ».

Haec emendatio postulat inversionem orationis, lin. 27: Est enim Ecclesia *ager vel agricultura Dei,* vel vinea quam...

Lin. 36: ... tabernaculum Dei cum hominibus *ubi afferent gloriam et honorem gentium* (*Ap.* 21, 26).

Pag. 11, lin. 1: cumulavit, *circumdata varietate* (*Ps.* 44, 10) ut Dei et Christi.

Ad art. 7 cap. I « De Ecclesiae mysterio »: (De Ecclesia in terris peregrinante).

I. Considerationes praeliminariae:

1. Maior pars articuli (linn. 5-25) consecratur ad affirmandum quod Corpus Christi et Ecclesia visibilis (scil. Institutio) in unum coalescunt (commentarius, pag. 22, septem lineas consecrat huic argumento). Sed de statu proprio Ecclesiae peregrinantis, ut est congregatio fidelium, fere nihil dicitur (linn. 25-33; duae lineae in commentario pag. 22).

2. In dictis de Ecclesiae mysterio, necesse est ut nobis clare appareat vultus Ecclesiae quae ad exemplar vitae terrestris Christi sese gerere contendit.

Ergo optamus ut fusius et clarius exprimatur conditio et status Ecclesiae peregrinantis, omnimodo similis statui a Christo selecto in sua vita terrestri, qui scil. venit « in forma servi ». Haec vita Ecclesiae humilis humilem Christum sequentis est aliquid essentiale. In opere plantationis Ecclesiae absolute necessarium est ut Ecclesia sic de se loquatur et appareat vere evangelica.

3. In textu, haec forma evangelica Ecclesiae peregrinantis praesentatur

ut aliquid quasi accessorium. Per verbum « etiam » (lin. 26; quod verbum reperitur etiam in commentario, pag. 22, lin. 5), proponitur per modum concessionis id quod Christus ipse stabilivit tamquam legem fundamentalem regni Dei!

II. Textus propositus, substituendus linn. 26-33 textus schematis: « Sacramentum Christi exsistens, Ecclesia ut signum in nationibus levatum (*Is.* 5, 26) apparet, vestigia humillime premens Christi qui formam servi accipiens humiliavit semetipsum (*Phil.* 2, 7-8) et stetit in medio nostrum sicut qui ministrat (*Lc.* 22, 27). Cum non est servus maior Domino suo, neque apostolus maior est eo qui misit illum (*Io.* 13, 16; 15, 20), Ecclesia sentiens in se quod et in Christo Iesu (*Phil.* 2, 5) non venit ut sibi ministretur sed ut ministret (*Mc.* 10, 45; *Mt.* 20, 28). Verbo suo crucem et mortem Domini annuntians donec veniat (cf. *1 Cor.* 11, 26), in via paupertatis evangelicae incedens testimonium praebet Domini Iesu, qui « mitis et humilis corde » ad se laborantes et oneratos invitat (*Mt.* 11, 28-29). Adhuc peregrinans a Domino, per fidem ambulans et non per speciem (*2 Cor.* 5, 5-7) manet tamen sortis Christi patientis particeps (cf. *2 Cor.* 1, 5; *Phil.* 3, 10-11; *1 Petr.* 4, 13), at tribulatione et odium huius mundi (*Io.* 15, 18-19; 16, 33) in patientia et gaudio Spiritus Sancti patitur. Crucifigitur quidem cum Christo ex infirmitate, vivit tamen cum illo in virtute Dei (cf. *2 Cor.* 13, 4); sanctos et peccatores in se complectens, in mundo exsistens, non est de mundo (*Io.* 17, 11-16). Sic commissas sibi partes implet ut omnes homines, quos ardentissima caritate ad se vocat, ad regnum caeleste in gloriam Patris perducat.

Ad art. 8 cap. I « De Ecclesiae mysterio ».

I. Considerationes praeliminariae:

Lin. 15, pag. 12, dicitur quod catechumeni *voto* tantum cum Ecclesia coniunguntur.

1. Inspectis criteriis lin. 7 allatis, videtur dicendum quod ad Ecclesiam realiter pertinent catechumeni triplici vinculo professionis sacramenti et regiminis.

Ei pertinent *vinculo professionis fidei*: ad catechumenatum admitti quis potest nisi emissa professione fidei in Christo Salvatore. Quod patet ex caerimonia admissionis in catechumenatum (cf. Novus ordo baptismi adultorum, S. C. R., 1961). Fides eius est inchoativa, sed ad modum seminis quod totum iam complexive continet, quamvis non distincte.

Ei pertinent *vinculo sacramentali*: quia ordo sacramentalis eum inchoative sed realiter attingit. Sacramentalia quae recipit (caerimoniae pro diversis gradibus catechumenatus provisae in novo Rituali) iam ei dispertiunt gratiam sacramenti suscepturi et ad idipsum ordinant. Ius habet ex Codice ad funeralia christiana.

Ei iunguntur *vinculo regiminis*. Ecclesia catechumenis multa praecepta imponit, non tamen iure communi, sed statutis synodalibus particularibus et legitimis consuetudinibus localibus. Si quis catechumenus iis praeceptis non

obtemperaret, a communione ecclesiastica sui propria abscinderetur nec ad baptismum admitteretur.

Quae omnia certe implicant nexum cum Ecclesia alius generis strictioris quam votum.

2. Textus schematis ad votum logice appellare debet, inspectis dictis pag. 11, linn. 39-40, ubi implicite theologia voti baptismatis tangitur. Catechumeni non sunt baptizati; ergo non sunt de Ecclesia, cum sit ianua eius.

Sed melius status ecclesiasticus catechumenorum determinatur ex triplici criterio de quo lin. 7, pag. 12, scil. professionis fidei, sacramenti et regiminis ac communionis.

Ergo emendandae essent linn. 39-40, pag. 11: necessitas Ecclesiae ad salutem aliter probetur, argumento magis ontologico, et non ex necessitate baptismi.

3. Lin. 16 dicitur: « cogitate et explicite ut ei incorporentur expetunt ». Sed catechumenus non solum interno desiderio (cogitate et explicite) baptismum expetit, sed visibiliter, aggregatione reali et publica in ordine catechumenorum, ritu ecclesiastico sancita (cf. Novus ordo baptismi adultorum).

II. Textus propositus: « Inchoative, ad Ecclesiam pertinent catechumeni, quippe qui, professione fidei in Christum emissa momento suae publicae et ritualis aggregationis in catechumenatum quamvis nondum nati tamen concepti (S. Aug.) cogitate et explicite ut ei *plene* incorporentur expetunt; quos in suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia ».

4

Em.mus P. D. RADULFUS card. SILVA HENRIQUEZ
Archiepiscopus S. Iacobi in Chile

A Radulfo card. Silva Henriquez, praeside Conferentiae Episcopalis Chilensis ac arch. Iacobopolitano, et ab exc.mo Alfrido Viola, ep. de Salto et praeside Conferentiae Episcopalis Uruquariensis, et ab aliis episcopis signantibus praesentatae.

Pag. 7, lin. 6: loco « in Christo » ponatur « Christi ». *Ratio*: sensus fit clarior.

Pag. 7, lin. 3: supprimatur « caligine » et ponatur « in hoc saeculo ». *Ratio* est evidens.

Pag. 7, lin. 7: post « sacramentum » ponatur: « hominum cum Deo unionis et intimae totius generis humani unitatis ». *Ratio*: alteratio ordinis clarius exprimit prioritatem unionis cum Deo in significatione sacramentali Ecclesiae.

Pag. 7, linn. 10-11: omittantur verba « illudque sermone ... enucleans ». *Ratio*: non apparet cur haec intentio sit declaranda in schemate ipso.

Pag. 7, lin. 12: supprimatur « vehementioremque ». *Ratio*: videtur redundare.

Pag. 7, lin. 15: supprimatur « etiam ». *Ratio*: sic unio in Christo non apparet tanquam aliquid nimis separatum ab ordine temporali: Christus est *anakefalaiosis* totius creationis.

Post verba « in Christo consequantur » addatur emendatio sub n. 10 a tredecim episcopis africanis proposita. Cf. libellum typis editum cum emendationibus.

(Observationes ad numeros 1-6 huius capitis iam propositae sunt, cum nova redactio ac clarior distributio materialis horum numerorum postulata fuerit).

Pag. 11, linn. 5-10: loco « Ecclesia sancta ... mysterio assimilatur » ponatur: « Quia Ecclesia hic in terris peregrinans e Capite suo glorioso omnem vitalem impulsum recipit (*Io.* 15, 1-7), arctum intercedit vinculum inter Ecclesiam caelestem et terrestrem (*Act.* 9, 5; *1 Cor.* 12, 12-31; *Eph.* 2, 19-22; *Apoc.* 7, 1-17). Ecclesia autem itinerans aspectu simul communitatis gratiae ac institutionis salutis constat, ex quo duplici aspectu unum Corpus Christi mysticum constituitur et efformatur ». *Ratio*: Prima clausula de vinculatione cum Ecclesia caelesti respondet necessitati explicandi quomodo beati etiam ad Ecclesiam pertineant; hoc valde utile videtur ut fundamentum cultui sanctorum praebeatur. Altera clausula brevius et clarius videtur explicare ea quae sub linn. 5-10 dicuntur, sine praeiudicanda quaestione « de membris », quae tangitur in n. 8.

Pag. 11, lin. 11: supprimatur « enim ». *Ratio*: omissa phrasi praecedenti, hoc superest.

Pag. 11, lin. 12: post « ita » ponatur « analogice » ad supplendam pericopam omissam.

Pag. 11, linn. 19-24: omittantur verba « Haec igitur ... impellunt ». *Ratio*: de his agetur in par. 8 et 9. Identificatio Ecclesiae peregrinantis cum Ecclesia catholica romana, modo sociologico tantum descripta, non videtur exacta. Saltem dicendum est haec omnia intime connecti cum problemate de membris de quo adhuc disputatur.

Pag. 11, lin. 26: verba « etiam in paupertate evangelica » sunt valde obscura: nescitur quid significent.

Pag. 11, lin. 28: addatur emendatio sub n. 102 (in libello) a Patribus linguae germanicae proposita.

Pag. 11, linn. 34-39: verba « Docet ... perseverare » omittantur. Loco eorum ponatur: « Quoad Ecclesiam peregrinantem firmiter credimus omnes qui salvantur, in ea et per eam salvari. Unus enim Christus est mediator ac via salutis; ille autem obviam fit nobis in Ecclesia, eius Corpus ac plenitudo. Hoc tamen nullo pacto voluntati Dei salvificae limites imponuntur (*1 Tim.* 2, 3-4). Divina enim voluntas alios, et quidem perfectione distinctos, modos adinvenit ut homines diversimodi Ecclesiae incorporentur, prout plus vel minus perfecte eius visibilitas exprimatur et homines Christo gratia coniun-

gantur ». *Ratio*: Haec formulatio quoad rem ab axiomate « extra Ecclesiam nulla salus » non discrepat, sed hoc magno commodo, nempe quod doctrina modo positivo exponatur eiusque fundamentum elucidetur. Verba schematis « institutum necessarium ad salutem » saepe male intelliguntur.

Pag. 12, linn. 3-8: Verba « Reapse ... et communionis » omittantur. *Ratio*: textus non bene cohaeret cum nuper dictis de baptismate uti « ianua Ecclesiae », nec cum dicendis in schemate *de Oecumenismo*; implicite negat fratres separatos iure dicendos esse fratres; stricte intellectus, textus negat pueros, amentes, rudes in Ecclesia versari siquidem « integrum eius ordinationem omniaque media salutis in Ea instituta » non agnoscunt.

Loco horum verborum ponantur paragraphi sub emendatione 112 (a exc.mo Poncet proposita), *omisso* tamen paragrapho ultima « Non salvatur tamen ... remanet ... », et omissa etiam designatione « Romana » quia sufficienter exprimitur cum de Summo Pontifice loquitur.

Pag. 12, lin. 9: omittantur verba « in fide et spe » et dicatur tantum « qui in caritate non vivit ». *Ratio*: si quis nec fidem christianam servat, non videtur — iuxta supra dicta — pertinere ad Ecclesiam.

[*Subsignaverunt*:] Raul card. Silva, Santiago Chile; Alfredo Viola, ob. de Salto (Uruguay); Felipe Santiago Benítez, ob. aux. de Asunción (Paraguay); Alberto Rencoret, arzob. de Puerto Montt (Chile); B. Piñera C., ob. de Temuco (Chile); Eladio Vicuña, ob. de Chillan (Chile); Fr. B. Valenzuela, ob. de Antofagasta (Chile); Humberto Tonna, ob. de Florida (Uruguay); Emilio Tagle C., arzob.-ob. Valparaiso (Chile); Arturo Duque Villegas, arz. de Manizales (Columbia); Miguel Angel Builes, ob. de Santa Rosa (Columbia); Alfonso Uribe J., ob. aux. de Cartagena; Armando Gutierrez Granier, ob. tit. de Pionia; Miguel Balaguer, ob. tit. de Castel Minore; Héctor Rueda H., ob. de Bucaramanga (Columbia); Jorge Manrique H., ob. de Oruro; Manuel Larrain E., ob. de Talca (Chile); Manuel Santos, ob. de Valdivia (Chile); Roberto Cáceres, ob. de Melo (Uruguay); Marcelo Mendiharat, ob. c. de Salto (Uruguay); Manuel Sanchez, arzob. de Concepción (Chile); Norberto Forero, ob. de Santa Marta (Columbia); José M. Carrizo, ob. de Chitré (Panama); Antonius Castro B., ob. de Palmira (Columbia); Sergio Méndez Arceo, VII ob. de Cuernavaca (Mexico); Rafael Sarmiento, ob. de Ocaña (Columbia); Francisco Valdes Subercaseaux, ob. de Osorno (Chile); Bernardo Arango, ob. de Barranca Bermeja (Columbia); Juan Diaz Plata, prel. null. de Bertrania (Columbia); Franciscus Gillmore, tit. de Auzia, vic. castr. (Chile); José Rafael Pulido Mendez, arzob. coad. de Mérida (Venezuela); Pedro José Rivera Mejia, ob. de Socorro y San Gil (Columbia); Alejander Durán M., ob. de Ancud (Chile); Luis Rodriguez, ob. de Santa Cruz (Bolivia); Miguel Antonio Medina, ob. aux. de Medellin (Columbia); Tomas A. Clavel M., ob. de David (Panama); Augusto Salinas SSCC, ob. de Linares (Chile); H. Lara M., Verapaz (Guatemala); T. Eugenin SSCC, ob. tit. de Gerisso; V. Borić, Punta Arenas; Al. Menchaca, ob. tit. de Pinara; Guillermo Hartl, vic. ap. de Araucania (Chile); Luis Baccino, ob. de San José de Mayo; Ramón Bogarin A., ob. de S. Juan Bta de las Misiones; José Ali Lebrun, ob. de Valencia (Venezuela); Dr. Crispulo Benítez Fonturvel, ob. de Barquisimeto; A. Quarracino, ob. de Nueve de Julio; Jorge Mayer, ob. de Santa Rosa; Raul P. Primatesta, ob. de San Rafael (Argentina); Juan Fr. Fresno L., ob. de Copiapó (Chile); Baltasar Alvarez, ob. de Pereira.

5

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA

Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

Hoc votum vim doctrinae contentae in cap. I et in toto schemate *de Ecclesia* petit.

Nostrum Concilium Vaticanum II habet, sine dubio, suum peculiarem caracterem, ab omnibus praecedentibus plane distinctum.

Nam ex una parte alienum ab eius mente videtur, iustis de causis, novas, explicitas et sollemnes definitiones dogmaticas condere.

Ex altera, iudicatur non esse ullo modo Synodi intentionem fulmine anathematis quemquam errantem punire. Hoc enim videtur alienum rationi cogitandi nostri temporis et paterno ac benigno cordi Summi Pontificis.

Sed hoc necessitatem prementem gignit cognoscendi valorem theologicum doctrinarum quae in capite et in toto schemate, ut ab omnibus recipiendarum, proponuntur. Hanc necessitatem multi Patres clare sentiunt et senserunt ab initio Concilii.

Volumus nunc pressiore modo proponere problema maximi momenti, brevissime considerando aliqua facta et quaestiones inde exortas.

Percurrentes schema invenimus veritates vel propositiones inaequalis prorsus valoris indiscriminatim et eodem fere modo proponi. Ita aliquando perhibetur damnans errores; aliquando paterne tantum exhortans fideles; tum doctrinam traditionalem Ecclesiae mera expositione recolit; tum vero aliquando supponit doctrinam ut de fide credendam. En facta.

Nunc quaeritur: propositiones universae in schemate contentae de fide sunt dicendae?

Aut e converso, omnia quae simplici expositione proponuntur, etiam postquam a Concilio promulgata fuerint, aestimanda sunt obiectum liberae disputationis?

Solutio non facilis videtur. Demus Concilii voluntatem esse ut dogmaticae definitiones vitentur.

Tunc restat de duobus unum: doctrina proposita traditur a Concilio tanquam catholica doctrina vel non.

Si primum (si proponatur velut doctrina catholica) doctrina huiusmodi dicenda est proposita saltem ab universali Ecclesiae magisterio; secus Oecumenici Concilii auctoritas evanescit.

Cum autem proponatur ut edocta a magisterio universali, iam doctrina agnoscenda est ut « de fide », dicente Concilio Vaticano I: « Porro fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tanquam divinitus revelata credenda proponuntur » (Denz. 1792).

Si autem dicamus schematis doctrinam neque dogmaticam esse neque a

magisterio universali propositam (saltem de illis propositionibus quae aliunde « de fide » non agnoscantur), manebit doctrina discussioni obnoxia. Neque satis fit, si dicamus sanctam Synodum notam iam et traditionalem doctrinam renovare. Nam etiam post illam doctrinam clare et saepius iam declaratam, certum est in agro Domini plures et venenatos errores serpere, quibus non efficaciter obsistitur nisi cum clara et inconfusa determinatione valoris veritatum propositarum.

Proinde qua par est reverentia, sed instanter auderem Sacrosanctum Concilium supplicare, ut dignetur significare modo claro et indubio valorem theologicum doctrinarum quas ab omnibus admittendas proponere intendat.

6

Exc.mus P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

Ad n. 1 (*Introductio*).

a) Verba linn. 10-11: « illudque sermone menti hodiernae accommodato enucleans » videtur opportunius omitti. Etsi methodus doctrinam « menti hodiernae » accommodandi sit iustissima, huiusmodi declaratio minime decet textum Conciliarem qui non dirigitur ad Ecclesiam aliquam particularem — non enim eadem est mentalitas ubique terrarum — nec potest habere vigorem ad breve tantum tempus. Secus enim faciliter via pandetur ut quis putet se amplius non devinciri doctrina in hac constitutione dogmatica proposita sub praetextu eam « suae vel temporis sui » mentalitati non esse accommodatam, vel sermone sibi accommodato non expressam.

Ad cap. I.

N. 2, lin. 4, pag. 8. Fortasse expositio doctrinae clarior et magis completa erit si ultima linea sic redigatur: « in novissimis temporibus est *condita* et manifesta » (cf. *Mystici Corporis, A.A.S.*, 35, 1943, p. 204).

N. 6. Doctrina exegetarum prae mente habita, eae tantum imagines adhibeantur de quarum interpretatione communis adest exegetarum consensus.

N. 8. Doctrina a maioribus accepta docet Ecclesiam necessariam esse non solum necessitate praecepti, sed etiam necessitate medii. Hinc phrasis hic posita « ideoque illos homines salvari non posse, qui, Ecclesiam catholicam a Deo per Iesum ut necessariam esse conditam *non ignorantes,* eam intrare etc. », posset inficiari doctrinae traditionali de necessitate medii. Si possibile est, inveniatur alia formula quae utrumque aspectum necessitatis salvet.

N. 10. Videtur in hoc numero desiderari explicita affirmatio obligationis obiectivae pro non-christianis ingrediendi Ecclesiam catholicam. Proponerem ut ultima pars sic redigatur: « Qui, Christum eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, Deum tamen sincero corde quaerunt eiusque voluntatem, per

conscientiae dictamen agnitam, operibus adimplere, sub gratiae influxu, conantur, aeternam salutem sperare possunt; in terris tamen agnitione Christi et glorificatione Patris eius, *ad quae tamen tenentur,* non locupletantur. Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos ad Corpus Christi adducat, ut sic unica via salutis *a Domino volita* eis sternatur.

7

Exc.mus P. D. ALOISIUS BARBERO
Episcopus Viglevanensis

Quaedam animadversiones circa par. 5 cap. I « De Ecclesia »: « De Ecclesia ut mystico Corpore Christi ».

Unus ex exoptatis Concilii fructibus, ut dixit Summus Pontifex Paulus VI in sermone habito initio huius secundae sessionis, est dialogus Ecclesiae cum mundo moderno: « Concilio propositum est ut humanam consortionem nostrae aetatis, quodam quasi ponte instituto, attingat et Ecclesia sit fermentum vivificum et instrumentum salutis (eiusdem) humanae consortionis ».

Ut dialogus iste veraciter condi possit et fructuosior inde evadat communia sint problemata in primis est necessarium.

Quae enim problemata tam vividius ac intimius hodiernos homines « capiunt », quasi radix ac terminus eorum expectationum, quam *personalitas* ac *dignitas, iustitia* ac *aequalitas, fraternitas, libertas et pax?*

Problemata, inquam, immo exigentiae, omnibus communes, de quibus tam saepe disceptatur, tam acriter disputatur, immo laboratur et pugnatur quia ad eorum adquisitionem non raro impedimenta ponuntur.

Haec quidem problemata non tantum profunde tractandi Ecclesia capacitatem habet, sed ad ea splendidius illuminanda doctrinam possidet veracem immo et *patrimonium* quo, his bonis, homines omnes ditare potest.

Haec est doctrina de mystico Christi Corpore in quo, cum Christo Capite et inter nos unimur, et *patrimonium,* Christi Capitis respicit vitam quae in membris diffunditur ubi, una cum membrorum bonis, mirabilem illam « circulationem » efficit quam « *sanctorum communionem* » appellant.

Ait enim Divus Thomas: « Donum ergo Christi communicatur omnibus christianis, sicut virtus capitis omnibus membris et haec communicatio fit per sacramenta Ecclesiae in quibus operatur virtus passionis Christi... et quidquid boni fecerunt omnes sancti communicatur in caritate existentibus » (Opus 6, In expositione Symboli: Communio Sanctorum).

Dolendum est quod in schemate nostro nihil de sanctorum communione dicatur.

Quia centrum et fons horum omnium bonorum est sacrificium eucharisticum et signum unitatis immo et caritatis vinculum est sacramentum pariter eucharisticum, clare inde consequitur quod praecipue in huiusmodi

sacrificio et sacramento bona quae appetunt etiam nostri temporis homines inveniri poterunt (cf. Litt. Enc. *Mystici Corporis*).

In corpore Christi mystico mira quidem dignitas et nobilitas clare effulgent immo et donantur, dicente S. Leone Magno: « Agnosce, christiane, dignitatem tuam... ».

In sacrificio et sacramento eucharistico personalitas alitur, ad socialitatem et fraternitatem educatur ac dirigitur quia mirabili quidem modo personaliter et socialiter sacrificium offertur et de eo nutrimentum assumitur.

Ipsa Missae adsistentia, ut minimum exemplum adducam, vel communiter orando, vel silendo (ut singulariter meditari possit), personalitatem et socialitatem inspirat ac fovet.

Primi christiani qui perseverantes erant « *in fractione panis* » haec dona optime noverant, vivendo in mutua aestimatione, adiutorio et caritate ut clare apparet e. g. in Apologia S. Iustini, S. Cypriani et Tertulliani scriptis.

Inde fraternitas vera habebatur quippe quae in communi Capite fundata et de communi pane, i. e. Corpore et Sanguine Christi, nutrita.

Corporis mystici vita *sanam* operatur aequalitatem, scil. in diversitate, ad vitandam illam quam « *planificationem* » vocant, a diversa mensura donationis Christi et a uniuscuiusque cooperatione derivantem, quae cooperatio plane integra manet cum Deus humanae libertati nullo modo detrectet.

Ex his bonis, inter sese tam mirifice connectis, haud dubio pax illa oritur quae sola vera est utpote in corde fundamentum tenens, quae pacis externae origo et condicio prima omnino evadit.

Dialogus, quem Summus Pontifex tam ardenter exoptat, possibilis et utilis pro certo haberi debet non tantum cum iis qui saltem aliquo modo ad Christum pertinent sed etiam cum hominibus omnibus, quia bona de quibus diximus exigentiam et patrimonium commune constituunt, et etiam ii qui Christi Corpori mystico adhuc non participant tamen « *quodam inconscio desiderio et aspiratione ad hoc Corpus destinantur* » (cf. Litt. Enc. *Mystici Corporis*).

Etiam quaestio circa destinationem post mortem quae tam anxie homines hodiernos tangit atque cruciatur, mirabili luce et solacio a « *sanctorum communione* » ditatur quia defuncti membra Corporis mystici adhuc remanent arcta vincula nobiscum tenentes.

Optandum ergo est ut in hac paragrapho quinta etiam de « *sanctorum communione* » sermo habeatur et aliquae dentur indicationes ad dialogum cum mundo moderno instituendum et Ecclesia Christi clare effulgeat ut lux veritatis, fermentum vivificum et instrumentum salutis (cf. *Serm.* Pauli PP. VI).

8

EXC.MUS P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI
Episcopus Manziniensis

1. *Circa cap. I, sect. III, comma 7.*

Quaedam saltem verborum inconsequentia manifesta est inter ea quae leguntur in paragrapho septima et in paragrapho nona de christianis non catholicis: in par. 7 legimus: « ... licet extra totalem compaginem elementa plura sanctificationis inveniri possint, quae ut res Ecclesiae Christi propriae, ad unitatem catholicam impellunt » (linn. 22-24). In paragrapho nona autem legimus: « Ita Spiritus in cunctis Christi discipulis desiderium actionemque suscitat, ut omnes, *modo a Christo statuto,* in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur. Quod ut obtineat Ecclesia precari, sperare et agere non desinit, omnesque ad orandum et cooperandum exhortatur, ut, purificati et renovati, signum Christi super faciem Ecclesiae clarius effulgens extollant » (linn. 35-41).

Quonam sensu accipitur nomen Ecclesia? Verba: « modo a Christo statuto » suntne intelligenda de meris circumstantiis historicis an immo de reali unione inter catholicos et christianos non catholicos?

2. *Circa cap. I, sect. III, comma 8* (linn. 18-22).

Non satis clara et aperta videntur verba: « Suo modo idem valet de illis qui nescientes Ecclesiam Catholicam esse veram et unicam Ecclesiam, sincere, adiuvante gratia etc. ».

Quid significant verba « Suo modo »? Quo sensu legitur in *Commentario* (pag. 22) « Patet ita proponi quod absolute certum est », si quaestio de sensu, valore et extensione vocabuli « membri » non dirimitur?

9

EXC.MUS P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Conceptio schematis videtur non satis nec praecise socialis, quod existimo contrarium doctrinae quae traditur et temporibus hodiernis.

Simplex lectio erit sufficiens probatio; nihilominus, attenta littera et spiritu schematis possumus afferre aliqua argumenta maioris momenti:

a) In tribus locis tantum, ni fallor, apparet verbum sociale: in pag. 7, lin. 14; in pag. 8, lin. 17 et in pag. 11, lin. 12. Et notare iterum debemus quod agimus de re maxime sociali, ut est Ecclesia ut Corpus mysticum.

b) Cum tractatur de Ecclesia ut mystico Corpore, in n. 5, bene agitur de unione membrorum cum capite, Christo nempe; sed non sic vel fere nihil dicitur de unione membrorum vel fratrum inter se. Cum certo certius constet,

homines in genere et baptizatos non habere conscientiam socialem ecclesialem, et ideo apostolicam.

c) Ecclesia, mater et magistra, munus habet loquendi et praedicandi, non tantum filiis suis, sed et societati ut tali, praesertim in hisce temporibus, ob societatis saecularizatae necessitatem. Quomodo ergo non clare enunciatur haec doctrina hic, relate ad structuras sociales et professionales omnes...?

Haec est doctrina saepissime, continuo repetita in Litteris Encyclicis a SS. Pontificibus tractu temporis. Sic videre est, e. g. apud Leonem XIII, in prooemio *Immortale Dei,* apud Pium XI in *Ubi Arcano,* et praesertim in allocutione Pii XII ad novos cardinales die 20-II-1946. « Ecclesia — dixit — non potest esse inoperans, clausa in silentio templorum... debet enim semper suam actionem praestare ad solidum fundamentum firmandum societatis, ita ut essentialis sit haec eius missio ». Et continuo nobis dat pulchram Ecclesiae definitionem.

Ultimo ipse Paulus VI, feliciter regnans, in sua mirabili allocutione ob initium Concilii Vaticani II in hac secunda parte, disserit de necessitate definitionis Ecclesiae, attentis circumstantiis socialibus. Et in audientia generali feriae quartae ultimae solemniter affirmavit: societatem hanc multum spectare a Concilio Vaticano II.

Et revera. Illa antiqua et pristina societas Adami et Evae inter se et cum Deo Creatore, fit independentia propter peccatum, quod magis vel minus accidit tractu temporis. Analogo modo, societas christiana, postquam recognita est uti talis, magis vel minus separatur ab Ecclesia. Quod prae mentem habere debemus secundum historiam, ut hodiernam mentalitatem sciamus, deformatam in conscientia, seu melius saecularizatam socialiter.

Primis saeculis post redemptionem, Ecclesia erat tamquam populus Dei. Non societas, quae non recognoscebatur a populo romano vel statu.

Sed edictum constantinianum, initio saeculi quarti, faciem Ecclesiae mutat, eius dignitatem recognoscens. Ex quo iam consideratur ut societas, quae partes haberet in civitate terrena.

Advenit hierocratismus, fundamentum praepotentiae et oeconomiae immoderatae Ecclesiae, quae omnia provocaverunt tanta mala in societate ecclesiastica. RR. Pontifices reformatores fuerunt testes deformationis Ecclesiae.

Schisma occidentis, reforma luterana et, denique, revolutio gallica, non solum separationem, sed veram hostilitatem status et societatis circa Ecclesiam provocaverunt et stabilierunt.

Societas est independens a Deo et a Christo in suo esse. Est revera atea. De persona physica unusquisque videbit. Sed familia, professio, communitas quaecumque et societas nihil habent relativum: sunt res absolutae et independentes. Sic res sese habebant.

Quibus attentis et solidatis post tantum temporis spatium, nihil mirum quod sic se habeat hodierna societas. Et renuat ut talis ad Ecclesiam sese referre.

Ecclesia debet dicere et docere cum RR. Pontificibus, quod homines per

societatem connexi non minus a Deo pendent quam personaliter vel singulatim. Et redemptio non adaequate intelligitur nisi circa totam personam. Ideo attingit hominem etiam ut *membrum societatis,* ut partem communitatis.

Ideo Ecclesia debet sese gerere tamquam mediatrix Christi et societatis. Veram doctrinam civium debet promovere. Et intendere tenetur realizationem socialem-temporalem Evangelii in mundo.

Quod maxime valet si attendamus, professionem non salvari nisi per professionem, societatem per societatem.

Scilicet, societas non potest concipi saeculari, sed christiano modo, in suo esse. Et Ecclesia debet promovere actionem professionalem, civicam et socialem, in veritate, in bonitate et in caritate fundatas.

Qua de causa iudico, caput primum de Ecclesia debere emendari circa tria:

1. In introductione schematis et in nn. 2, 3 et 4, doctrina non referatur tantum ad personas physicas, sed etiam ad societatem, suo modo.

2. In n. 5, postquam actum sit de Christo capite, agatur statim, maiori spatio maiori claritate, de unione et societate membrorum seu fratrum.

3. In alio numero, 11 nempe, disseratur de munere Ecclesiae, circa societatem uti talem, relate ad doctrinam, relate ad conscientiam efformandam, relate ad necessitatem actionis socialis. Quae omnia sint veluti fundamentum doctrinale, praeterea, schematis apostolatus.

10

Rev.mus P. D. ALIPRANDUS CATANI

Prior generalis Congr. mon. erem. Camaldulensium O.S.B.

1. Ad n. 2, pag. 7, lin. 22. Loco verborum: « Haec congregatio iustorum a sanctis Patribus... » dicatur: « Haec congregatio eorum qui, non sine relatione ad futuram Ecclesiam etiam visibilem, Deo placuerunt, a sanctis Patribus... ».

Ratio. Textus hodiernus hoc loco dat quasi definitionem Ecclesiae (quod iterum deinde facit alio modo n. 3, pag. 8, linn. 18-20 et n. 7, pag. 11, linn. 5-6). Hoc vero facit solum per aspectus spirituales et invisibiles ipsius (hic per sanctitatem) nulla in eisdem mentione facta de eius aspectu visibili. In n. quidem 7, pag. 11 aspectus visibilis extollitur. Sed hoc modo inter n. 7 et numeros praecedentes apparet magis iuxtapositio quam explicatio unitaria doctrinae. Forte verum est Patres non indicasse explicite relationem ad futuram ecclesiam visibilem quando locuti sunt de iustis antiqui Testamenti constituentibus « Ecclesiam ab Abel ». Sed hoc alibi satis fecerunt (v. g. quando locuti sunt de doctrina extra Ecclesiam nullam esse salutem, hoc semper intellexerunt de Ecclesia etiam visibili). Hoc vero hodie fieri debet quia in disputationibus hodiernis verum periculum est ut dum recte extol-

lere volumus aspectus invisibiles Ecclesiae minus tamen recte a quibusdam eius aspectus visibilis pessumdetur.

2. Ad n. 3, pag. 8, linn. 18-20. Post verbum: credunt (linn. 19-20) addatur: et media sacramentorum ac regiminis a Christo volita adhibent, est Ecclesia...

Ratio. Eadem ac supra. In textu hodierno datur quasi definitio Ecclesiae respectu habito solummodo ad fidem in Christo, elementum nempe solum invisibile. Textus vero addit, talem Ecclesiam esse sacramentum visibile huius salutiferae unitatis. Sed Ecclesia non est sacramentum visibile unitatis per solam fidem in Christo, sed additis professione eiusdem fidei, usu sacramentorum, regimine sub apostolis et Petro.

3. Ad n. 7, pag. 11, linn. 5-6. Post verbum « sancta » addatur: quia est sacramentorum ac oboedientiae communitas non minus ac fidei, amoris et gratiae...

Ratio. Eadem ac supra. Nam ideo in hac terra Ecclesia mediorum sanctificationis compage constat et sustentatur, quia non est solum fidei, amoris et gratiae communitas, uti v. g. volunt Khomjakov et qui eum apud orientales separatos sequuntur, sed etiam communitas mediorum etiam externorum uti sacramentorum et regiminis.

4. Ad n. 5, pag. 9, linn. 1-9. Loco paragraphi: « Christus Dei... mystice constituit », dicatur simpliciter: Relationes inter Ecclesiam et Christum in S. Paulo et in traditione sanctorum Patrum exprimuntur praeprimis per conceptum Ecclesiam esse Corpus Christi mysticum.

Ratio. In hodierno textu in nn. 2-4 et in n. 5 est diversitas terminologiae quoad conceptum de corpore Christi mystico. Nam in n. 5 praesupponitur terminologia ipsius S. Pauli qui conceptum corporis Christi dictum de Ecclesia numquam adhibet nisi de christianis hodiernis et vivis, numquam vero extendit ad iustos VT neque ad sanctos qui iam regnant in caelo. Supposita hac terminologia recte dicitur sicut fit in n. 5, pag. 9, linn. 1-8 Christum, in natura humana sibi unita morte et resurrectione sua... filios Dei dispersos sibi unire et corpus suum mysticum constituere. Sed Patres loquentes de « Ecclesia ab Abel » terminologiam de Corpore Christi mystico extendunt etiam ad iustos VT, uti facit v. g. Augustinus in textu citato in nota 1, pag. 13, sub fine. Et idem facit aut supponit textus hodiernus schematis in n. 2. Et ideo si terminologia n. 2 retinetur v. g. cum Augustino, falsum evadit dicere (sicut facit n. 5 cum S. Paulo) filios Dei factos fuisse corpus Christi mysticum solum inde ab Incarnatione et morte et resurrectione Domini. Ad unificandam ergo terminologiam censeo paragraphum « Christus... constituit » in n. 5 esse delendam et loco ipsius esse ponenda verba supra dicta.

5. Ad n. 7, pag. 11, linn. 22-23. Loco verborum: « licet extra... impellunt », dicatur: « licet extra perfectam unitatem visibilem cum eius compagine elementa plura inveniri possint quae, ut res Ecclesiae Christi propriae, unionem imperfectam cum ea constituunt et ad perfectam impellunt ».

Ratio. Textus ut stat est valde ambiguus. Quid est « totalis compago, et

partialis compago »? Non agitur de compagine totali aut partiali Ecclesiae, sed de unione totali aut partiali — melius perfecta aut solum imperfecta — cum compagine Ecclesiae. Expressionem elementa sanctificationis inveniri posse extra compaginem totalem Ecclesiae videtur fingere quandam compaginem partialem Ecclesiae vagantem extra ipsius compaginem totalem et habentem quaedam elementa sanctificationis; et hoc modo videtur asserere salutem posse esse extra Ecclesiam nulla additione facta.

Mirum est in toto schemate nullo modo recurrere conceptum de unione perfecta et imperfecta cum Ecclesia. Iste conceptus e contra habetur in allocutione Ss.mi Patris ad Concilium habita die 29 septembris.

Oportet ergo clare exprimere 1) distinctionem inter modum solum invisibilem (constantem elementis de se sensibus non obnoxiis, uti gratia, charactere sacramentali, fides interna, caritas etc.) cum Ecclesia simul constante elementis invisibilibus et visibilibus, et modum unionis etiam visibilem (constantem elementis de se sensibilibus, uti professione fidei, usu sacramentorum, oboedientia erga hierarchiam); 2) diversos gradus perfectionis possibiles tam in unione invisibili quam in unione visibili; 3) asserere unionem etiam visibilem perfectam cum Ecclesia coalescere: ex professione eiusdem fidei, ex usu eorumdem sacramentorum, ex oboedientia sub eadem hierarchia, ex communione; 4) asserere neminem salvari nisi moriatur unitus Ecclesiae unione saltem invisibili titulo gratiae sanctificantis et Deum nemini dedisse aut dare gratiam sanctificantem nisi velit, saltem voto implicito, uniri Ecclesiae catholicae unione etiam visibili et perfecta de qua supra.

In schemate multa inconvenientia oriuntur ex non clara expressione huius doctrinae.

6. Ad n. 8, pag. 12, linn. 2-22. Loco textus paragraphi primae: « Reapse... iudicabuntur », et paragraphi secundae: « Voto autem... satagunt », ponatur sequens textus:

« Deus autem " omnes homines vult salvos fieri " (*1 Tim.* 2, 4) et pro certo pariter habendum est qui verae Ecclesiae ignorantia laborant, si ea sit invincibilis, nulla ipsos obstringi huiusce rei culpa ante oculos Domini (cf. Pius IX, Denz. 1642). Profitetur itaque S. Synodus unionem cum Ecclesia fieri posse cum modo solum invisibili, per vincula invisibilia, ut sunt character baptismatis, fides, gratia; tum modo etiam visibili, per vincula visibilia uti sunt receptio baptismatis, professio fidei, sacramentorum usus, oboedientia erga legitimam hierarchiam; et utrumque modum varios gradus admittere. Nemo autem salvatur nisi moriatur Ecclesiae catholicae unitus, realiter et actualiter eo saltem modo invisibili qui habetur per gratiam sanctificantem. Hanc vero Deus dat omni qui habet votum, quamvis implicitum, Ecclesiae se uniendi quam primum cognoverit talem esse voluntatem ipsius, etiam illo perfecto vinculo visibili qui simul coalescit ex receptione baptismatis, ex professione fidei, sacramentorum usu et oboedientia legitimae hierarchiae sub suprema potestate Romani Pontificis. Hoc votum implicitum

habet omnis qui sincera voluntate id vult quod vult ipse Christus, vel, etsi Christum ignorans, sincere adimplere desiderat voluntatem Dei creatoris sui ».

Rationes. Ut exprimatur doctrina supra sub n. 5 exposita: 1) de distinctione facienda inter modum solum invisibilem et modum etiam visibilem unionis cum Ecclesia constante ex natura sua tam elementis invisibilibus quam visibilibus; 2) de gradibus perfectionis diversae quibus in utroque modo unio cum Ecclesia haberi potest; 3) de hoc quod unio etiam visibilis perfecta coalescit ex professione fidei, ex usu sacramentorum, ex oboedientia hierarchiae; 4) factum quod nemo obtinet gratiam sanctificantem necessariam ad salutem nisi velit voto saltem implicito uniri Ecclesiae unione etiam visibili perfecta praedicta.

Textus hodiernus schematis est valde ambiguus: « Reapse et simpliciter loquendo societati Ecclesiae incorporantur illi tantum... »: hoc posset intelligi in sensu quod illi qui non habent simul eandem fidei professionem, eadem sacramenta, eandem hierarchiam et communionem ac in Ecclesia catholica nullo titulo uniuntur eidem Ecclesiae et ideo salvari non possunt. Quod esset falsum.

Imperfectum est dicere, sicut facit textus catechumenos uniri Ecclesiae voto. Nam uniuntur ei fide et professione fidei, oboedientia erga hierarchiam et forte gratia et caritate. Quae unio est iam actualis et realis. Et ipsi iam sunt Ecclesiae et non solum, uti dicit textus, ab Ecclesia, dilectione et cura, amplectuntur ut sui. Sed sunt uniti Ecclesiae modo adhuc imperfecto, sive sub aspectu invisibili (quia eis deest adhuc saltem character baptismalis) sive sub aspectu etiam visibili (quia eis deest receptio baptismatis et usus sacramentorum).

7. Ad n. 9, pag. 12. *a*) Lin. 24. Loco verbi « Cum » ponatur « Quare ».

Ratio est: ut fiat nexus cum textu praecedenti correcto sicut proponitur supra sub n. 6.

b) Lin. 34. Loco verborum: « ... intra Ecclesiam catholicam agat... » dicatur: « Quippe qui non solum donis et gratiis in eis agit qui perfecte etiam visibiliter Ecclesiae catholicae uniuntur, sed sua virtute... ».

Ratio: textus hodiernus dicens Spiritum Sanctum non agere sua virtute sanctificante solum intra Ecclesiam catholicam, sed etiam in illis qui non sunt intra, est valde ambiguus, quia posset intelligi contra sollemne effatum: Extra Ecclesiam nulla salus. Oportet ergo multo accuratius determinare, quia gratia sanctificans non datur a Deo sine relatione ad Ecclesiam. Spiritus Sanctus agit in non catholicis propter eorum votum saltem implicitum se uniendi Ecclesiae etiam visibiliter et perfecte, et ex hac actione, dans eis v. g. gratiam sanctificantem unit eos hoc titulo Ecclesiae realiter et actualiter quamvis modo adhuc imperfecto.

8. Ad n. 10, pag. 13, lin. 5. Post verbum « dirigeret », addantur sequentes sententiae: « Insuper etiam hi qui sine unione perfecta visibili cum Ecclesia catholica salvantur, non salvantur tamen sine voto saltem implicito huius unionis; votum vero ut sit sincerum debet ducere, ad rem quamprimum

hoc possibile sit. Tandem omnis homo habet ius ad plenam veritatem necnon ad plena media atque adiumenta salutis quae Christus humano generi praeparavit. Quapropter... ».

Ratio. In textu modo valde imperfecto exponuntur motiva actionis Ecclesiae ad adducendum non catholicos et non christianos in specie, etiam si sint fortasse bonae fidei, ad perfectam unitatem etiam visibilem in sua compagine, cum magno periculo ne exinde actio missionalis Ecclesiae debilitetur.

11

Exc.mus P. D. THOMAS B. COORAY

Archiepiscopus Columbensis in Ceylon

Pag. 8, lin. 18. Addatur verbum « Haec » ante verbum « Congregatio ».

Pag. 8, lin. 26. Loco verbi « nostra » scribantur verba « filiorum adoptionis » i. e. « Corda filiorum adoptionis ».

Pag. 8, lin. 28. Loco « aqua saliens » scribatur « fons aquae salientis » ita ut textus sonet: « Ipse est Spiritus vitae seu fons aquae salientis in vitam aeternam ».

Ratio est: haud congruenter Spiritus Sanctus potest vocari « aqua saliens »; est Ipse potius fons aquae salientis.

Pag. 8, lin. 34. Loco « per virtutem » melius esse videtur verbum « virtute » vel verba « per Evangelium virtute sua ».

Pag. 9, lin. 15. Melius omittenda verba « corpora nostra », nam coniunctio cum Christo est quid spirituale.

Pag. 9, lin. 16. Loco « coniungantur » inseratur verbum « coniungamur ».

Pag. 11, lin. 22. Loco « totalem compaginem » melius scribatur « proprias compagines ».

Pag. 12, lin. 6. *a*) Loco « Summum Pontificem » melius « Romanum Pontificem ».

b) Post « episcopos » addantur verba « cum eo coniunctos » ita ut textus sic sonet: « Et episcopos cum eo coniunctos regente » nam non agitur de episcopis separatis.

12

Exc.mus P. D. IOSEPH CORDEIRO

Archiepiscopus Karachiensis

Nomine episcoporum de Pakistan, unam animadversionem tantum *scripto* trado circa cap. I *de Ecclesia* nempe: propter essentialem functionem missionariam Ecclesiae, schema *de missionibus* non debet efformari separatim, sed inseri debet in ipso schemate *de Ecclesia.*

Ratio: Praesentando duo schemata sonat ac si essent duae res aliquomodo

separatae, Ecclesia in terris catholicis, et Ecclesia in terris nunc vocatis missiones. Sed Ecclesia est una. Etiamsi Ecclesia missionum eget aliqua differenti consideratione, attamen tota Ecclesia est missionaria. Includendo ergo caput de missionibus in schemate *de Ecclesia,* causa de missionibus non minuetur, sed adiuvabitur. Et inserviet etiam nobis qui venimus de missionibus et habemus nostram originem in his terris, quia aliquando putamus quod Ecclesia in terris catholicis debet habere mentalitatem missionariam, sed obliviscimur quod nos ipsi talem mentalitatem debemus habere.

13

EXC.MUS P. D. PAULUS DALMAIS
Archiepiscopus Arcis Lamy

Conceptio Ecclesiae Christi in nostro schemate non est amplius nimis iuridica. Attamen incorporatio cuiusvis christiani ipso Christo mortuo et resuscitato non debitas partes habet. Verbi gratia et in primis, numquam nostrum schema dicit incorporationem cuiusvis membri Christo fieri per participationem sacramentalem, in baptismo quidem et etiam in eucharistia, morti et resurrectioni Christi. Silet enim de hoc mysterio essentiali quando de eo loqui deberet, v. g. lin. 10, pag. 9. Venit nos in mentem quod schema nostrum identificat adhuc incorporationem Christo cum sola incorporatione visibili Ecclesiae, cum e contrario, secundum effatum Concilii Florentini, incorporatio Ecclesiae sequitur incorporationem Christo: « Per baptismum, dicit praeclare Concilium unionis, membra Christi *ac* de corpore efficimur Ecclesiae » (Denz. 875). Unde sequitur quod definitio membri, sub lin. 3, pag. 10 data, silet de baptismo et unice loquitur de relatione ad Ecclesiam visibilem: quod dogmatice falsum est et oecumenice damnosum. Ideoque nova redactio proponitur.

Sub lin. 11, pag. 9, post vocabulum « profitemur », addatur: « *et qui consepulti sumus cum illo per baptismum in mortem* (*Rom.* 6, 4) *et resurrectionem suam* », unum etc.

Sub lin. 4, pag. 12 post vocabulum « tantum qui », addatur: « *valide baptizati et sic ipso Christo iamiam revera inserti* » integram etc.

Praeterea et in eodem genere, in praecedenti sessione, em.mus card. Ritter dolebat cultum eucharisticum abesse in nostro schemate *de Ecclesia.* In nova autem redactione, hic defectus non vere emendatur. Loquitur quidem nostrum schema de Eucharistia sed obiter et perpaucis, v. g., sub lin. 14, pag. 9, sub respectu quoque unionis fraternae christianorum inter se. Aspectus autem congregationis cultualis populi Dei circa eucharisticum memoriale, seu circa coenam Domini, numquam aperte profertur. Quae praetermissio gravis est, non solum quoad naturam Ecclesiae in seipsa consideratae, sed etiam quoad sacerdotium spirituale fidelium et inexhaustum fontem apostolatus eorum in mundo. Ideoque nova redactio item proponitur.

Sub lin. 13, pag. 9, postquam textus primae epistolae ad Corinthios alluditur, saltem addatur: « *et omnes convenientes in unum dominicam coenam manducaturi* » (*1 Cor.* 11, 20) « *mortem Domini annuntiant donec veniat* » (*ibid.* 26).

Sub linea sequenti formula quae difficultates nonnullas movit sic modificetur: « *Itaque fideles participes facti mensae Domini* » (*1 Cor.* 1, 21) « unum corpus multi » sunt « qui de uno pane » scil. Christo, in memoriam Domini, participant (*1 Cor.* 10, 17).

Jean Wolff (Madagascar), Jean David (Madagascar), Léon Messmer (Madagascar), Guibert (La Réunion), de Langavant (La Réunion), Liston (Maurice), Rakotomalala (Madagascar), Rajoanaivo (Madagascar), Martinez (Madagascar), Vollare (Madagascar), Thoyer (ex-Madagascar), Sartre (ex-Madagascar), Rolland (Madagascar), Puset, Michel Canonne, Zimmermann, A. Fresnel, C. Chilouet, Célestin Nkou (Cameroun), Plumey (Cameroun), Van Hegen (Cameroun), Mongo (Madagascar), Gaumain (Tchad), Dalmais (Tchad), Veniat (Tchad), Cucherousset (R.C.A.), Baud (R.C.A.), Etoga (Cameroun), Zoa (Cameroun).

14

EXC.MUS P. D. EMMANUEL D'ALMEIDA TRINDADE
Episcopus Aveirensis

In Commentario ad cap. I calcem posito asseritur intentio describendi ipsius revelationis lumine quomodo Ecclesiae mysterium a primario christianismi dogmate originem ducat, nempe a mysterio trinitario. Et hoc quidem optime!

Quando autem hoc propositum in rem deducitur in ipso constitutionis textu, meo humili iudicio res non ita feliciter evasit. Par. 2, 3 et 4 textus non videtur satis in evidentiam ponere quae singulis SS. Trinitatis sunt propria vel de ipsis per appropriationem in Sacra Scriptura et traditione fundatam sunt dicta, quando agitur de describendo earum interventu in mysterio Ecclesiae efformando. Si ita fieret, evitarentur repetitiones quae in textu inveniuntur et aspectus cuiusdam operis musivi, de quo aliqui Patres iuste conquesti sunt.

En quae mihi viderentur dicenda:

§ 2. *De aeterni Patris consilio.*

Pater omnes homines creavit (etsi tantum per appropriationem creatio ei tribuatur; haec bene fundatur tum in Sacrae Scripturae verbis tum in traditione; v. g. Symbolum Nicaeno-Constantin.).

Homines lapsos Pater consuluit ad salutem revocare. Patri tribuitur sic dicta « initiativa » salutis.

Ideo Pater misit Filium suum in mundum. (Missio Filii a Patre, quae huic est propria, esset *in recto* hac paragrapho affirmanda, non autem in sequenti, in qua mentio fit de Filii actione in opere salutis efficiendo).

Denique Pater Filii sacrificium in cruce consummatum acceptavit eumque a mortuis suscitando ut Caput novae humanitatis constituit.

§ 3. *De missione Filii.*

In recto ponenda esset Incarnatio Verbi quae proprie Filio tribuitur, verbis e. g. quae in Symbolo Nicaeno-Const. inveniuntur, et *in obliquo* (cum de hac re iam in § 2 in recto dictum est) eius missio a Patre, « quando venit plenitudo temporis ».

Vita et praesertim sacrificium Christi quo ipse novum populum sanguine suo sibi acquisivit et in Ecclesiam constituit cuius ipse est petra angularis.

Haec autem Ecclesia Christi voluntate est pro omnibus hominibus signum et instrumentum vel sacramentum salutis. Ideo ei formam visibilem dedit, eam super Petrum fundavit visibilibus salutis mediis eam instruendo.

§ 4. *De Spiritus Sancti missione.*

Opere Christi consummato, misit Deus Pentecostes die Spiritum Sanctum ut novus Israel, sanguine Christi acquisitus, in populum Dei aedificaretur (cf. *Act. Ap.,* cap. II).

Spiritus Sancti ductu Ecclesiae hierarchia constituitur quam ipse assistentia a Christo promissa dirigit, fovet atque illuminat.

Spiritus Sancti gratia, praesertim sacramentis a Christo institutis et in sinu Ecclesiae positis, sanctificantur animae et caritate in Ecclesia, cuius ipse est anima, devinciuntur.

Spiritus per virtutem Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam eamque perpetuo renovat, et ad consummatam cum sponso suo unionem perducit.

15

Exc.mus P. D. MAXIMILIANUS DRŽEČNIK
Episcopus Mariborensis

Vellem quasdam adnotationes facere de art. 7, cap. I, pag. 11: « De Ecclesia in terris peregrinante ».

Die 2 oct. propositum est ab exc.mo D. Franić, ep. Spalatensi, ut in hoc articulo sermo fieret de Ecclesia militanti. Ego econtra laudare vellem mentionem Ecclesiae militantis, quod in priore schemate quasi dominabatur, in novo schemate prorsus omissam esse.

Haec enim denominatio vel imago 1. non videtur esse biblica. S. Paulus loquens de certamine, quod a seipso et a fidelibus certandum est, prae oculis habet vitam spiritualem fidelium, quae requirit a singulis continuam luctam seu certamen. Non vero videtur in his textibus agere de Ecclesia ut societate.

2. Haec denominatio (Ecclesia militans) obvia est aequivocationi. Sapit enim revera aliquem « militarismum », ut iam dictum fuit in hac aula anno elapso in prima sessione, ac propterea ansam praebet inimicis Ecclesiae, ut ei cupidinem dominandi hominibus et potiendi potestate terrestri seu politica obiciant.

Quare locutio de Ecclesia militanti etiam in catechismis omittenda seu potius ex ipsis eliminanda esse videtur.

Propono autem et humiliter rogo, ut schemati de Ecclesia addatur caput de relationibus Ecclesiae erga societatem civilem resp. erga statum hodiernum, prout iam quidam patres quaesierunt. Tale caput iam fuit in priore schemate, sed reficiendum esset seu emendandum, quod secretariatui S. Concilii iam scripto proposui.

3. Non videtur respondere spiritui Christi, miti et humili corde, qui omnia ad se trahere voluit patiendo et moriendo, non vero *militando.*

16

EXC.MUS P. D. LEO STEPHANUS DUVAL

Archiepiscopus Algeriensis

1. *Propositio. De Ecclesia,* cap. I, n. 8.

In par. 1 deleatur verbum « institutum ».

Loco par. 2 et 3 ponatur: « Cum vero Ecclesia duplicem aspectum essentialiter induat, alterum visibilem et externum, alterum invisibilem et spiritualem, nemo ad Corpus Christi plene pertinere censendus est nisi qui Ecclesiae visibiliter simul et invisibiliter plene coniungitur et inseritur: visibiliter quidem per validam baptismi susceptionem, per apertam professionem catholicae fidei et per debitam erga legitimos Ecclesiae pastores subiectionem; invisibiliter vero per Spiritus Sancti vivificam inhabitationem, pronuntiante scil. apostolo: " Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est eius " (*Rom.* 8, 9).[1]

Neque tamen immerito ad Ecclesiam *suo modo* pertinere dicuntur quicumque ei aut priore tantum modo, aut altero tantum adnectuntur:

Peccatores catholici ad Corpus Christi pertinent per validum Baptismum, per fidei catholicae confessionem, per nexum communionis ecclesiasticae et per spem remediorum salutis quae ipsis offert sancta et misericors Ecclesia.

Voto autem cum Ecclesia coniunguntur Catechumeni, qui Spiritu Sancto movente, explicite ut ei incorporentur expetunt; quos iam ut suos dilectione curaque complectitur Mater Ecclesia.

Quicumque vero, invincibili ignorantia laborantes circa Ecclesiam, vitae supernaturali iam facti sunt participes, eo quod, divina inspirante gratia, per fidem, spem et caritatem voluntati Dei adhaeserunt, recte affici dicendi sunt, in voto, saltem implicito, ad Christum et ad Ecclesiam ».

2. *Votum.* Quum sermo erit de sanctis in caelo, sicut quidam Patres

---

[1] Hinc S. Thomas de peccatoribus universim scribit: « Non sunt membra Christi actualiter, *sed potentialiter,* nisi forte *secundum quid,* per fidem informem; quae unit Christo *secundum quid, et non* simpliciter » (III, q. 8, a. 3, ad 2).

postulaverunt, commissio ne obliviscatur mentionem facere de animis in Purgatorio detentis et de nexibus quibus cum eis unimur.

Nomina episcoporum qui adhaeserunt: ex Algeria: Duval, Lacaste, Pinier, Jacquier, Mercier; ex Tunisia: Perrin; ex Marocho: Lefèvre, Aldegunde; ex Gabon: Adam, Ndong; ex Cameroun: Mongo, Etoga; ex R.C.A.: Bodewes, Baud, Chambon, Cucherousset; ex Congo: Verhille, Fauret; ex Tchad: Dalmais, Gaumain, Veniat.

17

Exc.mus P. D. ARTURUS ELCHINGER
Episcopus Antandrinus, coad. c.i.s. Argentinensis

Contra individualismum in schemate *de Ecclesia.*

Pars prima: *De Ecclesiae mysterio.*

In n. 3, pag. 8, lin. 18 addatur: ... super Petrum et Apostolos aedificans, « et diversa vincula vitae discipulorum socialis in diversis particularibus coetibus vel communitatibus sanctificans ».

In n. 3, pag. 8, lin. 20, addatur: ... legitime constituta, ut sit pro universis et singulis, « mediantibus eorum communitatibus vel fraternitatibus particularibus », sacramentum visibile huius salutiferae unitatis.

In n. 4, pag. 8, lin. 31, addatur: ... et in Ecclesia, « tam particulari quam universali », tamquam in templo...

In n. 5, pag. 9, lin. 34, addatur: ... quando ministeriis sacrae hierarchiae « in diversis fidelium communitatibus » exercentur, ...

In n. 7, pag. 11, lin. 33 addatur in fine huius numeri: ... « Quod autem hic dicitur de universa sancta Ecclesia catholica verum est etiam, mutatis mutandis, de omnibus Ecclesiis particularibus sub regimine episcoporum in communione cum successore Petri constitutis, et etiam de aliis minoribus congregationibus fidelium in quibus ministerium apostolicum exercetur ».

18

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN
Episcopus Celsonensis

1. Omnis Ecclesiae notio *directe* attingere debet eam quae, a Christo condita, in terris peregrinatur atque illis fidelibus constat, qui in tempore vivunt decurrente a Christi resurrectione usque ad adventum Domini.

2. Imago « Corporis Christi », a schemate selecta, optima est et quidem, etsi non unica, in Sacra Scriptura, praedilecta et valde evoluta apparet in Epistolis paulinis. Eadem imago selecta fuit a « schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia Christi* », quod Patribus praesentatum fuit in Concilio Vaticano I. Rationes autem talis selectionis ad mysterium Ecclesiae illustrandum, praecipue huic innitebantur principio: *ut interna Ecclesiae species vin-*

dicaretur, per iustam elementorum externorum aestimationem (cf. Mansi, 51, 553).

3. Ex hoc deducitur quod, quoties completa Ecclesiae notio tradenda sit, clare et sufficienter *de elemento interno et de elemento externo* mentio fieri debet. Id apprime factum fuit in litt. enc. *Mystici Corporis* Pii XII, qui clare affirmavit Ecclesiam a Christo conditam fuisse ut societatem perfectam in genere suo, omnibus mediis iuridicis et socialibus munitam ad opus Redemptionis salvificum in terris perpetuandum.

4. Neque sufficit duplex huiusmodi elementum enumerare: requiritur praeterea ut *nexus intrinsecus inter utrumque* existens affirmetur et explicetur. Hoc enim requiritur ab ipsa Ecclesiae natura quae, uti schema recte dicit, « ob non mediocrem analogiam incarnati Verbi mysterio assimilatur » (n. 7, cap. I). Iamvero, Ecclesia est communio fidelium, interna et externa, una ab alia inseparabilis: immo, et communio externa — quae resultat ex triplici potestate: magisteriali, iurisdictionali et sacramentali — causa est et generatrix communionis internae, in fide et spe et caritate fundata.

5. His principiis innixi, theologi notionem conantur Ecclesiae tradere, quae ipsam clare et complete describant in suis praedictis elementis essentialibus. E. g.: P. J. Hamer ita scribit: « L'Eglise, corps mystique du Christ, est une communion à la fois intérieure et extérieure, communion intérieure de vie spirituelle (de foi, d'espérance et de charité) signifiée et engendrée par une communion extérieure de profession de la foi, de discipline et de vie sacramentelle » (*L'Eglise est une communion,* Paris 1962, p. 98).

6. Iamvero, cap. I nostri schematis, etsi modo aliquatenus diffuso, mentionem quidem faciat de elementis socialibus Ecclesiae et de Ecclesia ut societate, attamen neque clare id enuntiat, neque rationem causalitatis inter elementum visibile Ecclesiae et fidelium communionem internam, firmiter affirmat atque tuetur. Immo et quando videtur notionem Ecclesiae tradere velle, nonnisi aequivoce loquitur.

V. g.: « Haec congregatio iustorum a Sanctis Patribus Ecclesia universalis vocatur, " quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum " colligitur » (n. 2, linn. 22-24).

« ita novus Israel qui in praesenti saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit, Ecclesia Christi nuncupatur » (n. 3, linn. 13-15).

« quam ipse sanguine suo acquisivit, suo Spiritu replevit, aptisque mediis visibilis seu socialis unionis instruxit, eam super Petrum et apostolos aedificans » (n. 3, linn. 16-18).

« Congregatio eorum, qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt, est Ecclesia ab eo convocata et legitime constituta » (n. 3, linn. 18-20).

« Ecclesia sancta, fidei, amoris et gratiae communitas, his in terris mediorum sanctificationis compage constat et sustentatur. Societas autem visibilis et mysticum Christi corpus, non duae res sunt, sed una tantum, quae humano et divino coalescit elemento » (n. 7, linn. 5-9).

Quare, *clarius elucescat in schemate*: *a*) Ecclesiam esse societatem — communionem scil. externam fidelium — cum triplici potestate magisterii, ordinis et iurisdictionis; *b*) communionem fidelium internam significari et generari ab externa communione fidei, sacramentorum et auctoritatis.

[*Subsignavit etiam*:] Narciso Jubany, ep. tit. Orthosiensis in Phoenicia.

19

EXC.MUS P. D. IACOBUS FLORES MARTIN

Episcopus Barbastrensis

Aliqua dicere vellem de cap. I huius schematis *de Ecclesia.* Et quidem cum Summus Pontifex in sua mirabili oratione diei 29 de Ecclesia desiderium ostendit, ut detur de Ecclesia definitio, ut ostendatur Ecclesiae conscientia. Quod ex alia parte necessarium est: Cum enim tot et tanta descriptive dicta sint conveniens omnino videtur ut hac in re aliquid clarum et concretum detur. Non enim videmur satis omnes contenti esse de hac properatione in re tanti momenti. Festina lente, credo dicendum hac in re et quidem tam de ordine servando in tota tractatione, quam de singulis capitibus. Credo omnino laborandum ut ordo tractationis fiat quantocius, a pluribus in discussione et immediata collocutione privata, vel quasi. Hic enim discussio non fit, sed solummodo allocutiones. Res autem esse studio digna et necessaria ut tempus impendatur est clarum ex nota illa quam ad calcem secundae partis schematis *de Ecclesia,* habetur, ex eo quod dictum est de B. Maria Virgine Matre Ecclesiae, de sanctis, de Ecclesia missionum dicta etc.

Dein de ipso hoc tractatu in hac prima parte, deest adhuc claritas in ordine, perspicuitas in unione membrorum, redolet aliqua praeproperatione. Immo in forma qua locuti fuimus, non dabatur requies pro maturandis his optimis quae dicebantur. Non possumus hac in re currere et dein proponere votationem. Forte debemus in memoriam revocare art. 31 et art. 57.

Certe mihi videtur necessarium: 1) agi de ordine logico tractationis; 2) de Ecclesiae definitione curetur speciale studium et quidem ut ab omnibus curetur haec definitio et post 15 dies praesentetur studiorum fructus; 3) clare agi etiam de Ecclesiae necessitate et de hominum salvatione extra Ecclesiam. Licet enim multa adhuc in discussione sint, sunt tamen plura quae clare dici possunt, immo de quibus certe interrogamur omnes; etsi enim multi Ecclesiae non credunt, volunt scire quid Ecclesia dicat de situatione eorum qui in Ecclesia non sunt; 4) valde necessaria sunt etiam de connexione peccatorum, de non catholicis, de paganis, et connexione cum oecumenismo.

Omnino necessarium mihi videtur omnibus dicere: Ecclesiae doctrinam esse: Deum proclamare Patrem clementissimum omnium hominum, immo Deum esse caritatem qui nos diligit, etiam cum peccatores simus et omnes homines velle salvos facere. Omnes homines qui sincere ad Deum veniunt ab

eo recipi, semper, nec quemquam nisi culpa personali et propria in damnationem mitti.

Credo summi esse hodie momenti proclamare valorem bonae voluntatis, sinceritatis, in quaerendo Deo, tam pro bonis quam pro illis qui bonam voluntatem non habent. Hoc modo possumus facilius agnoscere congregationem filiorum Dei. Hoc modo possumus suscitare unionem inter omnes qui Deum amant et desiderant collaborare pro bono. Hoc modo optimismum evigilamus in omnibus hominibus bonae voluntatis. Hoc modo arguere etiam possumus eos qui certe non bonam voluntatem ostendunt in propagatione sectarum contra catholicam Ecclesiam.

Tunc autem omnibus ostendere poterit Ecclesiam esse paratam dialogo cum ipsis, nihil omnino detrahendo de veritatibus ab ipsa proclamatis, sed dialogum incipiendo a momento psychologico uniuscuiusque, quin possit ipsa aliquid detrahere nec ab aliis exigi ut renuntiemus in nostra confessione cuiquam veritati.

In n. 9: optimum duco ostendere quae acatholici servant et servare possunt: veram fidem in Deum, in quasdam veritates, virtutes, connexionem cum Deo, etc.

Sed etiam quae nostra fide et sententia non habent, et quae magni momenti sunt. Propter quod Ecclesia debeat semper laborare ut Domini mandatum adimpleat: Euntes in mundum universum; praedicate evangelium omni creaturae, etiam si cum aliquali prudentia, iuxta Ecclesiae iudicium, sed etiam cum periculo vitae... saltem ita mihi videtur quod dominus in Evangelio promisit: Tradent enim vos... et flagellabunt vos... Exite ad exitus viarum... et compelle intrare, donec impleatur domus...

Quam maximum bonum producet in mundo si, ac Summus Pontifex edixit, videbunt in nobis omnes et hoc praedicamus fidelitatem absolutam Christo: « Non alio lumine praesens hic consensus noster fulgeat, nisi Christo qui est lux mundi; non aliam veritatem quaerant animi nostri, nisi verba Domini, qui unus est magister noster; nihil aliud studeamus nisi eius praeceptis prorsus fideli obsequio obtemperare; non alia fiducia nos suffulciat nisi ea quae flebilem roborat infirmitatem nostram, cum ipsius verbis innitatur: Et ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 20).

Animadversiones additae:

Ut aliquantisper, ad bonum Ecclesiae conferamus, pro tenuitate nostra, haec observanda mihi videntur ad cap. I schematis *de Ecclesia.*

Et 1. quidem, miror quod tot inter imagines de illa enuntiatas, et mirabiliter expositas, nimis exclusive ponantur biblicae et antiquae, quin ex rebus modernis et nostri temporis hauriantur saltem aliquae: e. g. de consociatione internationali pro alimentis mundo afferendis ut est FAO, ut det tritici mensuram pro tota familia humana, vel de rebus electricis quae ex aqua collecta et saliente producit virtutes magnas ad omnia spiritualiter vivificanda, etiam in mundo nucleari; de

aqua irrigante agros ut in mundo toto arida quaeque fecunda reddat... et alia huiusmodi.

2. Ex his omnibus et novis et veteribus facienda erit vera et completa, in quantum possibile, Ecclesiae definitio, ad quod Beatissimus Pater nos invitat, immo urget, in sermone mirabili diei 29 septembris. Attamen hoc requirit magnum laborem omnium, cum theologis omnium nationum, cum discussione tranquilla et studiosa, cum dialogo caritatis et amore pleno, et cum revisione ab omnibus tranquille et non in aula iterum iterumque facta.

3. Omnino necessarium videtur ut ordo logicus totius tractationis sedulo et attente statuatur. Est, saltem ut mihi videtur in mente et in labiis multorum, idea rem non esse maturam de ordine vere logico statuto: Sufficit videre quod in calce primae paginae partis secundae habetur de novo ordine inducendo, sufficit colligere quod de Regno Dei dictum fuit, de Populo Dei, de Beata Virgine Matre Ecclesiae, de hierarchia etc. Necessarium putamus in re tanti momenti non prepropere, sed si possibile perfecte agere, aedificamus enim in aevum et non ad dies. Aedificium inde nostrum robore fortis contra vires etiam atomicas esse debet.

4. Mihi videtur etiam clarius nn. 9 et 10 debere explicari bona quae habere possunt etiam separati immo et pagani. Immo aliquid debere dici de congregatione filiorum Dei. Est enim magni momenti in hodiernis temporibus optimismum seminare et curare ut omnes desiderium habeant laborandi pro humanitatis bono. Ad hoc autem multum inservire mihi videtur si Ecclesiae doctrina proclametur de Dei bonitate: Deum scil. esse Patrem clementissimum omnium hominum, immo Deum esse caritatem, qui nos diligit, etiam cum peccatores simus, et omnes homines velle salvos facere, et ad agnitionem veritatis venire, nec quemquam sine personali culpa damnari.

Credo magni esse momenti proclamare ante omnia valorem bonae voluntatis ante exigentias et obligationes determinatas, quae certe etiam proclamandae erunt: de notis Ecclesiae ex. gr. Proclamando valorem bonae voluntatis, sinceritatis, laboris et strenuitatis in bono procurando, facilius homines allicientur ad unionem stabiliendam inter omnes qui sincere Deum quaerunt et veritatem. Hoc enim modo optimismus evigilatur in omnibus hominibus bonae voluntatis.

Tunc facilius erit dialogus, quin debeamus nostris veritatibus renuntiare, nec quidquam detrahere de his quae ab Ecclesia iam proclamata sunt, vel communiter credit; omnes enim volunt etiam ad pleniorem cognitionem pervenire.

Quod certe animadvertendum erit cum agitur de dialogo stabiliendo cum fratribus separatis. Concilium enim non est dialogus cum fratribus separatis; sed occasio dialogandi. Concilium non debet quaerere a fratribus quid debeamus dicere, quid definire, quid tacere. Ipse Romanus Pontifex clare edixit sermone diei 29, elapsi mensis: « Nos, ut oportet, fidei nostrae quam divinam esse plane credimus, apertissime et firmissime adhaeremus. Ac pro certo habemus eam minime impedimento esse, quominus ad exoptatam consensionem inter nos et Fratres a nobis seiunctos deveniatur, agitur enim de divina veritate, quae est principium unitatis, non discriminis et separationis ».

Nos debemus claram doctrinam catholicam statuere, fidelissime et Scripturae et traditioni et magisterii definitionibus adhaerentes, etiam si sint anni 1950, vel posterioris... Sed in dialogo cum fratribus seiunctis non debemus ea adducere, speciatim ut probationes nisi a momento quo ipsi admittunt; sicuti in dialogo cum Hebraeis, vel cum paganis non possumus Sacram Scripturam Novi Testamenti, aut

traditionem adducere, etiam si sit saeculi primi, vel secundi. Concilium tamen nostrum de Ecclesia loquentem non debet exspectare conversionem hebraeorum vel fratrum separatorum, sed doctrinam catholicam exprimere sincere, exacte, cum germana et critica scientifica Sacrae Scripturae interpretationem, secundum sensum quem tenuit Sancta Mater Ecclesia, eo spiritu ducti omnes, et ipsi fratres de quo nobis loquebatur Romanus Pontifex: « Non alio lumine praesens hic consessus noster fulgeat, nisi Christo qui est lux mundi; non aliam veritatem quaerant animi nostri, nisi verba Domini, qui unus est magister noster; nihil aliud studeamus nisi eius praeceptis prorsus fideli obsequio obtemperare » melius lingua italica « nessuna altra aspirazione ci guidi, che non sia il desiderio d'esser a Lui assolutamente fedeli ». Tunc possibilis et facilis erit dialogus, cum veritatem quaerentes in caritate Christum prae oculis habebimus...

Immo et tunc clare etiam apparebit defectus sincerae et bonae voluntatis earum sectarum quae omnia tentant contra catholicos, certe non amore Christi ducti nec fidelitatem aut pacem quaerentes, sed bellum, non triticum sed zizaniam seminantes.

Si exercitum filiorum Dei instruere poterimus, tunc omnes habebimus in bello generali contra atheismum, contra iniustitias, contra mala spiritualia et materialia quae homines gravant et misere opprimunt.

Insimul magna spe laborabimus, memores verborum Domini qui promisit nobis persecutiones, maledictionem hominum, qui dixerint omne malum adversus vos mentientes... tradent vobis... et flagellabunt vos, et morte vos afficient. Sed his non obstantibus « Euntes in mundum universum praedicate evangelium omni creaturae... » exite in plateas et in vicos civitatis, exi ad exitus viarum et compelle intrare donec impleatur domus...

Utinam Ecclesia sancta Christo totaliter fidelis iter magnum aperiat ut sit vere lumen omnium hominum et salus.

20

EXC.MUS P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

1. Pag. 8, lin. 16: Textus conciliaris: « Ecclesia Christi... nuncupatur... acquisivit ».

Textus Bibl. *Act.* 20, 28 « ecclesiam Dei (*την εκκλησίαν του Θεόν*) quam adquisivit sanguine suo... ».

2. Lin. 28: T. C. « in quo uno Spiritu accessum, etc. ».

T. B. *Eph.* 2, 18: « per ipsum (*δι' αύτου*) ... in uno Spiritu ».

Hinc, per quem (i. e. instrumentaliter) in uno Spiritu... (clarius).

3. Pag. 8, lin. 29: « Ipse est... aqua saliens in vitam aeternam ».

T. B. *Io.* 4, 14 « aqua, quam ego dabo (*δώσω*) ei, fiet in eo fons aquae salientis in vitam aeternam ».

Critica: Biblice loquendo, Christus non est hic aqua saliens, sed dat aquam quae fit in cordibus fidelium tamquam fons vitae aeternae.

Aptior textus est fortasse: *Io.* 7, 37-39.

4. Pag. 8, linn. 28 ss.: T. C.: « Ipse est Spiritus... per quem Pater, etc. ».

T. B. *Rom.* 8, 10 f. loquitur directe de morte physica, non de morte spirituali.

5. Pag. 8, lin. 32: T. C.: « tamquam in templo ».

T. B. *1 Pt.* 2, 5: domus spiritalis (οἶκος πνευματικὸς) non explicite de templo.

6. Pag. 8, lin. 33: T. C.: « diversis donis et charismatibus suis ».

T. B. *1 Cor.* 12, 4: « divisiones gratiarum (χαρισμάτων) ».

Hinc T. C. est combinatio textus latini et graeci. Suntne haec charismata solum de tempore apostolico vel omnibus temporibus ut T. C. « Ecclesiam... dirigit » supponitur.

7. Pag. 9, lin. 13 s.: T. C. « omnes de eius corpore ut uno pane participamus ».

T. B. *1 Cor.* 10, 16: « panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est? Quoniam unus panis, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno pane participamus... ».

Fortasse T. C. debet esse: « et omnes de uno pane propter eius unum corpus participamus ».

8. Pag. 10, lin. 22: T. C. *Io.* 40, 41.

T. B. debet esse *Io.* 40, 11.

9. Pag. 10, lin. 25: T. C. *Io.* 10, 10.

T. B. fortasse debet esse *Io.* 10, 11. 14.

10. Pag. 10, lin. 37: T. C. *Apoc.* 20, 9.

Citatio est erronea, mihi videtur.

11. Pag. 10, linn. 40 ss.: T. C. *Eph.* 5, 22 ss.

T. B. fortasse debet esse *Eph.* 5, 21 ss.

12. Pag. 11, lin. 31: T. C. *1 Cor.* 11, 26.

T. B. se refert ad SS. Eucharistiam. Allusio in T. C. fortasse est ad sanctos et peccatores in Ecclesia ut apud Corinthios.

21

Exc.mus P. D. ANDREAS IACOBUS FOUGERAT
Episcopus Gratianopolitanus

Emendatio proposita in schemate *de Ecclesia* in cap. I de mysterio Ecclesiae n. 3, pag. 8, linn. 18-20 (seu cap. II novo de populo Dei § 9, pag. 8 « Emendationes » Patribus iam traditae, Pars II, linn. 3-5): « Congregatio eorum qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt (hic addatur: *et qui per baptismum in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti regenerati et sic filii Dei constituti...*) ... est Ecclesia (hic addatur: *e Christo nata*) et ab eo convocata et legitime constituta... ».

Ratio emendationis: ne videatur nimiam indulgentiam tribui doctrinae saepe a protestantibus enuntiata, scil. « Ecclesiam esse congregationem fidelium iam salvatorum aut electorum sola fide in Christo » (la réunion des

sauvés par la foi en Christ), omissa doctrina catholica de necessitate generationis ad vitam novi hominis et filii Dei per *Matrem Ecclesiam.* Nam Ecclesia non est prius « *congregatio electorum* », sed primo *generatio filiorum Dei a Matre* Ecclesia, et secundo congregatio illorum filiorum iam a Matre Ecclesia generatorum.

22

Exc.mus P. D. ANTONIUS GRAULS

Archiepiscopus Kitegaënsis

Paragraphus inducenda in cap. 1: *De catholicitate Ecclesiae.*

Mira unitate simul et diversitate ornatur Ecclesia peregrinans, cum sit sacramentum Verbi Dei incarnati, omne quod humanum est, secluso peccato, in se assumentis.

Una est quia non est nisi « unum corpus et unus spiritus (...); unus Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium qui est super omnes, et per omnia et in omnibus nobis » (*Eph.,* 4, 4-6), quia superaedificata est super unum fundamentum apostolorum (cf. *Eph.* 2, 20). Diversitate tamen praefulget quia, secundum Incarnationis oeconomiam, ipsius est in suam praeclaram unitatem assumere et Spiritu Christi imbuere omnes humanos valores cuique culturae proprios.

Hac capacitate universali omnia assumendi in unitatem fidei et caritatis, Ecclesia peregrinans, circumdata varietate, una et catholica signatur.

Sicut Verbum divinum, Redemptor omnium, per admirabilem incarnationem suam, nationi et stirpi traditionibus, cultura modisque cogitandi peculiaribus praeditae incorporari voluit, ita Ecclesia, Mater omnium fidelium, diversitatem proprietatum in « domo Dei » cum observantia recipere, fovere et adimplere certe tenetur, ut voluntati Dei fidele obsequium praestetur. Inde fulget catholicitas Ecclesiae, qua dona naturalia et supernaturalia Spiritus ad plenam perfectionem perducuntur. Cum nata sit haec Dei familia ad omnes filios Dei dispersos in unum congregandos, in eo tendit ut sit unitas in diversitate et diversitas in unitate.

Ideo in unitate ecclesiasticae communionis, sicut « in domo Patris mansiones multae sunt » (*Io.* 14, 2), legitime adsunt Ecclesiae particulares, propriis traditionibus, liturgiis et regiminibus fruentes, integro manente Petri Cathedrae primatu.

Unitas ergo et diversitas sunt quasi duo cardines, aedificationem Ecclesiae his in terris determinantes. Ex una parte, ex principio unitatis oriuntur vincula intimae communionis ecclesialis inter diversas Ecclesiae partes, quae inter se coadunantur communione sanctorum, perseverantes unanimiter, sicut vitae apostolicae exemplar, in doctrina apostolorum, in communione, panis fractione et orationibus (cf. *Act.* 2, 42). Item inter se communicare debent tum quoad opes materiales, cum quoad personas ...

Ex altera parte, diversitatis principium consequentias quasdam involvit

quoad vitam religiosam, scilicet cultum liturgicum, elucubrationes theologorum et fidelium pietatem; quoad aequalitatem Ecclesiarum: eadem dignitate pollent et iisdem fruuntur iuribus.

23

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI

Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Introductio.

In hesterna generali congregatione, [*38*] em.mus praesul Panormitanus, D. Ernestus card. Ruffini, forsan benevolentia motus, clariorem et concinniorem introductionem exoptavit. Revera, quae proposita fuit nec clara nec brevis est, immo, simpliciter mihi notanda esse videtur sententia negativa: non placet! Ex iis quae sequuntur patet conclusio. Ad rem:

Lin 1: *Lumen gentium etc.*: Ex electione verborum facta a priori « Lumen gentium » ad constitutionem inchoandam, periodus est aliqualiter contorta et graviter peccat contra stylum et claritatem.

Lin. 2: *Sacrosancta Synodus*: Praeferenda videtur, quia plenior et traditionalis, formula: Sacrosancta Oecumenica Vaticana Synodus.

Lin. 2: *In Spiritu Sancto congregata*: Numquid, iuxta tridentinum morem, etiam inserendum « legitime » ita ut dicatur: « in Spiritu Sancto legitime congregata »?...

Lin. 2: *omnes*: « cunctos » ponatur loco « omnes » elegantiae causa, ut vitentur repetitiones in lineis subsequentibus: omnes homines (lin. 3), omni creaturae (lin. 4).

Lin. 3: *In caligine*: Caligo hic ponitur ob correlationem cum initio « Lumen gentium », tamen: Caligo, in divinis Scripturis, non tantum significat umbram vel tenebram, sed etiam arcanam Dei praesentiam; en textus! « Caligo in qua erat Deus » (*Ex.* 20, 21); « Dominus pollicitus est ut habitaret in caligine » (*Paral.* 6, 1).

Nec omnes homines in caligine vivere videntur; quo in saeculo Conciliares Patres, qui sunt et homines, vivunt?

Propositio posset offendere et proinde fugare quos Ecclesia vult ad se vocare, scil.: fratres separatos, et homines magis excultos.

Lin. 3: *Claritate eius*: Hoc « eius » certe refertur ad Christum, attamen:

Ecclesia habet suam lucem quae est lux ipsius Christi cuius est discipula et cum quo est magistra.

Ecclesia est Christus mysticus; « numquid Christus est divisus »?... (*1 Cor.* 1, 13).

Concilium — subiectum istius propositionis — habet, cum sit legitime congregatum et a Pontifice rectum, maximam lucem cum gaudeat infallibilitate.

Ergo dicendum potius esset: « luce sua », scil. Concilii et consequenter incisum initiale prorsus esset in aliud commutandum.

Linn. 3-4: *Super faciem Ecclesiae resplendente*: loquitur in praesenti de Christo, tamen notandum est:

Christus illuminat Ecclesiam tantum vel « omnes homines venientes in hunc mundum »?... (*Io.* 1, 9).

Propositio habet valorem grammaticalem restrictivum, tamen in lin. 7 subsequenti disseritur de Ecclesia uti « sacramentum totius generis humani » et in lin. 23 Ecclesia dicitur amplecti universos homines iustos ab Abel iusto usque ad ultimum electum; unde, ergo, restrictio?...

Lin. 4: *Exoptat*: desiderium est actio interna, sed actio conciliaris non est interna! Actio conciliaris ad desiderium tantum, quamvis sanctum et perfectum, reduci potest?

Rectius diceretur: « illuminare exoptans... annuntiat! » at non « illuminando exoptat! » quia actio conciliaris, in hac ultima formula nimis minuitur.

Lin. 5: *Evangelium*: Hac in linea, procul dubio, Evangelium significat « bonum nuntium », tamen: Evangelium, apud homines « in caligine huius saeculi viventes » (lin. 3), significat scripta SS. Matthaei, Marci, Lucae et Ioannis.

E Concilio non prodit editio altera restaurata Evangeliorum uti praefati homines faciliter intelligerent.

Haec enim constitutio conciliaris ortum tantum habet ab Evangelio sed attingit ad integrum Ecclesiae thesaurum doctrinalem qui constituitur: universis divinis Scripturis et traditione divino-apostolica ab Ecclesia fideliter servatis, in dies clarius illustratis, indefectibilis Spiritus Sancti ope, uti innuitur ex linea decima in qua sermo est de dependentia a praecedentibus Conciliis quae non semel tales fontes enumerant (cf. Denz. nn. 873 a, 830, 947, 959, 983 etc.).

Lin. 6: *In Christo*: Quod Ecclesia sit signum et instrumentum est perspicuum; non equidem additio « in Christo » quae nonnisi a vere peritis intelligitur vel intelligi potest.

Si consideramus denique subsequens incisum « seu veluti sacramentum » quocum connecti debet, hoc « in Christo » fere inexplicabile evadit pro maiori parte fidelium qui sciunt sacramenta esse a Christo at non in Christo!

Lin. 7: « *intimae* »: Adiectivum hoc cum habeat sensum proprium et definitum profluentem e radice « intus » id est: quod est occultum, intrinsecum et secretum, non equidem referri potest ad unionem hominum inter se et hominum cum Deo. Melius esset ponere adiectivum « perfectae » aut omittere ex toto adiectivationem ut in divo Augustino olim legebatur in breviario: « O sacramentum pietatis, o signum unitatis, o vinculum caritatis » (feria II infra Oct. Corp. Christi).

Ordo unionum inverti debet.

Lin. 8: *Instantius*: Vox ter repetita apparet in sex linearum spatio: instantius (lin. 8), instans (lin. 10), instantia (lin. 13).

Lin. 9: *fidelibus suis*: Cum Ecclesia sit congregatio iustorum « ab Abel usque ad ultimum electum » (linn. 22-24), « fidelibus suis » significat « sibi »; unde consultius subiectum esset Concilium.

Ex praecedenti observatione patet quod divisio est prorsus inadaequata. Si fideles, denique, sunt omnes iusti, infideles et generatim « mundus universus » estne congregatio pravorum hominum? Haec omnia fluunt ex non bene definita notione Ecclesiae inde ab initio!

Lin. 9: *Declarare intendit*: Concilii est declarare, non vero intendere declarare (cf. prooemia Concilii Tridentini et Vaticani I).

Etsi hodie, fortasse, vitanda sit definitio sub anathematis comminatione, oporteret tamen considerare:

Concilium conscium esse debet suae virtutis et hanc conscientiam saltem ex modo loquendi, si non ex definitione, manifestare debet; apostolus Paulus, in tempore suo, aliter agebat: « Sed licet nos, aut angelus de caelo evangelizet vobis praeterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit... iterum dico: si quis vobis evangelizaverit, praeter id quod accepistis, anathema sit » (*Gal.* 1, 8-9).

Declarare minus est quam definire: Concilium saltem declarare deberet valorem praecipuarum assertionum.

« Declarare intendit » est fere repetitio prioris assertionis « annuntiat » (lin. 5).

Lin. 10: *Sermone menti hodiernae accommodato*: Notate, Patres! Omnis homo vivit in caligine (lin. 3). Qui in caligine vivit, caliginose loquitur. Ergo, Concilium, volens se accommodare menti hodiernae debet caliginose disserere; et revera non semel quae sequuntur caliginose proponuntur!

Lin. 11: *Condiciones etc.*: Vis condicionum huius temporis nimis extollitur nam nova et vehementior dicitur in lin. 12. At Ecclesia a caritate Christi, a quo, in quo et per quem omnia, in divinis Scripturis urgeri dicitur; et quae vis vehementior?

Lin. 14: *Arctius*: « Arctius » sub quodam respectu tantum est accipiendum, nam et illa media enumerata aliquoties homines dividunt.

Lin. 15: *Plenam*: Loco « plenam » « veram et perfectam » dicerem unitatem, cum unitates de quibus supra nec semper verae et numquam perfectae sint.

Prooemium schematis propositi « non placet » novumque proponitur.

Parcite mihi si denuo vos alloqui audeo! Paucas tantummodo, ex multis adnotationibus secretariae traditis, legam novumque vobis postea prooemium tradam.

« In secunda generali congregatione, Em. ... (cf. folia secretariae die 2 c. mensis tradita).

Quoad primum caput, liceat mihi sequentia adnotare:

1. E schemate proposito non apparet cur non-catholici vocari debeant ad Ecclesiam et cur vocationi respondere teneantur.

2. Pluralitas imaginum vix enuntiatarum nisi rite explicentur, aut melius, ubi materia postulat, inserantur, potius confusionem favet quam claritatem quia nonnullae, inter se comparatae, ad invicem se excludunt, e. g.: familia et sponsa; societas, familia et sponsa; societas, familia, sponsa, corpus; vinea et grex.

Et fortasse quis iocose dicat: Ecclesia est arca Noe, in ipsa uniuntur sponsa, familia tota, immo et grex!

Sed haec sufficiant! Ad novam prooemii formam deveniam in qua apparent radices tractationis elementorum a nonnullis purpuratis illustratorum: Fontes (card. Bea); Ecclesia cosmica (card. Lercaro); Ecclesia sacramentum unitatis (card. Ritter); Activitas Spiritus Sancti (card. Confalonieri). Ad rem!

Prooemium.

Amor cum sit Deus,[1] visibilia omnia et invisibilia[2] a se mirabiliter[3] condita et de cuius perfectione participant,[4] ad unitatem impellit;[5] et cuncta, non obstante originali culpa qua vulneratus est homo,[6] quaeque aliqualiter in rerum universitatem redundat,[7] ad unitatem, suapte natura, feruntur;[8] quare, mirabilium praesertim adinventionum causa quae, deitatis incessabili luce ac vi, nostri aevi assecutus est homo, undique in dies crescit culturalis, socialis, cosmicae immo et cultualis unitatis.

Ut homines autem uno etiam ac signanter religionis arctiori vinculo iuncti,[9] unumque corde, mente et opere tandem affecti, ad Deum adspirent Deumque veluti attrectent,[10] qui, omnis vitae est prima origo,[11] haec Sacrosancta Oecumenica Synodus Vaticana II, Sacris Scripturis et apostolorum traditionibus innixa, ut huic generali siti provide occurrat simulque claritatem foveat confusionemque depellat, revocata ad memoriam divina universali oeconomia, distinctisque ac declaratis singulis formis sub quibus, saeculorum decursu, Ecclesia apparuit,[12] de ipsa in strictiori ac pleniori sua acceptione, prout scilicet a Patre per Filium eius Iesum Christum, Sancti Spiritus afflante gratia,

---

[1] *1 Io.* 4, 8; 4, 16.

[2] *Symbolum Nicaeno-Constantinopolitanum.*

[3] *Gen.* 1, 31; *Missale Romanum, Ordo Missae,* oratio dicenda dum infunditur aqua in calicem; ibid. Vigilia Paschalis, oratio post primam lectionem.

[4] *Sap.* 13, 3-5; *Miss. Rom.,* oratio secreta primae Missae in Nativitate Domini.

[5] *Os.,* 11, 1-9.

[6] *Concilium Tridentinum,* Sess. V; *Gen.* 3; *Rom.* 5, 12-21.

[7] *Gen.* 3; *Rom.* 8, 19-23; multorum Sacramentalium universae Ecclesiae preces.

[8] *Is.* 54, 4-10.

[9] *Eph.* 4, 1-16.

[10] *Act.* 17, 27.

[11] *Gen.* 1; *Gen.* 2; *Act.* 17, 24-28.

[12] S. Gregorius Magnus, *Hom. in Ev.* 19: PL 76, 1154 prout in tres lectiones distributa olim legebatur in Breviario Romano in Dominica Septuagesimae.

super Petrum fundata fuit, quaeque eiusdem Paracliti virtute in dies ad perfectiora evehitur, fidelibus suis cunctisque hominibus doctrinam tradit, disserens de Christi Ecclesia in sua arcana natura et salutari missione, de eiusdem constitutione hierarchica seu de ipsius Petri ac signanter ceterorum apostolorum successoribus eorumque in sacro ministerio cooperatoribus, de iis quoque qui dominica sectantur consilia ac tandem de fidelibus caritatis opera assidue exercentibus.

Caput I: *De mirabili totius Ecclesiae sacramento.*[13]

Aeternus Pater, arcano sapientiae ac bonitatis suae consilio, per Verbum suum,[14] Spiritus Sancti virtute,[15] universa, visibilia et invisibilia, creavit,[16] ut Divini Verbi similitudines divinique amoris participationes extarent, cuius vi, in sua pluralitate, cuncta creata unitatem peterent, sicut et ipse Deus, omnium exemplar, principium et finis, qui Trinus est et Unus.

Attamen, inter alia a se condita, ita hominem dilexit ut in ipso sua divina clarius niteret imago:[17] sensibilis naturae, cosmicae cuiusdam ecclesiae, sacerdos factus, vixit Adam in paradiso voluptatis ut operaretur et custodiret illum,[18] cunctisque praeesset;[19] quae omnia, per ipsum cum ipso et in ipso, Deo ac sibi et inter se unita erant. Ideoque, iam in ipso humanae consortionis exordio, Deum Ecclesiam fundasse, verissimo quodam sensu, dicendum est. Est enim Ecclesia, inde a primi Adae innocentis tempore, qui fuit « forma futuri »,[20] hominum cum Deo et inter se adunatio, Dei familia et regnum: qua in societate, Deus pater extat et sponsus, caput et rex, magister atque salvator; humanitas vero filia et sponsa, corpus et subditum, discipula atque salvanda, sed ad cooperationem vocata, uti mater et magistra, in omnium procuranda salute; Spiritus autem gratia est vita, spiramen et vinculum, quo ipsa Ecclesia, familia et regnum, e pluribus fit unum.

Diabolica tamen fraude deceptus, humani generis protoplastes ruit, et per ipsum et cum ipso et in ipso rerum ordo mirabilis. Sed Amor cum sit Deus, a diligenda factura sua numquam destitit; at missis Patriarchis, Moyse et Prophetis servis suis, clariorem in dies Verbi revelationem et ampliorem Spiritus effusionem contulit; quarum vi ac virtute, filios suos in Adamo lapsos[21] atque dispersos ad unum secum indesinenter revocans,[22] ac foedus successive

---

[13] Oratio post II prophetiam olim Sabb. S. in Missali Romano.
[14] *Io.* 1, 3.
[15] *Ineffabilis Deus.*
[16] Symbola fidei.
[17] *Gen.* 1, 27.
[18] *Gen.* 2, 15.
[19] *Gen.* 1, 26.
[20] *Rom.* 5, 14.
[21] *Rom.* 5, 12.
[22] *Io.* 11, 52.

iterans,[23] novas iugiterque perfectiores Ecclesias, seu potius unius eiusdemque universalis Ecclesiae formas praebuit, ab initiali ad patriarchalem, a patriarchali ad mosaico-propheticam, et ab hac ad Christi Ecclesiam, novissimam omnium ac perfectissimam, super eiusdem Christi angularem lapidem et Petri arcem fundatam, in quam cunctarum gentium transiret plenitudo[24] et per quam omnia redire possent in integrum a quo sumpsere principium: Iesum Christum Dominum nostrum, Aeterni Patris Filium.[25]

Imminente enim temporis plenitudine, cum Aeternus Pater Mariam excitavit gratia plenam[26] non tantum primorum temporum revixit Ecclesia sed ex tunc ad perfectiorem formam est evecta: haec namque Dei filia, sponsa ac discipula, necnon cum at sub Eo mater et magistra, innocentis Evae celsitudinem longe superans, Evae nocenti eiusque filiis mirabile extitit salutis exordium.[27]

« Quando venit ergo sacri plenitudo temporis »,[28] e caelorum arce misit Pater[29] coaeternum sibi Filium qui, de intemeratae Virginis intacto sinu Sancti Spiritus obumbratione fecundato,[30] nostram suscipiens naturam « homo factus est »[31] « et habitavit in nobis ».[32]

In ipso autem Incarnato Verbo, Deo homineque in unam eamdemque conveniente personam,[33] supremam Ecclesia perfectissimamque attigit formam: Deitate per modum patris, sponsi ac magistri, relate ad Christi humanitatem se habente; Christi autem humanitate, filiae ad instar, sponsae ac discipulae, matris et magistrae, cum at sub divinitate se gerente.[34] Quae mirabilis Ecclesiae forma, ex ipso Incarnationis facto ad Nazarethanam redundavit familiam,[35] immo ad humanam progeniem et quodammodo ad universitatem creatarum rerum.[36] Quos vero, incarnatione sua, ad se adunaverat

---

[23] Oratio post V proph. olim Sabb. S. in Missali Romano.

[24] Oratio post IV lectionem Vigiliae Pasch. in Missali Romano.

[25] Oratio post II Proph. olim Sabb. S. in Missali Romano.

In confectione universae istius sectionis huius cap. I, duxit me spiritus, saepe saepius et littera, anaphorarum orientalium (signanter Syro-Anthiochenae S. Iacobi), missalis romani, ac totius homiliae S. Gregorii Magni quae olim in dominica septuagesimae legebatur.

[26] *Lc.* 1, 28.

[27] Oratio Miss. Romani in festo B. M. V. Nativitatis.

[28] *Brev. Rom.*, Hymnus ad Mat. temp. Passionis; *Gal.* 4, 4.

[29] *Gal.* 4, 4; *1 Io.* 4, 9-10, 14.

[30] *Miss. Rom.*, Praefatio B. M. V.

[31] *Io.* 1, 14.

[32] *Io.* 1, 14.

[33] *Miss. Rom.*, secreta in secunda Missa Nativ. Domini.

F. Moriones, O.R.S.A., *Enchiridion Theologicum S. Augustini*, Matriti 1961, n. 1160.

[34] S. Augustinus, *Sermo* 291: PL 38, 1319.

[35] *Brev. Rom., Hymnus* (Leonis XIII) ad Laudes in festo S. Familiae.

[36] *Ench. S. Aug.*, nn. 1217-1243 passim.

atque in seipso ad perfectissimam Ecclesiam redegerat, tunc etiam, actione sua, ad se et in seipso, inter se et in seipsis, adunare coepit cum, praemisso asperrimo quadragesimali ieiunio ac tentatore depulso,[37] Dei regnum praedicare aggressus est,[38] et, vocatis, institutis ac missis apostolis; receptis discipulis; adlectis turbis; sua divinitate suaque doctrina miraculis firmata; sacra hierarchia constituta; sanguine effuso et morte, resurgendo, devicta; caelo, gloriose, conscenso; Pentecostes die, Spiritu Sancto affluenter demisso;[39] Ecclesiam ad terrestrem perfectissimam formam evexit.

Haec est universalis Ecclesiae novissima et perfectissima terrestris forma, quam Christi necnon Petri ceterorumque apostolorum vocamus,[40] et ad quam priores eiusdem universalis Ecclesiae formae, tamquam flumina ad oceanum atque semitae ad montis fastigium undique confluunt.[41]

In ea vero, Deus Pater caput extat supremum, sponsus, magister et rex;[42] per Filium suum e Virgine natum, arcane ad consummationem usque saeculi nobiscum manentem,[43] Paracliti Spiritus providentia invisibiliter hanc ipsam Ecclesiam suam gubernans et incessabiliter provehens,[44] visibiliter autem per Petrum in primis ceterosque apostolos, in propria ac successorum persona,[45] tamquam Patres,[46] sponsali quoque anulo ornatos,[47] regalisque Iesu sacerdotii participatione sacratos,[48] capita atque magistros;[49] reliqua fidelium compagine ad eos se habente tamquam filia, discipula, subdita,[50] ac tamen sponsa,[51] immo matris et magistrae munus cum at sub eis exercente;[52] quibus omnibus divini

---

[37] *Mt.* 4, 1-11; *Mc.* 1, 12-13; *Lc.* 4, 1-13.

[38] *Mt.* 4, 23.

[39] Cf. N. T. et praesertim Evang. et Act. notissimos locos.

[40] CONC. VAT. I, Const. Dogm. *Pastor aeternus; Ench. S. Aug.*, nn. 1289-1310; Symb. Apost et Nicaeno-Const.

[41] *Mt.* 5, 17-48; *Eph.* 2, 19-22; *Hebr.* 11, 39.

[42] Pro his titulis qui, diversa ratione, competunt Deo, Ecclesiae eiusque membris sive in hierarchico Ordine constitutis sive non, cf. notissimos Prophetarum, Psalmorum, Evangelii et Pauli locos (e. g. *Is.* 54, 4-10; *Os.* 2; *Eph.* 5, 21-33 etc.) necnon *Ench. S. Aug.* nn. 1217-1392, passim.

[43] *Mt.* 28, 20.

[44] *Io.* 14-16, passim; *Act.* in omnibus capitibus, exceptis 3, 12, 24-27; *Miss. Rom.*, oratio in sabb. Quattuor temp. Pentecostes; *Ench. S. Aug.* nn. 1260-1288, passim.

[45] ORIGENES, *Hom. in Mt.* ad cap. 18; *Ench. S. Aug.* nn. 1289-1327, passim.

[46] *Pont. Rom.*, in initio ritus ordinationis Diac. et Presb. necnon consecrationis Virg. et Regum.

[47] *Pont. Rom.*, in anuli episcopalis traditione.

[48] *Hebr.* 5-10, passim; *1 Pt.* 2.

[49] S. CYR. ALEX., *Comment. in Io.*, lib. 12 (PG 74, 701-722).

[50] *Rom.* 8, 14-17; *Gal.* 4, 1-7; cf. ritum byz. et romanum benedictionis fontis seu aquae baptismalis, ipsosque baptismatis ritus.

[51] Cf. notam 42.

[52] Cf. notam 42.

Amoris virtute, familia,[53] corpus, populus atque regnum[54] exurgit, ad pleniorem in dies unitatem, altioremque sanctitatem provehendum in terris, gloriose ac perpetim consummandum in caelis. Quae supernaturalis societas, sui capitis divini ratione, absoluta unitate et infinita sanctitate refulget; beatissimae autem Virginis, angelorum aliorumque caelitum, immo et revelatae doctrinae, necnon sacrorum instrumentorum salutis ac supernae destinationis causa, sublimi iam unitate et sanctitate coruscat; quia vero, originariae labis humanaeque inde consequentis debilitatis pondere, necesse est de mundano pulvere religiosa etiam corda sordescere,[55] ideo stupebit nemo si terrena Ecclesiae portio, quousque in hac peregrinatur infirmitatis valle, membris seu filiis constet non tantum qui mirabilem iam in terris assecuti sunt sanctitatem, sed et qui, fragilitate, ignorantia aut malitia, membris aegrotis[56] filiisve prodigis comparari valent; quos tamen misericors Pater, per Filium suum generis nostri Satorem, eiusque administros, innumeris pene suae sapientiae suaeque caritatis modis,[57] Sancti Spiritus arcana virtute, qui etiam rebelles quit voluntates compellere,[58] auxiliante quoque ineffabili sanctorum communione,[59] dum sanctos hic adhuc degentes adiuvat ut ad ampliorem perfectionem ascendat, extorres vocat aut revocat, aegrosque a peccatorum lepra[60] saltem, nisi restiterint, mundat;[60] filios impoenitentes vero, tamquam putrida membra lugens resecat;[61] cunctosque sibi adhaerentes, praemissa etiam, quoties oportuerit, salutifera in Ecclesia Purgatorii expiatione,[62] ac suscitatis dein gloriose

---

[53] Ecclesia est in primis familia cum constet Patre, filiis et amore, et, consequenter tantum, regnum et populus.

Quoad omnes praedictos locos, ubi sermo est de Deo, Beata Virgine, capitibus aliisque Ecclesiae membris, ac de paternitate, filiatione, sponsalitate, maternitate, discipulatu, magisterio, et amore uniente, sanctificante, provehente etc. cf. C. M. BERTI, O.S.M., *Methodologiae Theologicae Elementa,* Romae, Desclée, 1955, passim et praesertim pp. 79-90, 100-113, 118-132.

[54] Notandum est, cum dicimus Ecclesiam esse familiam, populum, regnum, nos non loqui figuraliter sed realiter; unde mirandum est quod in schemate proposito familia non fuit inter figuras collocata et ei praelata fuit vox « populus ».

[55] S. LEO MAGNUS, *Sermo IV de Quadrag.* olim in II noct. Dominicae I in Quadr. Brev. Rom.

[56] *Pont. Rom.* in expulsione publice poenitentium ex Ecclesia in feria IV cinerum et in reconciliatione eorumdem in feria V in Coena Domini, necnon in ordine suspensionis et reconciliationis; cf. *Ench. S. Aug.* nn. 1363-1392, passim.

[57] Cf. Anaphoras Orientales et ritus Sacramentorum et Sacramentalium omnium Liturgiarum.

[58] *Miss. Rom.,* secreta Sabb. post Dom. IV Quadr.

[59] Symb. Apost. et Nic.-Const.; Sacrae Liturg. ubi de glorificatione et intercessione Sanctorum ac de precibus pro Defunctis; Sacrarum Indulgentiarum praxis.

[60] Cf. notam n. 56 et omnes poenitentiales ritus, sive pertinentes ad Sacramentum Poenitentiae et Unctionis Infirmorum, sive ad Sacramentalia.

[61] Cf. notam 56.

[62] Cf. Liturgiam Defunctorum.

ipsorum corporibus,[63] Beatorum in caelis tandem iungat Ecclesiae consortio;[64] ubi, in fine saeculorum, tradita per Dominum Iesum Aeterno Patri familia seu regno,[65] ipse Amor qui Deus est,[66] perfectissime in Ecclesia manebit et ipsa in eo;[67] sicque unitatem et sanctitatem assequetur absolutam omnino atque perpetuam.

Nota: Ut dictum est sic esset disponenda materia adhuc tractanda schematis *de Ecclesia*:

Cap. I. De Dei Patris aeterno consilio eiusque temporali executione seu de mirabili totius Ecclesiae sacramento.
Cap. II. De Filio Dei, Domino nostro Iesu Christo.
Cap. III. De Spiritu Sancto ac de sanctitate.
Cap. IV. De Deipara Virgine Maria.
Cap. V. De ministris Dei et Ecclesiae.
Cap. VI. De consiliorum evangelicorum sectatoribus.
Cap. VII. De christifidelibus.
Cap. VIII. De omnibus ad Ecclesiam plene adducendis.
Conclusio.

24

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Tamen omnibus perpensis, haec addere et notare opportunum censeo quod ad primum caput:

In pag. 2, sub n. 3, lin. 11, post verba « populus Dei » addatur nempe: « Electus populus circum electum Messiam » nam magni momenti est munus messianicum sublineare; mysterium Ecclesiae participat mysterium naturae Christi theandricae.

In eadem pag. lin. 19 dicitur: « Qui in Iesum salutis auctorem et pacis ac unitatis principium credunt ». His addendum existimarem: « Ab eoque instituto regimini se subiiciunt mediaque salutis ab ipso constituta amplectuntur » est Ecclesia ab eo convocata. Secus nimis latae interpretationis esse posset, ita ut hanc solam fidem autumnarent ad constituendam illam unitatem, quae Dominus Christus in ultima coena tam enixe efflagitavit.

Item in pag. cit. sub n. 4, lin. 27, post verba « In quo uno Spiritu » addatur: « Per Christum » quia in opere sanctificationis Spiritus appareat velut

---

[63] Symb. Apost. et Nic.-Const.; Lit. Paschalis.
[64] *Miss. Rom.*, oratio pro Episcopo defuncto et generatim pro omnibus defunctis.
[65] *1 Cor.* 15, 20-28.
[66] *1 Io.* 4, 8, 16.
[67] *Io.* 14, 23; *1 Io.* 4, 16.

Christi instrumentum, nam secundum Pauli doctrinam, Spiritus est Spiritus Christi.

In pag. 9, sub n. 5, lin. 40, asseritur: « Principium vitae seu anima Ecclesiae iure vocatum sit ». Redactio sat obscura apparet; insinuare enim videtur Christum Dominum esse animam Ecclesiae, cum in eadem paragrapho de Spiritu Sancto hoc affirmetur; forsan ideo oporteat supprimere verbum « Anima » eo quod hic terminus multis theologis non placeat propter dictionis ambiguitatem et periculum in aliquem errorem theologicum incidendi.

In pag. eadem proponitur et quidem optime imago Corporis Christi, desumpta ex S. Paulo, sed ad naturam Ecclesiae penitus explicandam, reliquae figurae quae in fontibus habentur magis evolvendae essent, praesertim illa populi Dei, quae valde scripturistica est, quae ideam continuitatis cum populo veteris foederis servat, quae periculum nimiae fusionis membrorum cum Christum (periculum iam in Encyclica *Mystici Corporis* damnatum) vitat, quae in explicatione peccati in Ecclesia valde iuvat, quae fundamentum eorum quae circa populum christianum referuntur esse debet.

Ad lin. 9 eiusdem pag. addantur haec: « Ecclesia enim est Corpus quod crescit dum incarnata in hac historia humana adimplet vocationem et missionem, quae ipsam historiam humanam transcendit: instaurare omnia in Christo ».

In pag. 11, n. 7, linn. 10-13, comparatio aliquantulum nobis inexacta videtur quia occasionem praebet erronee concipiendi quod elementum divinum Ecclesiae elemento humano tamquam instrumento utatur (species alicuius apolinarismi ecclesiologici). Aliunde unio hypostatica est unio duarum naturarum in una persona, dum de unione existente inter elementum divinum et humanum Ecclesiae numquam aliquid simile affirmari poterit. Ideo censemus has duas lineas esse supprimendas, nempe: a verbo « Sicut enim » a lin. 10 usque ad « Corpore inservit » lin. 13 et sensus maneret idem.

In eadem pag. 11 n. 8, lin. 36, post verba « Ad salutem » addatur: « totius generis humani qua talis ».

Item in n. 8 eiusdem pag. 11 et in nn. 9 et 10 pag. 12 et 13 mallem ut de hominum pertinentia ad Ecclesiam magis clare et concrete schema loqueretur. Diversae sunt habitudines hominum ad Ecclesiam, quae diversus casus statuunt, omnes de quibus in n. 8 agitur et in 9, pertinente ad Ecclesiam vero sensu, quamvis non pleno et perfecto. Scil.: Sunt membra Ecclesiae vero et proprio sensu, sed secundum analogiam attributionis intrinsecam, secundum maiorem vel minorem sed intrinsecam pertinentiam ad unicam Christi Ecclesiam. Consequenter describantur positive diversi gradus pertinentiae realis ad Ecclesiam, considerando situationes concretas et successive loquatur: *a*) de illis qui sine ulla restrictione ad Ecclesiam pertinent (catholici); *b*) de illis qui sub diversis respectibus pertinent et separantur ab Ecclesia (fratres separati). Ut simul nobiscum quaerant realizationem voluntatis Christi de uno grege sub uno Pastore, et ita detur integratio illorum valorum positivorum quos possident e plenitudine gratiarum et mediorum salutis quibus Dominus

Ecclesiam suam insignivit et quibus in catholica frui possunt; *c*) de illis qui nondum christiano nomine gloriantur, sed sunt membra in potentia, ut ait S. Thomas, etenim post redemptionem Christi situatio religiosa generis adamitici essentialiter mutata est. Ecclesia habet ut propriam missionem totum genus humanum vocare in mensuram aetatis plenitudinis Christi. Ideo proponerem ut ita hi numeri reformentur.

In n. 8, pag. 12, lin. 3, « Ad Ecclesiam pleno et perfecto sensu pertinent et Ecclesiae societati incorporantur illi tantum... ».

In n. 9, eiusdem pag. 12, lin. 23, « Illi qui baptizati christiano nomine decorantur... pertinent sensu vero, sed non perfecto et pleno... Et haec pia Mater cum omnibus illis coniunctam semetipsam scit ».

In pag. 13, n. 10, « Illi autem qui nondum christiano nomine gloriantur pertinent ad Ecclesiam vere sed in potentia » nam Ecclesia ad omnes homines missa est.

Haec omnia humiliter proponimus et submisse venerabilibus Patribus conciliaribus.

25

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET

Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Ad nn. 5 et 6. Quamvis multiplices et frequentes interventiones Patrum in aula conciliari, disceptationem quandoque nimis longam et fatigabilem reddant, nullo tamen modo eas inutiles dicere possumus. Etenim quando res ex variis immo oppositis respectibus considerantur, pleniori et profundiori lumine illustrantur.

Sic fit, ut commissionibus concilii adspectus novi offerantur, qui non raro aptissime ad perficiendum schema propositum inserviant.

Id semper animo teneamus, quod Concilium non cito, sed bene agendum est. In rebus igitur pertractandis non oportet tempus coarctare, licet ex hoc nobis magnum sacrificium veniat. Laboramus enim pro aeterna salute animarum.

Hoc animo motus accedo, ut liceat mihi haec pauca humiliter suggerere.

1. Textus nn. 5 et 6 cap. I, non videtur feliciter exaratus.

Id probat triplex nova redactio completa a variis Patrum coetibus proposita, ut textum actualem substituerent. Idem comprobatur perplurimis emendationibus verbo et scripto propositis.

Finis nempe est regula eorum quae sunt ad finem, iuxta vetus proverbium. Si fines Concilii considerantur, non apta videntur media adhibita, scilicet compositio, ordo et stylus litterarius par. 5 et 6, ad finem quem intendimus.

a) Quoad *fines* Concilii. S. Pontifex Ioannes XXIII aperte distinguit inter substantiam veteris et stabilis doctrinae, seu depositum fidei, et modum seu formam declarandi et exponendi talem doctrinam; declarat etiam opus

primarium Concilii non esse de praecipuis doctrinae ecclesiasticae capitibus disceptare, sed potius ea ratione doctrinam exponere et pervestigare, quam tempora nostra postulant; et magisterium exigit indolis praesertim pastoralis.

b) Nunc autem quaerendum censemus: respondet textus n. 5 et n. 6 cap. I his exigentiis pastoralibus?

Mea humili sententia non respondet.

Textus schematis est mera repetitio doctrinae iam notissimae, et mira perspicuitate expositae in praeclara Encyclica *Mystici Corporis;* et insuper est repetitio quae gravi difficultate premitur, eo quod paucis verbis argumentum Encyclicae explicare conatur, et sic doctrinam obscuram, inordinatam et imperfectam exhibet.

c) Illa adaequatio quae deest inter rationem loquendi (in par. 5 et 6 schematis) et fines quos Concilium intendit, multo magis desideratur, si prae oculis habentur verba a S. Pontifice Paulo VI prolata in allocutione inaugurali huius sessionis II conciliaris, cuius fines, iuxta S. Pontificis verba, sunt: notio vel conscientia Ecclesiae; eius renovatio; unitatis redintegratio inter christianos universos; et Ecclesiae collocutio cum nostrae aetatis hominibus.

Quo modo textus propositus his normis et his finibus respondeat, videri non potest. Non solum doctrinalis expositio in genere, sed etiam defectus ordinis et perspicuitatis, et forma dicendi, a normis pastoralibus supradictis longe distant.

d) Id tandem animum nostrum movet ad hoc votum exponendum: textus schematis, in nn. 5 et 6 cap. I, intendit explicare omnibus gentibus intimam Ecclesiae naturam, eisque pandere perpulchrum sponsae Christi vultum, ut eam noscant et ament, et ad eius gremium attrahantur. Sed textus propositus in par. 5 et 6, hunc altum et optatissimum scopum, meo quidem iudicio, non attingit.

2. Ad tam principale argumentum clare et lucide explicandum, mea humili sententia, ita ut doctrina de Ecclesia sic fulgeat omnibus mentibus, ut optatos fines consequamur, haec necessaria videntur:

a) Lucidius exponantur pulcherrimae imagines, quibus in Sacris Scripturis natura Ecclesiae describitur, et aliae addantur, quae desunt in schemate.

b) Ordo logicus aptius servetur in doctrinae explicatione.

c) Textus non abrumpatur tot citationibus litteraliter assumptis, quamvis et Sacrae Scripturae et Patrum verba intimam texturam schematis conciliaris efforment.

d) Forma dicendi mutetur, ut aptius mentibus hodiernis aptetur. Id tamen caute et sapienter facere oportet, utraque extrema vitia fugiendo: archaicum nempe sermonem, nostrae aetati insipidum et quasi non intelligibilem, et ex altera parte, illam ambiguam et venustam dicendi formam, quae mulcet aures, sed doctrinam non declarat et mentes facile deformat (cf. etiam S. C. de Seminariis, Ep. ad Episc. Brasil. 7 mar. 1950).

3. En brevis ordo idearum, quem commissioni conciliari humiliter propono, si forte alicuius utilitatis sit.

N. 4 praecedens huius schematis his verbis concludere deberet: Unde universa ita apparet Ecclesia — in quam omnes baptismate in nomine Trinitatis (cf. *Mt.* 18, 19) recepto ingrediuntur — ut « de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti sit plebs adunata » (S. Cyprianus, *Orat. Dom.* 23).

1. Illa « plebs adunata », nempe Ecclesia, voluntate divina est *familia Dei,* ad quam omnes homines vocantur, ut in ea partem habeant. Deus est Pater noster; Christus, Frater noster; homines vera fraternitate ad invicem copulantur, et cohaeredes fiunt gloriae, quam Christus nobis meruit. (Haec omnia verbis S. Scripturae et Ss. Patrum illustrari possent).

2. Ecclesia est *domus Dei,* in qua omnes homines mansionem paratam habent, nulla obstante distinctione generis vel nationis, ut omnes inhabitent in Domo Patris. Deus est Paterfamilias, qui Domum regit; Christus est Primogenitus, qui nos participes facit filiationis suae. Spiritus Sanctus est qui testificatur nos filios Dei esse. (Textus S. Scripturae et Patrum).

3. Ecclesia est *mater* omnium hominum. Omnes vocat et in sinum recipit, amore vere materno.

Ditata a divino Sponso omnibus thesauris divinae gratiae, bona sua hominibus impertitur; homines docet legem amoris ut primum et magnum mandatum: amorem scil. Dei et Christi erga homines, amorem hominis erga Deum, amorem fraternum inter homines.

4. Ecclesia est *grex.* Christus est Bonus Pastor et Princeps Pastorum; pastoribus humanis gubernatur, sed ii vices Christi gerunt in Ecclesia gubernanda et pascenda.

5. Ecclesia est *Regnum Dei in terra.* (Textus S. Scripturae et Patrum).

6. Ecclesia est *vinea,* quam caelestis agricola plantat, mundat et fovet. (Textus convenientes).

7. Ecclesia est *tabernaculum Dei* cum hominibus et *habitaculum Spiritus Sancti,* qui pastores et fideles confortat, illuminat atque in reddendo testimonio adiuvat. Praesentia Dei in Ecclesia et ductus Spiritus Sancti. (Citentur textus de praesentia Dei et inhabitatione Spiritus Sancti).

8. Ecclesia est, imprimis et per specialem voluntatem divinam, *Corpus mysticum Christi.*

Hic praesertim, lucidis verbis et logico ordine, summam quamdam redigi opus esset, in qua argumenta fundamentalia colligerentur Encyclicae *Mystici Corporis,* eius stylum imitando et devitando digressiones, ea ratione ut doctrina ita exponatur prout postulant hodierna tempora, non neglectis fratribus separatis.

In schemate hae notiones lucide illustrari deberent:

a) *Corpus* mysticum est *unicum,* propter manifestam voluntatem Dei, cum varietate et distinctione membrorum, cum « donationibus » diversis, cum unitate vitae, cum intima connexione et compage (solidaridad) membrorum inter se et inter membra et caput.

b) Corpus mysticum habet *Caput,* quod est Christus. Praeeminentia et functiones capitis.

c) *Spiritus Sanctus* est tamquam anima Corporis mystici seu Ecclesiae; eius operationes in Ecclesia.

d) Elementa *visibilia et invisibilia* Ecclesiae. Ecclesia in vita christiana sociali, seu communione ecclesiastica, vitam suam divinam invisibilem manifestat. Organismus socialis et visibilis Ecclesiae Christo inservit in Corpore mystico aedificando. Societas visibilis et Corpus mysticum Christi non duae res sunt, sed una tantum, humano et divino elemento instructa. Regimen Ecclesiae et potestas Romano Pontifici et Episcopis collata, donum ministrationis est et servitii, quod augmentum Corporis facit in aedificationem sui in caritate (*Eph.* 4, 11-16; cf. *Col.* 2, 19).

e) Alia sunt charismata peculiaria et alia charismata a Christo stabiliter collata Ecclesiae, quae indesinenter et apostolis et eorum successoribus dentur et in ipsis perseverant.

Ipse Christus Dominus est qui, ut Magister, Rex et Sacerdos agit interius et principaliter in omnibus ministrationibus, praesertim quando ministeriis hierarchicis exercentur.

Ipse Christus, ut vitis vera, fidelibus vitam et fecunditatem tribuit supernaturalem.

f) Ss.ma Virgo Maria in Corpore mystico, iuxta doctrinam Enc. *Mystici Corporis.*

g) Exhortatio finalis, iuxta fines et optata Concilii.

26

Exc.mus P. D. ANTONIUS JANNUCCI

Episcopus Pinnensis-Piscariensis

Pag. 7: *il titolo De Ecclesiae mysterio.*

Sia il titolo del cap. I: *De Ecclesiae mysterio,* sia quello proposto da alcuni Padri: *De natura et missione Ecclesiae,* non sembrano idonei.

Quello dello schema esprime soltanto l'elemento *interno* della Chiesa, mentre quello proposto da alcuni Padri non esprime alcun elemento, *nè interno nè esterno,* è solo generico e si addice più a una tesi di teologia che ad un elaborato conciliare.

Si preferirebbe il titolo biblico: *De regno Dei, quod est Ecclesia.*

Infatti, nel vocabolo « Regnum » si esprime il lato visibile e sociale della Chiesa; nel « Dei » si indica il fermento interiore e spirituale di essa.

Pag. 8, n. 3: « *Super Petrum aedificans* » *oppure* « *Super Petrum et Apostolos aedificans* »?

Indubbiamente su Pietro e sui suoi successori il Divin Redentore fondò la sua Chiesa.

Ne fanno fede i testi evangelici: *Mat.* 16, 18 e *Giov.* 21, 15.

Nello stesso tempo, anche se non nello stesso modo, secondo la volontà di Cristo, la Chiesa viene fondata « *collegialiter* » sul collegio apostolico e sul collegio episcopale a quello succeduto.

Sebbene non siano concordi le sentenze esegetiche dei testi biblici *Ef.* 2, 20 e *Apoc.* 21, 14, esse non possono prescindere dall'ammettere che Gesù volle fondare la sua Chiesa anche sul collegio apostolico, sebbene in modo non univoco con la pietra fondamentale costituita da Pietro.

Si deduce ancora meglio questa verità dell'affinità dei poteri elargiti da Gesù a Pietro « *personaliter* » e agli apostoli « *collegialiter* ». Infatti:

a) Il potere di Ordine trova la sua pienezza sia in Pietro, sia negli apostoli e nei rispettivi successori.

b) Il potere di magistero raggiunge la prerogativa di infallibilità « *personaliter* » in Pietro, « *collegialiter* » negli apostoli e nei rispettivi successori.

c) Il potere di giurisdizione è supremo e universale « personaliter » in Pietro, « collegialiter » negli apostoli e nei rispettivi successori, anche se in fase esecutiva la giurisdizione dei singoli vescovi venga esercitata esclusivamente nella rispettiva diocesi.

Rimane sempre dommaticamente vero, però, che ogni vescovo è tale *prima* per tutta la Chiesa cattolica, come membro del collegio apostolico, e *quindi* vescovo di una particolare diocesi.

In tal senso, per esempio, più che « Vescovo di Milano », meglio si dovrebbe dire « Vescovo a Milano ».

Si propone, pertanto, come più completa e più vera, la locuzione « *Super Petrum et deinde super apostolos aedificans* ».

Essa, mentre indica in modo adeguato il fondamento della Chiesa, costituito per volontà di Cristo da Pietro e dal collegio apostolico, e, per successione, dal Papa e dal collegio episcopale, col « *deinde* » esprime la differenza specifica tra la pietra fondamentale personale, costituita da Pietro e dai suoi successori, e la pietra fondamentale susseguente e collegiale, costituita dal collegio apostolico e dal collegio episcopale a questo succeduto.

Il primato pontificio non ne risulta affatto offuscato, sia perchè non in modo univoco Pietro e gli apostoli sono pietra fondamentale della Chiesa, sia perchè lo stesso collegio apostolico non è autentico se non « *cum Petro et sub Petro* ».

Pagg. 11-13, nn. 8-10: *chi è membro della Chiesa?*

In ossequio alla feconda enciclica *Mystici Corporis* dovrebbe essere espresso meglio nello schema il concetto di « *membro della Chiesa* ».

Certamente va rispettato il concetto bellarminiano, giustificato dalla polemica protestantica, che mette in prevalente evidenza l'elemento visibile, sociale, giuridico della Chiesa, quale segno inequivocabile per la incorporazione piena e vera alla Chiesa.

Nello stesso tempo, però, oggi si dovrebbe fare risaltare di più l'elemento ontologico, che rende realmente « *membro della Chiesa* »; e cioè il battesimo valido, comunque ricevuto.

Nè si dovrebbe trascurare di precisare il concetto della incorporazione iniziale di quelle persone di buona volontà, non cristiane, che tuttavia vanno alla ricerca in qualche modo della salvezza (*Ebr.* 11, 6), perchè anche esse hanno ricevuto il dono salvifico del battesimo, anche se di solo desiderio.

Anche nel volto di esse la Chiesa, fuori della quale non si concepisce alcuna salvezza, scorge qualche lineamento reale e specifico dei propri figli, anche se in modo infimo, offuscato e rudimentale.

Pertanto, il concetto di « *membro della Chiesa* » dovrebbe essere precisato nello schema in questa triplice gradazione:

1. Il cattolico è membro della Chiesa in senso reale, pieno e vero.
2. Il cristiano non cattolico è membro della Chiesa in senso reale, però nè pieno nè pienamente vero.
3. L'uomo di buona volontà in cerca di salvezza, ai sensi del testo paolino *Ebr.* 11, 6, è membro della Chiesa in senso reale, ma solo rudimentale, sia in quanto a pienezza, sia in quanto a verità.

Questa precisazione gioverebbe al vero ecumenismo, alla visione universale della Redenzione umana e alla dilatazione dinamica e missionaria del cuore della Chiesa, Madre costituita da Gesù Cristo a segno e a strumento di salvezza della intera umanità.

27

Exc.mus P. D. VLADIMIRUS MALANCZUK

Episcopus tit. Epiphaniensis in Syria

Praesens schema de Mysterio Ecclesiae praesentat mundo meliori modo quam schema praecedens faciem genuinam Ecclesiae, melius respondet fini oecumenico et statui actuali scientiae theologicae.

a) Hoc schema praesentat Ecclesiam ut Corpus Christi resuscitatum, ut sacramentum Christi viventis et inter homines operantis, ut mysterium Christi viventis in suo corpore mystico, et continuantis Missionem Filii Dei, datam a Patre et transmissam a Iesu Christo apostolis, ut omnes salvi fierent et ut omnia instaurarentur in Christo. In hoc schemate etiam primatus Christi, ut capitis invisibilis Ecclesiae melius apparet. Quae omnia satis deficiebant in schemate praeterito.

b) In schemate praesenti Corpus mysticum minus rigide et non simpliciter identificatur cum Ecclesia visibili, et Ecclesia visibilis cum membris Ecclesiae catholicae romanae. A. v.: in hoc schemate non agitur de Ecclesia romana principaliter, sed locus datur etiam valoribus christianis extra Ecclesiam romanam. Schema supponit recte duos aspectus eiusdem realitatis quae sunt Ecclesia visibilis et Corpus mysticum. Forsan divisio laboris et methodus procedendi oecumenica requirerent ut in primo capite schematis, nulla adhuc mentio fiat de Ecclesia authentica visibili, nempe de Ecclesia catholica romana. Forsan bonum esset hic indicare Ecclesiam etiam catholi-

cam suos defectus humanos habuisse et habere, atque continua renovatione indigere. Cuius testis est ipsum Concilium Oecumenicum.

c) Sicut imago « Corpus mysticum » rectius hic sumitur non tantum in sensu sociali, corporativo, visibili, sed etiam pro identificatione mystica membrorum ope Baptismi et Eucharistiae cum Christo glorificato in suo statu actuali, ita etiam schema supponit recte duplicem esse respectum distinguendum in eadem realitate mystica Ecclesiae visibilis et Corporis mystici.

d) In hoc schemate melius apparet sincerus reditus ad realismum spiritualem traditionis orientalis (byzantinae), qui subordinat « pertinentiam » iuridicam ad Ecclesiam pertinentiae sacramentali et mysticae ad Iesum Christum, etiam secundum dicta Concilii Florentini quod declarat: « Per baptismum membra Christi ac de corpore Ecclesiae efficimur » (Denz. 696) et sec. dicta ipsius Concilii Tridentini iustificationem definientis praesertim per insertionem fidelis in Corpus Christi (Denz. 875). Iste reditus ad realismum spiritualem traditionis orientalis apparet etiam in hoc quod modus concipiendi Ecclesiam non sapit tantum categorias latinas et scholasticas, sed respondet melius mentalitati orientali et christianae, praesertim in hoc, quod considerat mysterium Ecclesiae in linea divinizationis hominis, tamquam realizationis his in terris Consilii divini ab aeterno; quae divinizatio est possibilis quia Christus secundum dogma Chalcaedoneum est verus Deus et verus homo. Optanda est accuratior determinatio textuum S. Scripturae et Traditionis secundum exigentiam strictam exegeseos et amplior usus traditionis ante separationem Ecclesiarum.

e) Quoad « Membra » Ecclesiae et eius necessitatem ad salutem, de quibus in hoc capite: Cum schema non simpliciter identificat absque distinctione diversorum aspectuum Corpus mysticum et Ecclesiam visibilem, supponit hominem posse iustificari etiam si ad Ecclesiam catholicam romanam visibiliter non pertineat. Si Ecclesia catholica romana praetendit ex una parte esse verum Christi Corpus unicum, et ex alia parte liberaliter profitetur gratiam Christi posse etiam operari extra eam (Ecclesiam catholicam romanam), sic optime demonstrat et suam unicitatem quae sit eius vis centripeta, et suam catholicitatem, quae sit eius vis centrifuga.

Schema, et quidem recte, non loquitur de Ecclesia ut sit necessaria necessitate medii, cum sit tantum institutionis divinae positivae, institutionis nempe distributionis gratiae normalis et ordinariae. Ideo homo potest salvari etiamsi de facto non pertineat ad Ecclesiam romanam, nec ad aliam Ecclesiam seu communionem christianam. Etenim gratia operatur etiam extra Ecclesiam catholicam, quamquam per modum oeconomiae extraordinariae, sacramenta rite collata et digne accepta possunt salvare et sanctificare. In communionibus seu communitatibus quae credunt in Iesum Christum et baptizant in eius nomine, possibilis est vita christiana authentica et pia. Sed gratia divina non limitat suam activam actionem ad intus communitatum christianarum, sed etiam operatur in mundo extra religionem christianam, ope nempe baptismi

desiderii, in animabus sinceris quae germina veritatis divinae inveniunt sparsa in valoribus humanis et naturalibus.

f) Recte etiam additur paragraphus de non-christianis qui ad fidem et Ecclesiam sunt adducendi secundum mandatum Christi. Hoc tamen munus missionarium Ecclesiae non satis enuntiatur.

Summatim ergo, schema vitat modum concipiendi pure institutionalem et iuridicum concipiendi pertinentiam ad Ecclesiam. Pertinentia visibilis ad Ecclesiam non dispensat hominem a vita personali in Christo. Quae vita potest existere etiam apud homines qui absque culpa vivunt extra Ecclesiam (quod ordinarie supponitur iam pro secunda generatione post separationem a fide formalem vel a communione cum Ecclesia catholica; et aliquando etiam pro iis qui ab Ecclesia deficiunt vel separantur). Et hoc secundum dicta Augustini: de iis qui sunt intra, sed de facto sunt extra, et de iis qui sunt extra, sed de facto sunt intra. Quae doctrina suum momentum doctrinale habet pro oecumenismo, de quo sermo debet esse saltem breviter, in schemate de Ecclesia.

28

Exc.mus P. D. VINCENTIUS MARCHETTI ZIONI

Episcopus tit. Lauzadenus, aux. S. Pauli in Brasilia

1. In pag. 7, lin. 22 habetur locutio descriptiva Ecclesiae: « Haec congregatio iustorum a sanctis Patribus Ecclesia universalis vocatur, quae ab Abel iusto usque ad ultimum electum colligitur »; quae verbis « Haec congregatio » incipit. Pagina vero 8, lin. 18 nova descriptio eiusdem Ecclesiae habetur, quae — saltem meo iudicio — est mera repetitio.

2. Cum vero prima descriptio Ecclesiae non mihi videatur clare et bene cum antecedentibus verbis coniungi, et cum, e contra, secunda locutio sit perfectior et in suo loco bene posita, propono ut excludatur prima e textu pag. 7, lin. 22, manente vero illa tantum quae in pag. 8 lin. 18 invenitur, scil. « Congregatio eorum... ».

29

Exc.mus P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Panamensis

I. Quoad n. 5: *De Ecclesia ut Mystico Corpore Christi.*

Optima in hac alinea dicuntur de Ecclesia ut mystico Corpore Christi. Ibi, pag. 9, lin. 9, recte sic enucleatur: « Vita enim Christi glorificati in membra Ecclesiae diffunditur, ut cum eo et in eo unum corpus efficiant ex diversis membris aedificatum ». In explanatione autem subsequenti legitur lin. 33: « In diversis illis muneribus, praesertim quando ministeriis sacrae hierarchiae exercentur, ipse Dominus est... qui principaliter et interius illa

agit, quae fideles et imprimis praepositi ei ministrando suscipiunt ». Haec verba « praesertim »... « imprimis », infeliciter ponuntur et omitti debent in hoc loco, ubi de mystica actione Christi tractatur. Iamvero illa actio Christi in sanctis et fidelibus non minor est quoad intensitatem et efficaciam ex parte Christi, quam illa in ministeriis hierarchiae. Differt tantum ex parte obiecti illius actionis, quando consideratur Ecclesia — ut fiet ulteriori loco —, tamquam organismum visibile in statu peregrinante. Oportet enim ut non confundentur illi duo respectus Ecclesiae, quamvis in re intime colligantur.

Ideo *propono* humiliter ut in hoc loco ponatur, loco linn. 33-38 (a « In diversis illis muneribus... » usque ad « suscipiunt »): « In diversis illis muneribus, cum in professione evangelicae et in sanctitate vitae ab omnibus manifestandis, tum in ministeriis a sacra hierarchia exercendis, ipse Dominus est qui, cum sit Magister, Sacerdos atque Rex noster, habeatque nomen quod est super omne nomen (cf. *Phil.* 2, 9), principaliter et interius illa agit, quae fideles et praepositi ei ministrando suscipiunt ».

II. Quoad n. 7: *De Ecclesia in terris peregrinante.*

Haec prima animadversio introducit reflexiones circa alinea 7, ubi praecise de Ecclesia in terris peregrinante tractatur. De hac materia in hac alinea exposita, tres considerationes nobis videntur maximi momenti, si attendimus ad veritatem ipsam necnon ad accuratam eius formulationem pro scopo ipso nostri Concilii.

1. *Prima consideratio.* Transeundo a consideratione de Corpore Christi mystico et de Christi actione in humanitate regenerata, ad Ecclesiam in terris peregrinantem, oportet affirmare cum peculiari vigore ligamen intimum amborum, quod est ipse Christus, unicus mediator apud Patrem, ex quo alia media constant, de quo ex toto derivantur, ita ut non univoce cum mediatione Christi « media » vocentur. Ideo in prima phrasi, pag. 11, lin. 5, potius quam initium propositi fiat loquendo de « mediis sanctificationis », uti dicitur: « Ecclesia sancta... his in terris mediorum sanctificationis constat... », melius ponatur hic locutio quae accuratius proclamet doctrinam ipsam catholicam, secundum quam Christus est unicus, fundamentalis principium mediationis, et media Ecclesiae collata nullo modo in se et per se constent, sed essentialiter derivant et participant de mediatore Christo, ideo *proponitur,* loco primae phraseos, linn. 5-7: « Ecclesiam suam sanctam, fidei, amoris et gratiae communitatem, his in terris unicus mediator Christus visibiliter et indesinenter constituit et sustentat ».

2. *Secunda consideratio.* Prosequitur textus: « Societas autem visibilis et mysticum Christi corpus, non duae res sunt sed una tantum... » (linn. 7-8). Falsum esset aperte pro doctrina catholica ponere corpus Christi mysticum tamquam unam rem, organismum visibile autem aliam: ambo illae intime et essentialiter coniunguntur. De modo autem quo illae colligantur, et insimul constant, non adhuc omnino clare perspicitur inter theologos, siquidem agitur de aliqua mystica realitate. Etenim non negatur fratres christianos

qui non sunt membra societatis visibilis, aliquo modo ad corpus Christi mysticum pertinere et ab illo non simpliciter excludi, utpote fidem in Christo profitentes, per baptismum regeneratos, mensam eucharisticam participantes. Ut tale argumentum reverenter consideretur, ne investigationes de illo premature claudentur, sed potius, ut fit nunc, ex omni parte incitentur, videretur opportune in textu *adiungere,* lin. 13, post « Inservit »: « Tamen Corpori mystico Christi, quamvis hoc cum vera Ecclesia terrestri una res sit necnon per illam Ecclesiam visibiliter in terris manifestetur, fratres christiani qui ad illam non adhaerent, aliquo et peculiari modo pertinere possunt ».

3. *Tertia consideratio.* Prosequitur textus, lin. 13: « Docet autem... erexit » (lin. 19). Hic de unitate Ecclesiae agitur, de cuius momento in nostra Synodo et coram fratres nostros hic praesentes nemo est qui dubitet.

Ecclesia Christi est una, et credimus Christum per gratiam suam dedisse Ecclesiae catholicae illam unitatem. Antequam revertatur ad Patrem suum, dedit Christus suae Ecclesiae omnia elementa quibus constat unitas quae voluit pro sua Ecclesia. « Unum corpus, et unus Spiritus sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae. Unus Dominus, una fides, unum baptisma. Unus Deus et Pater omnium, qui est super omnes et per omnia, et in omnibus nobis » (*Eph.* 4, 4-6). Una Scriptura divinitus inspirata, unus panis eucharisticus, unum collegium apostolicum, cuius unitatem servandam commisit Petro ad pascendum gregem Dei. Haec dona unitatis concreta dedit Christus suae Ecclesiae, dona quae Ecclesia accepit, quibus una indefectibiliter constituitur et est. Et hoc profitemur in Symbolo: « Credo Ecclesiam unam ».

Attamen talia dona, quae per gratiam Christi nos accepimus, oportet ut illa manifestentur plene et vere in vita nostra et in vita totius Ecclesiae. Nobis nempe ponitur quaestio ab ipso Christo, « Utrum semper fideles fuerimus talibus donis unitatis; utrum peccatis nostris, egoismi, superbiae, caecitatis, tepiditatis, dissensionis, tale unitatis donum non recte a nobis manifestatum, immo obscuratum fuerit, utrum semper evangelio Christi fideles fuerimus ». Et in hoc sensu, si unitas iam data est Ecclesiae, debemus ex parte nostra semper eam fovere, prosequi et aedificare per fidelitatem nostram erga Christum. Talis renovatio totius Ecclesiae debet semper fieri in ipsa vita, intellectus, spiritus et cordis, et est revera ad talem renovationem quod vocavit Papa Ioannes XXIII totam Ecclesiam per nostrum praesentem Concilium. Haec est etiam conditio necessaria ad fructuosum dialogum cum nostris fratribus separatis.

Ergo, profitendo Ecclesiam unam, sanctam, catholicam et apostolicam, declarationem adiungere debemus de responsabilitate nostra. Quapropter, ut accuratius loquamur de unitate Ecclesiae coram fratres nostros separatos et coram mundum ipsum, loco phraseos in lin. 19 usque ad lin. 24 (ab « Haec igitur... » usque « impellunt ») *proponitur*: « Haec est igitur Ecclesia, visibilis et catholica, a Christo constituta et ordinata, in Apostolis cum Petro ab ipso fundata et ab eorum successoribus moderata, ut Evangelium Christi omnibus proclametur et manifestetur. Ad talis missionis fidelitatem servan-

dam, omnia membra Ecclesiae, suo munere et loco, oportet, ope gratiae Christi, in spiritu veritatis et caritatis, semper renoventur ».

Sic precatio pro Ecclesiae unitate, de qua in fine alinea 9 tractatur (pag. 12, lin. 38 ad pag. 13, lin 2), non solo ex ore sed ex animo procedet.

III. Quoad n. 8, pag. 12, linn. 18-22 (« Suo modo... satagunt »), omnino assentior iis quae dicta sunt in aula ut deleantur istae lineae.

IV. Quoad n. 10 (pag. 13, linn. 24-26), assentior etiam iis quae dicta sunt de valoribus « praeparationis evangelicae » apud religiones non christianas. Tamen quoad actionem concretam missionis Ecclesiae aliqua desunt, praesertim circa nexum inter missionem et Ecclesiam necnon circa modum actionis in situatione actuali concreta illorum populorum.

30

EXC.MUS P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZALEZ
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Etsi caput I in genere placet, fas sit quasdam emendationes proponere:

Ad n. 2. Pag. 7, linn. 20-21: Ad indicandum duplex stadium, ante et post redemptionem peractam, loco « intuitu Christi redemptoris », dicatur: « intuitu *et opere* Christi redemptoris ».

Pag. 7, lin. 23: Verba « ab Abel iusto » vel omittantur vel substituantur his aliis: « *inde ab Adam* », citatione S. Gregorii ablata. *Ratio*: quia quamvis sit modus dicendi non novus, sapit quandam restrictionem, quae minus placet.

Pag. 7, lin. 25: omittatur citatio *Rom.* 1, 4, quia non est ad rem.

Pag. 7, lin. 26: Ubi sermo fit de Incarnatione et humana Nativitate Filii Dei, nonne opportunum foret ut nominaretur Mater eius Virgo Maria? Haec mentio posset apte inseri hoc modo: « in populo electo de Maria Virgine secundum carnem natus ».

Ad n. 3. Pag. 8, lin. 15: Loco « Ecclesia Christi nuncupatur » melius est dicere: « Ecclesia nuncupatur, quam Christus meam appellavit (*Mt.* 16, 18) ». *Ratio*: quia appellatio « Ecclesia Christi » non habetur ad litteram in Sacra Scriptura, dum e contra apparet « Ecclesia Dei » seu « Domini » relate ad Israel secundum carnem, cui comparatur.

Pag. 8, linn. 18-19: « congregatio eorum qui in Iesum... credunt ». Magis explicite determinetur condicio visibilis et hierarchica huius congregationis, ne detur ansa incongruenti notioni iuxta quam Ecclesia ut sacramentum *visibile* constitueretur simpliciter congregatione *credentium*.

Pag. 8, lin. 24: Loco verborum « supra tempora » dicatur: « supra *singula* tempora ». *Ratio*: ut melius exprimatur transcendentia Ecclesiae quatenus complectitur omnia tempora et loca, ita tamen ut ipsa sit in tempore sive in historia.

Ad n. 4. Pag. 8, lin. 28: « *in quo* uno Spiritu accessum habemus ». Me-

lius diceretur: « *per quem* uno Spiritu... ». *Ratio*: ut pronomen relativum sine aequivoco referatur ad Filium, per quem secundum Scripturam accedimus ad Patrem.

Pag. 8, linn. 39-40: « sic apparet universa Ecclesia de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ». Sensus huius affirmationis per se verus et pulcher agnoscitur, cum indicet unitatem socialem Ecclesiae fieri ad exemplar unitatis Personarum divinarum, iuxta *Io.* 21, 22. 26 et liturgiam baptismi, quo in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti homines in Ecclesiam ingrediuntur. Caveatur tamen ne talia verba possint interpretari quasi Ecclesia esset effectus trium actionum quae sint *propriae* Patris, Filii et Spiritus Sancti. Absonum enim esset Concilium fovere theologiam trinitariam actionum propriarum ad extra, contra theologiam traditionalem appropriationum.

Eadem de causa forte mutandi sunt tituli nn. 2, 3 et 4.

Ad n. 5. Votum: In n. 5 doctrina valde bona continetur, dispositio tamen materiae et redactio textus non paucis defectibus laborare videntur. Qua de causa, identitate materiae servata, nova proponitur dispositio novaque redactio.

Defectus huius n. 5:

1. *Dispositio materiae.* Nimis empirica et inorganica apparet.

1) Incipit asserendo Christum uniri nobiscum, Spiritu mediante, ut unum corpus efficiamur. Corpus hoc dimensionem habet vitalem; vita enim Christi diffunditur in membra.

2) Statim gressus fit ad dimensionem visibilem et socialem.

3) Ut iterum redeatur ad dimensionem vitalem. Iterumque ad socialem.

4) Nonnulla dicuntur quae ad rem non pertinent. Quae de regno et de vite, v. g., asseruntur vera sunt. Proponantur tamen in numero sexto, ubi aliis figuris locus reservatur.

2. *Redactio textus.*

1) Christus est caput et est vita corporis mystici. Hoc bene asseritur. Silet tamen textus relate ad rationem qua caput est et qua vita est.

2) Christus proponitur ut vita corporis. Et Spiritus ut anima. Oporteret has duas veritates bene discriminare et indicare sensum unius alteriusve.

3) Adsunt formulae aequivocae, quae ansam praebent confusionibus. Exempli causa:

a) « *Christus* Dei Filius, in natura humana sibi unita... » pag. 9, lin. 1. Christus non sibi univit naturam humanam, sed est resultantia unionis Verbi cum ista natura. Locutiones huius generis emendari debent praesertim in constitutione doctrinali.

b) « Vita Christi *glorificata* in membra Ecclesiae diffunditur » (pag. 9, lin. 9). Melius esset dicere vita *divina* Christi in membra Ecclesiae diffunditur. Haec vita hic diffunditur *per gratiam*. Postea diffundetur *per gloriam*.

Proponitur nova dispositio materiae et nova redactio:

1. *Explicatio novae propositionis*:

1) N. 5 intitulatur *Ecclesia, mysticum Christi Corpus et populus Dei*. Et hoc:

a) Quia intima natura Ecclesiae a Christo fundata duplicem habet dimensionem: *vitalem,* scil. quia Christi vita vivit; et *socialem,* quia ut societas visibilis constituta est.

b) Dimensio vero vitalis in figura *Corporis mystici* praecipue manifestatur. Dimensio autem socialis, in figura *populi Dei.*

2) Ecclesia, *mysticum Christi Corpus.* Doctrina circa Ecclesiam ut corpus in sex primis paragraphis huius numeri enucleatur.

a) In prima paragrapho agitur de formula *Corpus mysticum.* Terminus *Corpus* originem habet in Sacra Scriptura. Terminus vero *mysticum* originem habet in elaboratione theologica et in magisterio ordinario.

b) In secunda paragrapho asseritur capitalitas Christi in ordine ad gratiam. Quae capitalitas est ordinis, perfectionis et influxus supernaturalis.

c) In tertia paragrapho instituitur sermo de valore capitali totius vitae Christi, et de praecipuis actibus capitalibus ipsius, ut sunt incarnatio, mors et resurrectio.

d) In quarta paragrapho alterum munus Christi in corpore mysticum memoratur, in quo, iuxta apostolum, est et caput et vita. Et indicatur sub qua ratione est unum et sub qua ratione est alterum.

e) Ne inter Christum quatenus vita corporis mystici et Spiritum Sanctum quatenus anima confusio oriatur memoratur in paragrapho quinta ratio propter quam Spiritus anima dicitur.

f) Tandem, in sexta paragrapho instituitur sermo de caractere progressivo huius corporis. Corpus, enim, teste Apostolo, crescit. Et crescit numero membrorum et vitae intensitate.

3) Ecclesia, *populus Dei.* Doctrina circa Ecclesiam ut populus Dei proponitur in paragraphis septima et octava. In istis paragraphis indicantur tantummodo generaliora principia: existentia populi sacri et sacerdotalis, constitutio hierarchica eiusdem: sacramenta, quae sunt media socialia communicationis vitae divinae. De iis omnibus singulatim Concilium alibi tractabit.

g) In paragrapho septima asseritur existentia populi Dei. Populus sanctus, sacer et sacerdotalis. Cuius rectores, sicut et populus ipse, quamvis diverso modo in aliis capitibus explicando, munus habent sacerdotis, praeconis et regis.

h) Tandem, in paragrapho octava sermo fit de sacramentis: media socialia communicationis vitae divinae. Et praecipue de baptismate, per quod in populum ingreditur. Et de Eucharistia, quae est unitatis sacramentum.

Proponitur nova dispositio et nova redactio:

5. [*Ecclesia, mysticum Christi Corpus et populus Dei*].

1) Apostolus saepissime Ecclesiam *corpus* nominat, quod, cum ex ele-

mentis arcanis, supernaturalibus et divinis coalescat, merito in traditione mysticum appellatur.

2) Huius corporis caput Christus est. Ipse enim est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sive quae in caelis sunt (cf. *Col.* 1, 18-20; *Eph.* 1, 22). Ex quo liquet Christum triplici ditari capitalitate, ordinis, scil. perfectionis et influxus redemptos sanctificantis.

3) Tota Christi vita et in terris conversatio, exemplaritatem possidet et efficientiam quandam.[1] Influxus tamen capitis principaliter in incarnatione, passione, morte et resurrectione consistit. In incarnatione enim, qua mediante sacrificium Deo gratum et efficax paratur (cf. *Heb.* 10, 5-7). In passione, morte et resurrectione vero, quibus a peccatis abluimur, et vita divina ditamur (cf. *Rom.* 1, 25; *1 Cor.* 15, 17).

4) In hoc mystico corpore, Christus, non tantum membrum excellens et fons totius vitae divinae membrorum est; ipse insuper, Apostolo testificante, est intimus et vivens in membris: et sic Paulus asserit Christum esse vitam nostram (cf. *Col.* 3, 4), et illum in Paulo vivere (cf. *Gal.* 2, 10). Et sicut in Paulo, ita et in iustificatis (cf. *Rom.* 8, 9-10; *Gal.* 3, 27). Christus vero, qui est caput corporis per humanitatem assumptam, vita est per gratiam suam hominibus infusam.

5) Unitatem autem omnium, capitis scilicet et membrorum, unus atque idem spiritus operatur, qui, eo ipso, non immerito anima corporis mystici appellatur.[2]

6) Istud corpus progressus et evolutionis legibus subiicitur. Crescit quidem membrorum numero et vitae intensitate; et crescet usque in diem quo, perfectione prorsus consecuta, perfecte in eo adimpleatur plenitudo Christi (cf. *Eph.* 1, 23; 4, 13) sicut in Christo adimpletur plenitudo Dei (cf. *Col.* 2, 9).

7) Corpus mysticum quod est Ecclesia, cuius caput Christus, cuius anima Spiritus, cuius membra homines, in societatem visibilem constitutum est, donis et ministeriis ad hoc specialiter ditatum (cf. *1 Cor.* 12, 13; *Eph.* 4, 7 ss.). Qui enim magistri, sacerdotis et regis munera pro nobis obivit, corpus suum sociale constituit tanquam genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis (cf. *1 Pet.* 2, 9); et quos praepositos in ea instituit, eos muneribus praeconis, sacerdotis et regis, sub Petro exercendis, exornavit.

8) Qui in isto corpore mystico munere sanctificandi instructi sunt, mediis socialibus utuntur, sacramentis scilicet et doctrina; inter quae eminet baptismum, quo homines Christo capiti et Ecclesiae incorporantur, et qui, cum fide et professione Trinitatis suscipiatur (cf. *Mt.* 28, 19) Ecclesiam plebem adunatam facit in unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti. Eminet in-

super sacramentum Corporis Domini; panis enim eucharisticus homines reficit ut unitatem vitae cum Christo acquirant (cf. *Io.* 6, 54-57); et ut inter se, unitate sociali polleant (cf. *1 Cor.* 10, 17).

31

EXC.MUS P. D. THOMAS MORRIS
Archiepiscopus Casheliensis-Emeliensis

Schema *de Ecclesia. Introductio,* page 7, lines 10-11, « illudque sermone menti hodiernae accommodato ».

Historical study as well as social sciences such as psychology and sociology would accept that there is in some sense a « mens hodierna », a complex of intellectual, volitional and emotional factors; even in the present state of widespread acculturation, such a « mens » is unlikely to be world-wide, and a « mens », such as lies behind movements like the Renaissance, may be transitory. It is difficult to predict that one's utterances are in harmony with such a psychological trend, and much safer to await the verdict of history.

If I recall aright, card. Gracias in the 39th general congregation (Wednesday, 2nd October) stated that he did not approve of the expression quoted above.

It seems to me that the expression might draw some criticism if it were to appear in a conciliar constitution. To claim to have " caught the mood of the moment " seems a large claim and invites challenge. It would be sufficient to state that the Council aims this expression of doctrine concerning the Church at contemporary men (without admitting any inference that the doctrine is not perennial, liable to substantial evolution), without claiming that the « sermo » has some peculiar excellence.

32

EXC.MUS P. D. VICTORIUS OTTAVIANI
Episcopus Alatrinus

In schemate *de Ecclesia* optime proponuntur, quae de Matre nostra Ecclesia ex revelatione cognoscimus et vivido quodam sermone, quo non credentes attrahantur ad fidem. Attamen quamdiu non credent, omnis ex revelatione auctoritas eos minime tanget.

Ad initialem quamdam benevolentiam non christianorum captandam et ad iura nostrae Matris Ecclesiae defendenda argumentis validis etiam pro non christianis vel non credentibus, cupio in schemate aliquid poni, forsan sub par. 10 cap. I circa ius naturale Ecclesiae ad existentiam et ad propagationem.

Ius naturale colendi Deum, cultu non tantum interno, sed etiam externo, non tantum privato, sed etiam publico et consequenter in societate religiosa, quae sua propria auctoritate instructa sit, diversa ab auctoritate politica, ut existit pro qualibet persona humana, ita et pro christianis valet. Et pariter ius propagandi seu proponendi aliis propriam religionem et ipsum in iure naturae fundatur.

Ita Concilium coram universo mundo iura primordialia Ecclesiae proponet.

Et melius apparebit divinae sapientiae seu salvatoris nostri Iesu Christi mirabilis operatio, qua Ipse semper perficit, numquam destruit naturam.

Contractus naturalis matrimonialis ab Ipso evehitur ad dignitatem sacramenti.

Finis beatitudinis naturalis ad ordinem supernaturalem evehitur per finem visionis beatificae.

Veritatis desiderium locupletatur cognitione vitae divinae et ordinis supernaturalis.

Etiam in nostra materia societatem religiosam, quam ex iure naturae componere poterant credentes in eum, ipse elevat ad societatem ex iure divino et supernaturalem.

Et ecce emendatio, brevis quidem, quam humiliter propono:

In pag. 13, post lin. 23 introduci possunt haec vel similia verba: « Sicut Ecclesia non baptizatos peramanter diligit, ut oves congregandas, sic sperat et cupit ne ab eis ignorata damnetur, quinimmo ab omnibus ius eius, si non divinum positivum, saltem naturale agnoscatur ad existentiam et propagationem ubique terrarum ».

33

EXC.MUS P. D. NORBERTUS PERINI

Archiepiscopus Firmanus

Opportunum sane verbum in aula conciliari prolatum est quando quis suggessit post pericopem « de Ecclesia in terris peregrinante » aliquid esse dicendum de Ecclesia triumphante in caelis.

Quisquis namque christifidelis ab incunabulis didicit hominem positum esse in mundo « ut cognoscat, amet Deum, ipsi serviat in terris, et Deo tandem fruatur in caelis ». Itemque christifidelis quisque in terris militans sat experitur quantam ad recte agendum, ad hostes animae vincendos, ad difficiliora quaeque superanda conferat vim viva spes aeternae felicitatis in Ecclesia triumphante hauriendae.

Votum itaque profero ne consilium tanta pastorali sapientia refertum Patres commissionis sinant irritum cadere. In hoc optato casu liceat mihi dicere mutilam evasuram doctrinam de Ecclesia tamen nisi aliquid etiam de Ecclesia purgante dicatur.

Patres qui vitam pastoralem degunt bene norunt quam perspicua et suadens et grata sit christifidelibus, sive adultis sive pueris, sive doctis sive rudibus doctrina de tripartita Ecclesia, militante, purgante et triumphante, itemque bene norunt quidnam pro exercitio et incremento christianae professionis valent suffragium animarum purgantium.

Ne igitur videantur Patres conciliares doctrinam de Purgatorio parvipendere, quod facile scandalum saperet, necesse est ut, punctis doctrinalibus reassumptis, ferventem adhortationem addant quae dicat sanctam et salubrem esse cogitationem pro defunctis exorare ut a peccatis solvantur.

34

Exc.mus P. D. FRANCISCUS PLANAS MUNTANER
Episcopus Ebusitanus

Circa cap. I schematis *de Ecclesia* velim unum adnotare.

N. 9, pag. 12, qui intitulatur: De nexibus Ecclesiae cum christianis non catholicis, est, ut ita dicam, locus parallelus cum n. 2 cap. I, pag. 8, schematis *de Oecumenismo,* cui titulus est: De habitudine fratrum separatorum ad Ecclesiam catholicam.

Iam vero, si ambo inter se comparantur, videtur oportere ut redactio utriusque retractetur, nam licet quoad substantiam conveniant, in accidentalibus nimis discrepare apparent.

Sic e. g. in schemate *de Ecclesia* pag. 12, linn. 35-38, fit sermo de Spiritu et de eius actione in cunctis Christi discipulis etiam separatis, ita ut in eis suscitet desiderium et actionem ut omnes, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur.

E contra in schemate *de Oecumenismo* pag. 8, linn. 27-31, ingressus in salutis communionem dicitur pandere potius ope nonnullarum actionum sacrarum, quae peraguntur apud fratres separatos variis modis secundum diversam condicionem uniuscuiusque ecclesiae vel communitatis.

Hae actiones sacrae enumerantur insuper inter visibilia elementa, quibus Ecclesiae unitas manifestatur et quae distinguuntur expresse ab aliis elementis seu bonis, ut vita gratiae, aliaque dona interiora Spiritus Sancti, etc. Ex utriusque simul sumptis ipsa Ecclesia constituitur et vivificatur.

Haec distinctio inter elementa seu bona visibilia et non visibilia Ecclesiae constitutiva non invenitur expressa in schemate *de Ecclesia.*

Ex alia parte in hoc schemate quaedam numerantur elementa unioni faventia, uti sunt pietas erga Deiparam Virginem, de quibus silet schema de Oecumenismo numero citato.

Videtur ergo necessaria nova redactio huius numeri *de Ecclesia,* quae prae oculis habeat ea quae de eadem re dicuntur in loco parallelo schematis *de Oecumenismo,* ut inter duo schemata conciliaria maior habeatur concordia sive quoad rem sive quoad formam.

35

Exc.mus P. D. GILBERTUS RAMANTOANINA
Archiepiscopus Fianarantsoaensis

Impugnatum est verbum « sacramentum » de Ecclesia adhibitum in nostro schemate (v. g., in lin. 21, pag. 8) quasi esset conceptus obscurus, vagus et etiam male sonans. Certo certius, explanari debet, non tamen omitti. Pertinet enim ad traditionem plane probatam, quamvis forte a nobis oblitam.

Assuescimur loqui de sacramento aut de sacramentis in sensu catechismi Concilii Tridentini rite divulgato: « signum sensibile institutum a Iesu Christo et efficax gratiae ». Haec definitio iure in tuto ponit septenarium Ecclesiae contra denegationes Protestantium, sed nec potest nec debet excludere alium sensum, ut ita dicam genericum, a quo sensus specificus Concilii Tridentini derivatur et explicatur: secundum mentem S. Augustini, sacramentum est signum visibile rei invisibilis. Duo ergo elementa componi debent ad rectam intelligentiam sacramenti generice sumpti: signum et res. *Signum* est elementum sensibile per quod *res,* quae sensum fugit, exprimitur, suggeritur et denique nobis datur. Etenim, ut ad exempla statim veniamus: in Incarnatione Domini, humanitas Christi signum est visibile per quod res invisibilis, scil. divinitas Filii sese manifestat, sese tradit et sese nobis communicat: habitudo signi ad rem tam arcta fit in Christo, ope unionis quae hypostatica dicitur, ut humanitas Christi nunquam esse possit quin adsit eo ipso divinitas eius. In modo loquendi Tridentino dicemus: humanitatem Christi signum esse, et quidem efficax, divinitatis Christi. Itaque in hoc sensu humanitas Christi dici potest sacramentum fundamentale.

Mutatis sane mutandis, idem valet pro mysterio Ecclesiae. Ex vi institutionis Ecclesiae visibilis a Iesu Christo facta et promissionis assistentiae indefectibilis, non potest dari exercitium authenticum triplicis muneris docendi, sanctificandi et regendi, quin eo ipso adsit gratia Christi et ipse Christus. Adest vero ipse Christus sub proprio modo qui convenit huic proprio exercitio authentico muneris Ecclesiae suae. Adest ut ipse docens in munere docendi: « qui vos audit me audit »; adest ut ipse sanctificans in diversis sacramentis: « Paulus baptizat, Petrus baptizat, Christus baptizat »; adest ut ipse regens in munere pastorali: « quodcumque alligaveritis super terram, erit ligatum et in caelis ». Ex illa miranda habitudine Christi ad suam Ecclesiam, non ex vi unionis hypostaticae quidem, sed ex vi institutionis et assistentiae indefectibilis, evenit ut Ecclesia signum visibile sit in terra, Christi invisibiliter glorificati in caelo. Coniunctio inter Christum et Ecclesiam, obiective sumpta, tam intima et constitutiva Ecclesiae evadit ut Ecclesia non possit authentice docere, valide sanctificare, auctoritative regere, quin Christus ipse per eam et in ea doceat, sanctificet et regat in salutem hominis. Ideoque proprio sensu dici potest quod dicit nostrum schema *de Ecclesia*:

« Sacramentum visibile huius salutiferae unitatis », in quantum haec unitas est unitas a Iesu Christo per ministerium Ecclesiae suae facta. Non solum haec expressio non est condemnanda, sed tam profunda et tam felix est ut potius multiplicanda videatur.

Quoad fideles enim, idem fere vocabulum usurpari posset. In quantum sunt in Ecclesia et in quantum per ministerium eius Christo Domino incorporantur, fideles participant, modo suo proprio, scilicet non ex vi unionis hypostaticae, nec vi institutionis Ecclesiae, sed vi personalis conversionis ad Christum, mysterium Christi et Ecclesiae: sicut enim Christus per humanitatem suam signum est divinitatis et Ecclesia signum Christi resuscitati, ita etiam, suo modo proprio supra dicto, christiani, per humanitatem suam a Christo sanctificatam et quasi emendatam, significare possunt et debent mysterium Christi in eis operans et vigens. Ideoque christiani sunt et debent esse, ut ait ipse Christus, « lux mundi » (*Mt.* 5, 14), i. e. signum visibile invisibilis Domini qui est solus ipse per se vera « lux mundi » (*Io.* 8, 12). Unde apparet valor huius explanationis de sacramento et extensio legitima et perutilis in campo apostolatus laicorum, et praesertim spiritualitatis eorum, de qua infra agetur.

Quidquid sit vero de hoc ultimo puncto, haec conceptio sacramentalis de Christo et Ecclesia aliquod lumen afferre potest in paragrapho septima, sub linea decima paginae undecimae. Ubi dicitur: « non duae res sunt », addatur: « *sed potius sicut signum et res in uno eodemque sacramento quod* » humano etc.

Idem sub linea sequenti paginae eiusdem, ubi agitur de Ecclesia ipsa, post vocabulum « verbo divino » addatur: « *ut sacramentum necessarium atque* » vivum instrumentum etc. ...

Sic melius apparebit inter Ecclesiam visibilem et Corpus Christi mysticum similem relationem vigere ac inter humanitatem Christi et eius divinitatem: relatio scil. quae designatur per distinctionem inter signum et res.

Jean Wolff (Madagascar), Jean David (Madagascar), Léon Messmer (Madagascar), Guibert (La Réunion), de Langavant (La Réunion), Liston (Maurice), Rakotomalala (Madagascar), Rajoanaivo (Madagascar), Martinez (Madagascar), Vollare (Madagascar), Thoyer (ex-Madagascar), Sartre (ex-Madagascar), Rolland (Madagascar), Puset, Michel Canonne, Zimmermann, A. Fresnel, C. Chilouet, Célestin Nkou (Cameroun), Plumey (Cameroun), Van Hegen (Cameroun), Mongo (Madagascar), Gaumain (Tchad), Dalmais (Tchad), Veniat (Tchad), Cucherousset (R.C.A.), Baud (R.C.A.), Etoga (Cameroun), Zoa (Cameroun).

36

EXC.MUS P. D. ANTONIUS RIBERI

Archiepiscopus tit. Darensis

Saepe audivimus in hac venerabili aula desideria Patrum complendi et melius ordinandi materiam schematis *de Ecclesia.* Nuper nobis distributae sunt *Emendationes,* in quibus proponitur « Nova ordinatio capitum de Ecclesia » cum novis paragraphis quibus eius materia completur. Ut aliquid ad hunc scopum obtinendum conferamus, humiliter proponimus ea quae sequuntur.

Finis pastoralis, quem haec sacrosancta Synodus prae primis intendit, a nobis postulat ut loquamur de rebus quae attentionem hominum excitent et ad eorum veram utilitatem supernaturalem conferant. Ideo incipiendum nobis esset ab illis humanitatis desideriis et votis quae omnes vel maxime satisfacere cupiunt.

Ideo ante omnia inculcandum est, *finem hominis esse vivere vitam Dei.* Hoc votum inclusum est in unanimi omnium desiderio obtinendi vitam semper magis ac magis superiorem, quin ullus limes huic appetitui apponatur. Hoc supponebat humanitatis pessimus tentator, cum primis parentibus dicebat: « Eritis sicut dii scientes bonum et malum » (*Gen.* 3, 5). Perfectius idem S. Petrus fidelibus proponebat, eos edocens, Deum per Christum « maxima et pretiosa nobis promissa donasse, ut per ea efficiamur divinae consortes naturae » (*2 Pt.* 1, 4). En vita divina proposita ut finis homini.

Iam vero divina vita ad hoc reducitur, ad cognitionem nempe et ad amorem. Deus seipsum perfecte et infinite cognoscens generat unigenitum suum Filium, qui est primus actus substantialis ipsius Dei viventis et infinitae vitae ipsius. Ex amore autem Patris et Filii procedit Spiritus Sanctus qui est amor substantialis divinarum personarum in quo consummatur infinita Dei vita. Igitur divina vita, quam uno vel alio modo, sive per naturam sive per gratiam, omnis homo appetit, reducitur ad cognitionem et amorem Dei. Unde consequitur finem hominis non esse alium quam Deum cognoscere illumque amare et quidem modo perfectissimo quo homo, divinae gratiae virtute adiutus, eum cognoscere et amare valeat.

Hinc immediate sequitur, supernum finem Ecclesiae alium esse non posse quam efficaciter obtinere ut homo cognoscat et amet Deum, et quidem illa perfecta cognitione illoque pleno amore, de quibus ipse Deus per divinam revelationem homines capaces facere dignatus est. Hoc autem consummatur et ad perfectam synthesim reducitur in eo quod Ecclesia tandem obtineat ut homines perfecte adimpleant voluntatem Dei.

Hac suprema Ecclesiae finalitate inculcata, homines facile intelligunt Ecclesiam vel maxime respicere ad ea quae ad supremam hominis utilitatem conferunt, adeoque ad Ecclesiam homines debere suos oculos convertere. Hoc ergo iam obtento hominibus ostendendum est quomodo omnes activi-

tates suae, sive intellectus sive voluntatis sive artium technicarum sive operum manualium sive cultus pulchritudinis sive progressus, sub omnibus suis adspectibus, in tantum verae et bonae simpliciter sunt in quantum conferunt ad cognoscendum et amandum ipsum Deum, cuius infinitae veritatis et bonitatis res aliae non sunt nisi vestigia.

Inde vero sequitur valde consentaneum Ecclesiae fini esse fovere etiam scientias et artes omnis generis atque earum progressus promovere, ad hoc ut obtineat ut homines magis magisque cognoscant et ament Deum, ducti illo eorum naturae consentaneo modo ascendendi ex rebus creatis ad Deum creatorem. Hac ratione iam saec. III doctores illius celebris scholae alexandrinae Patrum Ecclesiae, diligenter excolebant scientiam omnium systematum philosophorum antiquitatis, ad hoc ut christiani magis capaces fierent melius cognoscendi mysteria divinae veritatis, eaque aptius exprimendi notionibus captui hominum accommodatis. Hoc autem faciebant, non ex desiderio vano ostendendi eruditionem gloriamque inter sapientes obtinendi, sed potius ac praesertim ex principio altiori atque ex intima convinctione necessitatis diligenter colligendi omnia veritatis et bonitatis vestigia a Deo in creatione disseminata, ex quibus facilius et plenius ascendere possent ad ipsum Creatorem cognoscendum et amandum. Clemens enim Alexandrinus suos discipulos monebat, « Omne quidquid veritatis vel bonitatis philosophi quarumcumque scholarum assequuti sunt, nihil aliud revera est nisi acerbus fragmentorum veritatis bonitatisque aeternae seu ipsius theologiae Verbi Dei » (*Stromata,* I, 7, 13: PG 8, 732, 756).

Hac ergo ratione Ecclesia in mundo posita a Deo est ad realiter et efficaciter obtinendam conformitatem hominum cum voluntate Dei in cognitione et amore suae divinae maiestatis. Ex hac autem omnium consonantia cum superna Dei voluntate profluit necessario atque spontanee efflorescit unitas et ordo totius universi. Ad hunc beneficum unitatis et ordinis effectum plene obtinendum et quidem in beneficium totius humanitatis, Ecclesia dotata est divinitus potestatibus docendi, sanctificandi et regendi, legibus ac praeceptis sanctissimis, sacramentis ad divinam gratiam largiendam efficacibus, charismatibus innumeris ad hominum activitates in utilitatem aliorum amplius ac profundius impendendas, virtutibus denique supernaturalibus, quibus universae hominum facultates augentur et perficiuntur.

Haec autem omnia ac multiplicia dona, quae internam ac invisibilem unitatem ab ipso Deo nostroque Redemptore obtinent, externe et visibiliter, prout nostrae humanae naturae consentaneum est, ad eandem unitatem et concordiam a Summo Pontifice reducuntur, ope potestatibus, facultatibus ac charismatibus, quae ipsius propriae et exclusivae sunt et ex quibus eius universalis suprema et plena potestas supra universam Ecclesiam coalescit. Summus autem Pontifex, quem vere et proprie Papam seu Patrem omnes christiani appellant, tanquam verus et universalis in terris Christi vicarius et tanquam visibile caput universae Ecclesiae, unum caput, non duo capita, cum Christo capite invisibili totius Ecclesiae omniumque fidelium consti-

tuit. Unde Summi Pontificis supremum et maximum officium est omnes homines in Ecclesia et per Ecclesiam ducere ad Christum cuius non nisi vicarius seu vices gerens in terris est. In Christo autem a Patre nobis dato « ut salvetur mundus per ipsum » (*Io.* 3, 17), constituit misericors Deus supremum hominum exemplar, « quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus » (*Rom.* 8, 29). Unde necessario sequitur, Christum Dominum sua vita, morte ac resurrectione esse veram ac perfectissimam causam exemplarem normamque rectissimam universae vitae divinae divinaeque voluntatis, quas omnes homines appetere semper et imitari tenentur. Quapropter Christum imitari est tandem suprema norma practica quam Ecclesia omnibus proponit ut homines valeant vivere de divina vita ipsius Filii Dei.

Sub hoc ergo schemate censeo posse melius ordinari materia de Ecclesia ut aptius accommodata appareat tum captui hominum nostrae aetatis tum etiam supremis optatis mentium et cordium quibus vel maxime homines omnium temporum moventur.

37

EXC.MUS P. D. DINUS ALOISIUS ROMOLI
Episcopus Pisciensis

I. *Super Introductionem*:

Linn. 1-3: loco « Lumen gentium... » dicatur: « *Lux vera quae illuminat omnem hominem cum sit Christus...* ». *Ratio*: quia vocabulum « gens » in sermone biblico ethnicos seu paganos potius designat.

Lin. 2: loco « omnes homines » dicatur « *homines* » ne locutio breviori spatio iteretur.

Lin. 3: loco « in caligine huius saeculi viventes » dicatur: « *in hoc saeculo viventes* ».

II. *Super cap. I*:

N. 4, lin. 28: verbo « seu » supponatur verbum « tamquam » ita ut formetur haec sententia: « Ipse Spiritus vitae tamquam aqua saliens in vitam aeternam ». *Ratio*: « aqua saliens in vitam aeternam » non est Spiritus vitae, ut coniunctio illa videtur innuere, sed est allegoria ipsius Spiritus.

Tunc etiam pronomen « quem » aptius demonstrabitur ut rationem habens ad verbum « Spiritus ».

38

EXC.MUS P. D. FERNANDUS RUIZ Y SOLÓRZANO
Archiepiscopus Yucatanensis

Hablo en nombre propio, no en nombre de ningún otro Obispo, y deseo exponer humildemente mi pensamiento con franqueza y libertad, como se nos ha pedido.

Sobre la Iglesia en general. Creo que para tener una visión conjunta de todo el misterio de la Iglesia, aún cuando en el Esquema se habla primaria y casi exclusivamente de la Iglesia militante o peregrinante, habría que hacer, para tener el cuadro completo, a lo menos alguna alusión a la Iglesia triunfante, término de la peregrinación y conquista de la lucha, y a la Iglesia purgante, que es tambien parte del Cuerpo Místico; con la cual nos ligan los mismos lazos de caridad y a la que podemos ayudar con nuestros sufragios y oraciones.

Me parece que podría hacerse resaltar más el caracter trinitario de la Iglesia, ya que el misterio de la Santísima Trinidad es el primero de los misterios y la base de la fe católica. Para lo cual me parece que podrían citarse — ut minus sapiens dico — las palabras de San Pedro en su primera carta, ya que es como la primera Encíclica del primero de los Pontífices, en la que, dirigiéndose a los cristianos de la dispersión, es decir, a la gentilidad, les dice que fueran elegidos: « ex praescientia Patris (origen), in sanctificationem Spiritus (fin) per aspersionem sanguinis Iesu Christi (medio único, la redención) ».

39

Exc.mus P. D. CAROLUS E. SABOIA BANDEIRA DE MELLO
Episcopus Palmensis

Cap. I fere omnino placet. Etsi dici potest schema propositum in sessione I fuisse tam bonum quam novum, fortasse in aliquibus melius. Sed quare discutere? Attamen ad n. 9, pag. 12. Quid dicendum de differentia locutionis cum aliis Conciliis? In aliis Conciliis ii, qui non acceptabant decisiones, anathematizabantur! *Iudico* necesse esse facere allusionem ad decreta aliorum Conciliorum, et explicare, in quo sensu illae decisiones cum exposito in n. 9 concordent.

40

Exc.mus P. D. PAULUS LEO SEITZ
Episcopus Kontumensis

Caput I.

Par. 2: (emendata est redactio, sub titulo: *De consilio Patris*).

Aeternus Pater notum fecit « nobis sacramentum voluntatis suae, secundum beneplacitum eius, quod proposuit in eo, in dispensatione plenitudinis temporum, instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt, in ipso » (*Eph.* 1, 9-10). Verbum Dei creat et vocat genus humanum ad implendam missionem ipsi a Providentia collatam constituendi populum ad imaginem Dei in Christo consummatore omnium rerum. Haec congregatio iustorum... (lin. 22) ... (pag. 8, lin. 2) ab origine humani generis in-

choata ... (pag. 8, lin. 3) in nostris temporibus manifestata et in novissimis perfecta.

Par. 3: Deus creat per suum Verbum prolatum: talis est origo missionis Verbi. Missum in terram populo Israel per vocem Prophetarum, Verbum, caro factum tempore statuto a Deo, missum fuit omnibus filiis Dei dispersis ut eos in unum congregaret; simul mittens et missus, ipse constituit institutionem salutis et hanc ad effectum perduxit per mysteria suae vitae historicae quam Ecclesia continuat. Ecclesia enim est simul sacramentum et medium salutis et communionis vitae et eorum ad effectum perductio in communitate baptizatorum. Christus Iesus, Verbum veritatis et Panis vitae, nuntiatus et praefiguratus Hebraeis voce prophetarum et manna, est excellenter sacramentum huius communionis novi Populi Dei. Sicut vero Israel ... (lin. 11).

Par. 4: (proponitur titulus: *De missione Spiritus*).

Missus a Patre ut creaturam foecundam reddat, Halitus oris Patris vivificans hominem, Spiritus habet missionem illuminandi genus humanum in veritate inquirenda, et accendendi eius amorem. Ipse est Amor Dei, qui ad homines venit — « sicut dilexit me Pater, ita ego eos dilexi ... Sicut misit me Pater, ita ego eos misi » (*Io.* 17, 23 et 18). Opero autem ... (lin. 24).

(In fine, post lin. 39): Spiritus in Ecclesia coadunat, sanctificat et omnes christianos ad mundum missos inspirat.

Par. 5: (proponitur nova redactio, loco par. 7, sub titulo: *De missione Ecclesiae,* agendo de elementis quae sequuntur):

Ecclesia ut sacramentum Christi;

Ecclesia convocata et convocans eos qui foris sunt;

Ecclesia catholica et apostolica (i. e. super apostolos fundata et ad omnes gentes missa);

Ecclesia ut recapitulatio hominum in plenitudinem Christi.

Par. 6: (proponitur nova redactio sub titulo: *De Ecclesiae imaginibus,* simul ponendo par. 5 et 6 antiqui schematis - aut: de Populo Dei, si de hoc caput distinctum non fit; in hoc casu de Ecclesiae imaginibus agendum esset in par. 7).

Nulla est ratio ut magis foveatur imagini Corporis quam imagini vineae, quam ipse Iesus adhibuit et quae tantum loci habet in S. Ioanne. Unicuique imagini tribuenda est sua vis missionaria (v. g. vinea - augmentum; sponsa - foecunditas; mater - universalis ...).

Par. 7 (aut 8): (ex par. 8, proponitur titulus: *De mysterio filiationis*).

(Lin. 15) catechumeni vere uniuntur Ecclesiae Fide, sacramento inchoato, subiectione hierarchiae: sunt christiani, concepti, nondum nati (S. Augustinus, *In Ioan.* 44, *sermo* 46). Voto coniunguntur praecatechumeni mere audientes.

Par. 8 (aut 9): proponitur titulus: *De coniunctione cum aliis christianis.*

Par. 9 (aut 10): proponitur titulus: *De vocatione non christianorum* (*ad Ecclesiam*).

41

REV.MUS P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Placet cap. I. Adiungo animadversiones minoris momenti.

Ad pag. 7, linn. 9-11: proponerem ut supprimantur verba « praecedentium conciliorum argumento instans, illudque sermone menti hodiernae accommodato enucleans ».

Lin. 22: pro « Haec congregatio iustorum » dicatur « Haec congregatio hominum » vel « Haec congregatio fidelium ».

Ad pag. 8, lin. 4: pro verbo « manifestata » dicatur « constituta ».

Lin. 18: dicatur « eam [Ecclesiam] super Petrum aedificans »; aliis verbis deleantur verba « et Apostolos ».

Ad pag. 9, linn. 14-17: textum sequentem proponerem: « Ita cum Domino unimur, Spiritu Eius intus operante, non tantum ut *nos* per sensibilia sacramenta Corpori eius clarificato coniungamur, sed etiam ut *in Christo* unum corpus fidelium, variis organis instructum, *formemus,* habentes... ».

Lin. 26: corrigatur « *quae* tum dirigit... » quia pronomen relativum refertur ad verba « omnibus membris et organis... ».

Ad pag. 10, linn. 14-18: supprimerem istas lineas « Sicut Christus est... (usque ad) *Col.* 2, 10 », quia textus Scripturae interdum improprie citantur et, theologice loquendo, non satis probant.

Ad pag. 10-11, n. 6: Placet omnino quod aliae Ecclesiae imagines citantur. Adiungerem imaginem « regnum Dei » vel « regnum caelorum », non obstantibus aliquibus difficultatibus exegeticis.

Ad pag. 11, lin. 7: « Societas autem visibilis et mysticum Christi corpus, non duae res sunt, sed una tantum »: secundum meum submissum iudicium, id, uti iacet, affirmari non potest, quia conceptus « mystici Christi corporis » latius patet quam conceptus « societatis visibilis ». Homines, qui gratia sanctificanti ornantur, certocertius corpori mystico coniuncti sunt, etsi non ad Ecclesiam, societatem visibilem, pertineant.

Ad pag. 11, linn. 11-12: non placent verba « ut vivum instrumentum salutis inservit », quae conceptum nimis philosophicum exprimunt.

Linn. 16-17: dicatur melius: « quam Salvator post resurrectionem suam Petro et *ceteris* apostolis eorumque successoribus pascendam tradidit ».

Linn. 23: compleatur sic: « elementa plura *veritatis* et sanctificationis inveniri possint ».

Linn. 34-35: melius dicatur: « Docet Sancta Synodus innitens Sacrae Scripturae et traditioni ».

Ad pag. 12, linn. 36-38: exactius dicatur: « ut *spes arrideat* omnes tandem, modo a Christo statuto, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniri ».

Ad pag. 13, n. 10: amplius enucleetur nota « missionalis » Ecclesiae.

Linn. 5-13: « Quapropter (usque ad) Deum ignotum quaerant »: hic textus simplicior et limpidior reddatur. Re vera plene intelligitur tantum post lectionem notae 37 pag. 19.

Lin. 15: pro verbo « efficaciter intendit » praeferrem « vere intendit ».

Nota. Aliqui Patres ultimis diebus mutationem in successione numerorum petierunt: quod non opportunum esse videtur; quia exstat in hoc capite logica connexio numerorum. Ex altera parte, mutatione numerorum facta in elaborando novo schemate, alii Patres novas animadversiones facient pro novis mutationibus et ita, tempore inutiliter trito, redietur forsitan ad pristinum schema.

42

Exc.mus P. D. BENIAMINUS SOCCHE

Episcopus Regiensis in Aemilia

In schemate *de Ecclesia,* parte I, cap. I optime dictum est. Sed mihi licitum sit unam observationem facere.

In pag. 7, lin. 21, partis I, adest textus paulinus ad *Col.* 1, 15: « Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae »: *πρωτότοκος πάσης κτίσεως.*

In pag. 9, lin. 23, adest textus paulinus *Col.* 1, 18: « Ut sit in omnibus ipse primatum tenens »: *ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων.*

In his nostris temporibus tam languidis in fide valde bonum est affirmare plenam regalitatem D. N. Iesu Christi et eius primatum absolutum et universale super omnem creaturam, ut magis ac magis in faciem mundi clarescat.

Col. 1, 14-20: « In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum: Qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: quoniam in ipso condita sunt universa in caelis, et in terra, visibilia et invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates: omnia per ipsum et ipso creata sunt. Et ipse est ante omnes et omnia in ipso constant. Et ipse est caput corporis Ecclesiae, qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens: *ὅτι ἐν αὐτῷ εὐδόκησεν πᾶν τὸ πλήρωμα κατοικῆσαι.* Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare ».

In hoc textu certe loquitur de Iesu Christo Verbo Incarnato ut demonstrant verba: « in quo habemus redemptionem per sanguinem eius ». *Qui - Os* est: Imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae: in quo *ἐν αὐτῷ* condita sunt universa in caelis et in terra: in quo *τὰ πάντα συνέστηκεν* omnia constant ».

« Quoniam in ipso *ὅτι ἐν αὐτῷ* condita sunt universa in caelis et in terra... omnia per ipsum *τὰ πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται.*

τὰ πάντα ἔκτισται creata sunt:
ἐν αὐτῷ = causa exemplaris,
δι' αὐτοῦ = causa efficiens,
εἰς αὐτὸν = causa finalis.

« Et ipse est caput corporis ecclesiae... qui est principium, primogenitus ex mortuis: ut sit in omnibus ipse primatum tenens »: *ἵνα γένηται ἐν πᾶσιν αὐτὸς πρωτεύων.*

Omnes versus *Col.* 1, 14-20 sunt convergentes ad hoc: *ἵνα γένηται;* a Vulgata traducta sunt in: *ut sit,* sed *γένηται* conceptum semper veniendi et fiendi habet: etiam traductum cum *sit,* significationem habet: *esse in fieri.*

Numquam igitur referendum est *ἵνα γένηται* Verbo ut Deo, quia Verbum ut Deus in potentia non est ad aliquod fieri.

Vidimus conceptum verbi *γένηται* in aliis locis S. Scripturae: « Omnia per ipsum facta sunt et sine ipso factum est nihil quod factum est » (*Io.* 1, 3) = *Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο καὶ χωρὶς αὐτοῦ ἐγένετο οὐδὲ ἕν ὁ γέγονεν;* « Fuit homo missus a Deo » (*Io.* 1, 6) = *ἐγένετο ἄνθρωπος;* « Mundus per ipsum factus est » (*Io.* 1, 10) = *δι' αὐτοῦ ἐγένετο;* « Dedit eis potestatem filios Dei fieri » (*Io.* 1, 12) = *γενέσθαι;* « Et Verbum caro factum est » (*Io.* 1, 14) = *καὶ ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο.*

Ex omnibus his locis palam ostenditur *ἵνα γένηται Col.* 1, 18 fieri conceptum habere. Unde patet primatum *ἐν πᾶσιν* in omnibus rerum ordinibus Verbo Incarnato referri.

Ex littera ad *Eph.* 1, 3-10: « Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum... *διὰ 'Ιησοῦ Χριστοῦ εἰς αὐτόν.* Ut notum faceret nobis sacramentum voluntatis suae: *τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ* instaurare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt in ipso... ».

Praepositio *εἰς* significat finalitatem et duabus vicibus in eodem versu (5) repetita est: *εἰς υἱοθεσίαν... εἰς αὐτόν.* Praepositio *δία* dicit efficientiam. Quod est *τὸ μυστήριον τοῦ θελήματος αὐτοῦ* mysterium voluntatis Patris? *ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα ἐν τῷ Χριστῷ, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, ἐν αὐτῷ.*

Recapitulare omnia in Christo, quae in caelis et quae in terra sunt, in ipso *ἐν τῷ Χριστῷ — ἐν αὐτῷ* dicunt causalitatem exemplarem.

Sacramentum voluntatis Patris est *ἀνακεφαλαιώσασθαι τὰ πάντα,* recapitulare omnia in Christo.

Duabus vicibus tantum S. Paulus utitur hoc verbo: *Eph.* 1, 10; *Rom.* 13, 9, ubi dicit: « Et si est aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: *ἐν τῷ λόγῳ τούτῳ ἀνακεφαλαιοῦται*: diliges proximum tuum sicut teipsum ».

Sicut caritas est recapitulatio legis, sic in Christo omnia recapitulantur.

S. Hieronymus ait: « Miror cur ipso verbo graeco non usi sint translatores... Oratores in epilogis... in fine causarum, propter memoriam iudicum, anacefaleosim solent facere... Sensus itaque in praesenti loco iste est

(*Eph.* 1, 10) omnis dispensatio quae et ante mundum et postea esse coepit in mundo, tam invisibilium quam visibilium creaturarum, adventum Filii Dei pollicebatur » (*Commentum ad Eph.* 1, 10).

Mirabilis sententia sed prorsus oblita!

Iterum ad *Col.* 2, 9-10: « Quia in ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter: *ὅτι ἐν αὐτῷ κατοικεῖ πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος σωματικῶς*. Et estis in illo repleti qui est caput omnis principatus et potestatis ».

Ex hoc igitur S. Thomas docet: « Corpus mysticum Iesu Christo non solum ex hominibus constare, sed etiam ex angelis » (Pars III, quaest. 8, art. 4).

Unde concluditur Regalitatem D. N. Iesu Christi absolutam et universalem esse super omnem creationem.

43

EXC.MUS P. D. IOSEPH VINCENTIUS TÁVORA

Archiepiscopus Aracajuensis

Cap. I: *De Ecclesiae mysterio.*

Pag. 6, n. 2, lin. 4: post « decrevit » *inserere*: « nempe iis dando divinam et humanam missionem collaborandi suo operi creationis et eam ad suum finem ducendam: propagatio humani generis; occupatio, dominatio et exploitatio totius mundi ad salutem omnium hominum, et ad regnum et gloriam Dei usque in finem promovendum (*Gen.* 1, 26-29). Adam et in eo omnes homines, per peccatum originale et peccata actualia, hanc missionem renuerunt, et, cum offensione Dei amantissimi, in historia generis humani omnes errores, miserias, divisiones, crimina et abusus introduxerunt. Deus, pater misericordissimus lapsos in Adamo non dereliquit... ».

Lin. 9: post « Colligitur » *inserere*: « Deus hanc primam missionem divinam et humanam hominibus in creatione datam nunquam suppressit, sed Vetus Testamentum in Iustis, in Prophetis, in Psalmis, eam exaltat et complet, ut fundamentum totius finis creationis et salutis totius generis humani ».

Post n. 7 *addere* n. 8: « Sic tota Redemptio: missio Filii Dei incarnati, missio Spiritus Sancti, missio Ecclesiae servit *mirabiliori reformationi dignitatis humanae substantiae* (sicut dicitur in offertorio Missae) ad missionem divinam et humanam totius generis humani, in Christo, per Christum et cum Christo restaurandam et explendam, ad omnia creata restauranda in Christo, ad salutem omnium hominum et ad gloriam Dei ».

44

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Circa cap. I quaedam animadvertenda censemus.

Usus Scripturae Sacrae adeo frequens est in toto hoc capite ut aliquando textus esse videatur catena testimoniorum hinc atque inde collatorum. Hoc quidem maximo ingenio et solerti industria est confectum. Animos hodiernos delectat propter saporem biblicum, et multorum dissidentium benevolentiam lucraret. Seu textus primo intuitu oecumenicus est et pastoralis.

Tamen ex nobili hoc conatu quidam defectus irrepsere, minime, ut putamus, contemnendi, quod maxime dicimus de n. 5, in quo natura intima Ecclesiae declaratur ope imaginis Corporis mystici. Opinamur hac declaratione conciliari mentes Patrum nullo modo patefieri fidelibus, cum haec imago, sic proposita, loco lucis forte maiorem obscuritatem eis offerat. Fidelitas Verbo Dei sancte servanda est et custodienda in Concilio. Sed minime laudanda servilitas litterae sensum obscurans. Claritas et conceptuum praecisio maximi aestimanda est in hoc solemni documento doctrinali, licet non sit definitorium.

In horum confirmationem aliqua sumamus exempla: in pag. 9, linn. 11-13 dicitur: « Omnes enim, qui fidem eius profitemur, in unum corpus baptizati et in uno Spiritu potati sumus (cf. *1 Cor.* 12, 13), et omnes de eius corpore ut uno pane participamus (cf. *1 Cor.* 10, 17) ». Exponitur influxus aliquorum sacramentorum in incorporatione efficienda et perficienda. Sensus genuinus horum verborum quamplurimus fugiet, cum agatur de re adeo momentosa in doctrina Corporis mystici et Ecclesiae, quam oportet bene intelligere.

Circa finem, in pag. 10, linn. 14-18, ut declarentur relationes vitales inter Deum Christum et Ecclesiam, legitur in textu: « Sicut Christus est " pleroma " seu plenitudo Dei (cf. *Col.* 1, 19; 2, 9; *Eph.* 4, 13), ita Ecclesia est " pleroma " seu plenitudo Christi in ea inhabitantis, tenditque ad omnem plenitudinem Dei (cf. *Eph.* 1, 23; 3, 19; *Col.* 2, 10) ». Verba plenitudo, pleroma habent sensum qui difficillime a profanis percipientur sine explicatione aliqua. Textus ergo non videtur esse vere et genuine pastoralis, sicut in votis est apud omnes.

Humiliter petimus quod textus radicitus mutetur ut scopo Conciliari deserviat. Novam redactionem huius n. 5 etiam praesentamus, his, quibus competat, examinandam:

« *Ecclesia, mysticum Christi Corpus et populus Dei.* Apostolus saepissime Ecclesiam *corpus* nominat, quod, cum ex elementis arcanis, supernaturalibus et divinis coalescat, merito in traditione *mysticum* appellatur. Huius corporis caput Christus est. Ipse enim est principium, primogenitus ex mortuis, ut sit in omnibus primatum tenens, quia in ipso complacuit omnem ple-

nitudinem inhabitare, et per eum reconciliare omnia in ipsum, pacificans per sanguinem crucis eius sive quae in terris sive quae in caelis sint (cf. *Col.* 1, 18-20; *Eph.* 1, 22). Ex quo liquet Christum triplici ditari capitalitate, ordinis scilicet, perfectionis et influxus redemptos sanctificantis.

« Tota Christi vita et in terris conversatio exemplaritatem possidet et efficientiam quamdam. Influxus tamen capitis principaliter in incarnatione, passione, morte et resurrectione consistit. In incarnatione enim, qua mediante sacrificium Deo gratum et efficax paratur (cf. *Heb.* 10, 5-7). In passione, morte et resurrectione vero, quibus a peccatis abluimur, et vita divina ditamur (cf. *Rom.* 4, 25; *1 Cor.* 15, 17).

« In hoc mystico corpore Christus non tantum membrum excellens et fons totius vitae divinae membrorum est; ipse insuper, Apostolo testificante, est intimus et vivens in membris, et sic Paulus asserit Christum esse vitam nostram (cf. *Col.* 3, 4), et illum in Paulo vivere (cf. *Gal.* 2, 20). Et sicut in Paulo, ita et in iustificatis (cf. *Rom.* 8, 9-10; *Gal.* 3, 27; *Col.*) Christus vero, qui est caput corporis per humanitatem assumptam, vita est per gratiam suam hominibus infusam. Unitatem autem omnium, capitis scilicet et membrorum, unus atque idem Spiritus operatur, qui, eo ipso, non immerito anima corporis mystici appellatur.

« Istud corpus progressus et evolutionis legibus subiicitur. Crescit quidem membrorum numero et vitae intensitate; et crescet usque in diem quo, perfectione prorsus consecuta, perfecte in eo adimpleatur plenitudo Christi (cf. *Eph.* 1, 23; 4, 13), sicut in Christo adimpletur plenitudo Dei (cf. *Col.* 2, 9).

« Corpus mysticum quod est Ecclesia, cuius caput Christus, cuius anima Spiritus, cuius membra homines, in societatem visibilem constitutum est, donis et ministeriis ad hoc specialiter ditatum (cf. *1 Cor.* 12, 13; *Eph.* 4, 7 ss.). Qui enim magistri, sacerdotis, et regis munera pro nobis obivit corpus suum sociale constituit tamquam genus electum, regale sacerdotium, gentem sanctam, populum acquisitionis (cf. *1 Pt.* 2, 9); et quos in ea praepositos instituit, eos muneribus praeconis, sacerdotis et regis, sub Petro exercendis, exornavit.

« Qui in isto corpore mystico munere sanctificandi instructi sunt mediis socialibus utuntur, sacramentis scil. et doctrina; inter quae eminet baptismus, quo homines Christo capiti et Ecclesiae incorporantur, et qui, cum in fide et professione Trinitatis suscipiatur (cf. *Mt.* 28, 19) Ecclesiam plebem adunatam facit in unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti. Eminet insuper sacramentum corporis Domini; panis enim eucharisticus homines reficit ut unitatem vitae cum Christo acquirant (cf. *Io.* 6, 54-57); et ut inter se unitate sociali polleant (cf. *1 Cor.* 10, 17) ».

Alias etiam emendationes proponimus.

Pag. 11, linn. 30-33: « Sic patientiam commissas sibi partes implet, ut omnes homines, quos ardentissima caritate ad se vocat, ad regnum caeleste in gloriam Patris perducat ». Clarius et vividius experimentum ducimus in-

fluxum et momentum laborum tribulationum et dolorum in aedificando Corpore Christi mystico, maxime nostris temporibus, in quibus hedonismus materialisticus propagatur et plurimi patres tot tantaque patiuntur. Hoc pulcherrime est effectum in Enc. *Mystici Corporis,* ex quibus possent multa mutuari, vel ex secunda Epistola ad Corinthios, in qua habetur ut idea forte centralis. E contra verba quae citantur ex *1 Cor.* 11, 26, non sunt ad rem.

In pag. 9, lin. 24, per errorem citatur *Eph.* 1, 18-19. Verba autem sunt in *Col.* 1, 18-19.

Alia quae in mentem venerunt, sunt dicta nec repetenda.

45

Exc.mus P. D. IOANNES F. WHEALON

Episcopus Andrapenus, aux. Clevelandensis

§ 9: *De nexibus Ecclesiae cum Christianis non Catholicis.*

Haec paragraphus non placet; immo, aliquam anxietatem in me creat de effectibus horum verborum in natione mea.

§ 9 aspectum omnino positivum et oecumenicum de non-catholicis laudabiliter praesentat. Haec verba autem referunt ad christianos non-catholicos qui sinceram fidem christianam atque veram moralitatem christianam tenent.

Attamen apud nos in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis plurimi non-catholici moralitatem plenam christianam deseruerunt, v. g., divortium, matrimonia reiterata, necnon contraceptionem tolerant vel tenent.

Haec verba de eis positiva, in § 9 data, proinde possunt eis in errore complacere; haec verba facile possunt citari uti approbantia eorum statum praesentem, qui status infelix est.

Iam apud nos numerus conversorum ad fidem catholicam notabiliter declinavit. Fortasse in futuro catholici qui difficultates in re morali habent, vi harum vel similium sententiarum ad religionem non-catholicam se conscientia placida transferent.

Fortasse in alio schemate res plenius tractabitur. Sed lentus est Concilii progressus. Oportet melius definire « statum quaestionis » hac in paragrapho.

Propter spiritum paragraphi — quae in toto positiva est — difficillimum est emendationem proponere. Melius esset totam paragraphum mutare; idque peto. Sed si talis reformatio commissioni non placet, propono hanc additionem post vocem « ut » (lin. 39, pag. 12): « (ut)... nullus baptizatus vel coetus baptizatorum in nomine religionis christianae fidem vel moralitatem Christo inimicam teneat aut in errore complaceat, sed omnes... ».

46

EXC.MUS P. D. IOANNES WOLFF
Archiepiscopus de Diego Suarez

1. Ad par. 2, pag. 7. Modus trinitarius praesentandi mysterium Ecclesiae nobis valde placet. Sed intentio generalis schematis clarius patebit si in unoquoque momento, thema centrale luculenter delineatur, scil. quoad Consilium Patris = Iesum Christum; quoad missionem Filii = mysterium, oeconomiam seu dispositionem Incarnationis; quoad Spiritum Sanctum = missionem sic dictam invisibilem in Ecclesiam ut homines filii in Filio devenire possint, secundum aeternum Patris consilium. Sic ratio trinitaria mysterii Ecclesiae aperte videbitur. Hac de causa, emendationem sequentem proponimus. In initio eiusdem par. 2, in relatione ad textum *Eph.* 1, 3. Infra citatum, scribi potest, sub lin. 16, loco « Aeternus Pater, liberrimo et arcano etc. ». « *Benedictus Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi,* liberrimo et arcano etc. ».

Sub lin. 18 pag. 7, post vocabula « mundum universum creavit » explicite citetur *Eph.* 1, 3-7 ut iam proposuerunt exc.mi DD. Weber et Elchinger, et dicatur (loquendo de Aeterno Patre): « qui benedixit nos in omni benedictione spirituali in caelestibus in Christo sicut elegit nos in ipso ante mundi constitutionem, ut essemus sancti et immaculati in conspectu eius in caritate. Qui praedestinavit nos in adoptionem filiorum per Iesum Christum in ipsum... In quo habemus redemptionem per sanguinem eius, remissionem peccatorum secundum divitias gratiae eius, quae superabundavit in nobis ». Ideoque lapsos in Adamo non dereliquit sed salvavit in Christo.

Sub lin. 22 pag. 7 dicatur: « Haec *autem* congregatio iustorum ».

Sub lin. 25 eiusdem paginae, omittatur post citationem epistulae ad Romanos, ut iam supra per Scripturam dictum, textum usque ad lin. 27 ad vocabulum « eosque ». Sic itaque legatur: « Filium autem Pater suum ad hoc praedestinavit (*Rom.* 1, 4) ut homines non tantum singulatim... etc. ».

2. Ad par. 3, pag. 8 « *De missione Filii* ». Multa et quidem optima in hac paragrapho inveniuntur, v. g. de adoptione filiorum, de constitutione populi Dei etc. Melius esset fortasse clarius et in primis exprimere quod missioni Filii propriissime convenit scil. mysterium Incarnationis suae. Sicut dicit Augustinus de Filio: « Missus ideoque incarnatus ».

Illa incarnatio fons est salutis nostrae et conditio prae-requisita missionis Spiritus Sancti, cuius ope, Ecclesia a Christo instituta exordium publicum in die Pentecostis mirabiliter accepit. Ideoque nova redactio huius paragraphi sic proponitur: « sic enim Deus dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam aeternam » (*Io.* 3, 16). Per Incarnationem suam, etenim « qui cum in forma Dei esset... semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus et habitu inventus ut homo » (*Phil.* 2, 6-7). Primum vitam degens profun-

dissime occultam, denique evangelizans « Regnum Dei » (*Lc.* 4, 43) et « transiens benefaciendo » (*Act.* 10, 38) fundamentum ponit Ecclesiae suae eligendo duodecim, vocando ad se pauperes (*Mt.* 11, 5) et quicumque laborant et onerantur (*Mt.* 11, 28) et Passionem gloriosam pro nobis sustinendo. Et quidem cum esset Filius Dei didicit ex iis quae passus est oboedientiam, et consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae » (*Heb.* 5, 8-9).

« Eum autem qui modico quam angeli minoratus est videmus Iesum propter passionem mortis, gloria et honore coronatum » (*Heb.* 2, 9). Etenim per resurrectionem ex mortuis et per admirabilem Ascensionem super omnes caelos. « Deus exaltavit illum, et donavit illi nomen quod est super omne nomen ». Id quod fuit illi terminus gloriae manifestationis suae, initium est nobis « novae creaturae » (*2 Cor.* 5, 17) in gratia per Spiritum « quem ego, dixit Iesus, mittam vobis a Patre » (*Io.* 15, 26). Revera Petrus ipse primus testificatur Spiritum tandem mirabiliter « super Israel Dei » (*Gal.* 6, 16) scilicet Ecclesiam, effusum esse, quando dixit in die Pentecostis: « Dextera igitur Dei exaltatus et promissione Spiritus Sancti accepta a Patre, effudit hunc quem vos vidistis et auditis » (*Act.* 2, 33). Sic enim semper Patres intellexerunt Christum suam vitam inter nos consummavisse mittendo nobis Spiritum Sanctum ut per eum vita sua vita nostra efficeretur.

3. Ad par. 4, pag. 8 « *De Spiritu Ecclesiam Sanctificante* ». Hic melius esset expressius dicere opus Spiritus Sancti quoad nos. Sequentem emendationem proponimus:

« Misit ergo nobis Christus Spiritum a Patre » (*Io.* 15, 26) in quo Spiritu salvifice dicere possumus « Dominus Iesus » (*Rom.* 10, 9 et *1 Cor.* 12, 3). « In quo etiam clamamus Abba Pater » (*Rom.* 8, 16). Ideoque totus populus christianus novi testamenti particeps efficitur « non littera, sed spiritu » (*2 Cor.* 3, 6). Qui autem confirmat nos vobiscum in Christo et qui unxit nos Deus: qui et signavit nos, et dedit pignus Spiritus in cordibus nostris » (*2 Cor.* 1, 21-21). Ipse est Spiritus vitae salientis etc. ... sic sequitur textus lin. 28 ad lin. 34.

Hic ponendus esset excellens textus Ecclesiae Dei describens, intempestive quidem a lin. 11 ad lin. 24. Postea optime concludendum esset cum lin. 34 (Ubi Ecclesia) usque ad finem paragraphi.

Jean Wolff (Madagascar), Jean David (Madagascar), Léon Messmer (Madagascar), Guibert (La Réunion), de Langavant (La Réunion), Liston (Maurice), Rakotomalala (Madagascar), Rajoanaivo (Madagascar), Martinez (Madagascar), Vollare (Madagascar), Thoyer (ex-Madagascar), Sartre (ex-Madagascar), Rolland (Madagascar), Puset, Michel Canonne, Zimmermann, A. Fresnel, C. Chilouet, Célestin Nkou (Cameroun), Plumey (Cameroun), Van Hegen (Cameroun), Mongo (Madagascar), Gaumain (Tchad), Dalmais (Tchad), Veniat (Tchad), Cucherousset (R.C.A.), Baud (R.C.A.), Etoga (Cameroun), Zoa (Cameroun).

47

EXC.MUS P. D. PAULUS YÜ PIN

Archiepiscopus Nanchimensis

Nos episcopi in regionibus non-christianis maxima opprimur sollicitudine salutis nostrae gentis, post enim tanta saecula tantosque labores nonnisi minima pars animarum baptismum suscepit. Gaudemus tamen quod ex hoc primo capite schematis *de Ecclesia* maiorem spem salutis, etiam illis elucescere, qui absque propria culpa veram Christi Ecclesiam nesciunt.

Sic in n. 8, pag. 12, linn. 15-22, legitur « Voto autem cum Ecclesia coniunguntur catechumeni... Suo modo idem valet de illis, qui nescientes Ecclesiam catholicam esse veram et unicam Christi Ecclesiam, sincere, adiuvante gratia, voluntatem Christi vel, si distincta cognitione Christi carent, voluntatem Dei Creatoris, qui vult omnes homines salvos fieri, interna fide, spe et caritate adimplere satagunt ». Ideoque non tantum catechumeni, sed etiam pagani in genere ad Corpus Christi mysticum, suo modo, pertinere possunt.

Praeterea, idem in commentario schematis, pag. 21 in primis lineis, concinne declaratur: « Ad Ecclesiam variis modis *pertinent vel referuntur* sive catholici, sive christiani non-catholici, sive in genere non-christiani seu omnes homines ».

Attamen nobis videtur in n. 10 schematis, pag. 13 lin. 8, ubi dicitur: « ... sive Domino iam prope... sive longe ab eo, *sed non-derelicti,* Deum Creatorem agnoscunt, vel *in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerant...* Qui, Christum eiusque Ecclesiam sine culpa ignorantes, ... in terris tamen agnitione Christi et glorificatione Patris eius non locupletatur. Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos *ad Corpus* Christi adducat, ut sic via salutis pro eis latius sternatur ».

1) Nobis videntur verba « non-derelicti... in umbris et imaginibus... Deum ignotum... » sunt nimis dura et offensiva pro multis culturis valde evolutis;

2) Verba « in terris... non locupletantur » sunt ambigua;

3) Verba « ad Corpus Christi adducat » confusionem gignere possunt, heic enim iterum non-christiani Deum interna fide colentes extra Corpus Christi expelluntur, et limites Corporis Christi iterum restringuntur;

4) Denique desideratur amplior et profundior explanatio conceptus Ecclesiae ex natura sua missionaria.

48

CONFERENTIA EPISCOPALIS DE BURUNDI ET RUANDA

Articulus novus inserendus (inter par. 7 et par. 8) *in cap. I schematis de Ecclesia.*

Titulus articuli: De Ecclesiae catholicitate, i. e. de eius unitate in diversitate.

Textus propositus:

Mira unitate simul et diversitate ornatur Ecclesia peregrinans, cum sit sacramentum Verbi Dei Incarnati, omne quod humanum est, secluso peccato, in se assumentis.

Una est, quia non est nisi « unum corpus et unus spiritus... », « unus Dominus, una fides, unum baptisma; unus Deus et Pater omnium qui est super omnes et per omnia et in omnibus nobis », superaedificata super unum fundamentum apostolorum. Diversitate tamen praefulget quia, secundum Incarnationis oeconomiam, ipsius est in suam praeclaram unitatem assumere et spiritu Christi imbuere omnes humanos valores cuique culturae proprios.

Hac capacitate universali omnia assumendi in unitatem fidei et caritatis, Ecclesia peregrinans, « circumdata varietate », una et catholica signatur.

Cum Verbum Dei, Redemptor omnium, per admirabilem Incarnationem suam, nationi cuidam et stirpi traditionibus atque cultura modisque cogitandi peculiaribus praeditae incorporari voluerit, Ecclesia, Mater omnium fidelium, diversitatem donorum in « domo Dei » cum observantia recipere, fovere et adimplere certe tenetur, ut sic Dei voluntati fidele praestetur obsequium. Inde refulget Ecclesiae catholicitas, qua dona naturalia et supernaturalia Dei Spiritus ad plenam perfectionem adducuntur. Cum haec Dei familia, quae est Ecclesia, nata sit ut omnes Dei filios in unum congreget, natura sua in id tendit ut in vita sua unitatem in diversitate et diversitatem in unitate quam perfectissime ostendat.

Unitas ergo et diversitas sunt quasi duo cardines aedificationem Ecclesiae his in terris determinantes. Ex una parte e principio unitatis oriuntur vincula intimae communionis ecclesialis diversarum Ecclesiae partium inter se et cum Romano Pontifice, ita ut coadunentur inter se unitate fidei et communione sanctorum, « perseverantes unanimiter in doctrina apostolorum, in communione, panis fractione et orationibus ». Ex altera parte, in hac unitate ecclesialis communionis, cum « in domo Patris mansiones multae sint », legitimae adsunt ecclesiae particulares, eadem dignitate iisdemque iuribus pollentes, propriis in liturgia atque regimine traditionibus fruentes, integro semper manente Petri Cathedrae primatu, ut centro ecclesialis communionis et unitatis.

Sic Ecclesia, Christi Sponsa, cumulata divitiis nationum, ornata apparebit illis monilibus quibus Creator Ipse, spargens diversitates ingenii, culturae, consuetudinum et linguarum, genus ditavit humanum.

De non-christianis ad Ecclesiam adducendis.

Commentarium praevium.

1. Textus cap. I, n. 10 schematis *de Ecclesia,* etsi bonus est, tamen meliorandus videtur ut melius appareat:

Amplitudo Consilii Redemptivi Dei non tantum ad homines individuos sed etiam ad societates et religiones non-christianas.

« *Apertura* », *ut aiunt, Ecclesiae* et missionis ad omnia elementa positiva extra christianismum.

Spiritus « *constructionis* » quo animari debet missio et missionarius.

2. Textus remanebit *in campo theologiae* generalis, de Ecclesia et mundo christiano, cum locus non sit nunc pro particularibus.

3. Utemur persaepe *textibus biblicis,* praesertim ex illis locis ubi elucet consilium divinum erga non-christianos, ut sunt: verba Petri ad Cornelium (*Act.* 10); concio Pauli ad Athenienses (*Act.* 18); doctrina eiusdem de paganis (*Ad Rom.*); mysterium universalis redemptionis in Christo (*Eph., Col.*).

4. *Motus totius expositionis* quattuor partibus constat:

a) exponitur breviter universalitas functionis Verbi Incarnati et Ecclesiae.

b) Modo correlativo, describitur universalis aspiratio religiosa, erga « Deum ignotum ».

c) Ostenditur, per modum consequentiae, quomodo thesauri non-christiani admitti et elevari debeant in Ecclesia.

d) Unde clarius appareat et modus et finis « missionis » in non-christianos.

Textus renovatus:

A) Ecclesia, cum sit Sponsa et Corpus Christi universalis Redemptoris, qui « primus ex resurrectione mortuorum, lumen annuntiat populo et gentibus » (*Act.* 26, 23) debet ipsa quoque, ex natura sua « in gentibus evangelizare investigabiles divitias Christi et illuminare omnes quae sit dispensatio sacramenti absconditi a saeculis in Deo » (*Col.* 3, 8 et 9), « annuntians pacem per Iesum Christum » (*Act.* 10, 36).

Quam essentialem missionem significavit ipse Iesus, cum apostolis mandaverit: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae » (*Mc.* 16, 15) et: « Docete omnes gentes, baptizantes eos... » (*Mt.* 28, 19).

Quapropter Ecclesia, verba Pauli sibi applicans: « Vae mihi si non evangelizavero » (*1 Cor.* 9, 16), non potest quiescere ab evangelizatione totius mundi procuranda; orationibus, testimonio sanctitatis, exercitio caritatis, et praesertim labore apostolico ad non-christianos; donec omnes praesertim pauperes, in unum Christi Corpus adciscantur.

B) Sic autem obviat totius humani generis necessitatibus et votis: « Omnes enim peccaverunt et egent gloria Dei » (*Rom.* 3, 23). Et Deus « fecit omne genus hominum habitare super universam faciem terrae... quaerere eum si

forte attrectent aut inveniant eum » (*Act.* 17, 27). Reapse « non est longe ab unoquoque nostrum » (*ib.*); « invisibilia Ipsius a Creatura mundi, per ea quae facta sunt intellecta conspiciuntur » (*Rom.* 1, 20). « Legem non habentes ipsi sibi sunt lex, testimonium reddente illis conscientia ipsorum » (*Rom.* 2, 14-15). Non defuerunt in omni religione, in quovis populo, viri religiosi qui Deum ignotum in templis vel in cordibus suis coluerunt...

C) Qui sic vivere conantur in spiritu et veritate secundum conscientiae dictamen, fideles sunt divinae voluntati. Quidquid boni, quidquid sancti homines hominumque coetus non-christiani habent, praeparatio est evangelica; ordinatur ad Christum « auctorem et consummatorem fidei » (*Heb.* 12, 2) et ab eo per Ecclesiam assumi et elevari potest et debet.

D) Ut ad plenam lucem, revelationis quidem christianae, perveniant, requiritur ergo modo urgenti ut « cognoscant solum Deum verum et quem misit Iesum Christum » (*Io.* 17, 3), et sic ad Corpus Christi, quod est Ecclesia, adducantur, ope eiusdem Ecclesiae.

Omnis ergo qui ab Ecclesia mittitur ad non-christianos, curet esse « minister Iesu-Christi in gentibus, sanctificans Evangelium Dei, ut fiat oblatio gentium accepta et sanctificata in Spiritu Sancto » (*Rom.* 15, 16). Sic authenticum patrimonium religiosum uniuscuiusque religionis, civitatis vel personae Deo oblatum non tantum non destruetur sed, ad sublimiorem et definitivam dignitatem evectam, conferet ad splendorem Ecclesiae, quae magis magisque populorum varietate circumdari debet; conferet ad plenitudinem Corporis Christi, in quo « omnia instauranda sunt » (*Eph.* 1, 10), donec « tradat regnum Deo et Patri » (*1 Cor.* 15, 24).

Notae de valore aliquorum verborum:

A) *Sponsa et corpus*: indicatur unitas vitalis in qua fundatur identitas functionis Christi et Ecclesiae.

Natura sua ... mandaverit: duplex fundamentum, vitale et praeceptivum, functionis expansivae Ecclesiae.

Divitias Christi ... pacem per Iesum: notatur quomodo elementum essentiale totius evangelizationis sit Christus.

Omnimode procuranda: variae formae functionis missionalis a christianis exercendae.

Donec omnes: notatur finis universalis essentialis.

B) *Ea quae facta sunt ... conscientia ...*: testimonium Dei duplex: externus ... internus. Cf. notam 38, optimam, schematis *de Ecclesia.*

C) *Fideles sunt*: salus individuorum.

Quidquid boni ... *hominum coetus*: locus proprius societatum et religionum in opere redemptionis.

Quidquid: Ergo non dicitur, e contra, omnia esse bona.

Assumi et elevari: functio Ecclesiae erga « valores » non christianos.

D) *Cognoscant ... adducantur ad Corpus*: adhaesio interna per fidem, visibilis per baptismum et vitam in Ecclesia.

Omnis ergo ...: positio generalis, theologica omnis missionarii.
Sic conferet: de pluriformitate in unitate Ecclesiae.
Regnum tradat: eschatologia missionis.

A. Beltramino, ep. de Iringa; J. Blomjous, ep. de Mwanza; E. Butler, ep. de Mombasa et Zanzibar; C. Cavallera, ep. de Nyeri; C. Chitsulo, ep. de Dedza; J. Corboy, ep. de Monze; A. R. Coty, ep. de Nachingwea; F. Courtemanche, ep. de Fort Jameson; M. Daubechies, ep. de Kasama; G. Del Mestri, archiep. Tuscamia; A. Ddungu, ep. de Masaka; W. Dunne, pref. ap. de Kitui; D. Durning, ep. de Arusha; J. Fady, ep. de Lilongwe; A. Fürstenberg, ep. de Abercorn; V. Haelg, ep. de Baia (Ndanda); R. Hillerich, praef. ap. de Solwezi; J. L. Jobidon, ep. de Mzuzu; A. Kozlowiecki, archiep. de Lusaka; M. Maradan, ep. de Port Victoria; F. Mazzieri, ep. de Ndola; E. Maranta, archiep. de Dar es Salaam; V. McCauley, ep. de Fort Portal; E. McGurkin, ep. de Shinyanga; E. Mchonde, ep. tit. Adraa; M. Mihayo, archiep. Tabora; T. O'Shea, ep. de Livingstone; M. Otunga, ep. de Kisii; R. Pailloux, ep. de Fort Rosebery; J. de Reeper, praef. ap. de Ngong; J. Rudin, ep. de Musoma; H. Spiess, ep. de Peramiho; A. van Oorschot, ep. de Mbeya; P. Winters, ep. de Mbulu.

49

EXC.MI PP. DD. ARCHIEPISCOPI ET EPISCOPI

Provinciae Aquensis et Avenionensis et dioecesis Massiliensis

Pag. 7, n. 1, linn. 6-8: *a*) sit signum, instrumentum, seu veluti sacramentum..., *immo haec ipsa unitas*; *b*) melius videtur loqui primo de unione cum Deo, cum sit ratio unionis supernaturalis hominum in Christo. Unde textus sic mutetur: ... *sacramentum, immo ipsa res totius humani generis cum Deo unionis, ac proinde omnium hominum in filios Dei vocatorum inter se mirabilis unitati.*

Opportune citarentur loci *Eph.* I et II initio huius prooemii.

Cap. I.

Pag. 8, n. 2, lin. 2, pro *praefigurata*: *aliquo modo inchoata.*

N. 3, lin. 6, ut peccatores *suo sanguine redemptos* (cf. *Eph.* 1, 7) salvos faceret...

Lin. 21, sacramentum visibile *ac simul invisibile mysterium* huius salutiferae unitatis.

N. 4, linn. 33-34, ... adornat, *inter quae eminet, ut omnium culmen, ipsum donum gratiae deificantis.*

Pag. 9, n. 5, linn. 3-5. Populus Dei, hic populus. Populus Veteris Testamenti tantum *figura* populi Novae Legis est, ut bene dicitur supra, n. 3, pag. 8, lin. 11. Unde textus clarius reddatur.

Lin. 9, diffunditur, *cum nempe gratiam et caritatem recipiant,* ut ...

Linn. 14-16, corpora nostra: est sensus proprius; unum corpus: est sen-

sus metaphoricus. Unde textus non sat clarus. Forsan melius: coniungantur, sed etiam *ut animis vita spiritualis infundatur, ita* ut unum corpus fidelium ...

Lin. 27, *iam* in terris: ad melius indicandum non agi tantum de Ecclesia terrestri, cum Ecclesia in caelis plenitudinem possidebit.

Lin. 37, principaliter et interius. Hae voces possunt evocare causalitatem instrumentalem quam dicunt, quod valet pro Ordine, non pro magisterio. Unde explicitius: *praesens sit et interius inspirat, assistit vel agit.*

Lin. 40, vivificat *ac proinde* unit et movet... Sic melius indicatur gratiam sanctificantem finem esse aliorum charismatum.

Pag. 10, linn. 11-12, Corpore suo *adhuc* in terris ...

Pag. 11, n. 7, linn. 5-7, deleatur: constat et remanet tantum: *sustentatur.* Sic melius apparet haec media ad sanctitatem sicut ad finem ordinari.

Lin. 28, peccatores, *quos ad paenitentiam incessanter excitat atque adiuvat, in se complectens...* Sic melius apparet quomodo peccatores sint in Ecclesia. Nam qua peccatores sunt « de mundo » (cf. lin. 29).

Pag. 12, n. 8, lin. 9, « simpliciter » videtur « secundum quid » ut correlativum exigere, quod non omnes theologi admittent, cf. animadversio, pag. 22. Unde melius: *Reapse et primo...*

Linn. 7-8, pro sacramenti, *sacramentorum,* vel explicitius: *sacramentorum vitaeque gratiae ex eis promanantis,* et ...

N. 9, lin. 30: et plures eorum *episcopatum validum sacrificiumque Missae tenent fidemque* erga... Nam non satis distinguitur inter orthodoxos et alios separatos.

Lin. 34. Cf. animadversio, pag. 22, quoad n. 8, quod hic etiam valet. Suntne gratiae salutiferae extra Ecclesiam? Caute in his rebus loquendum est. Unde loco: intra Ecclesiam catholicam, melius esset: quippe qui non solum *dona et gratias catholicis distribuit ...*

Pag. 13, n. 10, lin. 22: ut sic via salutis *et etiam quandoque plenioris sanctitatis* eis latius sternatur ...

50

CONFERENTIA EPISCOPORUM HELVETIAE

[*Cf. pag. 50*].

51

CONFERENTIA EPISCOPALIS ITALIAE

Animadversiones generales.

Schema in genere laude dignum censemus; nonnulla in eo valde placent, nonnulla tamen perficienda putamus.

Materiam in genere bene distributam invenimus. Cupimus tamen ut, prouti iacet, relinquatur; non enim rationem videmus cur, iuxta commissio-

nem de laboribus Concilii coordinandis, rerum ordo ac distributio materiae mutari debeant (cf. notulam in calce pag. 5, II partis schematis, appositam).

Sermo in genere est clarus; quandoque tamen clarificatione indiget necnon breviatione ad vitandas inutiles repetitiones, quod documentis conciliaribus congruere non videtur.

Sermo est biblicus, tamen citationes Sacrae Scripturae revisioni sunt supponendae, ut semper ad rem sint.

Ad hoc ut melius appareat connexio huius schematis cum constitutione dogmatica « De Ecclesia Christi » Concilii Vaticani I, titulus schematis sic emendandus proponitur: « De Ecclesia Christi ».

Animadversiones particulares.

A. *In « Introductionem ».*

1. Introductio prouti iacet non videtur, quoad extensionem, proportionata dignitate et momento schematis « centralis » totius Concilii.

2. Censemus redactionem definitivam introductionis redigendam et discutiendam esse postquam Patres materiam totius schematis examinaverint atque probaverint, ita ut introductio realiter respondeat materiae schematis eiusque ordini logico.

3. Tamen in introductione conficienda haec non deesse posse censemus:

a) clare constare debet non esse intentionem Concilii conficiendi tractatum completum de Ecclesia, sed solummodo capita quaedam proponendi, quae Ecclesia hodie magis necessaria vel utilia existimat;

b) clare constare debet de qualificatione theologica totius schematis.

B. *In cap. I « De mysterio Ecclesiae ».*

1. Proponimus ut titulus capitis sic mutetur: « De Ecclesiae natura atque missione », prout legitur in pag. 7, lin. 8, actualis introductionis. Ratio mutationis: Ecclesia duobus elementis, pariter substantialibus, constat, interno seu mysterioso et externo. Iamvero titulus actualis huius capitis indicare videretur hic agi solummodo de elemento interno Ecclesiae, quod reapse materiae schematis non respondet.

2. Ad n. 2, pag. 7, iam. ab initio explicite declarari deberet intentio schematis aspectus « trinitarii » Ecclesiae in lucem ponendi.

3. Lin. 19, loco « elevare decrevit » dicatur « elevavit », quia decretum divinum feliciter ad effectum est deductum.

4. Lin. 20, loco « intuitu Christi », dicatur, iuxta Bullam *Ineffabilis Deus,* « intuitu *meritorum* Christi ».

5. Lin. 22, loco « haec congregatio », dicatur simpliciter « congregatio », quia superius nulla mentio facta est istius congregationis.

6. Lin. 23, loco « quae ab Abel iusto », dicatur « quae ab *Adamo* iusto ». Ratio: ita habetur in Catechismo Concilii Tridentini I, 9, 16; ceterum non potest excludi ab Ecclesia universali Ille cui prima divina revelatio Red-

emptionis facta fuit, cuique eiusdem Redemptionis fructus primo applicati fuerunt.

7. Pag. 8, lin. 1, loco « sub uno capite », dicatur clarius « sub se tamquam capite ».

8. Lin. 4, loco « in novissimis temporibus », dicatur, citando explicite S. Scripturam, « ubi venit plenitudo temporis » (*Gal.* 4, 4). Ratio: locutio biblica « in novissimis temporibus » recta videtur in ore S. Pauli, sed non, post viginti saecula, in ore Concilii Vaticani II.

9. Ad n. 3, lin. 17, ita complenda videtur: « aptisque mediis sanctificationis atque visibilis seu socialis unionis instruxit ». Non enim possunt in textu dogmatico praeteriri media sanctificationis quae sunt potiora mediis socialibus.

10. Lin. 19, ita brevietur: « super Petrum aedificans ».

Verba enim schematis: « super Petrum *et apostolos* aedificans », nisi explicentur ostendendo diversum titulum diversamque rationem secundum quam Petro et reliquis apostolis tribuuntur, non possunt admitti quia sunt aequivoca.

Etiam alibi, in schemate *de Ecclesia,* ista idea, mutatis quidem verbis, recurrit: v. g., in pag. 11, lin. 16; in pag. 11, lin. 21; in pag. 12, lin. 6; in pag. 23, lin. 10; in pag. 24, lin. 11; et in schemate *de Oecumenismo,* in pag. 7, lin. 22.

De aedificatione seu fundatione Ecclesiae ex parte Christi etiam super apostolos (licet simul cum Petro), seu super collegium apostolorum, nullus textus patristicus, quantum scimus, allatus est; quin immo plures in contrarium inveniuntur. Sufficiat referre S. Cyprianum: « Super unum aedificat oves suas... tamen ut unitatem manifestaret (unam cathedram constituit et) unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit » (*De unitate Ecclesiae,* cap. II).

Aliquando (v. g., in pag. 32, nota 5 huius schematis) afferuntur textus *Eph.* 2, 20 et *Apoc.* 21, 14; qui tamen textus, nostro quidem iudicio, nihil ad rem probant, vel ad summum sunt dubiae exegeseos; unde ex iis consectarium dogmaticum inferre non licet. Eo vel magis quod id est cavendum ne videatur Concilium quodammodo favere cuidam opinioni recentioris theologiae, iuxta quam Primatus consisteret tantum et exhauriretur in ratione capitis collegii episcopalis.

11. In linn. 18-22, invenitur prima vice definitio quaedam Ecclesiae; quam tamen elementis fundamentalibus et essentialibus carentem censemus. Nulla enim in ea mentio de baptismate, nulla de regimine.

12. Ad n. 4, in lin. 26, ita textus compleatur: « ... misit Deus Spiritum Filii *in totam Ecclesiam* (cf. *Act.* 2, 4) et in *corda uniuscuiusque nostrum* ». Ratio: sic introducitur explicita mentio Pentecostis.

13. Linn. 38-39, sic videntur perficienda: « Est igitur universa Ecclesia de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata ».

14. Ad n. 5. In genere, in hoc numero et etiam alibi in schemate desi-

deratur clara et univoca terminologia ad distinguenda charismata ministerialia, quae scil. dantur hierarchiae stabiliter, a charismatibus quae dari possunt fidelibus laicis transeunter. Priora charismata priore loco memoranda videntur eo quod, iuxta encyclicam *Mystici Corporis,* membra hierarchiae sunt membra *primaria ac principalia* mystici corporis, « cum per eosdem, ex ipso divini Redemptoris mandato, munera Christi Doctoris, Regis, Sacerdotis perennia fiant ».

Hic forsan locus, praeterquam in cap. III, loquendi de inaequalitate inter hierarchiam et laicos, cum haec inaequalitas sit de essentia Ecclesiae.

15. In lin. 9, ita legatur: « Vita enim Christi *in carne passi et* glorificati etc. ». Non enim potest sileri passio Christi quae fuit causa meritoria nostrae Redemptionis, scilicet nostrae vitae supernaturalis, immo et glorificationis ipsius Christi.

16. In lin. 13, ad auferendam aequivocitatem inter corpus physicum et corpus mysticum, sic legendum proponimus: « et omnes de uno pane, *qui est eius caro,* participamus ».

17. In lin. 37, non videntur clara verba: « principaliter et interius ... suscipiunt », cum haud satis distinguant inter ministros conficientes et fideles suscipientes. Unde nova proponitur formula: « principaliter et interius illa agit, quae *Ecclesiae* praepositi *ipsi* ministrando agunt *vel fideles suscipiunt* ».

18. Ad n. 6. Desideraretur ut imagines Ecclesiae hic collectae haberent suam quaeque citationem biblicam. Desunt et aliae imagines Ecclesiae: v. g., *regnum Dei* vel *regnum caelorum; vitis et palmites* (quod non est idem ac vinea); *ovile* (quod non est idem ac grex); *mater nostra* (cf. *Gal.* 4, 26).

Sed, quod maius est, omnes hae perpulchrae imagines in schemate exponuntur una post aliam, sine ullo ordine logico, neque ex eis ulla colligitur synthesis quae nobis, et mundo hodierno (quaerenti ab Ecclesia: « Tu quae es? Quid de teipsa dicis? »), referant veram et completam realitatem Ecclesiae, eamque indigitent tamquam unicam et definitivam realisationem historicam consilii salutaris Ss.mae Trinitatis.

19. In lin. 37, loco « Sponsa Christi vel Agni », rectius legatur: « Sponsa Christi seu Agni immolati » (cf. *Apoc.* 21, 9).

20. Ad n. 7. Hic numerus potius quam « De Ecclesia in terra peregrinante » inscribendus nobis videtur: « De Ecclesiae missione in terris », ob has rationes:

a) ut habeatur harmonica correlatio cum n. 3: a missione Filii ad missionem Ecclesiae;

b) ne videatur Ecclesia, de qua actum est in praecedentibus numeris, diversa esse ab Ecclesia peregrinante;

c) ut propositum a Concilio manifestatum in « Introductione » (pag. 7, lin. 8: « naturam *missionemque* suam ... declarare intendit »), tandem aliquando adimpleatur.

21. Idea Ecclesiae *peregrinantis* profecto est pulchra et biblica; sed pari-

ter pulchra et biblica (cf., e. g., *2 Cor.,* 10, 3; *1 Pt.,* 2, 11; *1 Tim.,* 1, 18; *2 Tim.,* 2, 4; *Apoc.,* 12, 1 s.), necnon classica in litteratura sacra, est idea Ecclesiae *militantis*: « quae ideo militans vocatur, quod illi cum immanissimis hostibus mundo, carne, satana perpetuum sit bellum » (*Catech. Conc. Trident.,* I, 9, 5). Igitur idea Ecclesiae peregrinantis complenda est per ideam Ecclesiae militantis; quod multum conferre potest ad mysterium Ecclesiae melius intelligendum.

22. In specie, hae videntur faciendae animadversiones:

a) linn. 6-7 sic mutentur: « ... his in terris mediorum sanctificationis *visibili et sociali* compage constat et sustentatur ». Ratio: sic melius elementum externum Ecclesiae cum interno coniungitur;

b) in linn. 10-13, ut parallelismus sit perfectus, ita legendum proponitur: « Sicut enim natura assumpta ... ut vivum instrumentum salutis inservit, ita etiam socialis organismus Ecclesiae Spiritui Christi *in salutifero Redemptionis opere perenni reddendo* inservit » (cf. Conc. Vat. I, Const. Dogm. I *De Ecclesia Christi*);

c) quae habentur in linn. 25-27 nimis parum dicunt. Ecclesia enim est signum ad demonstrandum Christum, non tantum pauperem et humilem, sed etiam et praesertim Redemptorem, Magistrum, Regem singulorum et populorum, Iudicem futurum;

d) in lin. 22, verba « licet extra totalem ... impellunt » sensum logicum habere non videntur, nisi prius aliquid aliud dicatur cuius illud « licet extra totalem etc. » sit limitatio. Igitur novam proponimus redactionem linn. 19-24: « Haec igitur Ecclesia ... in eius communione directa, *atque unica Redemptionis custos et ministra,* licet extra *eiusmet* totalem compaginem elementa sanctificationis quaedam inveniri possint, quae ... impellunt ».

23. Ad n. 8. In pag. 11, linn. 34-38, nova proponitur formula: « Docet Sancta Synodus cum Sacra Scriptura et traditione, *unice* Ecclesiam catholicam, a Deo per Iesum Christum conditam *et super Petrum aedificatam,* esse institutum necessarium ad salutem, ideoque illos homines salvari non posse qui *illam, uti talem agnoscentes,* in eam tamen nolint intrare vel in eadem perseverare ».

Ratio emendamentorum: *a*) clare dicendum est Ecclesiam catholicam *unicum* esse medium ordinarium salutis, secus tota vis argumentationis enervatur; *b*) pariter clare dicendum est agi de Ecclesia catholica *romana,* secus argumentum non tenet contra orthodoxos et protestantes; *c*) « non ignorantes » schematis est formula negativa, insuper « cognoscere » est minus quam « agnoscere ». Proinde, cum agatur de re tam momentosa qualis est aeterna salus, videtur requirendum, ut quis salutem non inveniat, aliquid positivum et maius. Verbum « agnoscere » invenitur, v. g., in DB, 1793.

24. In pag. 12, lin. 13, verba « simpliciter loquendo » sunt obscura, ideo permutanda (v. g., « plene »).

In lin. 7, loco « Sacramenti » legatur « *cultus* ».

Linn. 8-11 sic melius legendae videntur: « Non salvatur tamen, licet ad Ecclesiam pertineat, qui in fide, spe et caritate non *perseverat, cum* peccans in Ecclesiae sinu " corpore " quidem sed non " corde " *remaneat* ».

Cetera verba: « Memores autem ... iudicabuntur » omittenda censentur, quia potius ad moralem quam ad dogmaticam pertinere videntur.

25. In lin. 16, verba: « cogitate et explicite » mutentur in clariora: « *Conscia et explicita voluntate* ».

26. Verba linn. 18-22: « Suo modo idem valet ... adimplere satagunt » videntur subobscura et aequivocationi obnoxia. Ad quam aequivocationem auferendam nova proponitur formula: « Illos quoque sibi, non eadem tamen ratione, coniunctos Mater Ecclesia sentit qui, sine sua culpa, ignorant aut non agnoscunt catholicam Ecclesiam esse unicam veram Christi Ecclesiam, ideoque unicum medium divinitus institutum ad salutem necessarium, tamen sincere voluntatem Christi, prout ipsis innotescit, vel, si distincta cognitione Christi carent, voluntatem Dei Creatoris atque Remuneratoris, naturaliter agnitam, adiuvante gratia, interna fide, spe et caritate adimplere satagunt ».

27. Ad n. 9. In pag. 12, lin. 24, loco « qui, baptizati » dicatur: « qui, valide baptizati ». Etenim de validitate baptismi apud quasdam sectas protestanticas collati ambigi potest.

In lin. 25, loco: « fidem vel unitatem communionis » dicendum est: « fidem *et* unitatem communionis », ne videatur ex modo loquendi schematis dari posse integra fides sine communione cum Romano Pontifice, cum haec communio necessario praesupponat duos fidei articulos, nempe primatum iurisdictionalem et infallibilitatem personalem Romani Pontificis.

In lin. 26, loco: « non profitentur » dicatur: « *sine sua culpa* non profitentur », nam ratio bonae fidei numquam silenda est quando de sanctificatione fratrum separatorum vel paganorum agitur.

In lin. 35, loco: « etiam in illis operetur » dicatur: « etiam in illis *operari valeat* ». Ratio: affirmanda est possibilitas; non est affirmandum factum.

28. Ad n. 10, pag. 13, lin. 13. Melius legendum videtur: « Quidquid enim veri ac boni apud illos invenitur etc. ».

In lin. 16, loco: « sine culpa ignorantes » dicatur: « sine *sua* culpa ignorantes *vel non agnoscentes* ». Ratio emendamentorum: culpa affirmatur personalis; insuper praeter ignorantiam admittitur quoque non-agnitio.

29. In lin. 20, addendum est aliquid magni momenti, unde sic textus legatur: « In terris tamen agnitione Christi et glorificatione Patris eius *et plurimis salutaribus auxiliis, praesertim Sacramentis,* non locupletantur ».

52

CONFERENTIA EPISCOPALIS VENETIOLAE

I. *Ad Introductionem.*

1. Castigetur stylus ut evitetur nimia repetitio eorumdem verborum, v. g.: « Instantius », « instans », « instantiam » (linn. 8, 10 et 13); « vehementer, vehementioremque »...

2. Loco « illudque », dicatur « illamque » (lin. 10).

II. Ad cap. I. Ad n. 2, pag. 7.

a) Adhaeremus emendationi a PP. Conc. linguae germanicae propositae: « Hinc semper existebat arcana congregatio iustorum quae a Sanctis Patribus Ecclesia universalis vocatur... » (linn. 22 ss.).

b) Linn. 23-24, loco « Ab Abel iusto usque... » ponatur « Ab Adamo usque ad ultimum electum colligitur »; ne Adam ab Ecclesia universali excludi videatur.

c) Lin. 27, post verbum « constitueret » dicatur: « Ac, sua redemptione peracta ipsos non tantum singillatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificaret... ».

Pag. 8.

d) Lin. 1. Loco « sub uno Capite », dicatur « sub se tamquam omnium Capite constitueret ».

e) Lin. 4. Dicatur « in novissimis temporibus *condita est* ac manifestata ».

Ad n. 3, pag. 8.

a) Lin. 5, post « misit Pater Filium Suum », addatur « natum ex Maria Virgine ».

b) Lin. 18, loco « super Petrum et apostolos aedificans » dicatur « super Petrum ceterosque apostolos aedificans ».

c) Lin. 24, loco « ipsa supra tempora et fines populorum existens », dicatur: « ipsa tamen tempora et populorum fines transcendens ».

Pag. 9.

a) N. 6 anteponatur (« De Ecclesiae imaginibus ») numero 5 (« De Ecclesia ut mystico Corpore Christi »). Et in Ecclesiae imaginibus tractetur de Ecclesia « ut regnum Dei ».

b) In numero « De Ecclesia ut Corpore Christi mystico » castigetur stylus, ideae logicius, clarius et ordinatius exponantur; nunc autem inordinatae, obscure et ad modum musivi exhibentur.

c) N. 5, pag. 9, linn. 37-38, loco « quae fideles et imprimis praepositi ei ministrando suscipiunt », dicatur « quae fideles suscipiunt et praepositi ei ministrando operantur ».

Ad n. 7, pag. 11.

a) Lin. 1, loco « Ecclesia sancta, fidei, amoris et gratiae communitas », dicatur: « Ecclesia sancta, fidei, spei, amoris et gratiae communitas... ».

b) Linn. 5-6, loco « ideoque ob non mediocrem analogiam... », dicatur: « ideoque recte, sed analogice, incarnati Verbi mysterio assimilatur... ».

c) Linn. 16 ss. Loco « quam Salvator post resurrectionem suam Petro et apostolis... », dicatur: « quam Salvator post resurrectionem suam, Petro ceterisque apostolis apparens super ipsos in salutis sacramentum et in columnam et firmamentum veritatis (*1 Tim.* 3, 15) erexit; eamque ipsos eorumque successoribus pascendam et gubernandam tradidit ».

Nam: 1) Textus implicite ad *Io.,* 21, 15 ss. refertur, ubi Christus, non Petro et apostolis, sed tantum Petro Ecclesiam suam pascendam tradidit;

2) « super illos », nempe Petrum, apostolos eorumque successores erexit. Christus Ecclesiam suam supra Petrum et apostolos, non vero supra eorum successores erexit; et sic recto in cap. II huius schematis, n. 13, pag. 24, linn. 18 ss., dicitur: « Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores, eadem divina potestate, *non eam fundandi,* sed sustentandi et pascendi praeditos ».

d) Lin. 23, loco « elementa plura sanctificationis inveniri possint », dicatur, ut etiam PP. linguae germanicae petierunt, « elementa plura veritatis et sanctificationis inveniri possint ».

Et loco « res Ecclesiae », dicatur: « ut *dona* Ecclesiae ».

e) Lin. 28, post verba « peregrinando procurrit », addatur « Sancta et immaculata (*Eph.* 5, 27) quidem, sed simul semper purificanda, sanctos et peccatores... ».

Ad n. 8. - « De fidelibus catholicis ».

Necessitas Ecclesiae ad salutem deducitur ex necessitate baptismi, ideoque ut conclusio theologica. Attamen haec veritas, tanti et gravis momenti, solidiori fundamento firmari debetur; sic melius, ut iam P. Kleutgen, in schemate Constitutionis Secundae De Ecclesia faciebat (cf. Mansi, 53, col. 312 A) necessitas Ecclesiae in necessitate Christi ad salutem nitatur. Sic linn. 34-39 emendatio proponitur: « Sicut » unus enim Deus, unus et mediator Dei et hominum homo Christus Iesus (*1 Tim.* 2, 5), « et non est in alio aliquo salus; nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri » (*Act.* 4, 12), ita et una est Ecclesia, Sponsa quam Christus « dilexit... et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret », cui sola redemptionis suae fructus dispensandos concredit, quibus Deo filios gignit ac nutrit, ut « habere iam non possit Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem » (S. Cyprianus, *De unitate Ecclesiae,* 6, PL 4, 519). Docet ergo Sancta Synodus... ».

Pag. 12. *a*) Lin. 3: loco « reapse et simpliciter », dicatur « sensu pleno et perfecto ».

Lin. 4: loco « incorporantur illi tantum, qui integram... agnoscunt », dicatur: « incorporantur illi qui integram eius ordinationem... agnoscunt »; ne videantur excludi pueri ante usum rationis, et rudiores et idiotae baptizati, qui illam integram ordinationem omniaque media salutis in Ea instituta agnoscere non possunt.

b) Linn. 20 ss. Loco « voluntatem Christi vel, si distincta cognitione Christi carent, voluntatem Dei Creatoris... », dicatur: « Voluntatem Dei per Christum manifestatam vel, si distincta cognitione Christi carent, voluntatem Dei Creatoris... adimplere satagunt ». Ne videatur voluntatem Dei et Christi contraponi.

c) Melius, hoc paragraphum, a lin. 18 usque ad 23, in n. 10, ubi de non christianis agitur, ponatur.

Pag. 13. *a*) In n. 10 fusius tractetur de vocatione missionaria Ecclesiae.

b) Lin. 15, loco « qui ab initio mundi salutem omnium hominum efficaciter intendit », ponatur « permanenter intendit ». Voluntas *efficax* effectum suum infallibiliter obtinet. Efficax non est si illae homo obicem ponere possit.

[*Subsignaverunt*:] J. Humbertus, card. Quintero, arch. Caracensis; Crispulo, ob. de Barquisimeto; Ioannes Ioseph Bernal, arch. Civitatis Bolivarensis; Ioseph Rafael Pulido, arch. coad. Emeritensis; Francisco José Itturiza, ep. Corensis; Miguel Aurrecoechea, vic. ap. Machiques; Petrus Paulus Tenzeiro; José Alí Lebrún, ob. de Valencia; M. Salas, ob. Calabozo; Angelus Pérez C., ep. Barcinonensis; fr. Argimiro A. Garcia, vic. ap. de Tucupita; A. Ramirez S., ob. Maturin; Iosephus Leo, ep. Truxillensis; Aloisius Henriquez, ep. tit. Lamdiensis; Felicianus Gonzales, ep. Maracayensis; R. Lizardi, ob. tit. Assava; Chrysanthus, ep. Cumanensis.

CONGREGATIO GENERALIS XLII

7 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLII

7 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, *arch. tit. Samosatensis, secretarius generalis Concilii*:

Moderatur hanc quadragesimam secundam congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Cum apud secretariam generalem lamentatum sit quod aliqui, saltem, interveniant congregationibus generalibus absque ulla permissione secretarii generalis, uti statutum est, ne displiceat peritis et iis, qui operam navant tamquam officiales in hoc Concilio, si quandoque a vigilibus seu a « gendarmi » petitur documentum permissionis. Non possunt semper cognosci omnes periti et officiales; ideo hoc est necessarium. Et repetimus nullum posse congregationi generali interesse absque permissione secretarii generalis, quae permissio certissime est implicita in ipso libello qui traditur peritis et officialibus.

Petierunt loqui adhuc circa cap. II schematis *de Ecclesia*, em.mi ac rev.mi PP. DD. cardd. Ioseph Siri, arch. Ianuensis, Aemilius Paulus Léger, arch. Marianopolitanus in Canada, Franciscus König, arch. Vindobonensis in Austria, Iulius Döpfner, arch. Monacensis in Germania, Albertus Meyer, arch. Chicagiensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Bernardus Alfrink, arch. Ultraiectensis in Hollandia, Ioseph Lefebvre, arch. Bituricensis in Gallia, Laureanus Rugambwa, ep. Bukobaënsis in Tanganyika; beat.mus Maximus IV, patr. Graeco-Melchita Antiochenus; exc.mi Petrus Massa, ep. Naniamensis in Sinis, Ioannes Abasolo, ep. Vijayapuramensis in India, Hermenegildus Florit, arch. Florentinus in Italia, Ioseph De Smedt, ep. Brugensis in Belgio, Carmelus Zazinović, ep. aux. Veglensis in Iugoslavia, Georgius Beck, ep. Salfordensis in Anglia, Ioannes van Dodewaard, ep. Harlemensis in Hollandia, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Principatu, Ioseph Heuschen, ep. aux. Leodiensis in Belgio, Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio, Antonius Añoveros, ep. coad. Gaditanus in Hispania, Aemilius Blanchet, ep. tit. Philippopolitanus in Thracia, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Eduardus Martínez, ep. Zamorensis in Hispania, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis in Gallia, Dionysius Hurley, arch. Durba-

nianus in Africa Meridionali, Gerardus Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania in Italia, Michaël Browne, ep. Galviensis et Duacensis in Hibernia, Michaël Doumith, ep. Sarbensis in Libano, Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis in Iugoslavia, Emmanuel Galea, aux. Melitensis in Malta, Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania.

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI
Archiepiscopus Ianuensis

Venerabiles Patres,

Pauca dicam tantum de collegialitate episcoporum.[1]

Episcopos omnes constituere, datis condicionibus, una cum Romano Pontifice conlegium non est dubium. Hoc enim constat certo ex praxi conciliorum oecumenicorum, a qua praxi interpretationem accipiunt textus scripturales etiam si de eorum interpretatione quaedam irrepserint dubia.

Doctrina de conlegio episcoporum maxime confert ad solidarietatem, caritatem veram, mutuum adiutorium inter eosdem episcopos. Confert etiam, et hoc est magni momenti, ad reverentiam, oboedientiam, pietatem et amorem quibus necesse est ut fideles, quamvis optatissimi cooperatores operis *nostri*[2] suos pastores prosequantur.

Aliqua de conlegialitate sunt prae oculis habenda.

1. Conceptus « conlegii » est conceptus iuridicus, qui complexior est conceptu simplicis « ...[3] coetus » et hoc implicat ut sit sub aliquo saltem respectu quaedam solidalis unitas iuridica sive in essendo sive in agendo.

2. Conlegii episcopalis fundamentalis ratio sat in schemate, *cap. II,*[4] exprimitur, qua nempe « Petrus est perpetuum unitatis fidei et communionis principium ac visibile fundamentum » (art. 11, linn. 17-19) ita ut « conlegium seu corpus episcoporum auctoritatem non habet nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intelligatur » (art. 16, linn. 9-11).

Cuius affirmationis schematis magnum pondus necesse est ut appareat: etenim si conlegium tale est, quia est cum Petro, sine Petro non iam conlegium ipsum habetur et non Petrus esse accipit a conlegio sed, e converso, conlegium suam plenitudinem a Petro accipit. Quod est verum et congruit doctrinae constitutionis « Pastor Aeternus » Concilii

Vaticani I, quod explicite citatur in hoc capite, art. 11, ubi affirmatur hanc Sanctam Synodum sollemniter cum eodem Vaticano I docere (linn. 11-19 *articuli* [5]).

Cruciale punctum totius quaestionis est in relatione conlegii ad Petri successorem et haec relatio apte edicitur *in schemate* [6] etiam quoad consequentias.

Adverto ergo: in capite doctrina substantialiter edicitur ad mentem principiorum quae fuerunt, sunt et ergo erunt in Ecclesia certa. Tamen optabile est ut modo magis ordinato et graduali immo et clariori dicantur, etiam quae de magisterio ordinario proferuntur in art. 19 et quae melius art. 16 suum locum habent.

Est necessarium etenim ut maxima cohaerentia servetur cum doctrina et definitione de primatu Petri in Concilio Vaticano I *ut* [7] nullus in posterum inde educi possit consequentias, quae primatum possent quodammodo coarctare. Quod enim fuit certum, est certum, et semper debet esse certum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] apostolatus. [3] categoriae vel. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] et.

2

Em.mus P. D. PAULUS AEMILIUS card. LÉGER

Archiepiscopus Marianopolitanus

Venerabiles Patres, Observatores honoratissimi, Auditores dilectissimi,

Schema quod nobis proponitur de episcopis, momentum exceptionale habet in constitutione *de Ecclesia*. Agitur enim de quaestione doctrinali quae in praesentibus rerum adiunctis, videtur decisiva pro firma et stabili renovatione actionis pastoralis Ecclesiae. Non solummodo accuratior cognitio traditionis ecclesiasticae, sed et ipsae necessitates christianorum omnium et mundi hodierni urgent nos ut « altius investigemus doctrinam de episcopatu, de eius muneribus deque eius cum Petro necessitudinibus » ...[1]. Ne timeamus traditionalem doctrinam de hac quaestione noviter exprimere. Ipse Summus Pontifex in sua homilia inaugurali non recusavit clare dicere Ecclesiam mysterium talis naturae esse « quae novas semper altioresque suipsius explorationes admittat ».

Mihi placent ea quae in schemate dicuntur de sacramentalitate epi-

scopatus. Conscius sum de peculiari solemnitate verborum quae in art. 14 adhibentur. Cum enim, lin. 21, dicitur « nemo dubitare debet », puto Concilii mentem esse omni sua auctoritate uti, ad doctrinam catholicam de hoc puncto declarandam.

Item generatim approbo ea quae dicuntur de collegialitate episcopali et circa hoc tria dicere intendo:

1. Quadam cum serenitate inspicere debemus hanc quaestionem de collegio episcopali deque relationibus eius cum Successore Petri. Collegialitas nedum doctrinam de primatu extenuat, illam e contra in vividiorem lucem ponit. Corpus enim extollit caput et illustrat necessitatem eius. Quo magis episcopi collegialiter agunt, eo magis apparet necessitas alicuius centri et custodis unitatis.

2. Optarem ut in textu schematis indicaretur modus quo aliquis aggregatur collegio episcopali. Opinione mea, opportunum esset dicere hanc aggregationem fieri ipsa consecratione episcopali, ita ut quis « vi consecrationis... membrum collegii, quod apostolorum collegio succedit, adnumeretur ».

3. Tandem, et semper relate ad collegialitatem, proponere vellem ut accuratius exprimeretur munus episcoporum erga Ecclesiam universalem. Pag. 28, lin. 15, schema hoc munus definit dicendo episcopos « ex officio sollicitudinem » habere debere erga totam Ecclesiam. Optarem ut schema non tantum in notula 39 sed in ipso textu revocet, saltem quoad sensum, verba magis vigorosa et profunda Papae Pii XII in Litteris Encyclicis *Fidei Donum* adhibita. In hoc documento praesentatur episcopus particularis ut « sponsor » totius Ecclesiae cum aliis episcopis, ut « missus ad omnes gentes » in communione cum Petro et omnibus episcopis per continuationem legationis apostolorum.

Nunc in secunda parte voti mei, observationes proponam ut capitulum de episcopis melius participet de illis divitiis doctrinae quae in capite de mysterio Ecclesiae abundant.

Legitime schema nostrum in lucem ponit vincula quibus religantur episcopi inter se et cum Successore Petri. Puto tamen schema insufficienter in lucem ponere vincula episcopi cum Ipso Christo. Dum enim schema dicit quomodo episcopus missionem suam a Christo recipiat, non satis explicite describit quomodo *per episcopos* Christus actualiter et permanenter agat in Ecclesia. Cum autem clare manifestare omnia vincula episcopi cum Christo tanti ponderis sit ad propriam et originalem naturam auctoritatis in Ecclesia ostendendam, optarem ut hae permanentes relationes fusius illustrarentur. Sic non tantum in cap. I de mysterio Ecclesiae sed etiam in secundo de episcopis adimplebitur votum Pauli VI, fel. regn., de praesentia Christi in Ecclesia illustranda: « Uti-

nam, dicebat Summus Pontifex, hoc Concilium oecumenicum vinculum illud plane perspicuum habeat... quo nos cum Iesu Christo coniungimur ».

Modo eminenti episcopo eisque qui participant de eius munere tribuendum est quod hominibus impertiuntur gratia Christi, doctrinaque eius. Ad hanc actionem actualem et permanentem Christi in Ecclesia per episcopum adiutoresque eius describendam, schema quodammodo exprimere deberet episcopum esse speculum, signum, sacramentum vivens Christi.

Peropportune, ipsa verba Christi revocans, schema describit munus episcopale principaliter ut ministerium. Ut prima facie appareat momentum huius doctrinae, propono ut in ipso titulo capituli mentio fiat de verbo « ministerio ».

Optima sunt ea quae in art. 21 dicuntur de episcopo sequenti vestigia Christi — qui venit ministrare, non ministrari. Mihi denique liceat votum exprimere ut mirabilis illa mens servitii humilis et pauperis etiam in quotidianis episcoporum relationibus cum fidelibus et mundo appareat. Ut efficaciter ad hoc adiuvemur, audeam proponere ut examen et postea normae instituantur de insignis, ornamentis et appellationibus quibus saepe invite utimur quaeque nocent adimpletioni ministerii pastoralis.

Valde assentio verbis prolatis in hac aula a pluribus Patribus de speciali cura Ecclesiae erga pauperes. Permanens autem usus antiquorum splendorum impedimentum facit actioni evangelicae erga illos. Forte illi splendores ut necessarii aestimabantur quando aliqui episcopi auctoritatem etiam saecularem exercebant. E contra, nostris in temporibus, neque amplius concordant moribus vitae publicae neque animo nostro consentiunt. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Paulus VI in allocutione inaugurali).

3

EM.MUS P. D. FRANCISCUS CARD. KOENIG
Archiepiscopus Vindobonensis

Patres conciliares,

De collegio episcopali, de quo in cap. II schematis agitur, *mihi quoque liceat pauca exponere.*[1]

Primum quidem dicit schema, collegio episcoporum qua tali una et sub Romano Pontifice plenam et supremam potestatem in Ecclesia

convenire. Haec assertio, haec doctrina non est nova, neque quidquam de collegio episcopali statuit nisi ea, quae iam in traditione antiqua continentur, quae sacra theologia semper docuit, apud orientales catholicos semper in usu fuit atque Codex iuris canonici affirmat in can. 228; ibi enim legitur: « Concilium Oecumenicum suprema pollet in universam Ecclesiam potestate ». Concilium Oecumenicum, aliis verbis, est corpus episcoporum cum et sub Romano Pontifice. Haec in canone iuris dicta suprema potestas Concilii sive collegii episcopalis non potest autem oriri ob rationes geographicas, id est *quia et quando* episcopi *in eodem loco conveniunt.*

Cum in schemate nihil dicatur de concreto modo, quo summa haec potestas a collegio episcopali extra Concilium exercenda sit, nihil novi revera affirmatur. Aliis verbis id quod semper fuit doctrina Ecclesiae, in schemate asseritur neque ullum fit detrimentum potestati Summi Pontificis. Saepius et explicite enim in schemate dicitur nullum esse hoc collegium nisi una et sub Romano Pontifice. Insuper omne argumentum, quod ratione potestatis Summi Pontificis contra hoc assertum moveri possit, eadem prorsus ratione dici possit de potestate Concilii oecumenici. Omnes autem difficultates huius doctrinae in ecclesiologia traditionali discutiuntur et iam solvuntur, cum scil. tractatur de habitudine inter Concilium et Romanum Pontificem.

Ulterius: quod in nostro schemate exponitur iam in Vaticano I clare docebatur ab illis, qui tunc temporis infallibilitatem Romani Pontificis defendebant. Ergo doctrina ista non pendet a quaestione, utrum sit apta vel retinenda illa formula, Ecclesia scil. aedificata est super Petrum et ceteros apostolos. Si tempore Vaticani I quidam putabant talem phrasim periculo non carere, ex hoc non sequitur id hodie quoque valere, quia hodie de primatu Romani Pontificis nemo dubitat et quia differentia, quae ratione fundamenti inter Summum Pontificem et episcopos intercedit, nullo modo obscuratur. Haec differentia enim in schemate explicite affirmatur. Si autem praefata locutio minus placeret, immutari possit, sed doctrina clara de potestate collegii episcopalis retinenda est, in mea saltem humili opinione.

Insuper in commissione conciliari theologica haec doctrina unanimi consensu ab omnibus admittebatur. Ad hoc accedit, quod Summus Pontifex Paulus, feliciter regnans, in sua oratione inaugurali et solemni huius sessionis palam professus est, sese exspectare magna spe et fiducia disceptationem de episcopatu eiusque *necessitudine* [2] cum Petro, et talem doctrinam esse altius investigandam. En eius verba: « Haud dubitamus asseverare Nos magna spe et sincera fiducia huiusmodi disceptationem exspectare. Enimvero, salvis declarationibus dogmaticis oecumenici Con-

cilii Vaticani I ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de episcopatu, de eius muneribus, deque eius cum Petro necessitudinibus». Sic ipse Summus Pontifex.

Ex his verbis ergo deducendum videtur munus collegii episcopalis ac eius doctrinam fusius quam in schemate exponendam esse, ita ut clarius percipiatur quomodo hoc collegii munus adiutorium Summi Pontificis esse possit. Et Summus Pontifex ulterius nexum inter hanc doctrinam dogmaticam et modum practicum Ecclesiae gubernandae insinuasse videtur et a Concilio proponendum exspectare.

Ex his omnibus tandem sequitur doctrinam de collegio episcopali nullam novitatem continere, immo ad mentem Summi Pontificis ulterius exponendam esse. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pauca exponam. [2] necessitudinibus.

4

EM.MUS P. D. IULIUS CARD. DOEPFNER
Archiepiscopus Monacensis et Frisingensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Ad ea quae in schemate *de Ecclesia,* pag. 26, linn. 28-41 de diaconis declarantur, proferre liceat animadversiones sequentes:

Instanter commendo, ut textus iste, *saltem essentialiter,*[1] retineatur prout iacet.

Rationes quibus ducor sunt hae:

1. Schema nostrum, agens de hierarchica constitutione Ecclesiae, *ordinem diaconatus nullo modo silere potest,* quia tripartitio hierarchiae ratione ordinis habita in episcopatum, presbyteratum et diaconatum est iuris divini et constitutioni Ecclesiae essentialiter propria. *Saltem non est mirandum si etiam de diaconatu, uti de presbyteratu sermo est uti ordine stabili.*[2]

2. Textus vero praeiacens de possibilitate diaconatus stabilis praecise docet *ea principia, quae iam hucusque continebantur in doctrina Ecclesiae,* maxime quoque in decretis Concilii Tridentini, *quod, uti notum est, asserebat sacramentalitatem diaconatus, et etiam postulabat ut ministeria diaconatus nonnisi ab eis exerceantur, qui in dicto ordine constituti de facto sunt.*[3]

Immo, *nostrum schema*[4] rem proponit *cautius et fere restrictius quam Concilium Tridentinum.* Nam mere de possibilitate diaconatus stabilis

agit et distinctius quam Concilium Tridentinum agnoscit necessitatem vel utilitatem diaconatus stabilis conditionatam esse atque pendere non solum ex argumento dogmatico, sed etiam ex rationibus practicis disciplinaribus et positivis, quae diversae esse possunt secundum regiones et tempora...[5]

3. Textus schematis de facto non exhibet dispositiones disciplinares vel canonicas, sed *solummodo fundamenta dogmatica* talis possibilis dispositionis, quod in schemate dogmatico legitimum est et alibi saepe in nostro schemate fit. Talis vero textus apprime correspondet indoli pastorali, quae speciali modo, *uti omnes novimus,*[6] competit Concilio *nostro.*[7] *Possibilitas et facultas* futurae evolutionis pastoralis *aperitur,* quin ista iam praeiudicetur. Nam nullatenus impedit textus *noster,*[8] quin status Diaconatus in illis regionibus maneat sicut est, ubi eius necessitas non vere habetur, *vel videtur.*[9] Ex altera parte tanta adest aut futura praevidetur penuria sacerdotum in multis regionibus mundi, ut providum Concilium iam nunc huic inopiae saltem ex parte consulere debeat statuta possibilitate restaurationis diaconatus, quo et deficientibus sacerdotibus vita eucharistica quotidiana possit vigere, facilius consuli possit validitati matrimoniorum et unitati *christianorum*[10] communitatum, exerceatur activitas caritativa, prout ista praecise etiam hierarchiae qua tali convenit...[11] Haec omnia intelliguntur de illis regionibus, ubi defectus sacerdotum restaurationem diaconatus stabilis in tales fines commendat...[12]

4. In textu schematis *nihil praeiudicatur* de quolibet modo futurae alicuius decisionis de diaconatu stabili iterum introducendo ferendae. Expressiones uti v. g. « ubi Ecclesia... expedire censuerit » vel « quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere... » non significant nisi quod in casu alicuius verae necessitatis iudicium et decisio spectant exclusive ad auctoritatem competentem. Hoc *necessario includit,* quod nihil fieri potest nisi *Sancta Sede* iubente, vel statuente, vel saltem *confirmante*: *si a coetibus episcopalibus, in diversis regionibus, sic decideretur.*[13]

5. Dici nequit *magna opera* (ut e. g. seminaria, etc.) *exigi* ut restauretur diaconatus. Ubi talis restauratio exigitur aut optatur, mens non est, ut nova munera creentur et introducantur in Ecclesiam, quae nondum exstant, sed ut illi homines, qui ad munus exsistens *iam exculti et ab Ecclesia iam praeparati et tali munere iam fungentes* sunt, gratiam respectivam sacramentalem ad tale munus dignius et *etiam*[14] perfectius exercendum recipiant...[15]

6. Et ultimo. Restat examinanda quaestio, an textus nostri schematis in periculum vocet sacram caelibatus legem pro presbyteris...[16]

Certe hoc periculum non est negandum et[17] existeret si *indiscrimi-*

natim quilibet petens ad diaconatum (stabilem) admitteretur. Unde si quando de Diaconatu stabili restaurando leges ferendae erunt, diligenter attendendum erit, ut via ad diaconatum iis et iis solis aperiatur, qui ad *munera diaconatui propria* exercenda vocati sunt. Certo diaconatus stabilis non concipiendus est quasi aliquod, *ut ita dicam,*[18] sacerdotium secundae classis, quod reservatur iis, qui *de se*[19] munera presbyteratus exercere volunt, sed obligationes presbyteratui adnexas ferre posse non credunt vel ferre nolunt aut nequeunt. Diaconatus stabilis...[20] instituendus esse poterit pro iis qui inde ab initio munera vere ministerialia stabiliter exercent vel exercere volunt (ut puta catechistae altioris ordinis, homines operi sociali vel caritativo Ecclesiae dediti, *vel etiam laici professionem suam exercentes qui propter penuriam sacerdotum, bene praeparati, talia munera exercere possint*).[21] Revera iam hodie ubique in Ecclesia, praesertim in quibusdam regionibus (e. g. in missionibus) talia munera stabilia exsistunt et ab hominibus, qui generatim matrimonio iuncti sunt, in servitium hierarchiae ecclesiasticae exercentur. Neque ullum damnum hucusque ex hoc facto *matrimonii*[22] caelibatui illatum est. Cur his omnibus gratia sacramentalis, quae de se praesto est, denegatur? *Certe lex caelibatus sancte servanda est, sed non debet et non potest esse obstaculum pro evolutione quae dogmatice potest bene fundari et forsan necessitatibus pastoralis nostri temporis bene correspondeat.*[23]

Quare concludo: Certe in restauratione diaconatus stabilis in futuro fortasse exsequenda plures quaestiones diligenter adhuc examinari debebunt. In praesenti vero schemate tantum via ad tale examen aperienda est. Remaneat ergo textus, prouti exstat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (cf. Conc. Trid., Denz. 966). Non tamen liceret diaconatum proponere acsi esset merus gradus ad altiora munera consequenda, sicut neque presbyteratus considerari potest ut merus gradus quo ad episcopatum ascenditur. Nam talis consideratio nec aequam praeberet et, saltem aliquomodo, completam ideam diaconatus nec corresponderet doctrinae Ecclesiae, prouti hucusque proponebatur. [3] Nam Concilium Tridentinum: *a*) in genere docet necessitatem sacramentorum (Denz. 874), quod necessario applicandum est etiam ordini diaconatus, quippe quem sacramentum esse aeque ac ordinem episcopatus nemo dubitat; et *b*) insuper postulat, ut ministeria diaconatus (sicut etiam ceterorum ordinum) nonnisi ab eis exerceantur qui in dicto ordine constituti de facto sunt, ne tale sacramentum ab haereticis tanquam otiosum traducatur (sess. 23, can. 17). Ergo textus noster certo certius non excedit ea quae iam hucusque habentur in doctrina catholica. [4] deest. [5] Verumtamen nota bene: non arguimus simpliciter ex traditione seu antiquitate institutionis diaconatus stabilis. Nam hic certissime non solo eo ipso facto, quod in antiquitate habebatur, iam nostris temporibus commendatur. Certissime antiquiora non semper sunt meliora. Si tamen ponderatur, cur et quibusnam sub conditionibus in antiquitate haberetur,

revera legitimum est, immo ad succurrendum necessitatibus pastoralibus in mutatis rerum conditionibus necessarium evadere potest accuratum examen instituere, quomodo essentia diaconatus profundius perspiciatur et an fortasse restitutio diaconatus stabilis commendari possit in hodiernis temporibus. [6] deest. [7] huic. [8] deest. [9] deest. [10] christianarum. [11] pars profana administrationis expediatur. [12] Futurum prospicere decet providos Ecclesiae pastores, futurum, inquam, quod praesens esse iam coepit. Testibus multis praesulibus Ecclesiae, restauratio diaconatus in multis terrae plagis omnino necessaria aut summe utilis habetur (cf. testimonia allata in Rahner-Vorgrimler, *Diaconatus in Christo,* Frib. Br., 1962). Si id alibi non est ita, illae tamen regiones ne impediantur ab opere, quod eis pastoralis sollicitudo imponit. [13] approbante. [14] deest. [15] gratiam, dico, quae in hoc sacramentali ordine praesto est nec tamen his confertur. Non nova creentur munera, ubi talibus non est opus, sed ea quae exsistant, coronentur ordinatione sacramentali, quae his muneribus ex natura huius sacramenti convenit. [16] Cui quaestioni primum respondendum est ita: nullatenus diminuetur numerus vere aptorum ad sacerdotium. Qui ad diaconatum prae presbyteratu tendit propter matrimonium, vix aptus censendus est ad sacerdotium. [17] Periculum aliquod fortasse. [18] deest. [19] deest. [20] solummodo. [21] e.i.p. [22] deest. [23] deest.

5

EM.MUS P. D. ALBERTUS CARD. MEYER
Archiepiscopus Chicagiensis

Venerabiles Patres,

Quae dicenda habeo respiciunt praesertim ea quae in hoc capite habentur de collegialitate apostolorum eiusque transmissione ad episcopos.

Placent ea quae iam hac de re in schemate continentur. Mens mea est quasdam observationes afferre quae mihi videntur utiles tum ad roborandum ea quae iam in schemate ...[1] continentur, tum ad amplificandum fundamentum scripturisticum huius collegialitatis eiusque transmissionis in episcopos.

Schema nostrum in par. 12 ostendit modo claro Dominum nostrum Iesum Christum commisisse Ecclesiam suam collegio duodecim apostolorum. Hoc mihi placet propter testimonium Novi Testamenti, quia 1) Novum Testamentum continet dicta et facta Christi, quae non permittunt aliam interpretationem, et 2) illa facta et dicta Domini nostri ita interpretata sunt ab Ecclesia primitiva.

Notatu dignum videtur etiam Novum Testamentum non esse codicem legum et igitur non exprimere veritates suas in terminologia iuridica.

Si inspicimus illa facta et dicta Christi, videmus ipsum

1. Duodecim apostolos elegisse. Nec plus nec minus. Hi duodecim repraesentant totum novum Israël secundum mentem *ipsius*.[2] Attamen unitas novi populi Israël tamquam populi unius requirit ut repraesentetur in his duodecim non singillatim sed simul sumptis.

2. Porro peculiaris instructio de regno data est a Christo his duodecim omnibus et solis.

3. His duodecim insuper commisit Dominus omnia media salutis simul cum mandato ut haec aliis administrarent.

4. Tandem post resurrectionem iussit Dominus ut coetus apostolorum sint testes eius usque ad ultimum terrae...[3]

Nunc autem mihi videtur alia veritas debet clarius introduci in schema; veritas dico quae quoque patet in Novo Testamento. Dominus, nempe, voluit ut hoc corpus duodecim perduraret in Ecclesia usque ad finem mundi, nam explicite dixit coetui apostolorum: « Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes nationes (ecce officium et hinc potestas docendi), baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti (ecce officium et hinc potestas sanctificandi), docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis (ecce officium et hinc potestas promulgandi legem Christi), et ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (ecce voluntas explicita Christi ut corpus apostolorum perduret in Ecclesia) »...[4]

Haec voluntas Christi confirmata est illis verbis quae ipse ad duodecim direxit in ultima coena: « Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum »...[5]

...[6] Haec verba, sicut omnia alia in his contextibus, expressa sunt in forma plurali: « vos », « vobiscum », « docete », « baptizantes », et ita porro. Notamus etiam momentum phrasium: « usque ad consummationem saeculi », « in aeternum ».

Maximi momenti est si inspicimus quomodo primitiva Ecclesia interpretata sit illa dicta et facta Christi. Invenimus hanc interpretationem in libro Actuum Apostolorum. Et tres casus affero:

1. Prima actio apostolorum post Ascensionem Domini fuit ut reconstitueretur sacrum numerum duodecim, eligendo Matthiam in dignitatem apostolicam. Cur sic fecerunt? Ipse textus nobis dat motivum: « Oportet ergo », dixit Petrus, « ex viris his qui nobiscum sunt congregati, testem resurrectionis eius nobiscum fieri unum ex istis »...[7] Oportet igitur quod non undecim sed duodecim apostoli sint testes resurrectionis. Et Lucas terminavit suam narrationem dicendo: « Electus autem Matthias adnumeratus est cum apostolis undecim » ...[8]

2. Maxime significativus in primis diebus post Ascensionem Domini fuit ortus Ecclesiae in die Pentecostes. Sacra Scriptura indicat quo-

modo hoc factum sit: nam dicit: « Stans autem Petrus cum undecim, levavit vocem suam » ...[9], exponens significationem afflatus Spiritus Sancti in duodecim. Ergo, Ecclesia constituta est per Petrinam revelationem mirabilis et collegialis experientiae duodecim in die Pentecostes. Nam pergit textus: « His autem auditis, compuncti sunt (auditores) corde et dixerunt ad Petrum et ad reliquos apostolos: " Quid faciemus viri fratres "? »...[10]

Orta est igitur Ecclesia per actionem collegialem duodecim apostolorum.

3. Quando necessitates temporis postulaverunt ut introduceretur novum et speciale ministerium in Ecclesiam, hoc factum est actione apostolorum, ut narrat Lucas: « Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum, dixerunt: " Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate, ergo, fratres, viros ex vobis septem quos constituamus super hoc opus " »...[11] Notemus, quaeso, verba in forma plurali: « Convocantes duodecim », et « Constituamus »; ita etiam Lucas terminavit suam narrationem: « Hos (septem) statuerunt ante conspectum apostolorum; et orantes imposuerunt eius manus »...[12]

Ego sicut nemo catholicus negat Ecclesiam fundatam esse singulari modo super Petrum propter testimonium Novi Testamenti, ita propter testimonium eiusdem fontis, ut ita opinor, debemus etiam admittere Ecclesiam quoque fundatam esse a Christo super collegium duodecim apostolorum et, iuxta voluntatem Christi, semper hoc collegio inniti debere. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] iam. [2] Domini (*Lc.* 22, 30; *Mt.* 19, 28). [3] (*Act.* 1, 8). Haec omnia iam continentur in schemate. [4] (*Mt.* 28, 18-20). [5] (*Io.* 14, 16). [6] Notate, fratres. [7] (*Act.* 1, 21-22). [8] (*Act.* 1, 26). [9] (*Act.* 2, 14). [10] (*Act.* 2, 37). [11] (*Act.* 6, 2-3). [12] (*Act.* 6, 6).

6

EM.MUS P. D. BERNARDUS CARD. ALFRINK
Archiepiscopus Ultraiectensis

Venerabiles Patres,

Ne abutar patientia vestra, brevissime loquar.

Laeto animo confiteor quod interpretationi, quam dedit feria VI hebdomadae elapsae in hac alma aula clarissimus et carissimus cardinalis de textu ex epistola B. Pauli apostoli ad Ephesios desumpto, de « fundamento apostolorum et prophetarum », magna ex parte assentio.

Vis probandi huius textus, in se sumpti, et mihi videtur non omne dubium amovere. Et propterea in mea interventione antecedente ...[1], textum illum B. Pauli ex epistola ad Ephesios *non* citavi.

De cetero, propter characterem collegialem coetus apostolorum, qui in cap. II nostri schematis exponitur et qui simul cum primatu Petri in Sacra Scriptura clare indicatur, et qui iam in actibus Concilii Vaticani I enunciatur, proposui ut in quibusdam locis cap. I nostri schematis locutio « Petrus et apostoli » mutanda sit in « Petrus ceterique apostoli », vel « Petrus cum ceteris apostolis ».

Post interventionem factam vidi quod in ipso nostro schemate, locutio omnino similis iam adhibetur; velitis sumere pag. 27, linn. 1 et 2, ubi legitur: « Sicut in Evangelio, statuente Domino, *S. Petrus et alii Apostoli,* etc. ».

Proinde propositio mea a commissione de doctrina iam anticipative videtur esse approbata. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] die 2 mensis octobris peracta.

7

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. LEFEBVRE
Archiepiscopus Bituricensis

Venerabiles Patres,

Audiendo quae in aula dicuntur, mihi videtur percepisse aliquem timorem apud quosdam qui non vident quomodo collegialitas corporis episcopalis componi possit cum primatu Romani Pontificis et infallibilitate eius, qualia definita sunt in I Concilio Vaticano.

Hic timor sane maximum amorem veritatis nec non maximam fidelitatem erga Summum Pontificem manifestat et, sub hoc respectu, valde laudandus est. Ex alia autem parte, hic timor periculum aliquod afferre potest: omnes enim sciunt timorem esse quasi impedimentum in veritate inquirenda, quia illi qui timent non omnino liberi sunt. Hic timor denique maestitiam non parvam inducit in eos qui a fratribus suspicantur quasi perfecte fideles non essent veritati.

Unde relinquendo aliis inquisitionem exegeticam, historicam et dogmaticam in hac materia, unum tantum dicere velim. Haec collegialitas quam affirmare intendimus nullo modo primatui Romani Pontificis et infallibilitati eius opponitur. Certus sum omnes qui collegialitatem episcopatus promovent, adhaerere et quidem toto corde omnibus et singulis

verbis constitutionis *Pastor Aeternus*. Credimus ergo potestatem Romani Pontificis, successoris S. Petri, « esse ordinariam et immediatam sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles » ...[1]; credimus etiam Summum Pontificem cum ex cathedra loquitur « ea infallibilitate pollere qua Divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitionem ex sese, non autem consensu Ecclesiae, irreformabiles esse ».

Nolite timere, Fratres carissimi, sed in caritate profunde uniti, veritatem quaeramus...[2]

Sicut autem Christus Dominus primatum collatum Petro non abstulit quando *postea* duodecim, ipso praesente, iisdem verbis utens dixit: « Quaecumque alligaveritis super terram erunt ligata et in caelo »...[3]

Sicut etiam non abstulit potestatem Petro datam pascendi oves quando *postea* undecim, ipso praesente, missionem contulit praedicandi Evangelium omni creaturae ...[4], ita et nos nullo modo aliquid contra primatum et infallibilitatem Romani Pontificis agimus quando collegialitatem episcopalem statuere intendimus.

Insuper, sicut primatus Petri non solum eum caput collegii apostolorum instituit, sed modo personali ei confertur, non quidem extra collegium sed in collegio exsistenti, ita non solum Romanum Pontificem esse caput collegii episcoporum dicimus, sed eum primatu et infallibilitate pollere, non dependenter a collegio episcoporum, sed tamen in ipso collegio quod a primatu et infallibilitate sua firmatur et illuminatur.

Ideo nihil timendum est, nam declaratio characteris collegialis episcoporum non obscurat sed *e contra, sicut enixe dixit em.mus card. Léger,*[5] e contra melius in lucem ponit primatum et infallibilitatem Romani Pontificis. Liceat mihi addere quod melius apparet intima connexio qua successori Petri profundissime et quasi vitaliter unimur, qui est petra et firmitas nostra. Et in hac luce consolationem, gaudium et securitatem invenimus.

Nolite ergo timere, Fratres, sed potius nobiscum gaudete quia, ut ait S. Gregorius: « meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur »...[6]

Si vero a nobis quaeritis: « Cur tantopere desideratis ut Concilium collegialitatem episcopalem declaret? » responderem:

1. Quia hac inquisitione respondere putamus programmati a Sancto Patre nobis delineato. Ipse enim dixit: « Inter varias quaestiones... de quibus in Concilio pertractabitur, primas habet quae ad vos attinet, utpote episcopos Ecclesiae Dei ». Atque adiungit: « Enimvero, salvis de-

clarationibus dogmaticis Oecumenici Vaticani I ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de episcopatu, de eius muneribus, de eius cum Petro necessitudinibus ».

2. Adhuc responderem: nobis videtur collegialitatem cum Evangelio et traditione manifestata in scriptis Patrum, in vita Ecclesiae et in liturgia, bene consonare.

3. Demum responderem: Romanus Pontifex nos enixe exhortavit ut, per hoc Concilium, Ecclesia magis magisque renovetur secundum Evangelium. Ut ergo Ecclesia sese manifestet hodie qualem Christus illam fundavit, debet in ea magis magisque manifestari collegialitas episcoporum circa Romanum Pontificem successorem Petri. Nonne apostolicitas Ecclesiae una est ex Ecclesiae notis? Apostolicitas non tantum consistit in successione ab apostolis usque ad nos, sed in manifestatione collegii apostolorum in coetu episcoporum nunc vigente.

Haec collegialitas de facto semper exsistit in Ecclesia, quae substantialiter fidelis semper fuit, sed hodie maxime convenit ut pressius haec collegialitas declaretur et abundantius oculis omnium appareat.

Multa quidem, atque quandoquidem satis diversa, possumus afferre in hac investigatione, sed unum simus omnes in quaerenda veritate sine timore. Romanus Pontifex scit nos omnes libentissime et toto corde agnoscere eius primatum atque unice quaerere quod Christus ipse voluit de nobis ut melius cum ipso et eius visibili vicario, missioni quam nobis dedit, semper perfectius operam praestemus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (D. 1831). [2] Neque, quaeso, fratribus vestris iniuriam dolorosam afferatis, timendo ne a fide deficiant! [3] (*Mt.* 18, 18). [4] (*Mt.* et *Mc.* in ultimo). [5] deest. [6] (D. 1828).

8

EM.MUS P. D. LAUREANUS CARD. RUGAMBWA

Episcopus Bukobaënsis

Venerabiles Patres conciliares,

Iam in textu bene dicuntur aliqua de sollicitudine Ecclesiarum cui participant cum Petro ceteri apostoli, sed aliquid addendum sit pressius.

Sollicitudo etenim omnium Ecclesiarum ex ipsa consecratione episcopali urgentior fit et ipsa consecratio confert potestatem *ad regendam plebem universam seu Ecclesiam,* ut aiebat ritus liturgicus ipsius conse-

crationis episcopi usque ad saeculum XII; unusquisque episcopus fit reapse membrum collegii apostolici cui praeest ...[1], et immediate ipso facto imprimis participationem ad regendum totum dominicum gregem accipit.

Feliciter Concilium Oecumenicum iam est forma privilegiata huius gubernii collegialiter sumpti totius Ecclesiae, sed quis non videt alias formas esse vel inveniri posse immo debere a Petro ut capite et sub Petro, ab aliis apostolis, seu eorum successoribus sine detrimento cuiusvis? Apud S. Matthaeum, cap. XVI, et in Ioanne cap. XXI, legimus plenitudinem potestatis B. Petro collatam esse modo speciali et directe ut capiti totius corporis Ecclesiae et imprimis huiusmodi collegii apostolorum. Clara sit semper activitas apostolica episcoporum sub Petro et cum Petro exercenda, cum principium unitatis divinitus institutum sit.

Quando, per legitimam designationem ab auctoritate competenti factam, episcopus aliquis curam specialem de aliqua portione gregis Domini in quavis dioecesi vel alio modo recipit, non limitatur nec limitari debet ad istas oves munus apostolicum. Quis enim auderet dicere quod de cura eius non pertinet de salute totius mundi sollicitus esse?

Sic ipsa consecratione episcopali omnes episcopos ad regendam totam Ecclesiam cum Romano Pontifice participationem recipere ducimus. Sed huiusmodi doctrina non solum in schemate *de Ecclesia* declaretur, sed in concreto *etiam in de Episcopis introducatur,* et postea modo explicito in revisione Codicis Iuris Canonici.

Nobis magnum gaudium fuit invenire praeoccupationem missionariam in capite de episcopatu. Attamen, haec praeoccupatio quae secundum spiritum et verba Domini nostri Iesu Christi essentialis et constans esse debet Ecclesiae, adhuc nimis transitoria et quasi superadiuncta videtur esse in hoc capite schematis. Schema praebet imaginem non satis dynamicam in ordine evangelizationis.

Quamquam enim pag. 23, lin. 14, citatur textus Ioannis 20, 21, ubi Dominus dixit: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos », et quamquam idea missionis ad gentes passim repetitur, tamen de munere evangelizationis non invenitur descriptio ad instar muneris regendi gregem, et in paragrapho sollemniori pag. 25, linn. 4-7 nihil amplius dicitur de evangelizatione gentium.

Quapropter proponimus sequentes mutationes textus:

1. § 13, lin. 25 scribatur: « ... Ut Evangelium continenter et in omne tempus sit in Ecclesia et *per Ecclesiam in mundo* totius vitae principium ». Etenim, Evangelium non tantum vita Ecclesiae sed totius mundi debet esse per apostolos et eorum successores.

2. Eadem paragrapho, lin. 27, addatur: « ... Quapropter apostoli

de instituendis successoribus curam egerunt eisque commendarunt ut *evangelizarent universum mundum necnon ut attenderent...* etc. ».

Haec addantur quia apostoli successores instituerunt ad totum munus eorum continuandum.

3. Pag. 25, linn. 4-7 proponimus hunc textum: « Proinde declaramus et docemus episcopos ex divina institutione *mundum universum evangelizare, necnon fideles edocere,* etc. ».

Mirum esset in declaratione sollemniori de munere episcoporum omittere eorum officium evangelizandi universum mundum.

4. Pag. 26, lin. 3, proponimus inserere sequentia verba: « ... Ut illis adiutricem operam navantibus *omnibus gentibus Christum annuntient atque veritatem et gratiam* super omnes fideles dispergant ».

Ratio huius insertionis est eadem: episcopi debent non solum catechizare, sed imprimis evangelizare.

5. Pag. 28, lin. 37, addere proponimus: « ... *Etiam si haec auxilia sacrificia cum se trahant. Semper prae oculis habere oportet solidarietatem corporis mystici Christi, in quo omnia membra uniuntur ut si quid patitur unum membrum, compatiantur omnia membra ...*[2]*, et mendicatio pauperum vincatur caritate omnium* ».

Hoc modo volumus confirmare ideam obligationis episcoporum adiuvandi fratres eorum in episcopatu. Nam inauditum est fratrem apud fratrem mendicare debere. In bona familia frater qui abundantius possidet laeto corde praevenit preces fratris sui.

6. Pag. 29, lin. 20, ita formulari proponimus: « ... Episcopi sunt praedicatores fidei, qui novos discipulos ad Christum adducunt. Eorum munus est instare opportune et importune, quaerentes modum aptum, locis, gentibus et temporibus adaptatum, ut omnes audiant Evangelium Christi. Quia quamquam doctrina sit una, tamen diversi sunt modi proponendi hanc doctrinam et maxime honorari debent culturae, civilizationes, modus loquendi et cogitandi omnium gentium, ut Ecclesia fiat omnia in omnibus.

Insuper, institutione divina, episcopi sunt membra collegii episcoporum, et qua tales sunt pastores universi mundi, quapropter Evangelii praedicatio in universo mundo eorum officium est, eique se adunare debent in quantum eorum cura dioecesis particularis hoc permittit.

Episcopi sunt doctores authentici, etc. ».

Haec addere volumus, quia nobis videtur quod ubi loquitur in fere 40 lineis de modo docendi fideles, non erit nimis loqui in aliquibus lineis de modo evangelizandi gentiles.

Venerabiles Patres, en propositiones nostras quas vobis humillime subiicimus... Secundum verba Papae Ioannis XXIII i. m., Concilium

Vaticanum II est Concilium pastorale. Fiat locus amplissimus anxietati nostrae de mundo qui nondum audivit laetum nuntium Christi. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ut Coriphaeus Petrus. [2] (*1 Cor.* 12, 26).

Moderator: Loquatur Sua Beatitudo D. Patriarcha Maximos IV, qui gallica lingua utitur. Statim autem post eius allocutionem, versio latina eiusdem interventionis legetur.

9

BEAT.MUS P. D. MAXIMUS IV SAIGH
Patriarcha Antiochenus Melchitarum.

Vénérables Frères,

Le premier Concile Œcuménique du Vatican a défini le dogme de la primauté du Pontife Romain. Cette définition a donné lieu, çà et là, à des interprétations abusives qui l'ont défigurée, faisant de la primauté, qui est un charisme fait par le Christ à son Eglise, un obstacle à l'union des chrétiens. Or, nous sommes persuadé que ce qui fait obstacle à l'union, ce n'est pas la doctrine elle-même de la *papauté,*[1] suffisamment inscrite dans la Sainte Ecriture et la tradition de l'Eglise, mais ce sont ses interprétations excessives et, plus encore, son exercice concret où, à des éléments authentiquement divins et de légitime évolution ecclésiale, s'ajoutent, plus ou moins consciemment, des emprunts regrettables à des modalités dans l'exercice d'une autorité purement humaine.

Le second Concile du Vatican se propose, selon les belles paroles de S. S. Paul VI, dans son discours d'ouverture de cette seconde période du Concile, de préparer les voies de l'union. C'est pourquoi, il nous semble que le Concile ne doit pas se contenter de répéter, sur ce point, les paroles du premier Concile du Vatican, qui sont désormais chose acquise, mais de les clarifier et les compléter, à la lumière de la doctrine de l'institution divine et des droits imprescriptibles de l'Episcopat.

En ce sens, la nouvelle rédaction du schéma *de Ecclesia* marque un progrès très sensible aussi bien par rapport à l'ancienne rédaction que par rapport aux formules routinières des manuels de théologie.

Mais il n'en reste pas moins que, du point de vue œcuménique, plusieurs textes du schéma devraient être encore améliorés, afin de mettre plus encore en lumière les principes qui assurent à la doctrine et à l'exercice de la primauté romaine *un juste équilibre,* voulu par le divin Fondateur de l'Eglise lui-même.

Laissant les détails de moindre importance aux Notes écrites que nous avons déjà remises au Secrétariat, il nous semble que le texte du schéma du Concile devrait mettre en relief les principes suivants:

1. En rapport avec ce qui est dit au n. 11, page 21 ...[2], il doit être clair pour nous tous que le seul chef de l'Eglise, la seule tête du Corps du Christ qui est l'Eglise, est Notre-Seigneur Jésus-Christ, et lui seul. Le Pontife Romain est le chef du collège épiscopal, comme Pierre était le chef du collège apostolique. Le successeur n'a pas plus de pouvoir que celui auquel il succède. C'est pourquoi il ne convient pas de dire du Pontife Romain, comme on dit du Christ, au même titre et sans distinction, qu'il est la tête de l'Eglise, « caput Ecclesiae ».

2. En rapport avec ce qui est dit au n. 12, page 24 ...[3], nous sommes parfaitement d'accord avec l'explication donnée par plusieurs vénérables Pères, en ce qui concerne le fondement de l'Eglise, constitué non seulement par Pierre, mais par tous les autres Apôtres, comme le prouvent plusieurs textes du N. T. Cela ne s'oppose nullement à la primauté de Pierre et de ses successeurs, mais lui donne une lumière nouvelle. Pierre est l'un des Apôtres, et en même temps chef du collège apostolique. De même le Pontife Romain est membre du collège épiscopal et en même temps chef de ce collège. La tête commande au corps, mais elle n'est pas en dehors du corps.

3. En rapport avec ce qui est dit au n. 15, page 26 ...[4], il doit être clair que le pouvoir du Pontife Romain sur toute l'Eglise ne détruit pas le pouvoir de l'ensemble du collège épiscopal sur l'ensemble de l'Eglise — collège qui inclut toujours le Pape comme son primat —, ni ne se substitue au pouvoir de chaque évêque sur son diocèse. Toute mission canonique, dans les limites d'un diocèse, provient de l'évêque du diocèse, et de lui seul.

Ce serait, en outre, nuire gravement à la doctrine de la primauté romaine et compromettre toute possibilité de dialogue avec l'Eglise orthodoxe que de présenter cette primauté de telle manière qu'elle rende inexplicable l'existence-même de l'Eglise orientale. Celle-ci, en effet, doit sa vie sacramentelle, liturgique, théologique et disciplinaire à une tradition apostolique vivante où n'apparaît qu'exceptionnellement une intervention du Siège Romain.

4. En rapport avec ce qui est dit au n. 16, page 27 ...[5], il faut souligner que le pouvoir universel du Pontife Romain, si entier soit-il et reste-t-il dans son ordre, lui est donné essentiellement en tant qu'il est chef de toute la hiérarchie et précisément en vue de remplir cette diaconie primatiale. Le « Tu es Petrus » de St Matthieu, 16, 18, ne doit pas être séparé de « Confirme tes frères » de St Luc, 22, 32. Ce pouvoir

est en outre de nature pastorale, et strictement personnel. Il *doit être* [6] pastoral, en ce sens que ce n'est pas une prérogative tournée vers le commandement pour le commandement. C'est un ministère, un service, une diaconie, un pastorat, comme l'a si bien souligné S. S. le Pape Paul VI. Ce pouvoir est *de nature personnelle* [7] et ne peut, restant tel, être délégué d'aucune façon.

5. Enfin, en rapport avec ce qui est dit au n. 18, pag. 29 ...[8], il doit être clair que ni la désignation des évêques, ni leur mission canonique ne sont réservées, *de droit divin,* au seul Pontife Romain. Il ne faut pas transférer sur le plan universel de toute l'Eglise et sur le plan de la doctrine ce qui a été *un fait contingent de l'Occident chrétien.*

Ainsi dégagée des exagérations de doctrine et d'exercice, la primauté du Pontife Romain non seulement cesse d'être la principale pierre d'achoppement de l'union des chrétiens, mais elle devient la principale force qui exige et maintient cette unité. Elle est absolument indispensable comme centre d'unité pour l'Eglise. Les chrétiens ne sauraient assez remercier le Seigneur ...[9] pour ce ministère qu'il a établi dans son Eglise. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] primauté. [2] lignes 24-25. [3] lignes 11-12. [4] ligne 12. [5] lignes 12-18. [6] est de sa nature. [7] de sa nature personnel. [8] lignes 18-19. [9] Jésus.

Versio latina orationis beat.mi P. D. Patriarchae Maximi IV.

Concilium Oecumenicum Vaticanum I dogma definivit primatus Romani Pontificis. Haec definitio ansam aliquando praebuit, hinc inde, *excessivis* [1] interpretationibus quae figuram suam authenticam mutaverunt, et sic primatus Romani Pontificis, quod est charisma a Christo Ecclesiae suae datum, *transformatur de facto in* [2] impedimentum ad unionem christianorum. E contra, nobis *intima* [3] est persuasio quod verum impedimentum ad unionem christianorum non constituitur ab ipsa doctrina primatus, quae sat luculenter inscribitur in Sacra Scriptura et in Traditione Ecclesiae, sed ab eiusdem excessivis interpretationibus, *necnon* [4] ab eiusdem concreto exercitio in quo, cum elementis ...[5] authentice divinis atque legitimae ecclesialis evolutionis, coniunguntur, modo plus minusve conscio, elementa quae non recte mutuantur a modo quo exercetur auctoritas mere humana.

Nunc Concilium Vaticanum II sibi proponit, iuxta pulcherrima verba Sanctissimi Patris Pauli VI, in sua inaugurali oratione huius secundae periodi Concilii, unionis vias parare. Itaque, nostra opinione, Concilium *contentum esse non debet in reiterandis sic et simpliciter, circa hanc materiam, ipsis verbis* [6] Concilii Vaticani I, quae iam sunt *pro omnibus* [7] res acquisita, sed debet ea in meliorem lucem ponere eaque complere iuxta doctrinam divinae institutionis atque imprescriptibilium iurium episcopatus in Ecclesia.

Hac in re, nova redactio schematis *de Ecclesia magno quidem passu progressum est*[8] relate tum ad priorem redactionem, tum ad recoctas formulas manualium *quae tironibus scientiae theologicae proponuntur.*[9]

Nihilominus, sub aspectu oecumenico, nonnulli textus novi quoque schematis emendari debent, ut clarificentur illa principia quae praebent doctrinae necnon exercitio romani primatus *iustum aequilibrium,* ab ipso Conditore Ecclesiae *intentum.*[10]

Relictis igitur minoribus animadversionibus quas scriptim secretariatui tradidimus, principia quae sequuntur nobis videntur digna quae in textu schematis meliori in luce ponantur.

1. Relate ad illa quae dicuntur sub n. 11, pag. 23, linn. 24-25, clarum esse debet pro nobis omnibus quod unicum caput Ecclesiae, unicum *nempe*[11] caput Corporis Christi, quod est Ecclesia, est Dominus noster Iesus Christus...[12] Romanus Pontifex est *quidem*[13] caput, seu praeses, collegii episcopalis, sicut Petrus fuit praeses collegii apostolici. Successor enim maiorem non habet potestatem quam ille cui succedit. Propterea non *tam*[14] recte dicitur de Romano Pontifice, sic et simpliciter, eodem modo ac de Christo et sine ulla distinctione, quod est « Caput Ecclesiae ».

2. Relate ad illa quae dicuntur sub n. 12, pag. 24, linn. 11-12, adhaeremus toto corde explicationi quae iam data est a non paucis venerabilibus Patribus huius Concilii, iuxta quam fundamentum Ecclesiae constituitur non a Petro solo, sed a ceteris quoque apostolis, uti patet ex pluribus textibus Novi Testamenti. Hoc autem nullo modo contradicit *primatui*[15] Petri eiusque successorum, sed in illum novam lucem effundit. Petrus *enim*[16] est simul unus apostolorum et caput collegii apostolici. Eodem modo Romanus Pontifex est membrum collegii apostolici simul ac caput huius collegii. Caput *autem*[17] ordinat corpus, sed non est extra corpus.

3. Relate ad illa quae dicuntur sub n. 15, pag. 26, lin. 12, clarum esse debet quod potestas Romani Pontificis in universam Ecclesiam non destruit potestatem universi collegii episcopalis in universam Ecclesiam — quod collegium semper includit Romanum Pontificem uti *suum*[18] primatem —, nec *se substituit potestati*[19] uniuscuiusque episcopi in sua propria dioecesi. Exinde omnis missio canonica quae datur intra limites cuiusdam dioecesis provenit exclusive ab episcopo...[20]

Praeterea grave nocumentum affertur ipsae doctrinae de primatu Romani Pontificis atque impossibilis redditur quivis dialogus cum Ecclesia Orthodoxa si primatus Romani Pontificis ita praesentatur ut inexplicabilis evadat ipsa exsistentia Ecclesiae Orientalis. Haec enim Ecclesia vitam suam sacramentalem, liturgicam, theologicam et disciplinarem debet vivae illae traditioni apostolicae in qua non apparet, nisi ad exceptionis instar, interventus Sedis Romanae.

4. Relate ad illa quae dicuntur sub n. 16, pag. 27, linn. 12-18, notandum est quod universalis potestas Romani Pontificis, etsi integra sit et maneat in ordine suo, ei *tamen*[21] datur essentialiter in quantum est caput totius hie-

rarchiae et stricte loquendo ad hanc *primatialem diaconiam*[22] rite exercendam. Verba enim « Tu es Petrus »...[23] separari non debent ab aliis *verbis, scil.*[24] « Confirma fratres tuos »...[25] Aliunde huiusmodi potestas est natura sua pastoralis et stricte personalis. Est quidem pastoralis in quantum non est aliqua praerogativa quae ad iubendum vertitur pro amore iubendi. Est *e contra*[26] ministerium, servitium, diaconia, pastoratus, ut tam bene dixit Summus Pontifex Paulus VI. Deinde huiusmodi potestas est natura sua tam personalis quod ipsa *qua*[27] talis delegari nullo modo potest.

Denique et 5. Relate ad illa quae dicuntur sub n. 18, pag. 29, linn. 18-19, clarum esse debet quod nec designatio episcoporum, nec eorumdem canonica missio, *iure divino,* soli Romano Pontifici reservatur. Non est transferendum ad campum universalem totius Ecclesiae nec ad campum ipsius doctrinae quod fuit tantummodo *factum contingens occidentis christiani.*

Hoc modo primatus Romani Pontificis, si ita purificatur ab exaggerationibus doctrinae et praxis, amplius non est praecipuum obstaculum ad unionem christianorum, sed fit *e contra*[28] praecipua vis quae eamdem unitatem exigit atque servat. Primatus *enim*[29] est absolute indispensabilis *Ecclesiae*[30] uti centrum eiusdem unitatis...[31] Christifideles autem gratias numquam satis agent Domino Iesu propter hoc ministerium quod posuit in Ecclesia. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] pravis. [2] factum est. [3] deest. [4] multo magis. [5] quibusdam. [6] opus suum restringere non debet ad iteranda, circa hanc materiam, ipsa verba. [7] deest. [8] magnum quidem progressum fecit. [9] librorum scientiae theologicae. [10] constitutum. [11] deest. [12] non alius. [13] deest. [14] deest. [15] primatum. [16] deest. [17] enim. [18] deest. [19] substituit potestatem. [20] non ab alio. [21] deest. [22] primatiam diaconalem. [23] (*Mt.* 16-18). [24] deest. [25] (*Lc.* 22, 32). [26] deest. [27] uti. [28] deest. [29] deest. [30] deest. [31] pro Ecclesia.

Emendationes et additamenta proposita ut sequentes conceptus inducantur in §§ 12 et 13 capitis II schematis de Ecclesia.

1. Ecclesia ab apostolis fundata per Evangelii praedicationem, non est « Ecclesia universalis », sed « *Ecclesia una, sancta, catholica et apostolica* ».

2. Episcopi, successores apostolorum, Ecclesias pascunt *particulares,* quippe quae sunt unaquaeque sane « Ecclesia Dei » in determinato loco, praesertim cum Eucharistia celebratur. Hic conceptus quidem evolvitur duplici ratione:

Prior: ut appareat unitas substantialis Ecclesiae localis in notione *communionis* cum episcopo proprio.

Altera: ut eadem notio *communionis* fiat fundamentum ligaminis inter Ecclesias particulares quae omnes sive singillatim sive in solidum sunt ipsa una, sancta, catholica et apostolica Ecclesia.

3. Inter Ecclesias particulares, aliquae speciali praestantia fruuntur, Ecclesiae Romanae munere proprio omnino servato. Illae *Ecclesiae praestantiores* iam a primordiis veluti *matrices fidei* agnitae sunt propter fundationem apostolicam aut propter alia adiuncta historica ab omnibus pacifice accepta et in Conciliis Oecumenicis sollemniter sancita. Earum est praesertim ut vinculum communionis sartum tec-

tumque sedulo servent cum ceteris Ecclesiis praestantioribus, quam maxime autem cum Ecclesia Romana.

Ita sequentia ad textum schematis emendandum proponi possunt:

1. In § 12, linn. 9-14: « Apostoli praedicando *Evangelium,* resurrectione Christi firmatum et operante Spiritu Sancto ab audientibus acceptatum, Ecclesiam *unam* exstruunt *sanctam, catholicam et apostolicam,* aedificatam super Petrum (cf. *Mt.* 16, 18), fidelibus omnibus « superaedificatis super fundamentum Apostolorum et Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu » (*Eph.* 2, 20; cf. *Apoc.* 21, 14).

2. In § 13, post lin. 39 et ante 40 addatur: « Divina tamen dispositione factum est ut variae variis in locis ab apostolis per orbem terrarum missis ad Evangelium praedicandum, nec non ab eorum successoribus, conditae sunt Ecclesiae particulares seu locales, quasi ipsi, de plenitudine Christi abundanter accipientes, ministerio verbi et sacramentis, quam maxime vero celebratione eucharistica pascebant. Quod in suis particularibus Ecclesiis adhuc hodie faciunt episcopi, quorum unusquisque pastor est sui gregis centrum atque cardo totius in Christo eius vitae, minister populi sui, cuius est et pro ipso grege sibi concredito et erga ceteras Ecclesias particulares, communionis sponsor.

Nam una cum eo grex ille est Ecclesia Dei (cf. *2 Cor.* 1, 1) quae plenitudinem illam divitiarum Christi ac pignus futurae gloriae iam possidet.

Proinde hae omnes Ecclesiae particulares, vinculo communionis inter se unitae, cum singillatim tum in solidum sumptae, communitatem salutis constituunt, quae per Spiritum Sanctum in se inhabitantem, illa est Ecclesia una, sancta, catholica et apostolica.

Quo vinculum plenius manifestaretur, factum est etiam ut, decursu temporum, eae ex particularibus Ecclesiis, quae sive ob propinquitatem ad ministerium apostolorum, sive ob alias rationes, quasi matrices fidei,[1] alias pepererant, veluti metropolitanae sedes, aliquando patriarchales nuncupatae, exsurrexerint, quarum officium est unitatem in catholica diversitate fovere nec non cum his ceteris praestantioribus Ecclesiis inter quas eminet Ecclesia Romana propter potentiorem principalitatem,[2] communionem accipere, significare et roborare ».

[*Subsignaverunt:*] Maximos IV patr.; Stephanos I, patr. Alex.; Emilio Biancheri; Carlo Bandini; John Bassoul, arch. Homs Melch.; Emile Socquet, arch. tit. Selimbria; Athanase Hage, sup. gen. O. Bas. Ch.; J. Ogez, ep. Mbarara; Archim. Saba Youakim, sup. gen. B. S.; Isaac Ghattas, ep. Thèbes; Ioseph Tawil, arch. tit. Myra; Franciscus Marty, arch. Remensis; Ioseph Fl. Cornelis, arch. Elisabethville; Ioseph Perniciaro, ET Arbani; Basile D. Khoury, ep. Sidonensis; Ioh. M. Hoeck, sup. gen. abb. Schyrensis; Gabriel Abou Sada, arch. tit. Cesarien. Melch.; Ioseph J. Blomjous,ep. Mwanza; Ios. Malouf, arch. Baalbek; Hilarion Capucci, sup. gen. Basil. Alepp.; Philippe Nabaa, arch. Beyrouth; M. Assaf, Petra Phil.; N. Edelby, arch. tit. Edessenus Melch.; Augustin Farah, ep. Tripoli Melch.; Conradus Mingo, arch. Montis Regalis; Ioannes Pirastru, ep. Ecclesiensis; Eptimios Youakim, ep. Zahlé; Louis Durrieu, ep. de Ouahigouya.

---

[1] Cf. TERTULLIANUM, *De Praescr. Haer.,* XXI, 4; S. CYPRIANUM, *Epist.* XLVIII, III, 1. Iam autem hic conceptus « Ecclesiarum praestantiorum », quasi « matricum fidei » quod ad sensum saltem adtinet, apud S. Irenaeum reperitur in *Adv. Haer.* III, III, 1-4.

[2] Cf. S. IRENAEUM, *Adv. Haer.* III, III, 2.

Considerantes 1. unum de quatuor finibus Concilii esse « unitatis redintegrationem inter Christianos universos », « una fide, participatione eorumdem sacramentorum et apta cohaerentia unius ecclesiastici regiminis » (S. S. Pauli VI, *Allocutio ad Patres Concilii Vaticani II* (29 sept. 1963), p. 19);

2. divinam veritatem esse « principium unitatis, non discriminis et separationis » (*ibid.*, p. 32);

3. hunc finem attingi non posse quamdiu Patres Conciliares a traditione latina Ecclesiae tantummodo inspirantur;

4. hunc finem autem attingi posse si traditio orientalis Ecclesiae redintegrata est, sicut instanter postulaverunt in aula conciliari beat.mus Maximos IV, beat.mus Paulus Meouchi, exc.mi DD. Ghattas, Doumith, Zoghby, Ziadé, Khoury et Hakim,

proponimus emendationes sequentes super cap. II « De constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu »:

1. Ad par. 13 (De episcopis successoribus apostolorum), pag. 24, lin. 39, post verbum « ministerio », addenda est haec propositio: « Postea exercitium reale huius collegialitatis episcoporum semper ab Ecclesia Orientali, necnon per multa saecula ab ipsa Ecclesia Occidentali, ut immarcescibile elementum apostolicae traditionis agnitum est. Immo, tota Ecclesiae traditio ministerium singulare et maius sedis romanae circa Ecclesiam universalem nonnisi intra illam collegialitatem confessa est ».

2. Ad par. 13 (De episcopis successoribus apostolorum), pag. 25, lin. 3, post verbum « exercenda », addenda est haec propositio: « Hae duae potestates, altera omnibus duodecim collegialiter, altera Petro singulariter concessa, reapse seiungi nequeunt, ita ut successor Petri verum sit membrum collegii episcoporum et sic illos in fidei communione confirmet necnon ipsis in caritate praesideat ».

3. Ad par. 14 (De episcopatu ut sacramento), pag. 25, lin. 16, post verbum « nuncupatur », addenda est haec propositio: « Traditio igitur charismatis apostolici in episcopis sacramentum est et sic Ecclesia essentialiter in mysterio communionis constat, ita ut per consecrationem episcopus fiat successor apostolorum et particeps collegialitatis, ac per ipsum munus episcopale episcopus romanus fiat successor Petri et primatum accipiat ».

4. Ad par. 16 (De collegio episcopali eiusque capite), pag. 27, linn. 9-11, sic emendandum est: « Sicut collegium episcoporum sua auctoritate pollet in communione episcopi romani, successoris Petri, ita episcopus romanus propria ac suprema auctoritate pollet in communione collegii episcoporum, successore collegii apostolorum ». Atque addendum est: « Primatus et collegialitas principia sunt de iure divino. Sed modi utriusque exercitii ad ius ecclesiasticum pertinent. Ecclesiae historia probat illos modos ita varios fuisse ut variare in futuro possint. Ideo determinationes canonicae illius communionis supremae ab omnibus episcopis orientis et occidentis una cum episcopo romano in ministerio eius primatus constituendae sunt, secundum necessitates loci et temporis Ecclesiae universalis ».

5. Ad par. 16 (De collegio episcopali eiusque capite), pag. 27, linn. 34-39, sic emendandum est: « Episcopi, congregati cum suo capite in Concilio Oecumenico aut dispersi cum suo capite, veram atque plenam potestatem habent. In qua coniunctione membrorum collegii episcoporum cum suo capite praeeminet auctoritas capitis utpote a Christo Domino directe in persona Petri speciali modo ei concessa, ita ut praeter eius assensum, saltem tacitum, decisiones membrorum in gravissimis

negotiis Ecclesiae universalis irritae censeri debeant. Sed quia, sicut membra sine capite vere membra dici non possunt, ita caput qua tale non potest concipi sine coniunctione cum membris, ideo valde interest ad consensum manifestandum et ad concordiam servandam in vinculo amoris et pacis, ut decisiones maiores Summi Pontificis ad universalem Ecclesiam pertinentes non determinentur absque praeviis suffragiis collegii episcoporum, sive in concilio congregatorum, sive per orbem dispersorum, secundum laudabilem consuetudinem Romanae Sedis, cuius officium est praesidere in caritate ».

[*Subsignaverunt:*] Maximos IV Patriarche, Jos. Malouf, Eftimios Youakim, ep. Zahlé, Athanase Ach-Chaer, M. Assaf, John Bassoul, Joseph Taouil, Augustin Farah, Gabriel Abou-Sada, N. Edelby, AT Edessenus, Saba Youakim, sup. gen. B. S., Basile Khoury, ep. Sinonensis, Athanassios Tutungy, arch. d'Alep, Hilarion Capucci, sup. gen. O.B.A., G. Hakim, arch. de Galilée, Archimandrite Athanase Hage, sup. gen. O.B.C., Elias Zoghby, AT de Nubie.

Observations du Patriarcat grec-melkite catholique.

1. N. 11, pag. 23, lig. 10. Insérer après « apostolos » le mot *columnas.* Le texte devient: « super Petrum rupem ac super apostolos *columnas fundavit* ».

Cette insertion est suggérée par le parallélisme: Pierre-rocher, Apôtres-colonnes. La comparaison des « colonnes » appliquée aux Apôtres n'est pas moins néo-testamentaire que la comparaison du « rocher » appliquée à Pierre.

Mieux encore, nous proposons de remplacer « super Petrum rupem ac super Apostolos fundavit » par une autre formule scripturaire comme « super fundamentum Apostolorum (et prophetarum) posuit ».

En effet, la rédaction anticipe malencontreusement sur le paragraphe suivant qui traite de la primauté. La rédaction actuelle est moins heureuse que le texte du Vatican I qui est ici cité. Ce Concile avait distingué trois temps dans le plan divin: 1er temps: le Christ veut fonder une Eglise comme un Temple d'une durée éternelle; 2e temps: Pour conduire et régir cette Eglise, il lui donne comme Pasteurs les Douze Apôtres qui se perpétuent dans les Evêques, leurs successeurs; 3e temps: « pour que l'épiscopat soit un, il a préposé Pierre aux autres Apôtres ». Le Schéma actuel, en parlant trop tôt du primat de Pierre, symbolisé par le rocher, renverse la perspective.

2. N. 11, pag. 23, lig. 20. Remplacer le mot « apostolici » par « S. Petri ». Le texte devient: « ratione *S. Petri* primatus ».

« *Apostolicus* primatus » ne désigne pas suffisamment le primat de *S. Pierre.* Il y a, en effet, d'autres Apôtres que Pierre. C'est une habitude courante en Occident de dire aussi: « Apostolica Sedes », pour désigner le seul Siège Romain de Pierre. De fait, en Occident, il n'y a pas d'autre Siège *apostolique* que celui de Rome fondé par Pierre. Mais on doit réagir contre cette façon de faire, car, non seulement il y a d'autres Apôtres que Pierre, mais il y a aussi d'autres « Sièges Apostoliques » que celui de Rome. Cette remarque est importante pour se faire comprendre de l'Orient, si attaché à l'apostolicité de ses sièges patriarcaux. On sait que l'Orthodoxie proteste contre l'accaparement par le Siège Romain de l'épithète « Apostolique », dans des expressions comme « Siège Apostolique » ou « Bénédiction Apostolique », etc.

3. N. 11, pag. 23, ligg. 24-25. Supprimer les mots *Christi Vicario* et *ac totius*

Ecclesiae capite. Le texte devient: « qui cum successore Petri, coryphaeo et capite suo, Domum Dei viventis regunt... ».

Depuis S. Bernard surtout, la piété occidentale aime donner au Pontife Romain le titre de « Vicaire du Christ ». Comme le remarque la Note II du Schéma, même en Occident, jusqu'au XIe siècle au moins, le Pape de Rome était plutôt appelé « Vicarius Petri » et non pas « Vicarius Christi ». Ce dernier titre ne s'est généralisé qu'à partir de S. Bernard, sans être cependant exclusivement réservé au Pontife Romain, puisque la tradition occidentale a continué çà et là d'appeler tous les Evêques indistinctement « Vicaires du Christ ». Voir la Note 59 et le texte même du Schéma, N. 21, p. 31, ligg. 4-5: « Ipsi (sc. Episcopi) Ecclesias sibi commissas ut *vicarii* et legati *Christi* regunt ». Ainsi donc tous les Evêques, et même les simples prêtres, sont, en un certain sens, Vicaires du Christ. Le Pontife Romain l'est naturellement d'une manière plus éminente, mais non exclusive. L'application exclusive de ce titre à l'Evêque de Rome est ignorée par la tradition patristique orientale. De plus, ce titre prête à surenchère, et l'on sait combien la surenchère dans ce domaine, dans des esprits inconscients, flatteurs ou intéressés, est dangereuse pour l'Eglise. Elle a conduit certains au blasphème proprement dit, le jour où ils ont voulu faire du pape un Dieu: « Il Papa è Dio sulla terra..., Gesù ha posto il Papa al di sopra dei Profeti..., al di sopra del Precursore..., al di sopra degli Angeli... Gesù ha collocato il Papa al livello stesso di Dio » (Sac. Domenico Bertetto, S.D.B., *San Giovanni Bosco - Meditazioni,* Vol. I, Ed. 2ª, pp. 89-90).

Pour les mêmes raisons, nous pensons que l'expression « Chef de l'Eglise » (surtout en latin: « Caput Ecclesiae ») doit être expliquée dans un contexte œcuménique; car, ce n'est pas le Pape qui est la *Tête* de l'Eglise au sens strict, mais le Christ seul, auquel personne ne succède dans cette qualité. Le Pape succède à Pierre, non au Christ. On devrait plutôt l'expliquer dans le sens que le Pape est « tête visible de l'Eglise » ou « tête de l'Eglise visible ».

4. N. 12, pag. 23, lig. 31. Supprimer les mots « ad instar ». Le texte devient: « quos et apostolos nominavit, et in collegium instituit ».

Les Douze formaient un vrai Collège, un Ordre, un « Corpus » apostolique, et non « quelque chose de semblable » (*ad instar*).

5. N. 12, pag. 24, lig. 11. Ajouter les mots « ceterosque Apostolos ». Le texte devient: « Ecclesiam extruunt universalem, aedificatam super Petrum *ceterosque Apostolos* ».

L'Eglise est certes bâtie sur Pierre, mais aussi sur les autres Apôtres, comme le prouvent de nombreux textes du Nouveau Testament. C'est en combinant tous ces textes qu'il convient de parler du fondement de l'Eglise. Les orthodoxes reprochent aux théologiens catholiques, non pas de citer des textes faux, mais de ne pas citer *tous* les textes.

6. N. 12, pag. 24, lig. 12. Après « fidelibus omnibus », ajouter: *cum Ecclesia.* Le texte devient: « fidelibus omnibus *cum Ecclesia* superaedificatis... ».

Le texte du Schéma laisserait à entendre que l'Eglise, en tant que telle, est fondée sur Pierre seulement. Par contre, les fidèles sont bâtis sur le fondement des Apôtres et des Prophètes, etc. On semble vouloir ainsi éviter la difficulté du texte de S. Paul (*Eph.* 2, 20) et de l'Apocalypse (21, 14), en l'appliquant aux seuls fidèles. En réalité, tous ces textes de Matthieu, de l'Epître aux Ephésiens, et de l'Apocalypse se complètent. Aussi bien l'Eglise que les fidèles qui la constituent

sont fondés sur Pierre et sur les Apôtres et les Prophètes. D'où l'addition proposée.

7. N. 14, pag. 25, lig. 12. Ajouter: « unde hoc sacramentum est quasi radix potestatis iurisdictionis et magisterii ».

Cette précision nous paraît nécessaire pour écarter l'opinion de certains canonistes pour qui un laïc élu ou nommé légitimement évêque ou pape posséderait le même pouvoir de juridiction avant comme après sa consécration épiscopale.

8. N. 15, pag. 26, lig. 12. Omettre les mots: « a Romano Pontifice ». Le texte devient: « Cura autem animarum actu exercenda eis ab Episcopo competente assignatur ».

Le texte parle des prêtres. La mission canonique des prêtres ne vient pas du Pontife Romain *ou de leur Evêque,* mais seulement de leur Evêque. Cela ne veut pas dire que le Pontife Romain n'a pas pouvoir sur les prêtres. Mais autre chose avoir un pouvoir universel sur tous les fidèles ou clercs de l'Eglise, autre chose être source unique de tout pouvoir dans l'Eglise. En particulier, les Evêques n'ont pas besoin de délégation de pouvoir pour donner mission canonique à un de leurs prêtres en vue de régir une portion de leur troupeau. Dans les territoires soumis directement à l'autorité de l'Evêque de Rome, en tant que tel, les prêtres reçoivent naturellement mission de lui.

9. N. 15, pag. 26, ligg. 33-41. Refaire tout ce passage de manière qu'il puisse s'appliquer aussi à l'Eglise orientale; les auteurs du Schéma ont en vue seulement l'Eglise latine. Le texte devient: « Licet hodie in Ecclesia *Latina* diaconatus ut plurimum habeatur solummodo tanquam gradus, quo ad sacerdotium ascenditur, haec disciplina tamen non semper viguit nec hodie ubique viget. Immo diaconatus in futuro tanquam proprius ac permanens gradus hierarchiae *in Ecclesia quoque Latina* exerceri poterit, ubi Ecclesia id pro necessitate curae animarum, aut in certis regionibus aut in omnibus, expedire censuerit. Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere utrum, *in Ecclesia quoque Latina,* tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ».

L'insertion de ces mots est nécessaire pour que le texte ne paraisse pas dirigé à la seule Eglise latine. C'est d'ailleurs une remarque générale: Lorsque les catholiques d'Occident parlent de *l'Eglise* ou de la *discipline générale* de l'Eglise, c'est à l'Eglise latine et à la discipline latine qu'ils limitent leur vision, comme si l'Eglise orientale et la discipline orientale étaient des exceptions à la règle. Ils doivent, au contraire, se rappeler que l'Eglise latine est *une Eglise* dans *l'Eglise* catholique, tout comme la plus humble des Eglises orientales, et que le droit latin est *un droit* particulier de l'Eglise latine. « Ecclesia universa » ne signifie pas « Ecclesia latina », et « ius universale » ou « ius commune » ne signifie pas « ius latinum ». Comme, de fait, l'Eglise catholique a été malheureusement réduite, pendant des siècles, à l'Occident ou presque, les occidentaux ont pris l'habitude de considérer leur Eglise latine comme synonyme d'Eglise catholique universelle. C'est une perspective à corriger aujourd'hui, non seulement dans la terminologie, mais aussi dans tout le comportement ecclésial.

10. N. 16, pag. 27, ligg. 9-11. Nous proposons une autre rédaction:

Nouvelle rédaction	*Ancienne rédaction*
Episcopi autem, sive dispersi sive congregati, non constituunt corpus ni-	Collegium autem seu corpus episcoporum auctoritatem non habet, nisi

si in communione cum eorum Praeside, qui est Romanus Pontifex, utpote successor Petri constitutus. Non datur enim collegium apostolicum vel episcopale « acephalon ».

simul cum Pontifice Romano, successore Petri, ut capite eius intelligatur.

Au lieu de dire que le collège épiscopal n'a d'autorité (il s'agit, bien-entendu, d'autorité universelle) qu'uni avec le Pontife Romain, nous préférons dire que le Collège épiscopal, *dont le Pape de Rome fait partie en tant que Président,* ne constitue un Collège que s'il est uni avec le Pontife Romain, qui est son Président. C'est une différence de perspective, mais qui a son importance. Il y a une tendance en Occident à mettre le Pape, *non seulement à la tête* du Collège épiscopal, ce qui est très vrai, *mais en dehors* du Collège épiscopal, ce qui est faux. De même, on a tendance à considérer le Pape en dehors du *Concile* œcuménique, celui-ci étudiant, discutant, proposant, et le Pape confirmant et sanctionnant. Plus d'une preuve pourrait être apportée pour démontrer l'existence de cette mentalité, qui ne nous semble pas tout-à-fait au point.

11. N. 16, pag. 27, lig. 30. Nous proposons la rédaction suivante: Secundum ius canonicum hodiernum Romani Pontificis praerogativa est concilia oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare; nec Concilium oecumenicum unquam datur sine participatione Romani Episcopi, saltem approbantis vel recipientis.

Il faut soigneusement distinguer entre le Droit Canon qui peut changer et le dogme qui est immuable. La première partie de notre formule, étant canonique, ne se vérifie pas dans les anciens Conciles. Par contre, la seconde, qui est théologique, est toujours vraie. Ce n'est pas le fait de convoquer les Evêques qui leur confère une pleine juridiction sur l'Eglise: ils la possèdent déjà collégialement; mais le fait de se trouver réunis par l'Empereur ou par le Pape leur donne le moyen de l'exercer.

La disposition canonique actuelle selon laquelle le concile oecuménique cesse automatiquement à la mort du pape, est une mesure purement positive et non de droit divin.

12. N. 16, pag. 27, ligg. 12-18. Nous proposons une autre rédaction:

Nouvelle rédaction

Elegit Dominus primum Duodecim Apostolos, deinde praefecit eis Petrum. Collegium igitur apostolicum Petrum apostolum necessario includit sicut corpus episcopale, sive congregatum sive dispersum, romanum episcopum comprehendit. Petrus autem apostolus, eiusque successor Romanus Pontifex, sive in collegio apostolico sive in corpore episcopali, est simul membrum et caput. Praeterea in decursu temporis agit successor Petri, quandoque ut episcopus Romae, quandoque ut papa universalis. Ut collegium episcopale sit

plenum habeatque in Ecclesiam universalem supremam auctoritatem, necesse est ut Romanus Pontifex eiusdem collegii caput sit, nec necesse est ut de facto in omnibus negotiis primatum suum exerceat.

Romanus Pontifex, totius hierarchiae primas, virtute sui primatialis officii et ad illud rite implendum, habet in Ecclesia per se plenam et universalem, pastoralem et personalem, potestatem; collegium episcoporum autem, quod collegio apostolorum, in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, et in quo Petrus per Romanum Pontificem semper vivit — ita nempe ut sine eorum praeside apostoli et episcopi collegium non constituunt — indivisam, plenam et supremam potestatem in Ecclesia possidet.

(Puis sauter, comme inutile, le développement qui suit, jusqu'à la ligne 28: Suprema in universam...).

Ancienne rédaction

Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se plenam et universalem potestatem; collegium episcoporum autem, quod collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat, una cum Capite suo Romano Pontifice, et nunquam sine hoc capite, indivisum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur. Dominus enim...

L'ancienne rédaction commence par affirmer que le Pontife Romain a, par lui-même, un pouvoir plein et universel sur toute l'Eglise. La nouvelle rédaction précise que ce pouvoir universel du Pape ne lui est donné qu'*en tant que chef de toute la hiérarchie* et *en vue de remplir ce ministère primatial.* Il importe, en effet, de montrer que ce pouvoir universel du Pape est la conséquence d'un ministère de chef dans l'Eglise, et qu'il n'est pas un privilège sans fondement ni utilité publique.

En second lieu, la nouvelle rédaction précise que ce pouvoir universel du Pape est essentiellement un pouvoir *pastoral et personnel.* Il est pastoral, en ce sens que ce n'est pas une prérogative qui lui permet seulement de commander pour le plaisir de commander, ou pour dominer le reste de l'Eglise. Le pouvoir dans l'Eglise est une « diaconie », un ministère, un pastorat. C'est pourquoi l'Orient n'aime pas le terme « juridiction », si cher aux canonistes d'Occident, car il sent une conception de pouvoir toute humaine, faite de supériorité et de domination sur les autres. De plus, ce pouvoir universel du Pape est *strictement personnel.* Le Pape peut certes se faire aider par toute sorte de collaborateurs, mais personne ne partage avec lui sa primauté dans l'Eglise. Cette remarque a des conséquences pratiques innombrables. Dans le catholicisme d'aujourd'hui, tous ceux qui, de près ou de loin, sont au service de l'administration pontificale, réclament une primauté sur les autres Evêques du monde, et même sur les titulaires des autres sièges apostoliques de la chrétienté. A la Curie Romaine, chacun se croit un peu Pape, et chacun est persuadé d'être un peu infaillible comme le

Pape. Contre cette tendance, il convient de préciser très nettement que la primauté et l'infaillibilité du Pape sont strictement personnelles.

Pour désigner l'autorité universelle du Collège épiscopal, uni naturellement à son Chef, qui est le Pontife Romain, l'ancienne rédaction emploie une périphrase tortueuse, comme pour noyer cette idée. Elle dit que le collège épiscopal « indivisum *subiectum* plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam *creditur* ». Pourquoi ce *creditur,* et pourquoi ce *subiectum potestatis,* qu'on pourrait à la rigueur interpréter comme *subiectum delegatum potestatis,* selon la doctrine chère à certains canonistes, qui prétendent qu'aucun pouvoir dans l'Eglise n'existe s'il ne provient du Pape? La vérité est que le Collège apostolique a vraiment un pouvoir universel dans l'Eglise, et ce pouvoir lui provient du Christ directement. C'est un pouvoir natif, original, divin, ordinaire et inaliénable.

13. N. 17, pag. 28, ligg. 14-17. Nous proposons une autre rédaction:

Nouvelle rédaction	*Ancienne rédaction*
Sed ut membrum collegii, pro universa Ecclesia, ea *missione* ex officio *tenetur,* quae, *licet nullam permittat intrusionem in aliis Ecclesiis,* summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum.	Sed ut membrum collegii pro universa Ecclesia, ea sollicitudine ex officio tenetur, quae, licet actus iurisdictionis non sit, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum.

Parlant du pouvoir collégial des Evêques, c'est-à-dire de leur pouvoir en tant que membres du Collège épiscopal, le Schéma le réduit à une *simple sollicitude universelle* très utile à toute l'Eglise. C'est trop peu. Il est vrai que le pouvoir collégial de chaque Evêque sur l'ensemble de l'Eglise n'est pas le même que son pouvoir direct sur son diocèse. Mais il n'est pas non plus une simple sollicitude du bien général de l'Eglise. De fait, les responsabilités que le Schéma attribue dans les lignes suivantes au collège épiscopal dépassent la simple sollicitude et constituent un vrai pouvoir (voir l'appendice: « Le Pape gardien de la Collégialité épiscopale »).

14. N. 17, pag. 28, lig. 18. Insérer, avant le mot « disciplinae », le mot *cohaerentiam.* Le texte devient: « tueri unitatem fidei et *cohaerentiam* disciplinae cunctae Ecclesiae communem ».

En effet, si la foi est strictement une pour toute l'Eglise, il n'en est pas de même de la discipline qui, dans l'Eglise, doit être partout cohérente, mais non nécessairement uniforme. Certains esprits pourraient prendre prétexte de ce texte pour exiger l'uniformité de la discipline orientale avec celle de l'Eglise latine.

15. N. 17, pag. 28, ligg. 31-33. Nous proposons une autre rédaction:

Nouvelle rédaction	*Ancienne rédaction*
Unde liquet, etiam si suprema ordinatio operis missionum *nunc temporis pro bono communi Ecclesiae* ad Romanum Pontificem *de facto* reservata est, ...	Unde liquet, etiam si suprema ordinatio operis missionum ad Romanum Pontificem pertinet, ...

L'œuvre de l'évangélisation du monde n'est pas, de soi, une des compétences exclusives de l'Evêque de Rome. C'est plutôt une mission donnée par le Christ à tous les Apôtres et, après eux, à tous les Evêques de l'Eglise, et de fait, l'Histoire ecclésiastique nous montre que beaucoup d'autres Evêques de la Chrétienté se sont occupés d'évangéliser le monde en envoyant des missionnaires et en les entretenant, fondant même des Eglises nouvelles et organisant la hiérarchie en pays de mission. Mais *de fait, aujourd'hui,* pour éviter une inutile dispersion de forces et mieux organiser l'œuvre de l'évangélisation, la haute direction des missions a été réservée au Pape.

16. N. 18, pag. 29, ligg. 18-19. Nous proposons une nouvelle rédaction:

Nouvelle rédaction	*Ancienne rédaction*
... vel directe per ipsum *Romanum Pontificem, qui, gravissima de causa, suam necessariam communionem denegare potest.*	... vel directe per ipsum successorem Petri; quo renuente, episcopi in officium assumi nequeunt.

Une certaine école de canonistes d'Occident tient, comme nous l'avons dit, qu'aucun évêque ne reçoit mission sur son diocèse que par l'intervention directe ou indirecte du Pape. Cette opinion avait trouvé place dans l'ancien Schéma. Le nouveau Schéma a corrigé cette assertion absolument inacceptable. Rien, dans l'Ecriture ou la Tradition, ne prouve, en effet, que la mission canonique des Evêques sur leur diocèse leur vient exclusivement du successeur de Pierre. Les canonistes en question ont simplement transplanté sur le plan universel de toute l'Eglise et sur le plan de la doctrine ce qui était un fait contingent du Patriarcat d'Occident. En Occident, depuis un certain temps, la mission canonique, et même l'élection des évêques fut réservée *de fait* au Pointife Romain. Mais il n'en fut pas toujours ainsi dans l'Eglise, dès les origines et partout.

Devant cette considération, que nous avons fait énergiquement valoir en Commission Centrale, le nouveau Schéma a nuancé ses assertions et reconnu que la mission canonique pouvait être donnée en vertu des lois ou des coutumes légitimes, non révoquées par l'autorité suprême (qui est, non seulement celle du Pape, rappelons-le en passant, mais aussi celle des conciles œcuméniques). Cette mission canonique peut être aussi donnée directement par le *Pontife Romain,* soit comme Patriarche d'Occident, soit comme successeur de Pierre. Ce n'est pas au même titre que le Pape nomme les Evêques d'Occident et peut être appelé, en certains cas, à nommer les Evêques d'Orient. Dans le premier cas, il agit comme Patriarche d'Occident, aidé ou non de son synode (en l'espèce la Congrégation Consistoriale ou la Propagande). Dans le second cas, il agit comme chef de l'Eglise, lorsque le bien de l'Eglise universelle exige, d'une façon exceptionnelle, son intervention directe, par dessus les institutions propres à l'Orient.

En second lieu, il est certain que le Pape peut déposer un Evêque pour de très graves raisons. Mais la rédaction du Schéma risque d'être mal-interprétée, comme si aucun évêque ne pouvait avoir mission dans son diocèse que s'il était *accepté positivement* par le Pape. Une telle prétention, basée sur les Fausses Décrétales, a été, on le sait, à l'origine du conflit entre le Pape Nicolas Ier et le Patriarche Photius. En conséquence, il faut amender le texte du canon 392, § 2, du Motu Proprio « Cleri sanctitati ».

17. N. 19, pag. 29, lig. 40; pag. 30, lig. 1. Nous proposons une nouvelle rédaction:

Nouvelle rédaction	*Ancienne rédaction*
Qua (sc. infallibilitate) ipse quoque per se gaudet Romanus Pontifex, *utpote* collegii episcoporum caput *et infallibilitatis Ecclesiae necnon ipsius collegii authenticus testis* ...	Qua ipse Romanus Pontifex collegii episcoporum caput, ...

Les additions que nous proposons nous paraissent indispensables. *Le Pape n'est infaillible que parce qu'il est chef du Collège apostolique et porte-parole de l'Infallibilité de ce Collège et de toute l'Eglise.* Ainsi mise en lumière, l'infaillibilité devient compréhensible. Ce n'est plus un privilège honorifique. Le Pape ne fait pas de dogmes infaillibles sans raison, sans fondement, sans référence à l'Ecriture, à la Tradition et à l'Eglise, inutilement, rien que pour montrer qu'il est Pape. L'infaillibilité est un charisme qui lui est donné pour l'utilité générale et découlant de son ministère. Ces précisions sont absolument essentielles et indispensables pour quiconque veut travailler à l'union des Eglises, car elles n'ont pas été jusqu'ici suffisamment prises en considération.

18. N. 19, pag. 30, ligg. 4-7. Nous proposons une autre rédaction:

Nouvelle rédaction	*Ancienne rédaction*
Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, *sc. ex officio suo, non ex delegatione nec ex canonica, etsi implicita, collegiali confirmatione,* ita ut ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat, *nec tamen ullo modo dari potest ut huiusmodi definitiones contradicant doctrinae quae de facto a collegio episcopali generaliter, saltem implicite, creditur.*	Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat.

Le texte du Schéma reproduit littéralement la définition de l'infaillibilité donnée par le Vatican I. Mais cette définition a donné lieu, de fait, à de mauvaises interprétations et à des exagérations regrettables. Il convient donc que Vatican II précise cette notion et la rende plus claire. Ainsi le « ex sese » est précisé en disant: « ex officio suo »; le « non ex consensu Ecclesiae » est précisé en disant: « non ex delegatione, nec ex canonica, etsi implicita, collegiali confirmatione ».

En second lieu, il est vrai que les définitions du Pape sont irréformables et sans appel, mais nous pensons qu'il faut ajouter une précision: cela ne veut pas dire que les définitions du Pape peuvent contredire la foi de l'Eglise et du Collège épiscopal.

Ces précisions sont généralement admises aujourd'hui. Il convient de les

insérer, afin que Vatican II apporte une nouvelle lumière à cette doctrine de l'infaillibilité pontificale.

19. N. 19, pag. 30, lig. 29. Ajouter à la fin du paragraphe: « Huiusmodi autem magisterium irreformabile non est, nec impedire debet peritorum investigationes ».

Dans ce dernier paragraphe du N. 19, le Schéma parle du magistère ordinaire du Pape. Par définition, ce magistère ordinaire n'est pas infaillible. Cependant, il mérite le respect. Le texte du Schéma exige même le respect de la volonté *et de l'intelligence,* une adhésion sincère, etc. Mais en ce cas, qu'est-ce qui distingue pratiquement ce magistère non-infaillible, autrement dit faillible, du magistère infaillible? Il nous semble que le paragraphe doit préciser quand même que cet enseignement ordinaire des Papes est sujet à erreur. De fait, plus d'une fois, les Papes, qui n'entendaient pas définir une vérité de foi, ont enseigné des choses qui, après un examen plus mûr, sont apparues erronées. Ce qui est arrivé par le passé peut arriver dans l'avenir. Il convient de ne pas élargir indéfiniment, et avec des raisons spécieuses, le champ de l'infaillibilité pontificale. Autre chose *le respect* dû à l'enseignement de la plus haute autorité de l'Eglise, autre chose *l'infaillibilité* de cet enseignement. Une censure trop rigide risque non seulement d'arrêter le progrès scientifique et théologique, mais aussi de transformer une formule faillible en formule infaillible, en créant artificiellement une fausse unanimité dans l'Eglise.

20. N. 20, pag. 30, lig. 37. Remplacer le mot « ministri *ordinarii* Confirmationis, par « ministri *originarii* Confirmationis ».

On sait que, chez les Orientaux, les prêtres confirment depuis toujours, c'est-à-dire depuis qu'ils baptisent séparément de l'Evêque. C'est pourquoi le mot « minister ordinarius », appliqué par la théologie scolastique à l'Evêque, leur semble inspiré par la pratique latine, d'après laquelle l'Evêque est vraiment ministre ordinaire de la Confirmation, et le prêtre seulement ministre extraordinaire. D'autre part, même en Orient, le prêtre ne peut confirmer qu'avec le Myron ou Saint-Chrême consacré par le Patriarche ou par l'Evêque. C'est pourquoi nous proposons de remplacer le mot « ordinaire » par « originel ».

21. N. 21, pag. 31, lig. 17. Remplacer les mots « a suprema et universali potestate » par les mots « a primatu Romani Pontificis ».

Nous préférons ne pas introduire dans l'Eglise les notions de *souveraineté* du droit public international. Si le pouvoir du Pape était au sens profane un pouvoir souverain, il s'ensuivrait logiquement que tous les autres pouvoirs dans l'Eglise sont des pouvoirs délégués. Or, comme nous l'avons vu, il n'en est rien. Le pouvoir du Pape est traditionnellement qualifié dans l'Eglise par le mot « Primat ». Il vaut mieux s'y tenir et éviter des emprunts au droit profane. Il ne faut pas oublier non plus que le Pape n'est pas le seul pouvoir souverain dans l'Eglise. Le même pouvoir souverain et universel revient au Concile œcuménique, c.-à-d. au Collège épiscopal, ayant a sa tête le Pape. D'ailleurs, même le Code de droit canonique latin comprend sous l'expression « De suprema potestate in Ecclesia » aussi bien le Pape que le Concile œcuménique.

Appendice

Le Pape gardien de la Collégialité épiscopale.

L'Episcopat, qui succède au Collège apostolique, n'est pas d'abord la somme des diocèses formant chacun un tout relativement clos autour de son évêque; il est d'abord, au contraire, le Collège apostolique ayant en commun la responsabilité de l'humanité entière à être assimilée dans le Christ.

Et cette responsabilité n'est pas de domination, mais strictement de service. Et bien que, pour exprimer cette responsabilité, on soit obligé de faire usage du concept d'autorité, elle ne s'exprime cependant pas avec bonheur en des termes trop accentués de « juridiction ». C'est pourquoi, il nous semble que, aux expressions juridiques « de droit divin », « de droit ecclésiastique », on pourrait préférer souvent celles de « réalité évangélique », « réalité apostolique », « réglé dans le Saint-Esprit ».

Et c'est pour mieux servir le troupeau, qu'on le divise en groupements soit « patriarcaux », soit « diocésains », soit « sub-diocésains », avec des responsabilités immédiates exclusives réservées à tel ou tel évêque, sans détriment des responsabilités premières conservées par chacun et tous les évêques en ce qui regarde l'Eglise entière.

En tout ceci et jusque-là, le Pape est l'égal de tous les autres évêques. Il sort cependant, dans une réalité *seconde,* pour *seconder* précisément cet épiscopat *un* dans sa mission. Car cet épiscopat a besoin de conserver son unité. Le Pape est le *conservateur attitré, responsable de cette unité collective.* Elle n'est pas à se réduire à lui ou à quelque charisme qu'il posséderait. Il a au contraire à s'adapter à la « catholicité », à la servir dans la variété de ses dynamismes, sachant qu'il n'est pas pour autant personnellement co-extensif à l'Eglise, ni l'Eglise co-extensive à lui...; ce qui serait encore réduire l'Eglise au Pape, à la « romanité », à sa personne..., en fait, comme résultat de l'histoire jusqu'ici, à la latinité.

Et de même que, pour servir l'Eglise, les Evêques ont des pouvoirs sur le troupeau — pouvoirs imprégnés d'humilité — de même aussi pour servir l'épiscopat dans sa mission, le Pape a des pouvoirs imprégnés d'humilité et spécifiés par la finalité de sa fonction, qui n'est pas créatrice de l'épiscopat, mais servante de l'épiscopat dont il reste. Les frères évêques, dans la situation que la vie de l'Eglise leur a faite, ont la même autorité que lui dans la portion plus immédiate de ses responsabilités courantes: diocèse, primatie, patriarcat.

10

Exc.mus P. D. PETRUS MASSA
Episcopus Naniamensis

Venerabiles Patres,

De diaconatu sacro Ordine, tamquam proprio et permanente gradu hierarchiae dicam, opinionem proferens etiam octo episcoporum missio-

nariorum, trium scilicet episcoporum in Sinis, duorum in Birmania, duorum in India, unius in Pakistan.

Discussio mea erit tantum de parte practica quaestionis.

Firmiter opinamur curam animarum in Ecclesia generatim, et speciatim in missionum territoriis, non exigere diaconatum tamquam proprium ac permanentem hierarchiae gradum, praesertim si diaconi a lege caelibatus minime adstringantur, ob sequentes rationes:

1. Praedicta instauratio non affert beneficia vel commoda quae expectantur: puta distributionem S. Communionis. Nam receptio S. Communionis supponit confessionem sacramentalem, quae requirit ministerium sacerdotale. Baptismum etiam, in casu necessitatis, a laicis administrari potest. Quoad alia officia denique quae diaconis demandarentur, puta praedicationem verbi Dei, curam ecclesiarum, administrationem bonorum etc. a laicis commode expleri possunt.

2. Ubi caelibatus lex eisdem imponatur, fere omnes iure praesumi possunt ad presbyteratum ascendere velle. E contra, si diaconi a caelibatus lege eximantur, valde veremur ne haec relaxatio minuat numerum vocationum sacerdotalium et presbyteratum quoque minetur et brevi temporis intervallo inficiat.

3. Quod autem ad rem oeconomicam pertinet, patet huiusmodi diaconis, diaconis nempe desponsatis, maiorem deberi corresponsionem quam ipsis presbyteris, quod non levia onera singulis ecclesiis imponeret. Presbyteri enim Missae stipendium percipiunt, quod est validum auxilium ad eorum substentationem, iuxta effatum: « Missa pro mensa ». Decens diaconorum substentatio totaliter onerat locales ecclesias. Quod si addas substentationem et educationem eorum familiae, pondus habetur nimis grave.

In Missionum territoriis, catechistae explere possunt, et de facto explent, officia diaconis committenda, et quidem tenuiore sumptu et minori responsabilitate ex parte Ecclesiae.

Quod hucusque dixi, etiam nomine praedictorum octo episcoporum protuli...[1] Iam vero quod sequitur nomine tantummodo meo dico.

Si diaconatus in proprium et permanentem hierarchiae gradum constituendus esset, aliquam proponimus compromissionem, scil. ut cum caelibatus obligatione diaconatus vigeat saltem ad triginta annorum aetatem, dein libertas optionis detur, attamen hisce tantum conditionibus, i. e.:

1. Si diaconus matrimonium eligere velit, ad statum laicalem reducatur.

2. Si diaconus, e contra, in suum gradum prosequi intendat, etiam

praefata libertas optionis offeratur in futuro tertio quoque anno. Quo in casu, diaconis haec munera praecipue attribuenda sunt, nempe:

a) Praedicatio, quae efficaciter habeatur si apposita praemittatur schola de sacra eloquentia relate ad missiones apud populum, exercitia spiritualia et quaresimalia, homilias in Missis dominicalibus, religionis instructionem in scholis, iuvenum curam in Actionis Catholicae Associationibus explenda.

b) Sub ductu sacerdotum perfunctio officiorum Curiae episcopalis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Nomina episcoporum qui subscripserunt huic sententiae haec sunt: Laurentius Balconi, arch. tit. Hierapolis in Phrygia; Marius Civelli, ep. Wehweiensis in Sinis; Laurentius Bianchi, ep. Sciiamchiamensis in Sinis; Ioannes Gobbato, ep. Taunggyiensis in Burma; Ferdinandus Guercilena, ep. Kentunghensis in Birmania; Alfonsus Beretta, ep. Varangalensis in Indiis; Ambrosius Galbiati, ep. Jalpaiguriensis in Indiis; Ioseph Obert, ep. Dinajpurensis in Pakistan.

11

Exc.mus P. D. IOANNES ABASOLO Y LECUE
Episcopus Vijayapuramensis

Venia em.mi praesidis et venerandorum Patrum Conciliarium.

Ad cap. II. In pag. 23, n. 11, linn. 1-2 legitur: « Christus Dominus, ad populum Dei augendum et Corpus suum exaedificandum et nutriendum, in Ecclesia sua varias ministrationes, praesertim stabiles instituit » .

Hic, « populus Dei » et « Corpus suum » non sunt nisi ipsa Ecclesia, ex modo vero enunciandi adhibito in textu erui posset inter se differre. Igitur, faveretur claritati omittendo verba « in Ecclesia » in lin. 2.

In linn. 5-6 affirmatur: « Quicumque e populo Dei sunt, eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent ».

His verbis indicatur aliquem gaudere plena dignitate hominis christiani *quia* e populo Dei est, quod non videtur accurate dictum. Quicumque sunt valide baptizati ac retinent vincula fidei et regiminis, eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent et e populo Dei sunt.

Si memoratus textus non mutetur, verba « eo ipso » omitti possunt, ita ut simpliciter dicatur: « Quicumque e populo Dei sunt, plena dignitate hominis christiani gaudent ».

In linn. 9-10 eiusdem n. 11 dicitur: « Ipse Dominus Iesus Ecclesiam suam, variis charismatibus ditatam, super Petrum rupem ac super apostolos fundavit ».

Nexus logicus inter haec et quae praecedunt non apparet. In his ultimis lineis, sermo est de fundatione Ecclesiae super Petrum, sed in primis lineis numeri loquitur de augmento populi Dei et de nutritione Corporis, i. e. Ecclesiae. Tamen ordo rerum postulat ut primo agatur de fundatione ac deinceps de nutritione et augmento.

Sequentem propono emendationem substituendam in initio n. 11: « Christus Dominus Ecclesiam, quae non est nisi populus Dei sive Corpus suum mysticum, super Petrum rupem fundavit, quam variis charismatibus ditavit, atque ad eam sustentandam et augendam varias ministrationes... etc. ».

In lin. 16 legimus: « Ut vero episcopatus unus et indivisus esset... ». Cum in superioribus non fuerit facta mentio de episcopis, nisi aequivalenter, adhibere ita vocabulum « episcopatus » quamdam violentiam secumfert, quae violentia dissimulari potest si in lin. 15 fiat haec modificatio: « ... quorum successores in Ecclesia sua pastores et doctores, *episcopos videlicet,* usque ad consummationem... etc. ».

In linn. 19 ss. asseritur: « Quam doctrinam de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri apostolici primatus, necnon de Romani Pontificis infallibili magisterio... etc. ».

Haec non videntur perspicua. Proponerem sequentem emendationem incipiendo a lin. 16: « Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, B. Petrum ceteris apostolis praeponens, in ipso eiusdemque successoribus in sacro apostolico primatu instituit perpetuum unitatis fidei et communionis principium ac visibile fundamentum. Quam doctrinam de institutione et perpetuitate, necnon de successore Petri infallibili magisterio, suam facit... ».

Vocabula « Romani Pontificis » lin. 20 transferri possunt ad lin. 23, ita ut dicatur ...[1]: « ... doctrinam de episcopis, successoribus apostolorum, qui cum Romano Pontifice, successore Petri... », et reliqua...[2]

In pag. 24, ...[3] linn. 9-14 legimus: « Apostoli, praedicando fidem, resurrectione Christi firmatam et operante Spiritu Sancto ab audientibus acceptatam, Ecclesiam exstruunt universalem, aedificatam super Petrum, fidelibus omnibus, superaedificatis super fundamentum Apostolorum, etc. ».

Deest perspicuitas in his lineis. Videntur indicare apostolos, praedicando fidem, aedificare Ecclesiam aedificatam super Petrum et seipsos et prophetas. Fundatio Ecclesiae super Petrum rupem iam memoratur supra, in n. 11.

Comma hoc, a lin. 9, sic immutari potest: « Apostoli, praedicando fidem, resurrectione Christi firmatam et operante Spiritu Sancto ab audientibus acceptatam, Ecclesiam per universum mundum propagant.

Unde « in omnem terram exivit sonus eorum et in fines orbis terrae verba eorum » (ad Rom., cap. 10, vers. 18).

In pag. 25, n. 14 a lin. 16 ad 21 legimus: « Immo, quia ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum orientis tum occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis gratiam Spiritus Sancti conferri, dubitare nemo debet episcopatum esse vere et proprie gradum supremum sacramenti Ordinis ».

Haec innuunt episcopatum esse gradum supremum sacramenti Ordinis, quia in eo gratia Spiritus Sancti confertur per impositionem manuum et verbis consecrationis episcopalis. Etiam in presbyteratu et diaconatu simili modo confertur gratia Spiritus Sancti.

In lin. 21 additur: « Praeterea episcopus ordinatus ita charactere sacramentali ornatur, ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri possit ».

Cum in praecedentibus lineis indicetur episcopatum esse supremum gradum Ordinis, adverbium « praeterea » sibi vult assertum fulciri eo quod episcopatus imprimat characterem sacramentalem. Sed etiam presbyteratus et diaconatus imprimunt illum.

Ut opinor, in hoc numero conceptus non sunt sat clari. Duo deberent diserte indicari, videlicet: *a*) Episcopatum praecisive a presbyteratu esse sacramentum. *b*) Episcopatum secumferre plenitudinem Ordinis, ac proinde esse summum gradum sacramenti Ordinis.

Sequentem audeo proponere emendationem, incipiendo a lin. 12: « Equidem episcopalis consecratio ad sacramentum Ordinis pertinet, tota enim traditio, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum orientis tum occidentis usu declaratur, perspicue ostendit manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis gratiam Spiritus Sancti conferre. Igitur, episcopus ordinatus ita charactere sacramentali ornatur, ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri possit. Immo, episcopatum esse gradum supremum Ordinis deprehenditur ex eo quod ei competat functiones quas presbyteri exercere nequeunt, maxime quod ad consecrationem episcoporum et ordinationem presbyterorum attinet. Unde, episcopus voce Sanctorum Patrum et liturgica Ecclesiae consuetudine merito nuncupatur Summum sacerdotium ac sacri ministerii summa ...[4] ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (a lin. 22). [2] In lin. 25 post verbum « capite » addi potest « visibili ». [3] n. 12. [4] Proinde sacra Synodus declarat episcopatum, ut a sacerdotio distinctum, esse sacramentum, ac episcopos etiam vi sacramenti superiores esse presbyteris quos ad sacerdotale munus participandum vocant ».

12

Exc.mus P. D. HERMENEGILDUS FLORIT
Archiepiscopus Florentinus

Venerabiles Patres,

Post tot interventiones, omnes in comperto habemus cap. II de Ecclesia maximum prae se ferre momentum.[1]

Huius ...[2] capitis, *mea humili sententia,*[3] maxima consideratione digni esse videntur n. 14 « De episcopatu ut sacramento », et n. 16 « De collegio episcopali eiusque capite ». Quare circa hos duos numeros in specie quaedam liceat *mihi*[4] animadvertere atque proponere.

1. *Quoad n. 14,* in pag. 25: Proclamatio sacramentalitatis consecrationis episcopalis omnino facienda videtur. Haec enim doctrina, in plena tandem certitudine posita, indolem sacerdotalem totius Ecclesiae in ipso vertice, altius manifestat. Modus autem, quo dicta proclamatio fit *in schemate,*[5] non sub omni respectu placet. Et quidem:

a) Sacramentalitas episcopatus in eo reponitur quod per consecrationem confertur praecellens gradus sacerdotii (in pag. 25, linn. 13 s.), ratione cuius episcopi, etiam vi sacramenti, superiores sunt presbyteris...[6] Subintelligitur ergo consecrationem episcopalem esse sacramentum a presbyteratu distinctum *quatenus*[7] potestatem confert *quantitative* maiorem illa quae in consecratione presbyterali confertur.

Nunc vero[8] hic modus loquendi nimis praepropere illam sententiam refellit theologorum qui, etiam post constitutionem apostolicam Pii XII *Sacramentum Ordinis* ...[9], libere tenent potestatem episcopi a potestate presbyteri quantitative non differre, nonnullis factis historicis utique suffulti...[10]

Relicta igitur quaestione *de quantitate* potestatis ulteriori inquisitioni theologicae, sacramentalitas episcopatus melius affirmanda videtur ex ratione *modalitatis,* qua episcopus de sacerdotio Christi participat: quae talis est ut episcopus plenitudinem sacerdotii Christi recipiat, dum, e contra, presbyteri eodem divino sacerdotio non plene ditantur et nonnisi subordinate ab episcopo illud accipiunt ac exercent.

Consequenter, natura propria sacerdotii episcopalis dignoscitur non tam ex comparatione ad sacerdotium presbyteri, quam ex comparatione ad sacerdotium ipsius Summi Sacerdotis, nempe Christi.

b) Postquam dictum est per consecrationem episcopalem conferri gratiam (pag. 25, linn. 19 s.), subiungitur: « Praeterea episcopus ordi-

natus ita charactere sacramentali ornatur... » etc. (in linn. 21 s.). Character igitur praesentatur veluti quid superadditum, quasi gratiam consequatur. E contra, character gratiam praecedit: et non tantum logice, sed etiam theologice. Nam character imprimi potest quin necessario gratia conferatur; et, per se, potestas episcopalis, quae a suscepto sacramento procedit, tota innititur charactere sacramentali qui semper imprimitur dummodo sacramentum valide peragatur.

Unde ordo dictionum ita invertendus est, ut prius dicatur de charactere, deinde de gratia.

Ut ratio habeatur de duobus punctis hucusque adnotatis ...[11], hunc novum textum proponerem textui actuali pag. 25, a linn. 8-25 substituendum: « Dominus Iesus, pastor et episcopus animarum nostrarum...[12], secundum ordinem Melchisedech pontifex factus in aeternum (*primum additamentum* [13]), potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit, ut arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi quae sacramento Ordinis confertur. Ita episcopalis consecratio (*secundum additamentum* [14]) *qua character indelebilis in anima imprimitur atque gratia Sancti Spiritus communicatur, vere et proprie est sacramentum, per quod episcopus plenam participationem consequitur sacerdotii apostoli et pontificis confessionis nostrae Iesu* (*Hebr.*, 3, 1). *Unde et voce sanctorum Patrum et liturgica consuetudine universalis Ecclesiae* episcopatus summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur atque celebratur (*tertium et ultimum additamentum* [15]) ».

2. *Quoad n. 16* (in pag. 27): Quae hic dicuntur de collegialitate episcopali (et nominatim de relationibus inter collegium et Romanum Pontificem, ipsius collegii membrum simul ac caput), non ea claritate pollent quae omne tollat dubium. Hoc autem provenire videtur duplici ex ratione:

a) De collegio episcopali non sufficienter in contextu primatus eiusdem capitis tractatur. Ex eo fit ut ipsa notio collegialitatis episcopalis non parum obscuretur.

Ad praecavendam cuiusque generis anxietatem nihil melius conferre possunt quam ipsae locutiones Concilii Vaticani I ...[16] Propterea velim proponere, ut verba pag. 27, in lin. 12, « Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se plenam et universalem potestatem », ita compleantur: « id est non tantum potiores partes, at totam plenitudinem supremae potestatis, eamque ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles », *ut iam dixit em.mus card. Lefebvre.*[17]

De additione horum verborum suadet sive ratio historica sive ratio theologica.

Praetermitto, quia iam campanula sonavit, rationem historicam, et sequor ad rationem theologicam [18]:

Dogma, dictis verbis expressum, erit fundamentum et ratio affirmationis faciendae de collegialitate episcopali. Quidquid enim de participatione episcoporum in magisterio et regimine pastorali dici intenditur, enuntiandum erit nonnisi habita ratione de illo dogmate quo creditur Romanum Pontificem habere non tantum potiores partes, *at totam plenitudinem supremae potestatis.*

Comparatio inter dogma primatus papalis et doctrinam de collegialitate episcopali eo vel magis videtur esse facienda quia in nostro textu potestas Summi Pontificis dicitur *plena et universalis* (pag. 27, lin. 12) *et potestas collegii episcopalis dicitur plena et suprema ...*[19]; quare vi verborum potestas totius collegii apparere posset maior quam illa unius Romani Pontificis.

E contra dogma primatus papalis exigit ut retineatur Romanum Pontificem non plus facere posse cum collegio quam absque collegio...[20]. Satis.

In textu scripto tradito: [1] Cap. II schematis *de Ecclesia* maximum habet momentum. Quae enim de episcopis ibidem dicuntur notabilius conamen constituunt ad doctrinam Conc. Vaticani I complendum. Quod quidem complementum, a pluribus Patribus illius Concilii expetitum, cum ob varia rerum adiuncta factum non fuerit, eo magis ut in praesenti Concilio fiat exoptatur. [2] autem. [3] deest. [4] deest. [5] (pag. 25, linn. 8-25). [6] (pag. 25, lin. 24). [7] quia. [8] Iamvero. [9] die 30 nov. 1947. [10] (cf. J. Boyer, *Nature et position du sacerdoce,* in *Nouvelle Revue de Théologie* 76, 1954, 356-373, 469-480; E. Dorenzo, *Tractatus dogmaticus de Ordine,* II, Milwaukee, 1959, 114-313). [11] (sub litteris *a* et *b* indicatis). [12] (*1 Petr.* 2, 25). [13] (*Hebr.* 6, 20). [14] deest. [15] deest. [16] illae nominatim 2 et 3 commate canonis cap. III (Denz. 1831). [17] deest. [18] Etenim: *Ratio historica*: Praefata verba, postquam introducta sunt, nonnullis Patribus minime placuerunt; et nihilominus, per interventionem ipsius Summi Pontificis Pii IX, servata sunt (cf. U. Betti, *La Costituzione dommatica " Pastor Aeternus " del Concilio Vaticano I,* Roma 1961, 313-316, 501). Illa igitur verba quae utpote in canone posita, dogma exprimunt, etiam in hoc Concilio sancte servanda et repetenda sunt, ut recte ipsum dogma ulterius nunc explanetur. *Ratio theologica.* [19] (pag. 27, lin. 17). [20] *b*) Collegialitas episcopalis non sufficienter explicatur per congruam explicationem naturae Concilii oecumenici, quod illius collegialitatis est potissimum testimonium et argumentum. In pag. 27, linn. 28-30, utique dicitur: « Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud Collegium pollet, sollemni et extraordinario modo in Concilio Oecumenico exercetur ». At huiusmodi affirmatio suasiva indiget probatione. Etenim collegium conciliare haud plene identificatur cum collegio episcopali. Etiam in *Ordo Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi,* ed. altera recognita, pag. 17, art. 1 § 1, dicitur « Concilium Oecumenicum constituunt cum Romano Pontifice episcopi et alii a Summo Pontifice vocati; qui omnes Patres Conciliarii appellantur ».

Ob hanc indolem *compositam,* theologi in varias sibique invicem oppugnantes abeunt sententias in diiudicanda natura et vi collegialitatis episcopalis, quae dicitur in Concilio manifestari (sufficiat recolere ea quae recentissimo tempore de hoc argumento scripserunt tres Concilii periti: C. Vagaggini, in *Divinitas* 2, 1961, 430; M.-R. Gagnebert, *ibid.,* 452-489; H. Betti, in *Antonianum* 37, 1962, 3-16).

Quapropter auderem proponere ut huiusmodi quaestio tota exactitudine in nostro schemate dilucidetur, ulterius perpendendo quae de Concilio Oecumenico dicuntur pag. 27, linn. 28-34, sive etiam quae de eadem re passim habentur in n. 19 (p. 29 s.), ubi de episcoporum munere docendi.

Quod si fiet, tunc securius induci poterit indoles collegialitatis episcopalis etiam extra Concilium Oecumenicum vigentis.

Haec sunt, venerabiles Patres, quae, nomine etiam coetus episcoporum Italiae, animadvertenda et proponenda censui.

Animadversiones additae:

Textus biblici cap. II de Ecclesia.

1. Pag. 23, linn. 3 s. *Textus conciliaris* « Christus Dominus ... varias ministrationes praesertim stabiles instituit » (cf. *1 Cor.* 12, 5). *Textus biblicus* (Divisiones « charismaton »...). Et divisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus.

Critica: citatio textus pro hac sententia non videtur esse accurata; cf. Zorell, *Lexicon Graecum N. T.,* sub « diaconìa » col. 296 legimus: « 4) *Ministerium seu officium muneris ecclesiastici*: ... c) *indeterminate,* de charismate aliquomodo Ecclesiae ministrandi: R. 12, 7; *1 Cor.* 12, 5; E. 4, 12 ».

Si pertinet aliquomodo ad charismata, fortasse antiquae ecclesiae, tunc non videtur esse « ministrationes, *praesertim stabiles* » in hodierna Ecclesia.

2. Pag. 23, lin. 4: de *Eph.,* 4, 11 ss. Quaestio est utrum etiam hic textus referri possit « ad varias ministrationes, praesertim stabiles, in Ecclesia ».

Textus biblicus explicite refert « ipse dedit quosdam apostolos... prophetas... evangelistas... pastores et doctores... in opus ministerii (eis ergon diakonias) » etc.

Critica: ut patet, textus biblicus se refert ad charismata, et praecise ad tempus apostolicum: e. g. « apostolos... evangelistas ». Cf etiam supra de observatione in Zorell.

3. Pag. 14, linn. 5 s.: de *Io.* 20-21.

Critica: *Io.* 20, 1-18 se refert ad apparitionem Iesu ad Mariam Magdalene, et non ad missionem apostolorum. Melius est incipere cum *Io.* 20, 19, quando Iesus manifestatur apostolis, dedit illis missionem, potestatem, etc. Hinc, melius est: *Io.* 20, 19 ad 21, 23.

4. Pag. 24, lin. 22: de *Io.* 20-21. *Textus biblicus* se refert directe ad divinam missionem, sed non explicite ad « ministerium ... fidem salutarem praedicandi ».

5. Pag. 24, lin. 24: loco *Eph.* 3, 5, debet legi *Eph.* 3, 4-5, quia v. 4 loquitur de mysterio Christi quod in *textu conciliari* in lin. 23 habetur.

6. Pag. 24, lin. 28: de *Act.* 20, 28. *Textus conciliaris* supponit « episcopos » proprie dictos, sed haec conclusio non concordat cum *textu biblico,* quia in *Act.* 20, 17 illi episcopi etiam vocantur « presbyteroi »: « hoc primo tempore discrimen non esse inter episcopos et presbyteros » apud Zorell, *op. cit.,* sub v. « episcopos », col. 494.

7. Pag. 25, lin. 7: loco *Lc.* 10, 16-17, debet legi *Lc.* 10, 16.
8. Pag. 26: nullus textus biblicus datur pro presbyteratu vel de diaconatu.
9. Pag. 27, lin. 20: loco *Io.* 21, 16 ss. debet legi *Io.* 21, 15 ss.
10. Pag. 27, lin. 21 s.: loco *Mt.* 16, 18 debet esse *Mt.* 16, 19.
11. Pag. 27, linn. 13-15: *textus conciliaris*: « Munus est servitium seu diaconia apostolica (cf. *Act.* 1, 25) quae in sacris Litteris significanter ministerium » nuncupatur (cf. *Rom.* 11, 13, etc.).

Critica: diakonia et ministerium sunt vocabula usitata non solum pro *Act.* 1, 25, sed etiam pro omnibus aliis locis, ut *Rom.* 11, 13; *Act.* 1, 17; 21, 19; *1 Tim.* 1, 12. Zorell (*op. cit.*) sub « diakonia » traducit omnes hos locos ut « ministerium ».

12. Pag. 31, lin. 26: loco *Mt.* 20, 23 debet esse *Mt.*, 20, 28.
13. Pag. 31, lin. 29: loco *Heb.* 5, 1 debet esse *Heb.* 5, 1-2.
14. Pag. 31, lin. 36: loco *Rom.* 1, 14 debet esse *Rom.* 1, 14-15.

P. S.: Quaestio maximi momenti est utrum citationes biblicae faciendae secundum textum vulgatae vel secundum hebraicum in V. T. et graecum in N. T.

13

EXC.MUS P. D. IOSEPH DE SMEDT
Episcopus Brugensis

Venerabiles Patres,

Collegialitas est cooperatio activa totius ordinis episcopalis cum Pontifice Romano in pascendo grege Dei. Ostendere vellem quod clarior conscientia collegialitatis et amplius collegialitatis exercitium exiguntur problematibus pastoralibus hodierni temporis.

Cur maior collegialitas necessaria *videtur* [1]? Propter duas rationes sequentes: 1) ut Petrus possit efficacius confirmare fratres suos; 2) ut summa unio in sacerdotio Christi attingatur.

De prima ratione (ut Petrus possit efficacius confirmare fratres suos), pauca dicam, cum ea hoc mane iam ample tractata sit.[2]

Nostris diebus incepta apostolica unius dioecesis, ratione mediorum communicationis et diffusionis modernorum, fere semper bonam vel nocivam repercussionem exercent in plurimas alias dioeceses et saepe in totam Ecclesiam.

In dies clarior apparet necessitas organi centralis. *Organo indigemus* [3] cuius ministerio actuosa inter episcopos crescat communio. Hoc organum nobis a Christo ipso datum est. Hoc organum est Romanus Pontifex ut Caput in ordine episcoporum.

Munus et responsabilitas successoris Petri nostro tempore valde amplificata sunt ...[4], praesertim propter unificationem oeconomicam, socialem, culturalem et maxime psychologicam quae in dies crescit.

Quo magis Summus Pontifex ab episcopatu totius mundi adiuvatur, eo efficacius suo centrali munere fungi poterit.[5]

Haec cooperatio *igitur*[6] non est reducenda ad minimum. Positive inquirendum est quibus modis et mediis Romanus Pontifex possit a membris collegii episcopalis quam amplissime et quam efficacissime adiuvari in bonum animarum, *in bonum omnium dioecesium,*[7] et gloriam Dei...[8].

II. *Ut summa unio in sacerdotio Christi attingatur.*[9]

Unus atque unicus sacerdos Novi Testamenti est Iesus Christus. In Summo Pontifice ceterisque episcopis unus atque idem Iesus Christus vivit et suum sacerdotium exercet. In Christo Iesu hierarchia est unum collegium ex eius voluntate divinis mysteriis ac apostolatui, duce Summo Pontifice, mancipatum ad populum christianum docendum et regendum, aliisque verbum salutis annuntiandum. Ontologice et sacramentaliter in Christo sumus unum organum.

A nobis autem pendet utrum effective tamquam unum organum vivamus et tamquam vivus organismus ministerium nostrum adimpleamus. Servatis servandis, ad maximam communionem tendere debemus.

In praeterito tempore, ob distantias et difficultates itinerum, quo latius Ecclesia per orbem progrediebatur eo magis haec a Christo volita continua communicatio impediebatur. Progressu scientiae humanae nunc prima vice in historia obstacula sufficienter sublata sunt. Telefonium, telegraphia, radio, televisio, celera itinera terrestria et aerea, nunc possibile reddunt quod episcopi *regionis*[10] constanter inter se communicent, *immo*[11] quod Summus Pontifex eiusque dicasteria regulariter cum electis membris conferentiarum episcopalium gravissima problemata Ecclesiae simul examinent eorumque solutiones promoveant. Nunc prima vice post dies Pentecostes, Successor Petri cum successoribus apostolorum potest iterum tam effective et constanter curam gerere de salute universi mundi.

Genus humanum in dies magis unificatur. Hanc societatem unus et unicus Sacerdos Iesus Christus in Petro rectius et efficacius sanctificare vult unanimi et continua cooperatione episcoporum, non amplius fere seiunctim separatimque operantium, ut nonnumquam difficulter vitari poterat in *praeterito.*[12] In hac hora gratiae abundantioris, Iesus Christus regnum Dei annuntiare et aedificare vult ope Summi Pastoris ceterorumque episcoporum operam sibi invicem navantium in sinu unius et unici et unificati organismi vivi quod est collegium episcoporum.

Venerabiles Patres, qui in propinquitate Cathedrae Petri vivunt, facillime cum Romano Pontifice eiusque immediatis cooperatoribus communicant. Inde orta est in Italia exemplaris illa devotio erga Summum Pontificem et intima huius episcopatus communio. Nos qui a longe su-

mus eodem spiritu potati sumus. Utinam et nos, membra Ecclesiae orientalis et occidentalis, post hoc Concilium possimus eadem familiaritate cum Sanctissimo Patre *nostro* [13] uti, eum consolare in suis aerumnis, eum adiuvare in suis problematibus et ab ipso adiuvari in nostris!

Si maior collegialitas maiorem implicat internationalizationem, *haec nullo modo optatur ob minorem aestimationem illius episcopatus* [14] e quo Spiritus Sanctus elegit tot Summos Pontifices quos tantopere dileximus et diligimus, tot praestantissimos ecclesiasticos viros qui veneratis Pontificibus a consilio sunt vel *eos* [15] ad extra repraesentant. Daturne in orbe terrarum unus catholicus episcopus qui non diligit *hunc populum*,[16] hanc Urbem in qua tam amica hospitalitate ab auctoritate religiosa et civili recipimur? Et nonne omnes *nos animo movemur* [17] quando in sacra liturgia latina canitur:

O Roma felix, quae duorum Principum
Es consecrata glorioso sanguine!

Post Concilium Tridentinum praeclarus et sanctus episcopus residentialis de universa Ecclesia memorabili modo meritus est, S. Carolus Borromaeus, *qui* [18] suis inceptis, suis consiliis, suis scriptis omnium episcoporum verus frater fuit et Pontifices Romanos adiuvare potuit in applicandis reformationibus, praesertim in Seminariis fundandis. De ipso Papa Ioannes XXIII declaravit *in die suae coronationis* [19]: « S. Carolus merito appellatus est magister episcoporum; illum Summi Pontifices in consilium adhibuerunt »...[20]

Iesus Christus *Dominus noster* [21] det Ecclesiae suae ut post Concilium Vaticanum II *universum* [22] episcoporum collegium imitari valeat illum magistrum collegialitatis!

In textu scripto tradito: [1] est. [2] I. Quae, Spiritu Sancto flante, in una dioecesi realizantur, ad bonum totius Corporis Christi destinantur. Nec obcludenda sunt, nec obcludi possunt in aliquo angulo Ecclesiae. [3] quo possimus de experientia aliorum episcoporum informari et nostram cum illis communicare. Organum centrale requiritur cuius sapientiae nostra problemata et dubia exponere possimus, cuius auctoritate nostri errores tempestive praeveniantur vel celeriter corrigantur; organum cuius mediatione fratres nostros persecutionem patientes vel indigentia aut sacerdotum penuria laborantes, secundum prudens et efficax programma, adiuvare valeamus caritate et solidarietate qua tenemur; organum. [4] propter incrementum generis humani, sed. [5] Iamvero episcopi, cum potestate ordinaria, sub Summi Pontificis auctoritate, Ecclesias particulares regentes (can. 329 § 1) ex voluntate Christi sunt quoque cooperatores Romani Pontificis pro Ecclesia universali. Ipsi in Petri adiutorium missi sunt. [6] deest. [7] deest. [8] Patres conciliares qui loquuntur de augendo exercitio collegialitatis non quandam independentiam quaerunt, nec iurisdictionem Pastoris supremi vellent minuere. Contrarium verum est. Collegialitas non est contra Petrum, sed pro Petro. In luce

Spiritus Sancti sincere indagare volumus de natura Ecclesiae et collegii episcoporum, ut omnia dona quae Iesus Christus Ecclesiae suae tribuit, quam maxime utilizentur et ut Petrus possit quam efficacissime confirmare fratres suos. [9] deest. [10] singularum regionum. [11] sed etiam. [12] temporibus praeteritis. [13] deest. [14] credere tamen velint illi fratres nostri quam profunde aestimemus episcopatum illum. [15] deest. [16] deest. [17] animo moventur. [18] deest. [19] deest. [20] (*A.A.S.*, 1958, vol. XXV, p. 888). [21] deest. [22] universorum.

14

EXC.MUS P. D. CARMELUS ZAZINOVIĆ

Episcopus tit. Lebessenus, aux. Veglensis

Animadversiones meae ad art. 16 cap. II referuntur.[1]

Arch. Mediolanensis card. Montini, nunc amantissimus Summus Pontifex noster Paulus VI, in quodam sermone a. 1960 habito, sic adlocutus erat: « Problema conciliandi iura divina episcopatus cum divinis iuribus Papatus, proh dolor!, non potuit in disputationem deduci (in Concilio Vaticano I). Attamen theologia bene aequilibrata de Ecclesia exigit, ut illud problema ponatur quemadmodum vita quotidiana postulat, ut applicationes illius problematis moderentur. Num Concilium Vaticanum II perficiet hoc opus? ». Et concludebat: « Id est temporis futuri res arcana »...[2]

Venerabiles Fratres,[3] cum Romanus Pontifex iuxta voluntatem Christi ...[4] non tantum caput visibile sit et fundamentum Ecclesiae, verum etiam caput et fundamentum collegii apostolici, problema conciliandi iura Papatus cum iuribus divinis episcopatus via collegialitatis, saltem prout in nostro schemate expositum est, inepta esse videtur. Nam illo modo solutionem quaerere significat una ex parte divina iura Summi Pontificis aliquatenus adumbrare, altera autem ex parte iura episcoporum adhuc minus clara relinquere. Ideoque aliam viam aggrediendam nobis esse videtur, oculos scil. convertendo ad modum se gerendi et se habendi episcoporum relate ad actus primatiales Summi Pontificis in antiquitate christiana. Exemplum autem validum eiusmodi relationum reperiri possumus in Actibus Concilii Chalcedonensis et in Litteris S. Papae Leonis Magni. De cetero, ad doctrinam in epistolis Leoninis atque in Actibus Chalcedonensibus contentam, non semel Romani Pontifices manus porrigebant, qua Fratribus separatis orientalibus reditus ad ovile Petri facilior atque amabilior fieret. Ita e. g. Papa Pius XII et Ioannes XXIII...[5]

Iuxta epistolas P. Leonis Magni et Acta Chalcedonensia, doctrina haec esse videtur: episcopi tum collective sumpti in Conciliis tum sin-

gillatim per orbem terrarum dispersi veri sunt magistri et iudices in quaestionibus fidei et morum. Ideoque decisiones Summi Pontificis de talibus quaestionibus examinare possunt et rationes earum decisionum petere, dissentire vero nequeunt.

Quae doctrina sequentibus factis innititur:

1. Papa Leo Magnus contra Eutychen « praegraves » de Incarnatione « Litteras ad Flavianum » emisit...[6] De his Litteris celeberrimus Carolus Hefele in Concilio Vaticano I dicebat: « Si ulla umquam Papae epistula ex cathedra nuncupari poterit, haec est »...[7] Eiusdem valoris dogmatici illam etiam alii Patres tum infallibilistae tum antiinfallibilistae profitebantur necnon multi graves auctores manualium De Ecclesia, uti Perrone, Pesch, Hurter, Scheeben, Straub, Van Noort, Vellico et alii *multi*.[8] Unde merito card. Billot affirmare potuit: « Epistola ad Flavianum inter celeberrima Pontificum decreta ex cathedra ab omnibus computatur »...[9]

2. Attamen Papa Leo Magnus ad Patres Ephesi in Synodo congregatos, Legatos cum epistola misit, ut « communi sententia quae Domino sint placitura constituant »...[10] Ergo, etiam post litteras dogmaticas Ad Flavianum datas, quibus quaestio dogmatica soluta erat, his suis litteris non *insistebat*.[11]

3. In Synodis ante Concilium Chalcedonense adunatis epistola Pontificis Ad Flavianum examinata est ad normam documentorum fidei. Anatolius ei subscribit cum eam concordantem Patrum testimoniis invenerit...[12] In Concilio omnes Patres, etiam Legati Romani *Pontificis*,[13] profitentur se epistolae subscripsisse, quia eam concordem documentis fidei reperissent...[14] Et non solum eam examinant, sed et dubia movent, nullo eis contradicente, *neque Legatis Romanis quidem*.[15] Postquam vero dubia dissipata erant doctrina a S. Cyrillo desumpta, Patres in illas celeberrimas acclamationes « Petrus per Leonem locutus est » proruperunt. Leo Papa autem de hoc examine Litterae suae dogmaticae a Patribus peracto hoc modo ad Theodoretum scripsit: « Sic summorum servatur auctoritas, ut in nullo inferiorum putetur imminuta libertas »...[16]

Conclusio: Definitionibus Summi Pontificis sine dubio nemo dissentire potest, ne collegium episcoporum quidem. Sed auctoritas episcoporum secundum antiquam traditionem i. e. per epistolas Papae Leonis Magni occasione Concilii Chalcedonensis illustrata, ex mea humili opinione, in hoc Concilio poni posset et dilucidari. Ideoque proponerem, salvo meliore iudicio venerabilium Patrum Conciliarium, ut supra memorata doctrina, quae ex epistolis S. Leonis Papae et ex Actibus Concilii Chalcedonensis deducitur, in nostrum schema introduceretur.

Consectaria practica vero huius doctrinae aliquo modo, praeter iam

dicta, etiam haec esse possent: Si Summo Pontifici placuerit, propria sponte Institutionem quamdam ad modum consilii episcoporum ex omni natione periodice invitandorum libere erigere posset, quod consilium — omnibus Sanctae Sedis Dicasteriis superius — Ei veluti manus adiutrix in praecipuis Ecclesiae ...[17] negotiis esset.

Insuper eiusmodi Institutio, quae antiquam traditionem sapit, fratribus separatis orientalibus faciliorem forsitan ad Petri ovilem aditum reddere posset. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (G. B. Montini, *La Chiesa,* p. 145). [3] deest. [4] (*Mt.* 16, 18-19; *Io.* 21, 15 ss.; *Lc.* 22, 32). [5] (cf. Litt. Enc. *Sempiternus Rex,* in *A.A.S.,* 1951, p. 641 et Litt. Enc. *Aeterna Dei Sapientia,* in *A.A.S.,* 1961, p. 799). [6] (cf. Litt. Enc. *Sempiternus Rex,* in *A.A.S.,* 1951, pp. 633, 629). [7] (Mansi, *Sacrorum Conciliorum...* 52, 81 B-C). [8] deest. [9] (L. Billot, *Tractatus de Ecclesia Christi,* ed. 5 Romae 1927, p. 658). [10] (In *Ep.* 33, PL 54, 799 A-B). [11] insistit. (In *Ep.* 69, PL 54, 891; cf. *Ep.* 70, PL 54, 893 B, 894 A et 886 B-887 A). [12] (cf. PL 1248 C-D). [13] deest. [14] (cf. Mansi, *o. c.,* VII, 10-11 s.). [15] deest. [16] (In *Ep.* 120, PL 1046 C-1048 A). [17] (gubernandae).

15

Exc.mus P. D. GEORGIUS BECK
Episcopus Salfordiensis

Venerabiles Fratres,

In hoc cap. II ...[1], sub n. 15, pag. 25 et 26, sermo fit de presbyteris et de diaconis. In secunda parte schematis, *si anticipari liceat,*[2] sub cap. III agitur etiam de sacerdotio universali christifidelium. Nullibi tamen invenitur, *ni fallor,*[3] clara expositio de sacerdotio Novi Testamenti eiusdemque essentia et dignitate. *Excluditur enim ex professo a cap. II recognito schematis de S. Liturgia nuper nobis distributo in hac aula.*[4] In nostro schemate, presbyteri vocantur « sacerdotes secundae dignitatis », iuxta verba Pontificalis Romani; et septies in schemate verba aut « sacerdos », aut « sacerdotium » *inveniuntur.*[5] Nullibi autem dicitur in quo sacerdotium vere consistit. Dicitur (uti concedo) in notula 6 ad calcem cap. III, definitionem metaphysicam sacerdotii non exstare, quamvis quaedam elementa huius definitionis ibi adnumerentur.

Mihi et aliis episcopis coetus episcoporum Angliae et Cambriae, *quorum nomine loquor,*[6] haec carentia alicuius definitionis sacerdotii catholici in hoc schemate lacuna cuiusdam momenti *esse*[7] videtur. Quomodo enim tractari potest de sacerdotio universali christifidelium si

nihil antea dicitur de sacerdotio in genere? Munera episcopatus in Ecclesia docendi, regendi et sanctificandi certe debemus attente considerare; sed experientia personali hoc certum habeo nos oblivisci non posse ordinationem nostram sacerdotalem, quando recepimus potestatem Deo sacrificium offerendi, missasque celebrandi tam pro vivis quam pro defunctis; haec fuit dies magna in vita nostra, haec culmen et meta fuit illorum annorum iuventutis nostrae et praeparationis nostrae sacerdotalis.

Insuper, quod attinet ad fratres seiunctos et ad relationes oecumenicas, valde utile erit in hoc schemate clare et distincte recolere unitatem et unicitatem sacerdotii et sacrificii Domini nostri Iesu Christi, qui seipsum semel obtulit ad multorum exhaurienda peccata, et una oblatione consummavit in aeternum sanctificatos...[8]

Quapropter introductionem novae paragraphi *proponerem*[9] post par. 14 huius capitis, in qua breviter recolatur doctrinam de sacerdotio Novi Testamenti eiusque loco in Ecclesia Christi. Puncta sequentia, *in hac nova paragrapho, breviter indicantur*[10]:

1. Unicus sacerdos solusque Summus Pontifex omnium hominum Dominus est Iesus Christus, qui consummatus factus est omnibus obtemperantibus sibi causa salutis aeternae, appellatus a Deo Pontifex iuxta ordinem Melchisedech. Eo quod maneat in aeternum sempiternum habet sacerdotium...[11]

2. Fundamentum huius sacerdotii est unio hypostatica qua Christus verus Deus et verus homo assumptus est Pontifex ...[12], et pro hominibus constitutus est in iis quae sunt ad Deum. Seipsum semel in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri obtulit ut aeternam redemptionem operaretur...[13]

3. Nullus alius sacerdos, nullum alium sacrificium requiritur. Hic enim Pontifex...[14] sempiternum habet sacerdotium; et salvare potest in perpetuum accedentes per semetipsum ad Deum. *Attamen*[15] (ut docet Concilium Tridentinum) ut Ecclesiae dilectae suae Sponsae visibile relinqueret sacrificium, Corpus et Sanguinem suum sub speciebus panis et vini Deo Patri obtulit ac (sub eorumdem symbolis) apostolis (quos tunc Novi Testamenti sacerdotes constituebat) ut sumerent, tradidit et eisdem eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerent, praecepit per haec verba: Hoc facite in meam commemorationem.

4. Hoc unicum suum sacrificium et sacerdotium voluit Christus inter homines permanere. Participatio huius sacerdotii diversimode in Ecclesia efficitur, vi illorum sacramentorum, Baptismi Confirmationisque atque Ordinis, quae characterem in anima imprimunt.

Per ordinis enim ministerium, sacrificium Christi praesens fit, ita

ut actio adoratrix totius Christi, Capitis scil. et *membrorum,*[16] in Patrem dirigatur. Nam per sacramentum Ordinis christianus, iam baptizatus et confirmatus, efficitur Novi Testamenti sacerdos per participationem peculiarem unici summi Christi sacerdotii, et ut « alter Christus » nominatur, et ut alter Christus qui animam pro ovibus tradidit se ostendere debet.

Haec aut his similia propono inserenda in textu huius schematis. Si huiusmodi additio non fiat, schema claudicare videbitur, eo quod nihil ...[17] de Christi sacerdotio, *de munere adorationis totius Ecclesiae, nec de fine primario sacrificii mystici Corporis dicitur.*[18] In veritate autem sacerdotium Christi quo participamur nos sacerdotes, fundamentum est dignitatis nostrae et sanctitatis ...[19] in Ecclesia. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de constitutione hierarchica Ecclesiae agitur. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] nominatur. [6] deest. [7] deest. [8] (*Hebr.* 9, 28; 10, 12). [9] propono. [10] breviter adnumero. [11] (*Hebr.* 5, 1-10; 7, 24). [12] secundum ordinem Melchisedech. [13] (Conc. Trid., sess. XXII). [14] eo quod manet in aeternum. [15] Quapropter. [16] Corporis. [17] dicit. [18] et semel tantum mentionem facit de Missae sacrificio. [19] nostrae.

16

EXC.MUS P. D. IOANNES VAN DODEWAARD

Episcopus Harlemensis

Venerabiles Fratres,

Nomine conferentiae episcoporum neerlandicae relate ad cap. II schematis *de Ecclesia* sequentia de collegialitate episcoporum notare velim.

Argumentum pro collegialitate episcoporum inter alias sumitur ex *facto* auctoritatis Conciliorum Oecumenicorum. In can. 228 C.I.C. dicitur: « Concilium Oecumenicum suprema pollet in universa Ecclesia potestate ». Si hoc esset tantummodo ius humanum et ecclesiasticum, et non iuris divini, canon ille contradiceret dogmati primatus iuris divini Petri eiusque successoris. Etenim si ipse Papa solus, sensu stricto, i. e. ut contradistinctus ab episcopis, iure divino, esset subiectum supremae in Ecclesia auctoritatis, nec tempore Concilii ipse Summus Pontifex posset abdicare haec sua iura et statuere quod durante tempore Concilii non ipse, sed Concilium Oecumenicum gaudeat suprema illa in Ecclesia potestate. Insuper, si auctoritas Concilii Oecumenici esset mera

potestas a Summo Pontifice delegata, quomodo in Codice talis potestas dici potest esse potestas suprema, quae consequenter est ordinaria? Ex quo compertum habemus quod Concilium Oecumenicum gaudet suprema in Ecclesia auctoritate, *quia* ipsum regimen collegiale, constans nempe ex Summo Pontifice ut eius capite, simul cum ceteris episcopis, est iuris divini, et per consequens valet tum in Concilio Oecumenico, tum extra illud.

Quod argumentum comprobatur a facto quod Concilium Vaticanum I definivit magisterium ordinarium et universale episcoporum per totum orbem terrarum dispersorum in unione cum Summo Pontifice. Quia autem magisterii universalis munus exsistere non potest sine subditis, qui sub regimine universalis magisterii ligantur verbo divino, sequitur etiam extra tempus Concilii Oecumenici dari non meram sollicitudinem omnium episcoporum per totum orbem dispersorum erga totam Ecclesiam, sed verum regimen horum omnium in totam Ecclesiam, licet hoc officium episcopis residentialibus nullam permittat intrusionem in alias Ecclesias locales.

Ex quibus principiis sequentes mutationes in textu schematis proponere velim:

1. Pag. 27, linn. 9-11: cum ex una parte idea his lineis contenta iam sit expressa in linn. 1-5, et ex altera parte collegium seu corpus episcoporum hic contradistinguatur a Summo Pontifice, qui tamen ut Caput pertineat ad ipsum hoc collegium, dicatur: « Episcopi autem, sive dispersi, sive congregati, non constituunt corpus nisi in communione cum Summo Pontifice, utpote successore Petri constituto ».

2. Pag. 27: propter eamdem rationem loco dictorum in linn. 15-16 dicatur: « in quo corpus apostolicum continuo perseverat et in quo Petrus per Summum Pontificem semper vivit — ita nempe ut sine eorum praeside apostoli et episcopi collegium non constituant etc. ».

3. Eadem pag. 27, linn. 28-39: ordo dictorum invertatur, ita ut prius sermo fiat de exercitio ordinario ministerii collegialis et postea de eius exercitio solemni in Concilio Oecumenico. Textus proinde a lin. 28 usque ad finem ita sit: « Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud collegium pollet, exercetur (loco: exerceri potest), exercetur modis diversis ab episcopis in orbe terrarum degentibus, in unione quidem cum Summo Pontifice, sine qua verus actus collegialis exsistere non potest. Eadem potestas collegialis una cum Papa extraordinario seu *potius* solemni modo in Concilio Oecumenico exercetur. Summi quidem Pontificis etc. », ut est in textu.

4. Pag. 27, n. 17. Iuvat addere *ad hunc numerum* [1] explicationem qua melius ostendatur sub hoc numero agi de quibusdam consequentiis

practicis, quae ex collegialitate profluunt quoad relationes mutuas Episcoporum intra se. *Mutationes secretariatui dabo.*[2]

5 et ultimo. N. 15 de presbyteris et diaconis veniat post n. 21, in quo absolvitur capitulum de collegio episcoporum. In quo numero character collegialis presbyterorum inter se, in unione quidem cum episcopo residentiali, meliorem in lucem forsan possit poni. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] V. g. *a*) Praeterea etiamsi singuli episcopi sint residentiales in particularibus Ecclesiis, collegialis unio in mutuis relationibus singulorum episcoporum... »; et deleatur lin. 7 (pag. 28): « in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica exsistit », cum non constet Ecclesiam universalem esse nonnisi summam Ecclesiarum particularium. *b*) Pag. 28, lin. 11 dicatur: « Designatione episcopi ad particularem Ecclesiam regimen episcopi residentialis nonnisi super portionem populi sibi commissum... extendit ». Ratio: verbum « regimen pastorale proprie dictum » subaudiret quod regimen pastorale collegii qua talis (in quo singulus episcopus partes suas agit) esse ministerium pastorale improprie dictum, quod tamen non cadit sub intentione ipsius schematis. *c*) Pag. 28, linn. 15-16: loco « licet actus iurisdictionis non sit » dicatur: « licet nullam permittat intrusionem in aliis Ecclesiis localibus». Ratio est: notio iurisdictionis plurimos habet sensus et per consequens potest esse ambigua.

Moderator: In congregatione diei crastinae fiet suffragatio de emendationibus in cap. II schematis *de sacra Liturgia.*

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XLIII

8 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLIII

8 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderatur hanc 43 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Petierunt loqui circa cap. II schematis *de Ecclesia* em.mi ac rev.mi DD. cardd. Beniaminus de Arriba, arch. Tarraconensis in Hispania, Valerianus Gracias, arch. Bombayensis in India, Ioannes Landázuri, arch. Limanus in Peruvia, Leo Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis in Belgio; beat.mus Albertus Gori, patriarcha Hierosolymitanus Latinorum; exc.mi DD. Dinus Staffa, arch. tit. Caesariensis in Palaestina, Ioannes Rupp, ep. Monoecensis in Principatu, Ioseph Heuschen, aux. Leodiensis in Belgio, Andreas Charue, ep. Namurcensis in Belgio, Antonius Añoveros, coad. Gaditanus in Hispania, Aemilius Blanchet, rector Instituti Catholici Parisiensis in Gallia, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Eduardus Martínez, ep. Zamorensis in Hispania, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis in Gallia, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali, Gerardus Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania in Italia, Michaël Browne, ep. Galviensis et Duacensis in Hibernia, Michaël Doumith, ep. Sarbensis in Libano, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia, Emmanuel Galea, aux. Melitensis in Malta, Eduardus Schick, aux. Fuldensis in Germania, Laurentius Jaeger, arch. Paderbornensis in Germania, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis in Turchia, Bernardus Yago, arch. Abidjanensis in Africa Occidentali, Ioseph Maurer, arch. Sucrensis in Bolivia.

Sed antequam disceptatio prosequatur circa cap. II *de Ecclesia*, fient relationes circa emendationes super cap. II schematis *de sacra Liturgia*. Prima relatio habebitur ab em.mo et rev.mo D. card. Iacobo Lercaro, altera fiet ab exc.mo D. Iesu Enciso, ep. Maioricensi.

Post factas relationes, distribuetur schedula pro suffragatione primae emendationis, quae suo tempore legetur.

Facta suffragatione primae emendationis, assignatores locorum au-

ferent schedulam et aliam distribuent pro secunda emendatione quae tunc a secretario generali legetur.

Facta suffragatione super secunda, auferetur schedula et tertia dabitur pro suffragatione supra tertiam emendationem quae tunc legetur a secretario generali; et ita porro.

Interea, in intervallo, prosequetur disceptatio circa schema *de Ecclesia,* nempe circa cap. II.

Velint Patres suffragationem dare tantum per *placet* et *non placet.* Vota quae dentur cum *placet iuxta modum* habebuntur nulla. Et velint suffragationem dare tantummodo stylo quod ipsis traditum est, attendentes ne signum, quod scribent (linea, crux, punctum), transeat limites areolae seu casellae in qua scriptum est *placet* vel *non placet.* Dixi. Gratias!

1 – EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. LERCARO

Archiepiscopus Bononiensis

RELATIO GENERALIS

DE IIS QUAE A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA PERACTA SUNT AD PATRUM ANIMADVERSIONES EXPONENDAS ET TEXTUM CONSTITUTIONIS EMENDANDUM

Textus typis impressus, distributus est Patribus conciliaribus in quadragesima tertia congregatione generali, die 8 octobris 1963.

Venerabiles Patres,

Quamprimum, proximis diebus, Vobis suffraganda subicientur Capita Constitutionis de sacra Liturgia, quae a Vobis disceptata quidem sunt, sed ob penuriam temporis, haud in omnibus adprobata fuerunt post emendationes inductas in textum a Commissione Conciliari, iuxta Vestras lucidas doctasque animadversiones in prima Sessione huius sacri Oecumenici Concilii prolatas.

Agitur de capitibus a II ad VIII Constitutionis. Antequam fasciculi Vobis tradantur opportunum visum est breviter rationem reddere de labore a Commissione Conciliari peracto.

1. Conciliari Commissione de sacra Liturgia rite constituta, in coetu diei 22 octobris 1962 nominata est quaedam Subcommissio, cui praefuit

unus ex Vicepraesidibus Commissionis, nempe Em.mus Card. Jullien, ad parandum *Ordinem procedendi,* seu iter servandum in laboribus Commissionis. Nihil enim habebatur de hac re ex praecedentibus Conciliis. Et revera haec « Ratio procedendi Commissionis Conciliaris de sacra Liturgia », duabus partibus et viginti sex articulis constans, utillimum exstitit medium practicum simul ac iuridicum ad opus commissum expeditius perficiendum.

2. Insuper, cum campus expoliendus satis latius pateret et materiae congeries haud parva, *tredecim* constitutae sunt *Subcommissiones,* nempe:

I. Subcommissio theologica, cui demandatum est examen omnium quaestionum in tota Constitutione exstantium de re biblica et dogmatica.
II. Subcommissio iuridica, quae munus habebat perpendendi et resolvendi problemata iuridica ex omnibus Schematis capitibus exsurgentia.
III. Subcommissio ad animadversiones generales exponendas.
IV. Subcommissio de Prooemio et de cap. I, sectione prima.
V. Subcommissio de cap. I, sectione II.
VI. Subcommissio de cap. I, sectione III.
VII. Subcommissio de cap. II: De sacrosancto Eucharistiae mysterio.
VIII. Subcommissio de cap. III: De Sacramentis et Sacramentalibus.
IX. Subcommissio de cap. IV: De Officio divino.
X. Subcommissio de cap. V: De anno liturgico.
XI. Subcommissio de cap. VI: De sacra Supellectile.
XII. Subcommissio de cap. VII: De Musica sacra.
XIII. Subcommissio de cap. VIII: De Arte sacra.

3. *Subcommissionum munus* fuit examinare animadversiones Patrum, eas coordinare ac perpendere, Commissioni solutiones proponere.

Quo securius ac facilius procederetur, Patrum interventiones *integre* reproductae sunt, et omnibus ac singulis Membris ac Peritis Commissionis distributae, ut omnes Subcommissionum sodales non tantum mentem Patrum agnoscere possent, sed prae manibus et sub oculis eorum ipsissima verba haberent. Labor Subcommissionum, ita ordinatus, alacriter ac expedite processit: non eodem prompto pede vero progredi potuit Commissionis Conciliaris opus, uti in natura rei erat, quippe quod circa omnes quaestiones a variis Subcommissionibus perpensas

vertebat: longius proinde tempus postulavit, attentam animi considerationem, maturam iudicii ponderationem.

A die 21 octobris ad diem 6 decembris 1962 coetus plenarii Commissionis fuerunt 21, in quibus expeditus est labor sex Subcommissionum, nempe Subcommissionum theologicae et iuridicae, Subcommissionis III de animadversionibus generalibus, et trium Subcommissionum, quibus concreditum fuerat examen capitis I, totius Constitutionis capitum omnium longe praestantissimi.

Commissionis *agendi haec fuit ratio.* Patrum interventionum examine absoluto, Subcommissionum Praesides Commissioni relationem faciebant circa emendationes propositas. Postea hae emendationes longe lateque disceptabantur a Patribus et Peritis, omnibus data loquendi amplissima facultate. Patrum pretiosissima pastoralis experientia plurimum contulit ad pulchrum propositionum aequilibrium, dum Peritorum sarta ac conferta eruditio solidam tectamque praebuit fundamentorum securitatem.

Primus huius impigri laboris *fructus* fuit textus emendatus Prooemii et cap. I Constitutionis, qui omnibus punctis absolutus, praesentari potuit Vestro iudicio die 7 decembris 1962, hunc obtinens exitum:

Patres praesentes	2.118
Maior pars	1.412
Placet	1.922
Non placet	11
Placet iuxta modum	180
Vota nulla	5

4. Insequentibus mensibus, ceterae Subcommissiones opus sibi concreditum pariter perfecerunt, quod Commissionis Conciliaris examini subiectum fuit, a *die 23 aprilis ad diem 10 maii* huius vertentis anni, in coetibus plenariis, omnibus adstantibus Membris, duobus exceptis, atque Commissionis Peritis.

Examinans schemata de Arte sacra (cap. VIII) ac de sacra Supellectile (cap. VI), Commissio in hanc devenit sententiam ut, affinitatis materiae causa, opportunum fuisset si duo capita in unum coalescerent. Proinde, cap. VII, ultimum totius Constitutionis, materiam universam coagmentat, quae in cap. VI et in cap. VIII prioris schematis continebatur.

Ceterae variationes non sunt magni momenti: quidam articuli emendati sunt, unus aliusve neglectus, vel — rarissime tamen — additus.

Suffragium, secreto prolatum, unanimem, vel longe maioris partis Commissionis consensum exprimens, opus emendationum coronavit.

Posthac, pro parte stilistica, textus emendatus revisus est a Sub-

commissione quadam ex egregiis viris in latinitate valde peritis et ex Commissionis sodalibus constante. Denuo leves lexicales emendationes propositae examinatae sunt, mense iulio huius anni, a Coetu, cui adnumerabantur quattuor Em.mi Cardinales Membra Commissionis, duo Episcopi et quidam alii sodales.

Tandem diebus 27, 28 et 30 mensis septembris nuper elapsi, Commissio Conciliaris de sacra Liturgia novissime convocata est ad extremam ponendam manum universo operi peracto.

5. Fasciculi, qui proxime Vobis distribuentur, exstant fructus huius laboris. Singuli fasciculi, sicut primi, quos habuistis cum textu Prooemii et capitis I, ex ordine continent:

a) *Emendationes,* de quibus Patres suffragium ferre tenentur.

b) *Relationem* super emendationes in textum inductas.

c) *Textum integrum,* in duplici columna, schematis originalis et schematis emendati.

d) In *Appendice* aliquando referuntur potiores *Declarationes,* quae habebantur in schemate Commissionis praeparatoriae.

Suffragium pro singulis emendationibus fertur, ad normam art. 60, § 3, verbis *placet* et *non placet.* Suffragium finale, vero, pro integro textu singulorum capitum fertur adhibita formula: *placet, non placet, placet iuxta modum,* ad normam art. 61, § 3, « *Ordinis Concilii Oecumenici Vaticani II celebrandi* ».

Haec, venerabiles Patres, erant quae dicenda videbantur, ut Vestris desideriis satisfieret, aliquid nempe sciendi circa labores emendationis a Commissione Conciliari de sacra Liturgia peractos; dum fore speramus, optatui Sanctissimi Domini nostri Pauli VI, fel. regn., meam humillimam si licet subiungere vocem, dum « fore speramus, ut (opus peractum) nunc ad felicissimos perducatur exitus » (cf. *Allocutio initio Secundae Sessionis Concilii Oecumenici Vaticani II,* die 29 sept. 1963).

Romae, 3 oct. 1963.

[5] 2 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput II Schematis

AD PROOEMIUM

1 — Pag. 175, lineis 1-6 nova haec substituatur redactio: « Salvator noster, in Cena novissima, qua nocte tradebatur, SACRIFICIUM EUCHARISTICUM CORPORIS ET SANGUINIS SUI INSTITUIT, QUO SACRIFICIUM CRUCIS IN SAECULA, DONEC VENIRET, PERPETUARET, ATQUE ADEO ECCLESIAE DILECTAE SPONSAE MEMORIALE CONCREDERET MORTIS ET RESURRECTIONIS SUAE: SACRAMENTUM PIETATIS, SIGNUM UNITATIS, VINCULUM CARITATIS, CONVIVIUM PASCHALE, IN QUO CHRISTUS SUMITUR, MENS IMPLETUR GRATIA ET FUTURAE GLORIAE NOBIS PIGNUS DATUR ».

2 — Pag. 175, linea 15, post verba « *plenam pastoralem efficacitatem* » addatur: « RATIONE HABITA MISSARUM, QUAE CONCURRENTE POPULO CELEBRANTUR, PRAESERTIM DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO ».

AD ART. 37

3 — Pag. 175, linea 20, post verba: « *faciliorem reddat* », addatur: « QUAMOBREM RITUS, PROBE SERVATA EORUM SUBSTANTIA, SIMPLICIORES FIANT; EA OMITTANTUR QUAE TEMPORUM DECURSU DUPLICATA FUERUNT VEL MINUS UTILITER ADDITA; RESTITUANTUR VERO AD PRISTINAM SANCTORUM PATRUM NORMAM NONNULLA QUAE TEMPORUM INIURIA DECIDERUNT, PROUT OPPORTUNA VEL NECESSARIA VIDEANTUR ».

[6]

AD ART. 39

4 — Pag. 175, linea 25, post verbum « *Homilia* », addatur: « QUA PER ANNI LITURGICI CURSUM EX TEXTU SACRO FIDEI MYSTERIA ET NORMAE VITAE CHRISTIANAE EXPONUNTUR ».

5 — Pag. 175, lineis 26-27, loco verborum: « *praesertim diebus dominicis et festis de praecepto* », legatur: « QUINIMMO IN MISSIS QUAE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO CONCURRENTE POPULO CELEBRANTUR, NE OMITTATUR, NISI GRAVI DE CAUSA ». [6]

AD ART. 41

6 — Pag. 176, linea 5, loco verbi: « *tribuatur* », legatur: « TRIBUI POSSIT ».

7 — Pag. 176, linea 6, loco verborum: « *et nonnullis cantibus* », legatur: « AC, PRO CONDICIONE LOCORUM, ETIAM IN PARTIBUS QUAE AD POPULUM SPECTANT ».

8 — Pag. 176, post lineam 7, addatur: « PROVIDEATUR TAMEN UT CHRISTIFIDELES ETIAM LINGUA LATINA PARTES ORDINARII MISSAE QUAE AD IPSOS SPECTANT POSSINT SIMUL DICERE VEL CANTARE ».

9 — Pag. 176, post additionem praecedentem [textus emendati] ponatur: « SICUBI TAMEN AMPLIOR USUS LINGUAE VERNACULAE IN MISSA OPPORTUNUS ESSE VIDEATUR, SERVETUR PRAESCRIPTUM ART. 40 HUIUS CONSTITUTIONIS ».

AD ART. 42

10 — Pag. 176, linea 8, initio art. 42, ponatur: « VALDE COMMENDATUR ILLA PERFECTIOR MISSAE PARTICIPATIO QUA FIDELES POST COMMUNIONEM SACERDOTIS EX EODEM SACRIFICIO CORPUS DOMINICUM SUMUNT ».

11 — Pag. 176, linea 9, loco verborum: « *sublato fidei periculo* », legatur: « FIRMIS PRINCIPIIS DOGMATICIS A CONCILIO TRIDENTINO STATUTIS ».

AD ART. 43

12 — Pag. 176, linea 17, post verba: « *celebrationi intersint* », addatur: « PRAESERTIM DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO ».

[7] AD ART. 44

13 — Pag. 176, linea 18, post verbum « *Concelebratio* », addatur: « QUA UNITAS SACERDOTII OPPORTUNE MANIFESTATUR ».

14 — Pag. 176, linea 21, textus ita mutetur: « FERIA V IN CENA DOMINI, TUM AD MISSAM CHRISMATIS, TUM AD MISSAM VESPERTINAM ».

15 — Pag. 176, post lineam 21, addatur: « AD MISSAS IN CONCILIIS, CONVENTIBUS EPISCOPALIBUS ET SYNODIS ».

16 — Pag. 176, post additionem praecedentem [textus emendati], ponatur: « AD MISSAM IN BENEDICTIONE ABBATIS ».

17 — Pag. 176, post lineam 21, addatur: « PRAETEREA, ACCEDENTE LICENTIA ORDINARII, CUIUS EST DE OPPORTUNITATE CONCELEBRATIONIS IUDICARE EIUSQUE DISCIPLINAM MODERARI: *a*) AD MISSAM CONVENTUALEM ET AD MISSAM PRINCIPALEM IN ECCLESIIS, CUM UTILITAS CHRISTIFIDELIUM SINGULAREM CELEBRATIONEM OMNIUM SACERDOTUM PRAESENTIUM NON POSTULET ».

18 — Pag. 176, lineis 22-23, textus ita mutetur: « AD MISSAS IN CONVENTIBUS CUIUSVIS GENERIS SACERDOTUM TUM SAECULARIUM TUM RELIGIOSORUM ».

19 — Pag. 176, post lineam 23, addatur: « § 2. SALVA TAMEN SEMPER SIT CUIQUE SACERDOTI FACULTAS MISSAM SINGULAREM CELEBRANDI, NON TAMEN EODEM TEMPORE IN EADEM ECCLESIA, NEC FERIA V IN CENA DOMINI ».

3 – TEXTUS SCHEMATIS [25]

Textus in Schemate propositus

CAPUT II
DE SACROSANCTO EUCHARISTIAE MYSTERIO

Salvator noster, in cena novissima qua nocte tradebatur, Apostolis paschale convivium in sui memoriam donec veniat iterandum praecepit, ita ut « mortis eius victoria et triumphus »[1] repraesentaretur; et Ecclesiae dilectae Sponsae suae fieret magnum sacramentum pietatis, fons et exemplar unitatis, sacrificium laudis, pignus et figura caelestis convivii.

Itaque curat Ecclesia ut christifideles huic mysterio fidei non velut inertes et muti spectatores intersint, sed ut ritus et preces bene intellegentes, ea actuose, conscie et pie participent, mensa cum verbi tum corporis Domini reficiantur, gratias Deo agant, immaculatam hostiam una cum sacerdote offerendo seipsos offerre discant, et de die in diem ad perfectiorem unitatem transferantur ut sit Deus omnia in omnibus.

Quapropter Sacrosanctum Concilium, ut Sacrificio Missae restituat, etiam in forma ri-

Textus a Commissione emendatus *

CAPUT II
DE SACROSANCTO EUCHARISTIAE MYSTERIO

47. Salvator noster, in Cena novissima, qua nocte tradebatur, SACRIFICIUM EUCHARISTICUM CORPORIS ET SANGUINIS SUI INSTITUIT, QUO SACRIFICIUM CRUCIS IN SAECULA, DONEC VENIRET, PERPETUARET, ATQUE ADEO ECCLESIAE DILECTAE SPONSAE MEMORIALE CONCREDERET MORTIS ET RESURRECTIONIS SUAE: SACRAMENTUM PIETATIS, SIGNUM UNITATIS, VINCULUM CARITATIS,[1] CONVIVIUM PASCHALE, IN QUO CHRISTUS SUMITUR, MENS IMPLETUR GRATIA ET FUTURAE GLORIAE NOBIS PIGNUS DATUR.[2]

48. Itaque Ecclesia *sollicitas curas eo intendit ne* christifideles huic fidei mysterio *tamquam extranei vel* muti spectatores[3] intersint, sed *per* ritus et preces *id* bene intellegentes, *sacram actionem* conscie, pie et actuose participent, *verbo Dei instituantur,* mensa Corporis Domini reficiantur, gratias Deo agant, immaculatam hostiam, *non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso*[4] *offerentes,* seip- [26]
sos offerre discant, et de die in diem *consummentur, Christo Mediatore,*[5] *in unitatem cum Deo et inter se,* ut sit *tandem* Deus omnia in omnibus.

49. Quapropter, *ut Sacrificium Missae, etiam rituum forma,* plenam pastoralem effica-

* Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

26] tuali, plenam pastoralem efficacitatem, ea quae sequuntur decernit.

citatem *assequatur,* Sacrosanctum Concilium, RATIONE HABITA MISSARUM, QUAE CONCURRENTE POPULO CELEBRANTUR, PRAESERTIM DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO, ea quae sequuntur decernit.

I – DE MISSA

37. [*Ordo Missae instaurandus*]. Ordo Missae ita recognoscatur, sive in generali dispositione sive in singulis partibus, ut clarius percipiatur et actuosam fidelium participationem faciliorem reddat.[2]

50. Ordo Missae ita recognoscatur, *ut singularum partium propria ratio necnon mutua connexio clarius pateant, atque pia et actuosa fidelium participatio facilior reddatur.*[6]

QUAMOBREM RITUS, PROBE SERVATA EORUM SUBSTANTIA, SIMPLICIORES FIANT; EA OMITTANTUR QUAE TEMPORUM DECURSU DUPLICATA FUERUNT VEL MINUS UTILITER ADDITA; RESTITUANTUR VERO AD PRISTINAM SANCTORUM PATRUM NORMAM [7] NONNULLA QUAE TEMPORUM INIURIA DECIDERUNT,[8] PROUT OPPORTUNA VEL NECESSARIA VIDEANTUR.

38. [*Lectiones in Missa*]. Ut fidelibus cum mensa eucharistica etiam ditior mensa verbi Dei paretur,[3] thesauri biblici largius aperiantur,[4] ita ut, decursu plurium annorum, praestantior pars Scripturarum sanctarum populo praelegatur.[5]

51. *Quo* ditior mensa verbi Dei paretur fidelibus, thesauri biblici largius aperiantur,[9] ita ut, *intra praestitutum annorum spatium,* praestantior pars Scripturarum Sanctarum populo *legatur.*[10]

39. [*Homilia*]. Homilia, tamquam pars ipsius Liturgiae,[6] valde commendatur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto.

52. Homilia, QUA PER ANNI LITURGICI CURSUM EX TEXTU SACRO FIDEI MYSTERIA ET NORMAE VITAE CHRISTIANAE EXPONUNTUR, *ut* pars ipsius liturgiae,[11] valde commendatur; QUINIMMO IN MISSIS QUAE DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO CONCURRENTE POPULO CELEBRANTUR, NE OMITTATUR, NISI GRAVI DE CAUSA.

27]

40. [*Oratio communis*]. Oratio communis, seu fidelium, post Evangelium et homiliam, saltem diebus dominicis et festis de praecepto, redintegretur,[7] ita ut, populo participante, obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia,

53. « Oratio communis » seu « fidelium », post Evangelium et homiliam, *praesertim* diebus dominicis et festis de praecepto, *restituatur,*[12] ut populo *eam* participante, obsecrationes fiant pro sancta Ecclesia, *pro iis qui nos in po-*

« pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt ».[8]

testate regunt, pro iis qui variis premuntur necessitatibus, ac pro omnibus hominibus *totiusque mundi salute.*[13] [27]

41. [*Lingua*]. Linguae vernaculae in Missis cum populo congruus locus tribuatur,[9] imprimis autem in lectionibus, oratione communi et nonnullis cantibus, ad normam articuli 24 huius Constitutionis.

54. Linguae vernaculae in Missis cum populo *celebratis* congruus locus TRIBUI POSSIT,[14] *praesertim* in lectionibus *et* « oratione communi », AC, PRO CONDICIONE LOCORUM, ETIAM IN PARTIBUS QUAE AD POPULUM SPECTANT, ad normam *art. 36* huius Constitutionis.

PROVIDEATUR TAMEN UT CHRISTIFIDELES ETIAM LINGUA LATINA PARTES ORDINARII MISSAE QUAE AD IPSOS SPECTANT POSSINT SIMUL DICERE VEL CANTARE.

SICUBI TAMEN AMPLIOR USUS LINGUAE VERNACULAE IN MISSA OPPORTUNUS ESSE VIDEATUR, SERVETUR PRAESCRIPTUM ART. 40 HUIUS CONSTITUTIONIS.

55. VALDE COMMENDATUR ILLA PERFECTIOR MISSAE PARTICIPATIO[15] QUA FIDELES POST COMMUNIONEM SACERDOTIS EX EODEM SACRIFICIO CORPUS DOMINICUM SUMUNT.

42. [*Communio sub utraque specie*]. Communio sub utraque specie, sublato fidei periculo, pro certis casibus a Sancta Sede bene determinatis, uti, v. g., in Missa sacrae Ordinationis, iudicio Episcoporum, tum clericis et religiosis, tum laicis concedi potest.[10]

Communio sub utraque specie, FIRMIS PRINCIPIIS DOGMATICIS A CONCILIO TRIDENTINO STATUTIS,[16] *in casibus ab Apostolica Sede definiendis,* tum clericis et religiosis, tum laicis concedi potest, de iudicio Episcoporum, *veluti ordinatis in Missa sacrae suae ordinationis, professis in Missa religiosae suae professionis, neophytis*[17] *in Missa quae Baptismum subsequitur.*

43. [*Praeceptum Missae festivae*]. Liturgia Missae duabus partibus quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica. Hae duae partes tamen ita intrinsece coniunguntur, ut unicum actum cultus efforment. Proinde animarum pastores, in catechesi tradenda, fideles sedulo instruant, ut integrae Missae celebrationi intersint.

56. *Duae partes e quibus Missa* quodammodo constat, liturgia nempe verbi et eucharistica, *tam arcte inter se* coniunguntur, ut *unum* [28] actum cultus *efficiant. Sacra proinde Synodus vehementer hortatur* animarum pastores *ut*, in catechesi tradenda, fideles sedulo *doceant de integra Missa participanda,* PRAESERTIM DIEBUS DOMINICIS ET FESTIS DE PRAECEPTO.

[28] II – DE CONCELEBRATIONE SACRAMENTALI

44. [*Usus amplificetur*]. Concelebratio tam in Ecclesia Orientali quam in Occidentali in usu hucusque remansit.[11] Concilio facultatem concelebrandi ad sequentes casus extendere placet: [12]

a) ad Missam chrismatis, feria V in Cena Domini;

b) ad conventus sacerdotum, si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit et de iudicio Ordinarii.

45. [*Opportunitas concelebrationis et numerus concelebrantium*]. De opportunitate concelebrationis et de numero concelebrantium, in singulis casibus, Ordinarii erit iudicare.

46. [*Ritus concelebrationis*]. Quoad ritum, servari possunt rubricae Pontificalis romani. [29] Attamen quaedam aptationes fiant, scilicet:

a) ut concelebrantes, oblatione peracta, stent circa altare, vestibus sacerdotalibus, aut saltem alba et stola, induti; [13]

b) ut minuatur numerus precum a concelebrantibus simul dicendarum; [14]

c) ut communicare possint sub utraque specie; [15]

d) ut solus celebrans principalis gestus faciat et benedicat.[16]

57. § 1. Concelebratio, QUA UNITAS SACERDOTII OPPORTUNE MANIFESTATUR, in Ecclesia tam Orientali quam Occidentali *usque adhuc* in usu remansit.[18] *Quare* facultatem concelebrandi ad sequentes casus Concilio extendere *placuit*: [19]

1° *a*) FERIA V IN CENA DOMINI, TUM AD MISSAM CHRISMATIS, TUM AD MISSAM VESPERTINAM;

b) AD MISSAS IN CONCILIIS, CONVENTIBUS EPISCOPALIBUS ET SYNODIS;

c) AD MISSAM IN BENEDICTIONE ABBATIS.

2° PRAETEREA, ACCEDENTE LICENTIA ORDINARII, CUIUS EST DE OPPORTUNITATE CONCELEBRATIONIS IUDICARE EIUSQUE DISCIPLINAM MODERARI:

a) AD MISSAM CONVENTUALEM ET AD MISSAM PRINCIPALEM IN ECCLESIIS, CUM UTILITAS CHRISTIFIDELIUM SINGULAREM CELEBRATIONEM OMNIUM SACERDOTUM PRAESENTIUM NON POSTULET;

b) AD MISSAS IN CONVENTIBUS CUIUSVIS GENERIS SACERDOTUM TUM SAECULARIUM TUM RELIGIOSORUM.

§ 2. SALVA TAMEN SEMPER SIT CUIQUE SACERDOTI FACULTAS MISSAM SINGULAREM CELEBRANDI, NON TAMEN EODEM TEMPORE IN EADEM ECCLESIA, NEC FERIA V IN CENA DOMINI.

58. *Novus ritus concelebrationis conficiatur, Pontificali et Missali Romano inserendus.*

NOTAE

1 Conc. Trid., Sess. XIII, Decr. *De ss. Eucharist.*, c. 5: Denz. 878.

2 Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 262-288.

3 Cf. *De imitatione Christi,* IV, 11.

4 Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943: AAS 35 (1943) p. 324.

5 Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 264-270.

6 Pius XII in Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947, inter actiones liturgicas, post lectiones, enumerat: « ac postremo homilia » (AAS 39 [1947] p. 529).

7 Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 271, nn. 5, 7, 10, 11.

8 1 Tim. 2, 1-2.

9 Cf. *Acta et Documenta,* l. c., pp. 397-412; et etiam pp. 387-397.

10 Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 69, nn. 1-5.

11 Praecipua documenta Ecclesiae de concelebratione sunt:

Pro tota Ecclesia occidentali can. 803: « Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missis ordinationis presbyterorum et in Missa consecrationis episcoporum secundum Pontificale romanum ». In Pontificali romano vero concelebratio episcoporum inscribitur expresse saltem a fine saeculi xii (M. Andrieu, *Le Pontifical romain,* I, p. 151). Concelebratio presbyterorum describitur iam in Pontificali Curiae tempore Innocentii IV (cf. *ibidem,* II, p. 349).

Pro Ecclesia Lugdunensi: Appendix ad Pontificale a card. de Bonald edita: Benedictio oleorum.

Pro Russis, tam unitis quam separatis: Činovnik, ex editionibus tam anni 1798 quam 1896; et Trebnik Petri Moghila, Kiev 1646.

Pro Ruthenis: Acta et Decreta Synodi provincialis Ruthenorum Galitiae, habitae Leopoli anno 1891, Romae anno 1895, pp. 150-168; Ordo celebrationis, Romae 1953, pp. 102-114.

Pro Graecis catholicis et Melchitis: Hieraticon, Romae 1950, pp. 265-272; Hieraticon sulleitourgon. - Benedictus XIV, Litt. Encycl. *Demandatam,* 24 dec. 1743; et Litt. Encycl. *Allatae sunt,* 26 iul. 1755, apud P. Gasparri, *Fontes Iuris canonici,* I, p. 799, et II, p. 472.

Pro Maronitis: Synodus Montis Libani 1736, apud Mansi, 38 coll. 125-126 .

Pro Coptis catholicis: Synodus Alexandrina Coptorum, habita Cairi anno 1898, Romae 1899, p. 107.

12 *Rationes cur optatur extensio*:

a) Unitas Ecclesiae in unitate sacerdotii melius demonstratur: « Quia sacerdos non consecrat nisi in

NOTAE [30]

1 Cf. S. Augustinus, *In Ioannis Evangelium Tractatus XXVI,* cap. VI, n. 13: PL 35, 1613.

2 *Breviarium Romanum,* In festo Sanctissimi Corporis Christi. Ad II Vesperas, antiphona ad Magnificat.

3 Cf. Pius XI, Const. Apost. *Divini cultus,* 20 dec. 1928: AAS 21 (1929) p. 40.

4 Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 555.

5 Cf. S. Cyrillus Alex., *Commentarium in Ioannis Evangelium,* lib. XI, capp. XI-XII: PG 74, 557-564. Cf. praesertim (col. 563): « Consummati ergo sumus in unitatem cum Deo ac Patre, Christo mediante ».

6 Cf. *Acta et Documenta Concilio Oecumenico Vaticano II apparando.* Series I. Appendix voluminis II, pars II, Typis Polyglottis Vaticanis 1961, pp. 250-289.

7 Cf. S. Pius V, Bulla *Quo primum,* 14 iul. 1570, qua idem Pontifex *Missale Romanum ex decreto Sacrosancti Concilii Tridentini restitutum* promulgavit.

8 Cf. *Acta et Documenta,* cit., series I, vol. III, Typis Polyglottis Vaticanis 1960, p. 279.

9 Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Divino afflante Spiritu,* 30 sept. 1943: AAS 35 (1943) p. 324.

10 Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 264-270.

11 Cf. Pius XII, Litt. Encycl. *Mediator Dei,* 20 nov. 1947: AAS 39 (1947) p. 529.

12 Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 271 nn. 5, 7, 10, 11.

13 Cf. 1 Tim. 2, 1-2.

14 Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 387-412, praesertim pp. 397-412.

15 S. Rituum C., *Instr. de Musica sacra et sacra Liturgia,* 3 sept. 1958, n. 22*c*: AAS 50 (1958) p. 638.

16 Sessio XXI, 16 iul. 1562. *Doctrina de Communione sub utraque specie et parvulorum,* capp. 1-3: Concilium Tridentinum. *Diariorum, Actorum, Epistularum, Tractatuum nova collectio,* ed. Soc. Goerresiana, t. VIII, Friburgi in Br. 1919, pp. 698-699.

17 Cf. *Acta et Documenta,* cit., III, pp. 256-259; *ibid.,* Appendix vol. II, pars II, p. 69 nn. 1-5.

18 Praecipua documenta Ecclesiae de concelebratione sunt:

Pro tota Ecclesia Occidentali: CIC, can. 803: « Non licet pluribus sacerdotibus concelebrare, praeterquam in Missis ordinationis presbyterorum et [31]
in Missa consecrationis episcoporum secundum Pon-

[31] persona Christi, multi autem sunt unum in Christo, ideo non refert utrum per unum vel per multos hoc sacramentum consecraretur: nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari... Eucharistia est sacramentum unitatis Ecclesiasticae, quae attenditur secundum hoc, quod multi sunt unum in Christo » (S. THOMAS, *Summa Theol.,* III, q. 82, a. 2, ad 2 et 3).

b) Pietas magis fovetur, si plures sacerdotes simul litent, quam in diversis altaribus singillatim celebrent, sese invicem et populum molestia afficientes.

c) Vitantur difficultates practicae et incommoda provenientia ex numero sacerdotum sive e penuria altarium et supellectilis, sive ex brevitate temporis.

[13] In Pontificali Romanae Curiae saec. XII, quod diffusum est ubique, rubrica erat sequens: « Oblatione facta, presbyteri vadant ad altare, ad standum a dextera et laeva altaris cum missalibus suis » (M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain,* II, p. 349). Haec rubrica mutata est in Pontificali romano primum excuso anno 1485: « Presbyteri vero ordinati retro Pontificem vel hinc inde ubi magis commodum erit, in terra genuflexi, habeant libros coram se... ».

[14] In documentis antiquioribus, e. gr. in Ordine Romano III (M. ANDRIEU, *Ordines Romani,* II, p. 131) presbyteri cardinales « canonem dicunt », non alia. Idem servabatur adhuc saec. XII, teste canonico Benedicto (FABRE-DUCHESNE, *Le Liber Censuum de l'Eglise Romaine,* II, p. 146).

Sed praeter rationes historicas, adest praecipue ratio practica: dicere simul tantam seriem orationum « distincte, morose », praesertim dum celebrans cantat vel gestus facit, est nimis prolixum et populum taedio afficit. In liturgia verbi, melius erit si concelebrantes silentio auscultent lectiones, participent cantum sive Proprii sive Ordinarii, solo celebrante principali dicente *Gloria in excelsis, Pax vobis, Dominus vobiscum,* orationes, *Credo.*

[15] Communio sub utraque specie fit semper in Missa consecrationis Episcopi; fit etiam a diacono et subdiacono in Missa papali; fiebat etiam in ordinationibus presbyterorum saec. XIII, teste Pontificali Romanae Curiae (M. ANDRIEU, *Le Pontifical Romain,* II, p. 350). Optatur hodie quia consentaneum est omnes celebrantes semper sub utraque specie communicare.

[16] Sic fit hodie in Missa Ordinationis presbyterorum, et sic faciebant olim presbyteri cardinales, quando concelebrabant cum Summo Pontifice.

tificale Romanum ». In Pontificale Romano vero concelebratio episcoporum inscribitur expresse saltem a fine saeculi XII (cf. M. ANDRIEU, *Le Pontifical romain au moyen-âge, I. Le Pontifical romain du XIIe siècle* [Studi e Testi, 86], Città del Vaticano 1938, p. 151). Concelebratio presbyterorum describitur iam in Pontificali Curiae tempore Innocentii IV (cf. *op. cit.* II. *Le Pontifical de la Curie romaine au XIIIe siècle* [Studi e Testi, 87] Città del Vaticano 1940, p. 349).

PRO ECCLESIA LUGDUNENSI: *Benedictio oleorum infirmorum et catechumenorum, et chrismatis. Ritus Lugdunensis decreto S. R. C. 17 iul. 1867 approbatus* [Lugduni 1867], et iussu L. J. M. Card. de Bonald, Archiep. Lugd., editus, nunc quoque adhibitus.

PRO RUSSIS, tam unitis quam separatis: *Činovnik,* Mosquae 1798, fol. 43^v et 1897, fol. 47^v; et *Trebnik* Petri Moghila, Kiev 1646, pars I, p. 244.

PRO RUTHENIS: *Acta et Decreta Synodi provincialis Ruthenorum Galiciae, habitae Leopoli anno 1891,* Romae 1896, pp. 39-40; *Ordo celebrationis,* Romae 1953, pp. 102-113.

PRO GRAECIS CATHOLICIS ET MELCHITIS: *Hieraticon,* Romae 1950, pp. 265-272 (Hieraticon sulleitourgon). - BENEDICTUS XIV, Litt. Encycl. *Demandatam caelitus,* 24 dec. 1743, §§ 9-10: *Benedicti XIV Pont. Opt. Max. olim Prosperi Cardinalis de Lambertinis Bullarium,* I, Prati 1845, p. 331; et Litt. Encycl. *Allatae sunt,* 26 iul. 1755, § 38: *ibid.,* III, 2, Prati 1847, p. 268.

PRO MARONITIS: *Synodus provincialis a. 1736 in Monte Libano celebrata,* cap. XIII. *De sacrosancto Missae sacrificio,* §§ 17-18: I. D. MANSI, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima collectio...* curantibus I. B. MARTIN-L. PETIT, XXXVIII, *1736-1789,* Parisiis 1907, coll. 124-126.

PRO COPTIS CATHOLICIS: *Synodus Alexandrina Coptorum, habita Cairi 1898,* Romae 1899, p. 107.

[19] Unitas Ecclesiae in unitate sacerdotii per concelebrationem melius demonstratur: « Quia sacerdos non consecrat nisi in persona Christi, multi autem sunt unum in Christo, ideo non refert utrum per unum aut per multos hoc sacramentum consecretur; nisi quod oportet ritum Ecclesiae servari... Eucharistia est sacramentum unitatis ecclesiasticae, quae attenditur secundum hoc quod multi sunt unum in Christo » (S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 82 a. 2 ad 2 et 3).

APPENDIX [32]

EXCERPTA *ex* « Declarationibus » *additis Schemati a Commissione Praeparatoria parato, quae afferuntur ad meliorem intellegentiam quorundam articulorum*

AD ART. 37 [nunc 50] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Hodiernus Ordo Missae, qui decursu saeculorum succrevit, retinendus est. Nonnulla tamen passim recognoscenda et aliquatenus emendanda videntur, ope studiorum quae, nostra praesertim aetate, peracta sunt sive circa originem sive circa evolutionem singulorum rituum Missae, ita ut cuiusque partis natura et significatio in clariore luce ponatur, necnon fidelium participatio actuosa facilior et magis immediata reddatur.

Clarius, ex. gr., distingui possent duae ipsius partes, liturgia nempe verbi et eucharistica: quod obtineretur praesertim cuiusque locum aptius separando.

Partis enim eucharisticae locus proprius est altare, super quod Crucis Sacrificium incruente repraesentatur; et e quo, tamquam e mensa domus paternae, suam quisque partem sumit, communicando Corpori et Sanguini Domini.

Liturgiae vero verbi, saltem in Missis cum populo, locus magis aptus ad sedes et ad ambones posset assignari, ut fit in Missa pontificali: tali enim ratione natura actionis liturgicae clarius manifestatur, ac gradus et pars cuiusque ministri evidentiore modo exprimitur.

Inter singulas vero partes Ordinis Missae, illae potissimum recognoscendae videntur quae in initio, ad Offertorium, ad Communionem et in fine accesserunt, praesertim cum ritus romanus in Gallia assumptus et ex indole gallico-germanica in formam novam redactus est, quam Ecclesia romana postea adoptavit.

Inter alia, haec aliquomodo recognoscenda proponuntur:

a) Rariores fiant in Missa crucesignationes, altaris oscula, genuflexiones, inclinationes et alia huiusmodi.

b) Preces ad gradus altaris essent aliquatenus minuendae, et forma simpliciore redigendae.

c) Lectiones proclamentur versus populum, cui directe annuntiantur.

d) Ritus Offertorii ita describatur et aptetur, ut populi participatio appareat processione oblationis, quae fieri posset saltem diebus solemnioribus, vel ab ipso populo vel ab ipsius repraesentantibus (ut adhuc fit in Liturgia Ambrosiana). Item orationes quae oblationem comitantur ita recognoscantur ut magis respondeant sensui oblationis donorum postea consecrandorum. Orationi super oblata suum momentum restituatur, clara voce eam proferendo.

e) Praefationum numerus augeatur (ex. gr., pro die dominico, pro tempore Adventus, pro festo Corporis Christi, pro Missa Dedicationis ecclesiae). In Canone praecipuae preces, vel saltem doxologia finalis, elata voce dicantur, ut populus respondere valeat « Amen »; quod in fine tantum exstare deberet. Crucesignationes in doxologia tollantur; et in toto Canone minuantur.

f) Embolismus orationis dominicae clara voce recitetur, ut fit in Actione liturgica feriae VI in Passione et Morte Domini, neque fractio ad eius conclusionem fiat.

g) Fractio hostiae et pax melius ordinentur.

h) Aboleantur restrictiones, quibus fideles a recipienda sacra Communione in quibusdam Missis prohibentur.

i) Formula distributionis sacrae Communionis brevior admittatur, ut v. gr., « Corpus Christi. ℟. Amen », ut apud S. Ambrosium et in Liturgia Ambrosiana.

l) Missa compleatur benedictione sacerdotis et formula dimissionis: « Ite, missa est ».

Ad hanc revisionem sive totius Ordinis Missae sive eius partium reduci possunt aliae quaestiones characteris potius rubricalis et caeremonialis, saepius a peritis et nunc etiam ab Episcopis pressius propositae. Duas ex his, ad modum exempli, memorari liceat: scilicet reductionem rituum Missae pontificalis in genere, et restitutionem ad praxim ordinariam Missae solemnis cum diacono, uti factum est in Ordine instaurato Hebdomadae sanctae.

4 – Exc.mus P. D. IESUS ENCISO VIANA
Episcopus Maioricensis

Relatio circa emendationes propositas

Venerabiles Patres,

In relatione paranda quae vobis hodie offertur, curavimus observationes omnes colligere, quae a Patribus variis modis factae sunt, ita ut omnes et singuli qui verbo vel scripto aliquid protulerunt videant sententiam suam non fuisse neglectam, sed accurate examinatam. Ad hoc necessarium fuit ut scriptum nostrum aliquantulum protraheretur. Sed quoniam omnes illud per aliquot dies apud vos habuistis et, ni fallor, legistis, necesse non est in praesenti omnia iterum legere, sed illa tantum percurram quae tangunt quaestiones magis disputatas, id est: de usu linguae vernaculae, de communione sub utraque specie, et de concelebratione.

Sic ergo, in pag. 17: *de art. 41, nunc 54*: De usu linguae vernaculae propositae sunt emendationes valde contrariae:

1. Quidam Patres nihil vellent mutari. Sed hoc contradicit intentioni pastorali Concilii.

2. Alii e contrario iudicant integram Missam dicendam esse lingua vernacula. Sed linguam latinam penitus exsulare a Missa contradiceret principio iam statuto in art. 36.

3. Videtur potius incedendum esse via media, quae iam in schemate designata est, et ad quam plures Patres, etsi diversis gradibus, accedunt:

a) Plures Patres generaliori modo locuti sunt, dicentes sibi placere usum linguae vernaculae, vel linguam vernaculam admittendam esse in parte catechetica Missae, vel saltem pro hac parte Missae.

b) Alii Patres, modo magis concreto, dicunt linguam vernaculam admitti posse in lectionibus Epistolae et Evangelii, in oratione communi, et in quibusdam cantibus popularibus.

c) Alius proponit ut in textu dicatur: « imprimis autem in lectionibus et in nonnullis orationibus et cantibus ». Ei adnumerari possunt alii Patres qui orationes quasdam determinant lingua vernacula dicendas.

Inter duas propositiones concretas *b*) et *c*) conata est haec commissio formulam invenire, quae ab omnibus Patribus, vel saltem a maxima eorum parte, acceptari valeat. Ut hoc obtineamus:

1. Voluimus ita loqui, ut illi, qui desiderant totam Missam latina lingua celebrare, opinionem suam aliis non imponant; et similiter, qui in quibusdam Missae partibus lingua vernacula uti volunt, ad suam praxim priores non coerceant. Ideo, iuxta ea quae in art. 36 statuta fuerant, linguae vernaculae congruum locum concedimus; sed non dicimus « tribuatur », sed « tribui possit », id quod iam in laudato art. 36 curatum est. Nemini ergo porta clauditur ut, si velit, totam Missam latina lingua celebret; et nemini clauditur porta ut in quibusdam partibus Missae vernaculam linguam adhibeat.

2. Unum tantum in hoc articulo praecipitur: « Provideatur tamen ut christifideles, etiam lingua latina, partes ordinarii Missae, quae ad ipsos spectant, possint simul dicere vel cantare ». His vero nihil aliud facimus nisi respondere, et quidem libenti animo, desiderio solemniter expresso a relatore exc.mo Calewaert, in insigni sua ad Patres conciliares relatione de art. 36 cum declaravit: « Nos autem, re perpensa, omnia particularia remittenda censuimus ad respectivos articulos subsequentium capitum. Attamen, expresse optavimus ut in capite de Missa aliqua commonitio inseratur, ad praecavendum ne fideles ex diversis linguis et nationibus peregrini convenientes incapaces evadant simul communiter orandi ». Idem desiderium manifestaverant alii Patres, in disceptatione ad aulam.

3. Pro diversis vero Missae partibus, in quibus lingua vernacula adhiberi potest — et nullam partem expresse excludimus, quamvis consideratione digni sint illi Patres qui Canonem excludunt — modum statuimus, quo talis usus obtineri poterit.

a) Pro lectionibus et oratione communi, in quibus specialissimo modo apparent rationes, quae usum linguae vernaculae commendant, competens erit auctoritas illa territorialis, de qua in art. 36 locuti sumus. Specialis autem conditio harum partium insinuatur per verbum « praesertim ».

b) Reliquas partes Missae, sive in proprio, sive in ordinario, in duo capita distinguimus. Etenim, vel dicuntur aut canuntur a fidelibus, vel dicuntur aut canuntur a sacerdote. Pro prioribus competens erit item auctoritas territorialis ad normam art. 36. Pro aliis autem servetur art. 40.

Nemo tamen inquietari velit, si videat art. 54 nihil expresse dicere de cantibus; quia in cap. VI de musica sacra, ad art. 113, dicetur: « Quoad linguam adhibendam, serventur praecepta art. 36; quoad Missam, art. 54, etc. ». Quae ergo in hoc art. 54 statuuntur, intelleguntur sive de his quae recitantur sive de his quae canuntur.

His dictis ad expositionem et interpretationem formulae proposi-

tae, quaedam petitiones excluduntur, quae in superioribus non includebantur.

Vult enim quidam Pater ut loco verborum « imprimis autem » ponatur « verbi gratia ». Et alii proposuerunt ut diceretur simpliciter: « ... locus tribuatur ad normam par. 36 huius constitutionis ». Utrumque videtur nimis vagum.

Alius Pater dicebat excipiendas esse tantum partes in quibus sacerdos agit ut minister consecrans et sanctificans, vel in quibus orat ut particularis persona. Commissioni visum est non dari rationes evidentes pro precibus offertorii et communionis.

Alius postulat ut addatur aliquid de elegenda aliqua lingua vulgari in locis ubi fideles diversas linguas vulgares colunt. Commissio censuit hoc non pertinere ad Concilium sed ad episcopos.

Alius demum proposuit addere: « Habita ratione circumstantiarum locorum, temporum, personarum, culturae, servatis his quae probante Sancta Sede iam in usu sunt ». Haec iam continentur in art. 36 et aliquo modo etiam a nostra formula significantur.

De art. 42, nunc 55.

Huic articulo praemisimus paragraphum novam, quae, iuxta quorumdam Patrum desideria, participationem Missae per sacram Communionem commendat, et quidem post Communionem sacerdotis et ex eodem sacrificio sumptam, quin tamen condemnemus Communionem extra Missam vel ex particulis in tabernaculo asservatis.

Pro textu alterius paragraphi (pro Communione sub utraque specie) plures Patres locuti sunt, diversas rationes adducentes:

a) Mandatum Domini.

b) Traditio antiqua.

c) Plenitudo signi.

d) Rationes ordinis oecumenici.

e) Devotio fidelium erga SS. Sanguinem.

f) Quidam aegroti possent Communionem sumere sub specie vini.

g) Iam in can. 866 permittitur fidelibus ut ad Communionem in aliis ritibus datam accedant.

h) Si detur in ordinatione presbyterorum, nullum datur periculum et ordinati magnum experientur solatium.

i) Semel in anno data, expleret desiderium fidelium.

Contra textum huius paragraphi, i. e. contra Communionem sub utraque specie, plures etiam Patres varias adduxerunt rationes, quae sunt:

a) Traditio plurium saeculorum.

b) Concilium Constantiense.

c) Bulla Leonis X adversus Lutherum.

d) Concilium Tridentinum.

e) Non apparet necessitas et utilitas.

f) Interpretaretur ut admissio erroris anteacti.

g) Adesset periculum credendi diverso modo recipi sub una vel sub utraque specie.

h) Confusio et turbatio oriretur in fidelibus.

i) Pericula in administratione.

k) Rationes hygienicae.

l) Difficultas vinum acquirendi in quibusdam locis.

m) Difficultates pro iis qui vinum non bibunt.

n) Multitudo communicantium.

o) Missa nimis protraheretur.

Maxima pars harum rationum supponunt agi de magno numero communicantium, quod est extra mentem huius articuli, ut apparet ex limitationibus appositis: « in casibus ab Apostolica Sede definiendis ». Immo plures ex his Patribus, qui sese opponunt, hanc Communionem admittunt pro casibus, qui exempli causa adducuntur in articulo.

Textum autem paragraphi examinantes, omisimus, ex petitione plurium Patrum, verba « sublato fidei periculo », quia sensus formulae ambiguus erat, et iam amplius non existit periculum de quo loquebatur Concilium Tridentinum, sed et ne fratres orientales offenderemus. Posuimus autem « firmis principiis dogmaticis a Concilio Tridentino statutis »; etenim in hac quaestione, quae quidem disciplinaris est, tria principia doctrinalia tenenda sunt, a Concilio Tridentino exposita:

1. Laicos et clericos non conficientes non adstringi iure divino ad Communionem sub utraque specie, nec Communionem sub utraque specie esse de necessitate salutis.

2. Ecclesiam potestatem habere statuendi dispensationem Sanctissimae Eucharistiae fieri sive sub una, sive sub utraque specie.

3. Totum et integrum Christum ac verum sacramentum sub qualibet specie sumi.

Sic obsequimur iis, qui ex Tridentino arguebant contra Communionem sub utraque specie.

Exemplo de Missa ordinationis alia duo addita sunt, iuxta ea quae varii Patres proposuerant; et quidem ita ut unum exemplum habeamus pro sacerdotibus, alium pro religiosis, et alium pro laicis. Placuit pro his ultimis exemplum ponere baptismi adultorum, quia exemplum Missae nuptiarum minus opportunum videbatur quibusdam Patribus. Enumeratio tamen non est absoluta, sed exempli causa posita.

Denique, ne quis intellegeret Communionem sub utraque specie extendi ad omnes, qui illis Missis intersunt, diximus: « ordinatis in Missa sacrae suae ordinationis, professis in Missa religiosae suae professionis, neophytis in Missa quae baptismum subsequitur ».

Ut rationibus hygienicis sufficienter attendatur, Commissio postconciliaris providebit secundum exempla Fratrum orientalium.

Nunc de art. 44 et 45, nunc 57, in eadem pagina.

Ubi de concelebratione agitur, proposuerunt quidam Patres, ut ratio positiva adducatur, quae concelebrationem commendat per formulam « qua unitas Ecclesiae opportune manifestatur ». Commissio propositioni annuit, sed loco « Ecclesiae », scripsit « sacerdotii ».

De casibus concelebrationis:

a) Tredecim Patres proposuerunt ut, non tantum pro Missa chrismatis, sed etiam pro Missa vespertina in Cena Domini, concelebratio sacramentalis permittatur. Alii, e contra, opinabantur actualem consuetudinem servandam esse, tum quia in illa Missa repraesentatio fit ultimae Cenae, in qua solus Christus consecravit, tum quia in ritu alexandrino concelebrationis verba consecratoria ab unico celebrante proferuntur, tum quia consuetudo actualis, vi cuius sacerdotes concelebrantes non proferunt verba consecrationis, est forma antiquior concelebrationis. Commissio non fuit unanimis, maior tamen Patrum numerus maluit concelebrationem extendere etiam ad Missam vespertinam.

b) et *c*) addita sunt ex his quae aliqui Patres postulaverunt.

Sub littera *a*) n. 2 reposuimus paragraphum ex textu originali commissionis praeparatoriae, iuxta desiderium plurium Patrum. Notandum est in ea vocabulum « ecclesiis » sumi in sensu lato, prout complectitur etiam oratoria semipublica religiosorum.

Sub littera *b*) n. 2 transcripsimus quod in textu legebatur sub *b*). Omisimus autem verba « si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit », quia ratio concelebrationis non est impossibilitas celebrandi singulariter, sed manifestatio unitatis sacerdotii. Sic obsecuti sumus desiderio plurium Patrum.

De his duobus casibus notandum est:

1. Agimus de concelebratione etiam absque praesentia personali episcopi.

2. Salvanda est libertas uniuscuiusque sacerdotis celebrandi individualiter.

3. Requiritur iudicium Ordinarii. Disputatum est num deberemus dicere « Episcopi » loco « Ordinarii », ad vitandos conflictus ex maiori facilitate religiosorum oriundos. Praevaluit autem expressio « Ordinarii ».

4. Eidem Ordinario reservatur, non solum iudicium de opportunitate concelebrationis, sed etiam vigilantia de concelebrationis modo et circumstantiis.

Suffragandum vobis proponimus textum cap. II in quo plura mutata sunt, nonnulla addita et aliqua omissa. Ex ditissimis enim dissertationibus Patrum, quae per plures congregationes protractae sunt, curavit haec commissio ea omnia et sola seligere, quae textum schematis maiori proprietate, claritate et plenitudine ditantia, eum redderent, in quantum fieri potest, menti omnium Patrum conciliarium fideliter respondentem.

Faxit Deus ut omnia in eius gloriam cedant!

Textus typis impressus:

Venerabiles Patres,

Commissio Conciliaris de Sacra Liturgia maxima cum diligentia observationes omnes collegit quas Patres conciliares de Sacrosancto Eucharistiae Mysterio protulerunt, tum in scriptis ad Secretariam Status Sanctae Sedis ante primam sessionem missis, tum in dissertationibus ad aulam conciliarem, tum etiam in communicationibus, quae post primam sessionem clausam ad Secretariam Concilii pervenerunt; quae omnia dactilographice scripta, in his quae caput II tangunt, ducentas et sexaginta paginas replent.

Singula nos examinavimus et perpendimus, eo semper intenti, ut quos Patres conciliares manifestaverant sensus, et pietatis in Sanctissimam Eucharistiam, et amoris erga Christi Ecclesiam, simulque pastoralis sollicitudinis pro grege sibi commisso, nobis essent et lux et norma in dubiis solvendis et in theologicis principiis applicandis.

An in quaestionibus, quas conciliares disceptationes difficillimas manifestaverunt, optatas formulas invenerimus, quae omnibus, vel saltem maximae Praesulum parti, placere possint, vos ipsi videbitis. Sufficiat humili relatori rationem reddere eorum, quae vel libenter et utiliter, ut speramus, in textum schematis introducenda accepimus, vel, non obstante eorum valore, omittere coacti sumus.

De observationibus generalibus

Caput II nostri schematis nonnulli Patres laudaverunt (p. 4 n. 4; p. 6 n. 6; p. 7 n. 7; p. 8 n. 8; p. 29 n. 34).[1]

Alii vero Patres, vel schema theologice minus praecisum censent (p. 38 n. 15; p. 39 n. 17); vel caute procedendum monent (p. 31 n. 1); aut scandalum populi timent (p. 1 n. 1; p. 4 s. n. 5); aut unitatem Ecclesiae periclitari iudicant (p. 6 n. 6).

Quibus omnibus haec Commissio in sequentibus satisfacere conata est.

---

[1] Paginae quae hic et decursu huius Relationis indicantur inter parenthesim, referuntur ad volumen in quo omnes Animadversiones Patrum circa caput *De sacrosancto Eucharistiae Mysterio* sunt reproductae: quod volumen dactilographice conscriptum et mechanice multiplicatum fuit, ad usum Patrum ac Peritorum Commissionis Conciliaris de sacra Liturgia.

De titulo

Titulus huius capitis non placet duobus Patribus (p. 34 n. 10; p. 42 n. 20), quia non distinguit inter Sacrificium et Sacramentum. Commissio censet « *mysterium* » utrumque conceptum amplecti, ideoque retinendum esse, praesertim cum postea in textu illi conceptus clarius exponantur.

De prima parte prooemii, nunc art. 47

Pro hoc articulo, praeter generaliores quasdam quaestiones, tres novae formulae propositae sunt, et octo quaestiones promotae.

Observationes generales. Nonnulla, quae a Patribus desiderantur, supponunt mentem Concilii esse plenam doctrinae theologicae de Eucharistiae Sacramento et Sacrificio expositionem tradere, eaque repetere, quae tam praeclare a Concilio Tridentino (Sess. XXII) exposita sunt. Articulus noster nihil aliud intendit quam iustificare quae in sequentibus disponuntur ad Liturgiam Missae instaurandam pro maiori participatione et beneficio fidelium. Ideo non censuimus addenda quae a pluribus Patribus proposita sunt de Redemptione, de Sacerdotio et Sacrificio Christi (pp. 38 s. n. 15), de duplici aspectu sacrificali et sacramentali Eucharistiae (p. 34 n. 10; p. 39 n. 17; p. 42 n. 20), et de diversis finibus Missae (p. 42 n. 20; p. 34 n. 9; p. 36 n. 11; p. 38 n. 14; p. 43 n. 1).

Octo quaestiones. 1) Notabat quidam Pater (p. 38 n. 14) nihil dici in hoc articulo de aspectu sacrificali Eucharistiae. Commissio huic observationi satisfecit, formulam introducens, de qua postea loquemur.

2) Optabat alius Pater (p. 43 n. 1) post verbum « *Apostolis* » (l. 2) addi « eorumque in sacerdotio successoribus », tum propter rationem doctrinalem tum ut accederemus ad formulam Concilii Tridentini (Sess. XXII c. I). Rationes adductae optimae sunt, sed in formula, quae nunc a Commissione proponitur, non citantur expresse Apostoli.

3) Aliis Patribus non placuit designatio « *paschale convivium* » (l. 2), quia nimis insisteret in aspectu conviviali (p. 32 n. 5), vel quia Pascha facilius intellegitur a fidelibus de Resurrectione Domini quam de eius Sacrificio (p. 37 n. 13; p. 38 n. 14; p. 41 n. 19). Prima ratio prae oculis habita est in novo textu proposito. Alteri autem opponi potest tum narratio evangelica de institutione Eucharistiae (*Mt.* 26, 29; *Mc.* 17, 25; *Lc.* 22, 14-18) tum tota traditio; cui cohaeret S.tus Thomas in hymno « Lauda, Sion »: « Novum Pascha novae legis »; et praesertim Concilium Tridentinum in sess. XXII c. I. Quare verba illa retinenda censuimus.

4) Verba « *mortis eius victoria et triumphus* » (l. 3) ex Tridentino citata, quidam Patres supprimenda censent (p. 34 n. 9; p. 37 n. 13; p. 36 n. 11; p. 41 n. 19), quia in Tridentino intelleguntur de festo Corporis Christi. Commissio ea omisit, eo vel magis quod iam in n. 2 cap. 1 adducta erant.

5) Unus Pater proponit ut post verbum « repraesentaretur » (l. 4) addatur explicatio: « mirabili modo praesentatur seu renovatur ». Haec tamen additio textum nimis gravaret et obscurum redderet.

6) Verba « *sacramentum pietatis* » (l. 5) impugnantur ab uno Patre (p. 37 n. 13), quia in 1 Tim. 3, 16 dicuntur de mysterio Incarnationis. Videntur tamen retinenda, quia de Eucharistia quoque leguntur apud Augustinum (Tract. 26 in Ioannem).

7) « *Fons et exemplar unitatis* » (l. 5) duobus Patribus non placet (p. 37 n. 13; p. 41 n. 18). Unus proponit ut dicatur « fons et symbolum unitatis » (p. 37 n. 13). Ut omnes difficultates vitaret, maluit Commissio verba Augustini transcribere: « O Sacramentum pietatis. O signum unitatis. O vinculum caritatis ».

8) Descriptio « *sacrificium laudis* » (l. 6) insufficiens videtur tribus Patribus (p. 34 n. 9; p. 36 n. 11; p. 38 n. 14), qui vellent ut exprimantur aliae species sacrificii. Commissio haec verba omittit in nova formula quam proponit.

Tres novae formulae. Praeter has observationes ad singula verba, tres novae formulae propositae sunt, huic paragrapho substituendae:

1) « ... Apostolis sub panis et vini specie mortis suae sacrificium in Cruce peragendum repraesentavit, et Patri sacramentaliter obtulit, ac seipsum panem vitae aeternae manducandum praebuit. Quae omnia Apostolis in sui memoriam iteranda praecepit. Ita Ecclesiae dilectissimae suae Sponsae immensum SS. Eucharistiae donum largitus est, ut sit sacrificium laudis et propitiationis, fons et symbolum unitatis, figura et pignus caelestis convivii » (p. 37 n. 13).

2) « Salvator noster in Cena novissima, qua nocte tradebatur, Sacrificium Eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo sacrificium crucis in saecula mystice perennaret per Apostolos eorumque successores; et Ecclesiae suae dilectae Sponsae memoriale concrederet mortis ac resurrectionis suae, magnum sacramentum pietatis et unitatis, convivium paschale, fons gratiae ac pignus futurae gloriae » (p. 32 n. 5).

3) Nota antiphona liturgica: « O sacrum convivium, in quo Christus sumitur, etc. » (p. 34 n. 10).

Omnibus mature perpensis, Commissio secundam formulam selegit, leviter emendatam ex his quae superius disceptata fuerant, atque tertiam formulam addidit, hoc modo:

« Salvator noster, in Cena novissima, qua nocte tradebatur, *Sacrificium Eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo Sacrificium Crucis in saecula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo* Ecclesiae dilectae Sponsae *memoriale concrederet mortis et resurrectionis suae*: sacramentum pietatis, *signum* unitatis, *vinculum caritatis,* convivium paschale, *in quo Christus sumitur, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur* ».

In qua formula initium — « Salvator noster, in Cena novissima, qua nocte tradebatur » — remanet idem ac in textu schematis.

Introduximus etiam « *donec veniret* » post « in saecula », ut retineremus hanc ideam ex schematis textu depromptam.

Ante verbum « unitatis » posuimus « *signum* », iuxta ea quae superius disceptata sunt. Et ex eodem loco S.ti Augustini addidimus: « *vinculum caritatis* ».

Denique, loco verborum finalium « fons gratiae ac pignus futurae gloriae », accepimus ex tertia formula verba notae antiphonae liturgicae « *in quo Christus sumitur* », etc.

De altera parte prooemii, nunc art. 48

De hoc articulo duae observationes generales factae sunt, et aliae sex quaestiones propositae.

Observationes generales. 1) Observant aliqui Patres textum schematis inculcare modum liturgicum assistendi Missae, ac si esset unicum medium Missae sacrificium participandi, dum, teste Enc. *Mediator Dei* (*AAS* 39, 1947, p. 561) sit opti-

mus, sed non unicus modus, immo possit esse mere externus sine contemplatione interna (pp. 1-2). Commissio iudicavit in praesenti Constitutione liturgica sufficere descriptionem modi assistendi Missae Sacrificio qualis describitur in documentis Magisterii (*Mediator Dei,* l. c., 560; Instructio S. C. R. de Musica Sacra et Sacra Liturgia ad mentem litt. Encyclicar. Pii Papae XII *Musicae sacrae disciplina* et *Mediator Dei,* c. III, pp. 637-639), quorum ultimum docet internam participationem perfectiorem evadere, « si internae attentioni *externa* accedat participatio ». Ideo « participatio conscia, pia et actuosa », de qua agitur in hoc et aliis articulis, nullo modo potest interpretari ut participatio pure externa. Doctrina hic tradita concordat cum his quae a S. Thoma docentur de actibus cultus externi (II-II, q. 81 a. 7) et communis seu publici (q. 83 a. 12).

2) Obiiciunt alii textum schematis non loqui nisi de effectibus subiectivis Missae, qui ab assistentibus percipiuntur secundum mensuram dispositionum suarum, dum Missa habeat praeterea effectus obiectivos et entitativos, qui non pendent a dispositionibus subiectivis (p. 41 n. 19). Oportet tamen in mentem revocare textum non continere completam expositionem de effectibus Missae, sed illa tantum recolere, quae requiruntur ad fundandam instaurationem rituum Missae, ut fideles ex ipsa uberiores fructus suscipiant.

Sex quaestiones. 1) Expressio « *velut inertes et muti spectatores* » (l. 8) cuidam Patri non placet, quia videtur excludere silentiosam participationem Missae, quae personis spiritualiter cultis placet (p. 32 n. 4). Attamen haec formula, post ea quae nuper diximus, retinenda videtur, praesertim cum desumpta sit ex Const. *Divini cultus* Pii XI: « Ac revera pernecesse est ut fideles, non tamquam extranei vel muti spectatores, sed penitus pulchritudine affecti, sic caeremoniis sacris intersint » (*AAS* 21, 1929, p. 40). Immo, ut pressius verba Pii XI referremus, scripsimus « *extranei* » ubi legebatur « inertes ».

2) Proponit unus Pater ut in eadem l. 8 dicatur: « Ut ritus et preces *atque mysterium* quod per ea exprimitur bene intelligant (p. 37 n. 12). Commissio optimam iudicavit hanc propositionem, sed ut melius significemus ritus et preces sese habere tanquam media ad mysterium intelligendum, scripsimus: « *per ritus et preces id bene intellegentes* ». Sic respondemus etiam desideriis eorum, qui volunt ut aliquo modo significetur attentio interna (p. 31 n. 1-2).

Non videtur necessaria additio ab alio Patre proposita: « Hoc mysterium intellegant *atque magni aestiment* » (p. 40 n. 17).

Textu sic immutato, non clarus remanebat sensus pronominis « ea » (l. 9); ideo eius loco scripsimus « *sacram actionem* ».

3) Expressio « *Mensa cum verbi tum Corporis Domini reficiantur* » occasionem dedit duabus quaestionibus:

a) Impugnatur locutio « *mensa* cum verbi tum Corporis Domini », quia in primo casu « mensa » habet sensum metaphoricum, et in secundo proprium; cum autem sensus metaphoricus primae partis sit evidentissimus, ansa daretur ut quis similiter secundam partem intellegeret. Commissio censuit vocem « mensa » retineri posse ex auctoritate libri « De imitatione Christi » (lib. IV c. 11), qui in alio versu loquitur de mensa verbi et in alio de mensa eucharistica. Tamen, ut nullum locum aequivocationi daremus, maluimus scribere: « *verbo Dei instituantur, mensa Corporis Domini reficiantur* ».

b) Unus Pater timet ne videamur contemnere assistentiam Missae sine Communione. Sed, ut in Instructione S. C. R. (l. c.) dicitur: « Perfecta demum

participatio actuosa obtinetur, quando *sacramentalis* quoque participatio accedit ». In Constitutione proponitur illud quod est optimum, nec ullo modo insinuatur contemptus simplicis Missae assistentiae.

4) Proposuit unus Pater addere ad verba nunc examinata (l. 11): « Per Christum accedant ad Patrem, Ei gratias agentes, eiusque misericordiam implorantes, per ministerium sacerdotum offerendo hostiam immaculatam, scilicet Christum Dominum, per Ipsum et cum Ipso sese Eidem Christo obtemperantes, offerre discant ... etc. » (p. 38 n. 15). Sed formula esset nimis longa, et eius ideae videntur satis contineri in textu.

5) Alii mallent in l. 11 scribere « *per* sacerdotem », et non « *cum* sacerdote » (n. 17; p. 127 n. 19; Ap. II n. 8). Commissioni placuit introducere formulam Enc. *Mediator Dei* (l. c. p. 555) magis completam: « *non tantum per sacerdotis manus, sed etiam una cum ipso* ».

6) Citatio *1 Cor.* 15, 28 (l. 13) minus apta videbatur, quia Paulus loquitur ibi in sensu eschatologico (p. 37 n. 13). Ideo Commissio introduxit verba Cyrilli Alexandrini (in Ioannis Evang., lib. XV c. XII: PG 74, 563): « *De die in diem consummentur in unitatem cum Deo et Patre, ac inter se, Christo mediante* », omisso tamen inciso « *et Patre* » claritatis gratia; et addidit « tandem », ut sensus eschatologicus innuatur.

De tertia parte prooemii, nunc art. 49

In hoc articulo plures Patres reprobaverant verbum « restituat » (l. 15), quod videbatur significare Missam amisisse suam plenam efficacitatem. Post varia tentamina Commissio, leviter mutata pericopa, posuit « *assequatur* ». Addidit praeterea « *ratione habita Missarum, quae concurrente populo celebrantur, praesertim diebus dominicis et festis de praecepto* », ut nihil praeiudicetur de Missis quae a solo sacerdote sine concursu populi celebrantur.

De art. 37, nunc 50

De recognitione Ordinis Missae plura dicta vel scripta sunt.

I. Textum schematis defendunt quidam Patres (p. 46 n. 6; p. 53 ss. n. 17; p. 57 n. 19; p. 63 s. n. 23; p. 73 n. 31), his rationibus innixi:

a) Utilitate pastorali (nn. 6; 19; 23; 31).
b) Promotione splendoris primitivi (n. 23).
c) Praxi Ecclesiae tempore praeterito (n. 6).
d) Concessionibus iam factis (n. 23).
e) Experientiis alicubi habitis (n. 6).
f) Charactere oecumenico Ecclesiae (n. 31).
g) Ut facilior fiat reditus fratrum separatorum (n. 19).

II. Aliis Patribus non placet (p. 45 n. 4; p. 48 n. 8; p. 65 n. 25):

a) Quia non apparet quomodo et quae mutanda sint (n. 4).
b) Ob periculum scandali in populo (n. 8).
c) Ob sanctitatem Missae (n. 9).
d) Quia hic ritus antiquissimus est (n. 25).

e) Quia hic ritus summum artificium repraesentat (n. 25).
f) Quia romana veteri sobrietate fundatur (n. 25).
g) Quia nullus erit finis mutationum (n. 25).

III. Alii Patres, etsi non libenter, recognitionem Ordinis Missae acceptant, sed monent:

a) Ne reformatio nimia et non necessaria fiat (p. 63 n. 2; p. 64 n. 24; p. 70 n. 29; p. 88 n. 43).
b) Ne unitas ritus laedatur (nn. 14; 15).
c) Peculiaria rituum serventur (n. 1).
d) Ut Canon Missae, in quantum fieri possit, intactus maneat (p. 50 n. 14).

IV. Commissio iudicat rationes adductas in II et ea quae in III dicuntur, non tanti ponderis esse ut omnis recognitio sit reicienda, sed tamen prae oculis debere adesse iis qui recognitionem perficient.

Articulus 50, prout nunc proponitur, duas paragraphos habet.

Prior paragraphus. Ut aliquo modo declararetur natura recognitionis faciendae, dicebatur in textu schematis: « sive in generali dispositione sive in singulis partibus ». Quibusdam tamen Patribus (p. 74 n. 32; Ap. II n. 8) haec verba displicebant, quia videbantur significare in actuali Ordine Missae omnia esse errata omniaque funditus mutanda. Proponit Commissio ut descriptio recognitionis faciendae clarius enuntietur in nova paragrapho addenda, hic vero de scopo tantum recognitionis loquamur. Ideo dicimus: « *ita recognoscatur, ut singularum partium propria ratio necnon mutua connexio clarius pateant* ».

Altera paragraphus. Pro descriptione recognitionis faciendae variae formulae propositae sunt:

1) Post verbum « percipiatur » debet addi: « ad quod conferet maior simplicitas, omissis iis quae historiae decursu duplicata vel addita fuerunt, aut hodie iam non intelliguntur » (p. 50 n. 12).

2) « Hic novus ordo restringatur ad Missam catechumenorum, ita ut ab Offertorio usque ad finem Ordo Missae immutatus maneat, et quidem lingua latina, salvo privilegio. Ordo Missae catechumenorum, utcumque mutatus et etiam si totus in lingua vulgari instructus, communis et idem sit pro omnibus, qui ritu romano utuntur » (p. 50 s. n. 14).

3) Alii addere volunt: « Cum in Missa duae sint partes ex natura ab invicem distinctae, liturgia nempe verbi et sacrificii, locus proprius unicuique earum tribuendus est, ita scilicet ut populo christiano mysteriorum intelligentia facilior reddatur, et insuper actuosa eius participatio foveatur. In futuro ergo licitum sit in Missis cum populo liturgiam verbi ad ambones vel ad alium idoneum locum, sicut in ritu pontificali, celebrare ». Et addunt: « Hodiernus Ordo Missae, qui saeculorum decursu succrevit, retinendus est; nonnulla tamen passim recognoscantur, praesertim sequentia ». Et offerunt seriem mutandorum (p. 72 n. 30). Similes series mutandorum proponunt alii Patres (p. 67 n. 27; p. 76 n. 36; nn. 33, 37, 38, 41; App. II nn. 10, 18, 20, 21).

Ex propositione 1) aliqua desumpsimus. Curavimus imprimis ut clare asseratur permanentia substantialis rituum actualium. Ideo diximus: « *Ritus, probe servata eorum substantia* »... Deinde mutationes faciendas in sensu negativo et positivo descripsimus. Negativo quidem, ex formula proposita, leviter modificata: « *Ea omittantur, quae temporum decursu duplicata fuerunt vel minus utiliter*

addita ». Positivo autem, verbis fere ad litteram desumptis ex Bulla S. Pii Papae V ad Missale Romanum: « *Restituantur vero ad pristinam Sanctorum Patrum normam nonnulla quae temporum iniuria deciderunt* ».

Quoad propositionem 2), distinctio desiderata inter primam et secundam partem Missae non potest nimis absolute statui, quia etiam in secunda parte Missae aliqua sunt, etsi minoris momenti, quae revidenda dicuntur, v. gr., quaedam crucissignationes.

In propositione autem 3) series mutandorum nimis concretae sunt, ut in textu Constitutionis ponantur.

De art. 38, nunc 51

Difficultates vere paucae, quae huic articulo oppositae sunt (p. 90 n. 1), procedunt ex timore nimis protrahendi Missae celebrationem. Non tamen agitur de multiplicandis lectionibus in eadem Missa, sed de maiori varietate lectionum per annum vel per annos obtinenda. Et ne expressio « plurium annorum » videatur indicare periodum nimis longam, scripsimus « *intra praestitutum annorum spatium* ».

Verba « cum mensa eucharistica etiam » (l. 21) omissa sunt, ne ideam de duplici mensa iteraremur.

De art. 39, nunc 52

De homilia duo invenimus a Patribus postulata: 1. Ut ad eam apponatur concio seu expositio doctrinae christianae (p. 105 n. 18; p. 109 n. 31).

2. Ut magis urgeatur obligatio homiliam faciendi (pp. 98-110 nn. 1, 2, 4, 5, 7, 8, 10, 11, 12, 13, 14, 15, 16, 17, 19, 20, 22, 23, 25, 26, 27, 28, 29, 32, 33, 34; App. I p. 39).

Quoad 1. consideravit Commissio:

a) Homilia pertinet ad Missam tamquam expositio lectionum, quae in ea proclamantur.

b) Homilia debet praeterea christianorum fidem alere ex liturgicorum temporum cursu.

c) Plures fideles nullam extra Missam institutionem religiosam accipiunt.

d) In propositione textus sacri non erit difficile universam doctrinam christianam singillatim tradere, praesertim postquam numerus lectionum notabiliter augeatur.

Ideo post verbum « homilia » addidimus: « *qua per anni liturgici cursum ex textu sacro fidei mysteria et normae vitae christianae exponuntur* ».

Alteri petitioni annuit Commissio scribens: « *quinimmo in Missis, quae diebus dominicis et festis de praecepto concurrente populo celebrantur, ne omittatur, nisi gravi de causa* ».

De art. 40, nunc 53

Redintegratio orationis communis a pluribus Patribus laudata est (p. 111 nn. 1, 2, 3; p. 112 n. 4; p. 114 n. 7; p. 117 nn. 11, 13).

Recte notavit quidam Pater verba « omnibus qui in sublimitate sunt » in aure plurium iniustitiis socialibus oppressorum sonare posse in sensu longe diverso

a paulino, et valde decere Ecclesiam Christi pauperis pro pauperibus orare (pp. 114-115 n. 12). Ideo Commissio formulam mutavit dicens: « *pro iis qui nos in potestate regunt* », sicut in Vigilia Paschali, et « *pro iis qui variis premuntur necessitatibus* ». In fine, ex petitione unius Patris, addidit: « *totiusque mundi salute* ».

De art. 41, nunc 54

De usu linguae vernaculae propositae sunt emendationes valde contrariae:

1. Quidam Patres nihil vellent mutari (pp. 127, 128, 136; Ap. I p. 41; Ap. II pp. 7, 8, 10, 25). Sed hoc contradicit intentioni pastorali Concilii.

2. Alii e contrario iudicant integram Missam dicendam esse lingua vernacula (pp. 118, 122, 132; Ap. II n. 17). Sed linguam latinam penitus exulare a Missa contradiceret principio iam statuto in art. 36.

3. Videtur potius incedendum esse via media, quae iam in schemate designata est, et ad quam plures Patres, etsi diversis gradibus, accedunt:

a) Plures Patres generaliori modo locuti sunt, dicentes sibi placere usum linguae vernaculae (p. 122), vel linguam vernaculam admittendam esse in parte catechetica Missae (pp. 111, 128; Ap. III p. 22; Ap. II nn. 23, 19), vel saltem pro hac parte Missae (p. 132).

b) Alii Patres modo magis concreto dicunt linguam vernaculam admitti posse in lectionibus Epistolae et Evangelii (p. 20 n. 7; Ap. II n. 20), in oratione communi (p. 120 n. 8; p. 118 n. 3), et in quibusdam cantibus popularibus (p. 118 n. 3).

c) Alius proponit ut in textu dicatur: « imprimis autem in lectionibus et in nonnullis orationibus et cantibus » (p. 118 n. 2). Ei adnumerari possunt alii Patres qui orationes quasdam determinant lingua vernacula dicendas (p. 121 n. 9; p. 133 n. 25; p. 133 n. 29).

Inter duas propositiones concretas *b*) et *c*) conata est haec Commissio formulam invenire, quae ab omnibus Patribus, vel saltem a maxima eorum parte, acceptari valeat. Ut hoc obtineremus,

1. Voluimus ita loqui, ut illi, qui desiderant totam Missam latina lingua celebrare, opinionem suam aliis non imponant; et similiter, qui in quibusdam Missae partibus lingua vernacula uti volunt, ad suam praxim priores non coerceant. Ideo, iuxta ea quae in art. 36 statuta fuerant, linguae vernaculae congruum locum concedimus, sed non dicimus « *tribuatur* », sed « *tribui possit* », id quod iam in laudato art. 36 curatum est. Nemini ergo porta clauditur ut, si velit, totam Missam latina lingua celebret; et nemini clauditur porta ut in quibusdam partibus Missae vernaculam linguam adhibeat.

2. Unum tantum in hoc articulo praecipitur: « *Provideatur tamen ut christifideles etiam lingua latina partes Ordinarii Missae, quae ad ipsos spectant, possint simul dicere vel cantare* ». His vero nihil aliud facimus nisi respondere, et quidem libenti animo, desiderio sollemniter expresso a relatore Exc.mo Calewaert in insigni sua ad Patres conciliares relatione de art. 36, cum declaravit: « Nos autem, re perpensa, omnia particularia remittenda censuimus ad respectivos articulos subsequentium capitum. Attamen expresse optavimus *ut in capite de Missa aliqua commonitio inseratur,* ad praecavendum ne fideles ex diversis linguis et nationibus peregrini convenientes incapaces evadant simul communiter orandi ». Idem

desiderium manifestaverant alii Patres in disceptatione ad aulam (p. 119 n. 6; p. 136 n. 30).

3. Pro diversis vero Missae partibus, in quibus lingua vernacula adhiberi potest — et nullam partem expresse excludimus, quamvis consideratione digni sint illi Patres qui Canonem excludunt — modum statuimus, quo talis usus obtineri poterit.

a) Pro lectionibus et oratione communi, in quibus specialissimo modo apparent rationes, quae usum linguae vernaculae commendant, competens erit auctoritas illa territorialis, de qua in art. 36 locuti sumus. Specialis autem condicio harum partium insinuatur per verbum « *praesertim* ».

b) Reliquas partes Missae, sive in Proprio sive in Ordinario, in duo capita distinguimus. Etenim vel dicuntur aut canuntur a fidelibus, vel dicuntur aut canuntur a sacerdote. Pro prioribus competens erit item auctoritas territorialis ad normam art. 36. Pro aliis autem servetur art. 40.

Nemo tamen inquietari velit, si videat art. 54 nihil expresse dicere de cantibus; quia in cap. VI « De Musica Sacra », ad art. 113, dicetur: « Quoad linguam adhibendam, serventur praecepta art. 36; quoad Missam, art. 54, etc. ». Quae ergo in hoc art. 54 statuuntur, intelleguntur sive de his quae recitantur sive de his quae canuntur.

His dictis ad expositionem et interpretationem formulae propositae, quaedam petitiones excluduntur, quae in superioribus non includebantur.

Vult enim quidam Pater (p. 124 n. 16) ut loco verborum « imprimis autem » ponatur « verbi gratia ». Et alii proposuerunt ut diceretur simpliciter: « ... locus tribuatur ad normam paragraphi 36 huius Constitutionis » (p. 123 n. 14). Utrumque videtur nimis vagum.

Alius Pater dicebat excipiendas esse tantum partes, in quibus Sacerdos agit ut minister consecrans et sanctificans, vel in quibus orat ut particularis persona (p. 126 n. 17). Commissioni visum est non dari rationes evidentes pro precibus Offertorii et Communionis.

Alius postulat ut addatur aliquid de elegenda aliqua lingua vulgari in locis ubi fideles diversas linguas vulgares colunt. Commissio censuit hoc non pertinere ad Concilium sed ad Episcopos.

Alius demum proposuit addere: « habita ratione circumstantiarum, locorum, temporum, personarum, culturae, servatis iis, quae probante Sancta Sede iam in usu sunt » (p. 119 n. 5). Haec iam continentur in art. 36, et aliquo modo etiam a nostra formula significantur.

De art. 42, nunc 55

Huic articulo praemisimus paragraphum novam, quae, iuxta quorumdam Patrum desideria (pp. 131-132 n. 22; p. 127 n. 19), participationem Missae per sacram Communionem commendat, et quidem post Communionem sacerdotis et ex eodem sacrificio sumptam, quin tamen condemnemus Communionem extra Missam vel ex particulis in tabernaculo asservatis.

Pro textu alterius paragraphi plures Patres locuti sunt, diversas rationes adducentes:

a) Mandatum Domini (p. 144 n. 19; p. 146 n. 23; p. 139 n. 2; p. 151 n. 29; p. 163 n. 49; p. 167 n. 56; p. 168 n. 57).

b) Traditio antiqua (p. 141 n. 6; p. 151 n. 27).

c) Plenitudo signi (p. 144 n. 19; p. 146 n. 23; p. 150 n. 26; p. 159 n. 40; p. 161 n. 45; p. 163 n. 48; p. 164 n. 50; p. 166 n. 54; p. 167 n. 56; p. 160 n. 41).

d) Rationes ordinis oecumenici (p. 143 n. 15; p. 144 n. 19; p. 146 n. 23; p. 139 n. 2; p. 141 n. 6; p. 151 n. 29; p. 152 n. 30; p. 154 n. 32; p. 164 n. 50; p. 166 n. 54; p. 160 n. 41).

e) Devotio fidelium erga SS. Sanguinem (p. 152 n. 2; p. 141 n. 6; p. 141 n. 10; p. 164 n. 50; p. 168 n. 57; Ap. III p. 22).

f) Quidam aegroti possent Communionem sumere sub specie vini (p. 150 n. 26).

g) Iam can. 866 permittit fidelibus ut ad Communionem in aliis ritibus datam accedant (Ap. II n. 7).

h) Si detur in ordinatione Presbyterorum, nullum datur periculum, et ordinati magnum experientur solatium (Ap. II n. 15).

i) Semel in anno data, expleret desiderium fidelium (Ap. II n. 14).

Contra textum huius paragraphi plures etiam Patres varias adduxerunt rationes, quae sunt:

a) Traditio plurium saeculorum (p. 139 n. 1; p. 132 n. 62).

b) Concilium Constantiense (p. 139 n. 4).

c) Bulla Leonis X adv. Luterum (p. 140 n. 4).

d) Concilium Tridentinum (p. 140 n. 4; p. 148 n. 25; p. 165 n. 52; Ap. II n. 20).

e) Non apparet necessitas et utilitas (p. 142 n. 14; p. 141 n. 8); p. 141 n. 9; p. 147 n. 24; p. 159 n. 38; p. 172 n. 62).

f) Interpretaretur ut admissio erroris anteacti (p. 145 n. 20).

g) Adesset periculum credendi diverso modo recipi sub una vel sub utraque specie (p. 142 n. 14; p. 142 n. 11; p. 144 n. 18; p. 147 n. 24; p. 150 n. 28; p. 157 n. 34; p. 171 n. 59).

h) Confusio et turbatio oriretur in fidelibus (p. 141 n. 5; p. 150 n. 28; p. 158 n. 36; p. 161 n. 44).

i) Pericula in administratione (p. 139 n. 1; p. 142 n. 13; p. 146 n. 21; p. 147 n. 24; p. 170 n. 59).

k) Rationes hygienicae (p. 140 n. 4; p. 143 n. 25; p. 145 n. 20; p. 139 n. 1; p. 142 n. 13; p. 153 n. 31; p. 157 n. 34; p. 146 n. 21; p. 161 n. 24; Ap. II n. 8).

l) Difficultas vinum acquirendi in quibusdam locis (p. 143 n. 16; p. 157 n. 34; p. 171 n. 59).

m) Difficultates pro iis qui vinum non bibunt (p. 145 n. 20).

n) Multitudo communicantium (p. 142 n. 11; p. 158 n. 37; p. 158 n. 39).

o) Missa nimis protraheretur (p. 147 n. 24).

Maxima pars harum rationum supponunt agi de magno numero communicantium, quod est extra mentem huius articuli, ut apparet ex limitationibus appositis: « *in casibus ab Apostolica Sede definiendis* ». Immo plures ex his Patribus, qui sese opponunt, hanc Communionem admittunt pro casibus, qui exempli causa adducuntur in articulo.

Textum autem paragraphi examinantes, omisimus, ex petitione plurium Patrum (p. 153 n. 31; p. 150 n. 26; p. 151 n. 29; p. 159 n. 40; p. 162 n. 46; p. 165 n. 53; p. 168 n. 58; p. 160 n. 41), verba « sublato fidei periculo » (l. 9),

quia sensus formulae ambiguus erat, et iam amplius non exsistit periculum de quo loquebatur Concilium Tridentinum, sed et ne fratres orientales offenderemus. Posuimus autem « *firmis principiis dogmaticis a Concilio Tridentino statutis* »; etenim in hac quaestione, quae quidem disciplinaris est, tria principia doctrinalia tenenda sunt, a Concilio Tridentino exposita:

1. Laicos et clericos non conficientes non adstringi *iure divino* ad Communionem sub utraque specie (Cap. I, Denz. 930), nec Communionem sub utraque specie esse de necessitate salutis (Can. 1, Denz. 934).

2. Ecclesiam potestatem habere statuendi dispensationem Sanctissimae Eucharistiae fieri sive sub una sive sub utraque specie (C. II, Denz. 931, et can. 2, Denz. 935).

3. Totum et integrum Christum ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi (Cap. III, Denz. 932, et can. 3, Denz. 936).

Sic obsequimur iis, qui ex Tridentino arguebant contra Communionem sub utraque specie.

Exemplo de Missa Ordinationis (l. 10) alia duo addita sunt, iuxta ea quae varii Patres proposuerant (pp. 139, 143, 152, 154, 155, 160, 162, 164, 167, 163); et quidem ita ut unum exemplum habeamus pro sacerdotibus, alium pro religiosis, et alium pro laicis. Placuit pro his ultimis exemplum ponere Baptismi adultorum, quia exemplum Missae nuptiarum minus opportunum videbatur quibusdam Patribus. Enumeratio tamen non est absoluta, sed exempli causa posita.

Denique, ne quis intellegeret Communionem sub utraque specie extendi ad omnes, qui illis Missis intersunt, diximus: « *ordinatis in Missa sacrae suae ordinationis, professis in Missa religiosae suae professionis, neophytis in Missa quae Baptismum subsequitur* ».

Ut rationibus hygienicis sufficienter attendatur, Commissio Postconciliaris providebit secundum exempla fratrum Orientalium.

De art. 43, nunc 56

Duo postulata sunt a Patribus de hoc articulo:

1) Adverbium « *intrinsece* » (l. 14) improprium videbatur, quia hae duae partes saepe separatae sunt (p. 176 n. 12; p. 177 n. 13). Ideo substitutum est per adverbium « *arcte* ».

2) Quidam Patres postulaverunt ut obligatio assistendi primae parti Missae firmior fieret (p. 175 n. 8; p. 176 n. 10; p. 17 n. 14). Cum autem non sit huius Constitutionis praeceptum de hac re statuere, Commissio proponit addere: « *praesertim diebus dominicis et festis* ».

De art. 44 et 45, nunc 57

Ubi de concelebratione agitur, proposuerunt quidam Patres ut ratio positiva adducatur, quae concelebrationem commendat, per formulam « qua unitas Ecclesiae opportune manifestatur » (p. 186 n. 9; p. 208). Commissio propositioni annuit, sed loco « Ecclesiae » scripsit « *sacerdotii* ».

De casibus concelebrationis.

a) Tredecim Patres proposuerunt ut, non tantum pro Missa Chrismatis, sed etiam pro Missa vespertina in Cena Domini, concelebratio sacramentalis permit-

tatur. Alii e contra opinabantur actualem consuetudinem servandam esse, tum quia in illa Missa repraesentatio fit Ultimae Cenae, in qua solus Christus consecravit (p. 207), tum quia in ritu alexandrino concelebrationis verba consecratoria ab unico celebrante proferuntur (p. 204 s.), tum quia consuetudo actualis, vi cuius sacerdotes concelebrantes non proferunt verba consecrationis, est forma antiquior concelebrationis. Commissio non fuit unanimis, maior tamen Patrum numerus maluit concelebrationem extendere etiam ad Missam vespertinam.

b) et *c*) addita sunt ex his quae aliqui Patres postulaverunt.

Sub littera *a*) n. 2 reposuimus paragraphum ex textu originali Commissionis Praeparatoriae, iuxta desiderium plurium Patrum (pp. 183, 185, 186, 188, 195, 196, 199, 200, 202, 205, 207, 208, 211, 214, 215). Notandum est in ea vocabulum « *ecclesiis* » sumi in sensu lato, prout complectitur etiam oratoria semipublica religiosorum.

Sub littera *b*) n. 2 transcripsimus quod in textu legebatur sub *b*). Omisimus autem verba « si ad singulares celebrationes aliter provideri non possit », quia ratio concelebrationis non est impossibilitas celebrandi singulariter, sed manifestatio unitatis sacerdotii. Sic obsecuti sumus desiderio plurium Patrum.

De his duobus casibus notandum est:

1. Agimus de concelebratione etiam absque praesentia personali Episcopi.
2. Salvanda est libertas uniuscuiusque sacerdotis celebrandi individualiter.
3. Requiritur iudicium Ordinarii. Disputatum est num deberemus dicere « Episcopi » loco « Ordinarii », ad vitandos conflictus ex maiori facilitate religiosorum oriundos. Praevaluit autem expressio « *Ordinarii* ».
4. Eidem Ordinario reservatur, non solum iudicium de opportunitate concelebrationis, sed etiam vigilantia de concelebrationis modo et circumstantiis.

De art. 46, nunc 58

Omisimus in hoc articulo omnia, quae particularia tangebant, et solum reliquimus principium de novo ritu conficiendo.

Sic ad finem nostri capitis pervenimus.

Alia a Patribus desiderata

In decursu disceptationis de capite II plura a Patribus prolata sunt, quae aptum locum in nostro schemate non invenerunt.

I. In quibusdam haec Commissio votum suum expressit. Propositum enim est: *a*) Ut Episcopi possint simpliciori ritu Missam cantare (n. 10).

b) Ut, quando Missa habetur extra ecclesiam, liceat celebrare supra petram consecratam vel super antimensium orientalium (n. 26).

c) Ut fideles possint ad Communionem accedere die Paschatis, licet in Vigilia Paschali eam iam acceperint.

Quibus petitionibus votum Commissionis fuit favorabile.

Alii autem postulaverunt:

d) Ut in feria V Hebdomadae sanctae et sabbato sancto possint Missam celebrare omnes sacerdotes (n. 9). Commissio respondet sabbatum sanctum semper fuisse aliturgicum; in feria autem V, quamvis memoretur institutio sacerdotii, traditionem potius celebravisse institutionem Eucharistiae.

e) Ut fideles possint Communionem accipere quoties Missae interfuerint, etiam pluries in die (n. 22). Commissio respondet negative propter periculum abusus.

II. Plura alia proposita sunt, quae ad nostram Commissionem non pertinent:

a) Ut Episcopi habeant a iure facultatem permittendi binationem intra hebdomadam (n. 31).

b) Ut diebus festis liceat 4 vel 5 Missas celebrare, pro necessitate populi, de licentia Ordinarii, servatis de iure servandis (n. 30).

c) Ut sacerdos qualibet hora diei ac noctis celebrare queat (nn. 17, 18, 22, 24, 25, 26, 27, 34).

d) De applicatione Missae pro populo in festis suppressis (n. 31).

e) De stipendiis supprimendis (n. 20).

f) De ieiunio eucharistico (nn. 14, 16, 19, 21, 34, 15, 23, 25, 24, 27, 32, 34).

g) Ut in absentia sacerdotis possit alia persona Communionem ministrare (nn. 22, 27, 29, 36).

h) Ut sacerdotibus cuiuslibet ritus liceat panem sive azimum sive fermentatum adhibere in Missa (nn. 10, 13).

i) Ut forma consecratoria epiclesim includat (n. 11).

k) Ut possit sacerdos aegrotus Communionem sibi administrare (Ap. II n. 12).

III. Alia autem ad Commissionem Postconciliarem spectant:

a) Series mutandorum in revisione Ordinis Missae (nn. 33, 37, 38, 41; Ap. II nn. 10, 18, 20, 21).

b) Omissiones quaedam (nn. 40, 11).

c) Brevietur Missa (n. 34).

d) Ultima pars Missae longior sit (n. 34).

e) Restaurentur processiones (n. 11).

f) Restauretur Offertorium (n. 21).

g) Orationes dirigantur ad Deum ut Patrem (n. 9).

h) Lectiones aptae ad instructionem seligantur (n. 28).

i) Parentur Praefationes pro Dominicis (n. 10).

k) Paretur Praefatio de Eucharistia (nn. 9, 20).

l) Aliae Praefationes antiquae resumantur (Ap. II n. 6).

m) Canon dicatur sicut a Christo dictus est (n. 22).

n) Nomina Sanctorum Orientis includantur in Canonem (n. 10).

o) Nomen S. Ioseph in Canone dicatur (nn. 5, 20, 26).

p) Verba consecrationis alta voce proferantur (n. 30).

q) Doxologia alta voce pronuncietur (n. 10).

r) Universalitatem redoleant preces (nn. 7, 20).

s) Ultimum Evangelium legatur ante benedictionem (n. 34).

t) De « Ite, missa est » (nn. 5, 9, 35, 42, 44).

u) Formulae antiquae resumantur connexionem Redemptionis cum Creatione exprimentes (Ap. II n. 12).

Quae omnia hic collegimus, non ut ea suffragationi Patrum submittamus, sed ut facile perpendi possint ab illis Commissionibus, quae de singulis sint competentes.

Suffragandum autem proponimus textum capitis II, in quo plura mutata sunt,

nonnulla addita, et aliqua omissa. Ex ditissimis enim dissertationibus Patrum, quae per plures Congregationes protractae sunt, curavit haec Commissio ea omnia et sola seligere, quae textum schematis maiori proprietate, claritate et plenitudine ditantia, eum redderent, in quantum fieri potest, menti omnium Patrum Conciliarium fideliter respondentem.

Faxit Deus ut omnia in Eius gloriam cedant.

Secretarius generalis: In schedula, quae nunc distribuitur, fiet suffragatio circa emendationem primam cap. II schematis *de sacra Liturgia*: ad prooemium: ... [*cf. pag. 280*].

Circa hanc emendationem, suffragatio fiet per *placet* et *non placet*. Si velitis videre, venerabiles Patres, veterem textum, conferatis pag. 25.

5 – PATRUM ORATIONES

De Ecclesia cap. II (prosequuntur)

1

Em.mus P. D. BENIAMINUS card. DE ARRIBA Y CASTRO
Archiepiscopus Tarraconensis

Venerabiles Patres conciliares,

Aliqua brevissime innuere vellem de sic dicta ab aliquibus in hac aula Ecclesia pauperum. Haec denominatio mihi non placet nisi in sensu promotionis seu elevationis pauperum ad tenorem vitae tum spiritualis tum materialis seu socialis humanae personae dignum.

Humanitas tota et non tantum Ecclesia ut etiam dictum fuit, est « familia Dei ». Ideo Iesus nos docuit sic orare: « Pater noster qui es in caelis ». Quidam auctor pulchre asseruit duas ideas vere originales Christi fuisse Deum spiritum docere nos et Deum Patrem omnium hominum. Hoc sensu intelligere oportet verba illa Christi Iesu: « evangelizare pauperibus misit me... », elevationis scil. tum quoad vitam spiritualem tum quoad communicationem in bonis socialibus.

Iam vero pater etsi non omnes filii aequales sint donis naturalibus, ideoque etiam differant in possessione bonorum temporalium, non tamen patietur ut illi quibus naturalis defectio aut adversa fortuna ruinam attulit famem perpetuo patiantur. Sed tum ipse, tum fratres, et familia tota debiliores non tantum iuvare sed ad meliorem vitae statum promovere satagent.

Casus autem paupertatis ob causas quandoque voluntarias et culpabiles quandoque impraevisas, semper erunt. Ideo dixit Iesus: « pauperes enim semper habetis vobiscum... ».

Sed hoc aliud est ac classis socialis pauperum quae indefinite in mundo vivat carens victu, tectu, vestitu, cultura aliisque bonis quae ius sunt personae humanae proprium.

Ne relinquamur ergo marxismo spem pauperum et maxime operariorum qua in perpetuum deludantur. Systema enim hoc natum non fuit ad redimendos pauperes, sed ut doctrina philosophica materialismo imbuta mundo imponatur.

Redemptor vero omnium, etiam operariorum, unus est, Christus. Talis redemptio certo coarctanda non est ad ordinem supernaturalem; mandatum enim novum a Christo datum est amor inter omnes homines; hoc mandatum postulat ut etiam bona temporalia ad omnes perveniant in quantum possibile sit.

Ideo doctrinam socialem quae est in Evangelio, Ecclesia omnibus proponit non ut consilium tantum sed ut praeceptum. Documenta Pontificia notissima sunt.

Sed necesse est ut doctrina in praxim deducatur; Evangelium enim non est mera doctrina sed vita. « Ego veni ut vitam habeant et abundantius habeant ». Quod si haec verba intelliguntur de vita supernaturali, etiam praecepta moralia secumferunt, quae omnia in caritate continentur; caritas autem maior est fide et spe.

Loquimur ergo de Ecclesia pauperum quatenus ipsa curat ut pauperes non sint in quantum fieri poterit. Certum est pauperes quos dicerem occasionales semper futuros esse eosque ut fratres iuvare tenemur. Sed elevatio pauperum meta est urgentissima.

Quapropter ego auderem postulare ut inter officia Romanae Curiae Congregatio instituatur rebus socialibus praeposita ut iustitia socialis ubique promoveatur. Dixi.

[*Subsignaverunt etiam:*] Fernando card. Quiroga Palacios, arz. de Santiago de Compostela; José Maria card. Monreal, arz. de Sevilla; Marcelino, arz. de Valencia; Luis, arz. tit. de Sion; Rafael, arz. de Granada; José, arz. de Valladolid; Casimiro, arz. de Zaragoza; Enrique, arz. de Pamplona; Segundo, arz. coad. de Oviedo; Fidel, ob. tit. de Sululi; Francisco, ob. de Salamanca; Santos, ob. de Avila; Gregorio, arz. ob. de Barcelona; Antonio, ob. de Canarias; Manuel, ob. de Tortosa; Daniel, ob. de Segovia; Eduardo, ob. de Zamora; Ramón, ob. de Urgel; Inocencio, ob. de Cuenca; Rafael, ob. de Guadix; Juan, ob. tit. de Dora, prior de las Ordenes Militares; José, ob. de Tuy-Vigo; Luis, ob. de León; Ramón, ob. de Cartagena-Murcia; José, ob. de Palencia; Saturnino, ob. de Osma-Soria; Vicente, ob. de Solsona; Juan Pedro, ob. de Plasencia; Arturo, ob. de Albacete; Angel, ob.

de Málaga; Alfonso, ob. de Almería; Aurelio, ob. de Lérida; Jesús, ob. de Mallorca; Manuel, ob. de Coria; José Maria, ob. vicario de Madrid-Alcalá; Angel, ob. de Jaca; Juan, ob. tit. de Miletópolis; Pablo, ob. de Bilbao; José, ob. de Segorbe-Castellón; Pedro, ob. de Huelva; Antonio, ob. coad. de Cádiz-Ceuta; Jacinto, ob. de Mondoñedo-El Ferrol; Ramón, ob. de Vich; Abilio, ob. de Calahorra-La Calzada-Logroño; Angel, ob. de Orense; Félix, ob. de Jaén; Pablo, ob. de Orihuela-Alicante; Francisco, ob. de Vitoria; Eugenio, ob. de Santander; José, ob. de Ciudad Rodrigo; Narciso, ob. aux. de Barcelona; Antonio, ob. de Lugo; Doroteo, ob. coad. de Badajoz; Miguel, ob. aux. de Santiago de Compostela; Rafael, ob. aux. de Valencia; José, ob. tit. de Vagada; Demetrio, ob. vic. de Burgos; Manuel, ob. de Córdoba; Jaime, ob. de Barbastro; Francisco, ob. de Ibiza; Anastasio, ob. aux. de Toledo; José Maria, ob. aux. de Sevilla; Marcelo, ob. de Astorga; Luis, ob. de Tenerife; Juan, ob. de Plasencia.

Moderator: Humanissime rogantur Patres, ut remaneant in locis suis, quia hodie continuatur votatio de singulis emendationibus constitutionis *de Liturgia* cap. II.

2

EM.MUS P. D. VALERIANUS CARD. GRACIAS
Archiepiscopus Bombayensis

Venerabiles Patres,

Quasdam animadversiones volui facere super cap. II schematis, praesertim de nn. 13, 16, 17, 18. Sed cum aliqua iam dicta sunt, et quidem cum claritate ac vigore, secundum art. 56, § 3, Ordinis Concilii renuntio interventioni et mittam ad secretariatum meas animadversiones. Sed non omnino renuntio ius loquendi et explico: sunt quaedam puncta de quibus a praecedentibus oratoribus sermo non est factus, saltem explicite; et super haec quaedam dicam.[1]

1. Notatum est ab em.mo card. Bea argumentationem huius schematis, et speciatim huius cap. II, non esse adaequatam, cum textus Sacrae Scripturae non semper sensu originario, quo in ipsis Sacris Litteris occurrunt, adhibeantur, et textus traditionis nimis recentis afferantur, qui post separationem fratrum seiunctorum orti sunt.

Sane consentio cum em.mo cardinali de necessitate argumenta vere sufficientia et bene examinata proponendi, et enixe rogo commissionem theologicam ut onus renovatae et accuratae examinationis textuum S. Scripturae et traditionis assumat. Debet enim haec constitutio *de Ecclesia* catholica authenticam delineationem Ecclesiae exhibere. Manifestum esse debet ex hoc documento Ecclesiam S. Scripturam summa veneratione exhibere, non ut nostras proprias ideas textibus scripturisti-

cis exornemus (uti aliquando fit in libris theologicis), sed ut fideliter et oboedienter verbum Dei audiamus et Ecclesiam secundum verum sensum verbi Dei intelligamus.

Quod vero spectat textus e traditione, forte iuvat distinctionem afferre: ubi schema nostrum agit de quaestionibus controversis cum fratribus seiunctis, sane necessarium est iis tantum argumentis uti, quae vim suam etiam pro illis exercent. Haec est enim intentio Concilii nostri, ut sincere invitemus fratres seiunctos ad examinationem renovatam ideae Ecclesiae quam ipsi habent, et quam Ecclesia catholica proponit; et speramus lucidam expositionem ideae Ecclesiae uti in Scripturis et in traditione apparet, ad viam reconciliationis parandam iuvare.

Tamen schema nostrum non solum pro fratribus seiunctis compositum est, sed principaliter ut fundamentum renovationis Ecclesiae ipsius; et necessarium videtur ad hunc finem includere in schemate non solum tales textus traditionis, qui nobis communes sunt cum seiunctis fratribus, sed totam traditionem, etiam posteriorem. Ubi enim agitur in schemate de profundiore intelligentia Ecclesiae ipsius, tamquam fundamento renovationis vitae christianae, putamus totam traditionem exhibendam esse, cum antiquam tum recentem, ut ex integra et universali imagine Ecclesiae, vis et inspiratio pro populo christiano oriatur. Exemplum classicum est opus clarissimi viri...[2] eximiae sanctitatis *card. Newman, eius opus* [3] " An Essay on the development of Christian doctrine ", in quo auctor ostendit et exposuit quomodo crevit patrimonium Ecclesiae ex traditione, et secundum quales regulas fit evolutio dogmatica.

2. *Post orationes prolatas heri de collegialitate episcoporum, puto: nihil remanet dubii de hac veritate; quae veritas, secundum peritos, est bene fundata in Scriptura et traditione. Loqui plus de hoc puncto esset, ut dicimus anglice, " elaborate in the obvious or slay a dead horse ", id est conari ut in luce ponatur id quod est omnino obvium vel excidere equum qui est iam mortuus.*

Attamen huius veritatis inter alias practicas implicationes, sunt sequentes:

a) *Mihi videtur quod in luce huius doctrinae, quae est summi momenti pro nostra aetate et pro renovatione Ecclesiae,*[4] iam clarius revelatur obligatio totius Ecclesiae pro missionibus, de qua iam locuti sunt Pius XI in *Rerum Ecclesiae,* et Pius XII in *Fidei donum,* quin tamen fundamentum dogmaticum talis obligationis amplius explicaverint. *In hac connexione meminisse iuvat illa verba prolata a Papa Ioanne XXIII in* Mater et Magistra; *haec dixit: « Ut facili coniectura prospicitur, utque Ecclesia semper graviter monuit, officium egenis et miseris opitulandi catholicos homines cum maxime commovere iustum est, utpote*

qui membra sint mystici Corporis Christi. " In hoc cognovimus caritatem Dei — inquit Ioannes apostolus — quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi, et viderit fratrem suum necessitatem habere, et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? " ».

Sed in hoc schemate, non est quaestio solum de caritate, sed est quaestio de iustitia, « *ex officio* » (*sunt verba*), *et officia et iura sunt correlativa. Certo certius alii oratores loquerentur profusius, credo, de hoc puncto, quia desideratur omnino quod in hoc schemate de Ecclesia includatur basis theologica Ecclesiae, quae est essentialiter missionaria. Est verum quod erit schema independens de missionibus, sed est omnino necessarium quod includatur in hoc schemate de Ecclesia aspectus missionalis Ecclesiae; et propter hanc rationem eamdem sententiam teneo quam tenuit heri in eius interventione em.mus card. Rugambwa. Hanc veritatem, ut ita dicam, haec Synodus canonizat, canonizat quia canonizat praxim iam vigentem; dico praxim iam vigentem, quia sunt testimonia clara ex parte nationum antiquae christianitatis quod sunt persuasae de eorum obligatione adiuvandi Ecclesias in terris minus excultis, mittendo e. g. missionarios, sicut fecit societas fundata a card. Cushing pro beneficio regionum in America meridionali; fundendo preces pro Ecclesia missionum; offerendo subsidia abundantia pro omnibus operibus. Ideo vellem dicere in hac aula conciliari quod nos sumus valde grati benefactoribus nostris in omnibus regionibus Europae, Americae, Australiae, etc. Est necessarium dicere hoc, ne falsa impressio praevaleat de nostra carentia gratitudinis. Est verum quod numquam sumus contenti; ratio est duplex: messis quidem multa, operarii autem pauci; nostrae necessitates semper crescunt, sed mediis, quibus nos potuissemus satisfacere, indigemus; et sumus memores verborum Sacrae Scripturae:* « *Petite et accipietis, quaerite et invenietis* ».

b) *Haec veritas suppeditat fundamentum dogmaticum conferentiarum episcoporum, de quo sermo fiet in altero schemate.*[5] Talis enim organizatio ...[6], quamvis quoad formam concretam sit liberae conventionis, tamen radicem ultimam habet in collectiva responsabilitate episcoporum pro salute omnium fidelium.

Denique: *sic*[7] etiam sollicitudo nostra pro fratribus qui persecutionem patiuntur, in hac collegiali communione radicatur, qua omnes Ecclesiae mutuo iunguntur, non solum in quantum eumdem Romanum Pontificem ut commune Caput agnoscant, sed quia vere unum corpus constituunt, in quo si unum membrum patitur, omnes dolore afficiuntur et ad adiutorium parandum tenentur.

Ergo petimus ut haec doctrina collegialitatis episcoporum maiori ...[8] claritate et lucidioribus argumentis proponatur, ut fini huius Concilii, renovationi Ecclesiae, inservire possit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ex eis quae in disceptatione cap. II nostri schematis *de Ecclesia* dicta sunt, ad duo puncta brevem notam addere liceat. [2] et. [3] nempe. [4] Secunda nota: Magno gaudio et sincera admiratione legi ea quae in schemate de collegio episcoporum dicuntur, quod scil. episcopis cura non solum circa propriam dioecesim incumbit, sed sollicitudo totius Ecclesiae, et quidem ex officio, non e sola caritate. Debent enim episcopi promovere unitatem fidei per totum orbem, amorem totius Corporis Christi, maxime membrorum dolentium et debilium, et eorum qui persecutionem patiuntur; tenentur maxime ad promovendum fidei incrementum ut scil. lux plenae veritatis omnibus hominibus oriatur. Omnes enim episcopi una cum successore Petri unum collegium cum communi sollicitudine pro tota Ecclesia constituunt. Antiquissima sane et apostolica est idea collegialitatis episcoporum; non enim apostoli electi sunt tanquam duodecim individui homines, quibus Christus mandatum annuntiandi Evangelium traderet, sed vocati sunt ut collegium indivisibile quod, Petro unitum, simul haberet eandem potestatem ligandi et solvendi quam Petrus obtinuit: et haec potestas datur ratione muneris, non personae — munus vero manet dum Ecclesia exsistit. Unde Ecclesia per aetates semper consideravit episcopos ut corpus seu collegium, quod, unitum Romano Pontifici, summam auctoritatem in Ecclesia exercet, et quidem ordinario modo per orbem dispersum, et sollemni et extraordinario modo in Concilio Oecumenico congregatum. Non ergo novum quid affirmatur hoc schemate, sed veritas fundamentalis Ecclesiae enuntiatur. *Tamen* concedi debet hanc veritatem in Ecclesia non semper eodem vigore propositam esse, et consequentias huius doctrinae non semper sufficienter intellectas esse. Hinc *enixe petimus* ut haec doctrina in schemate amplioribus argumentis fulciatur, et ut securius pro emolumento Ecclesiae adhibeatur. Haec enim doctrina est summi momenti pro nostra aetate et pro renovatione Ecclesiae. In eius luce. [5] Oritur ex hac doctrina communis responsabilitas episcoporum alicuius nationis seu regionis, ut mutua deliberatione et collaboratione necessitatibus fidelium provideant; ita quasi fundamentum dogmaticum « conferentiarum episcoporum » invenitur. [6] plurium dioecesium. [7] deest. [8] adhuc.

Moderator: Nunc sequitur votatio de secunda emendatione, cuius textum nunc leget exc.mus secretarius generalis.

Secretarius generalis: Secunda emendatio: ... [*cf. pag. 280*].

Humanissime rogantur Patres ut suffragium exprimant signando vel lineam vel crucem intra limites areolae, seu casellae, non a latere, quia secus machina mechanographica operari non potest. Signum ponendum est intra limites areolae, seu casellae, ubi est scriptum *placet* vel *non placet*. Gratias!

[*Intervallum duorum momentorum*].

Moderator: Humanissime, sed enixe Patres rogantur ne, disceptatione nunc iam protracta de cap. II, praetergrediantur tempus; maneant in themate capituli et non dicant de argumentis iam prolatis, ut ad felicem effectum nostrae discussionis perveniamus.

3

EM.MUS P. D. IOANNES CARD. LANDÁZURI RICKETTS
Archiepiscopus Limanus

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Constitutio dogmatica *de Ecclesia,* et in specie cap. eius II *de constitutione hierarchica Ecclesiae,* procul dubio inter materias maximi momenti huius alterius Concilii sessionis habenda est. Discussio quae his diebus tam profunde simulque animo tam sereno circa eam fit, schema ita expoliri permittet, ut dignum huius almi Consessus efficiatur. Inscribitur quidem constitutio « dogmatica », attamen notis practicis et pastoralibus non caret. Quod valde placet.

Liceat tamen mihi animum vestrum advertere ad unum punctum, dogmaticum simul et practicum, ad pag. videlicet 26, linn. 33-41, de diaconatu *videlicet* [1] restaurando.

Quaestio peropportune hoc in schemate tractatur, quia agitur non de re disciplinari ut *forsitan* [2] primo ictu apparere posset, sed de quaestione revera dogmatica et quae simul respondet indoli pastorali huius Concilii. *Notum facio*: [3] hac occasione non solum proprio nomine loquor, sed etiam conferentiae episcopalis Reipublicae Peruvianae, 37 scil. Patrum conciliarium, ... [4] immo 58 aliorum Patrum conciliarium aliis ex nationibus Americae latinae.

Iamvero in schemate nostro [5] non agitur de imponendo gradu diaconatus in Ecclesia etiam ubi necessarius non est, uti iam hesterna die clare notavit em.mus card. Döpfner, sed solum de possibilitate eum restaurandi ubi propter motiva pastoralia necessarius vel saltem utilis appareat.

Duplex ad rem est quaestio:

Prima: an conveniat ordinare diaconos qui ad sacerdotium ascendere vel non intendunt vel non possunt, eisque munera quaedam iuxta gradum suum committere?

Secunda quaestio: an conveniat a talibus exigere caelibatum vel non?

Ad primam quaestionem, utrum scil. conveniat ordinare diaconos qui ad sacerdotium ascendere non intendunt vel non possunt, multa adducuntur argumenta pro et contra.

1. Quidam censent talem diaconatum esse inutilem, cum illa officia hodie optime a laicis impleantur, qui per sacramentum Confirmationis iam sunt ad servitium Ecclesiae ordinati. Notandum tamen est Confirmationem esse quidem ordinationem fidelium ad servitium Ecclesiae in genere, non tamen ad officia particularia. Aliud est officium quoddam impleri a qualicumque, aliud est illud impleri ab illo qui ad hoc gratiam particularem habet. De cetero, a diacono, ...[6] in absentia sacerdotis, plura fieri possunt quae nunc omitti debent: v. g. melior organizatio et cura ...[7] communitatis christianae, quae difficilius in indifferentismum, materialismum *aut*[8] in superstitiones incideret; possent christiani frequentius S. Communionem recipere; posset *Eucharistia*[9] asservari cum possibilitate orandi coram ipsa et recipere Benedictionem Eucharisticam; uno verbo, posset haberi vita christiana eucharistica intensior, ex qua necessario frequentiores vocationes etiam ad sacerdotium prodirent.

2. Quodsi talis diaconatus, praesertim si absque caelibatu concederetur, quosdam posset a sacerdotio avertere, alia ex parte tamen alias optimas vocationes foveret. Educatorum iuventutis erit pulchritudinem extollere sacrificii quod Deo in caelibatu offertur, ita ut iuvenes caelibatum non propter sacerdotium, sed in semetipso, tamquam oblationem Deo factam, aestimare discant. De cetero, videndum etiam est utrum eventualis diminutio vocationum ad sacerdotium forsan non compensaretur maiore numero operariorum, etsi in gradu inferiore.

3. Nec obiciatur instaurationem diaconatus minuere apostolatum laicorum, eo quod meliores apostoli laici ad statum clericalem diaconatus attraherentur. Quantumcumque enim, apostolatus laicorum sit maximi momenti, non est tamen finis in se...[10]

4. Obicitur etiam officia diaconorum sacerdoti auferre occasiones cognoscendi oves suas. Sed hoc etiam hodie sine ordine diaconatus haberi potest, cum plures occasiones ad contactus habendos in manu sint laicorum. Si pastor oves suas non cognoscit, hoc non est quia ei desunt occasiones, sed fortassis deest tempus de eis curandi. De cetero, diaconus, sicut nunc laicus, educari debet ut libenter oves ad pastorem ducat.

Alia ex parte, necesse omnino est, in regionibus ubi habetur penuria sacerdotum, ut sacerdos a pluribus oneribus quae potestatem sacerdotalem non requirunt, liberetur, ut proprio sese ministerio dedicare possit...[11]

5. Nec minoris momenti est argumentum selectionis vocationum: ubi enim habetur diaconatus, minor est difficultas candidatum a sacerdotio arcere, si decursu temporis educationis appareat eum ad illud minus aptum esse.

6. Quodsi ad argumentum oecumenicum oculos vertere volumus, instauratio diaconatus potest *forsitan* [12] praebere statum congruum pro fratribus seiunctis imprimis ministris, qui ad Ecclesiam catholicam *veniunt* [13] et ad sacerdotium accedere non possunt.

7. ...[14] Nec spernendum argumentum a quibusdam iam allatum: decet ut hierarchia ecclesiastica per totam scalam florescat, et non solum in duobus superioribus gradibus, episcopatu scil. et presbyteratu, sed gratia sacramentalis etiam in diaconatu vacua ne remaneat.

Veniamus nunc [15] ad alteram tandem quaestionem: utrum conveniat *videlicet ab istis diaconis* [16] exigere caelibatum vel non.

Imprimis: [17] maximum habetur in favorem caelibatus pro diaconis argumentum: caelibatus a diaconis exigendus est, tum propter sanctitatem ordinis, tum propter sanctum quod tractare debent: S. Communionem, curam Eucharistiae, sacerdoti immediate ministrare ad altare etc.

Non desunt etiam qui censent relaxationem caelibatus pro diaconis perpetuis posse esse primum gressum ad relaxationem caelibatus pro sacerdotibus. Attamen illis obici potest: Ecclesiae quidem erit caelibatum pro sacerdotibus strenue tueri...[18]

Quodsi tamen caelibatus pro diaconis omnino exigeretur, duae reales habentur difficultates:

a) Non poterunt generatim benemerentes laici, ut catechistae, priores christianitatum, etc., diaconatu ornari, hac sola ratione quia iam sunt matrimonio iuncti, et proinde numerus illorum qui diaconatum accipere possint nimis coarctaretur.

b) Non amplius valeret argumentum oecumenicum quod scil.: statum congruum praebere poterit pro ministris seiunctis qui ad Ecclesiam *veniunt* [19] et iam matrimonio sunt uniti.

Unde concludendum est. Textus qui in schemate pag. 26, linn. 33-41 habetur, ...[20] retineatur. Ne claudatur ostium quod potest esse in beneficium multorum, opportune tamen determinari posset lin. 39 quinam per « praepositos Ecclesiae » intenduntur. Convenire enim videtur ut generatim non singulis episcopis, sed potius conferentiis episcoporum, *acceptis fortassis nonnullis normis a S. Sede,*[21] decisio tanti momenti committatur...[22] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] hac in aula praesentium. [5] Imprimis, hic. [6] imo. [7] haberi potest. [8] in atheismum atque. [9] Ss.mum. [10] Sit laicorum an clericorum, parum refert, dummodo sit apostolatus! [11] Ita e. g. in missionibus, non raro christiani longo itinere numerosiores conveniunt ad maiora festa celebranda: sacerdos debet plures horas confessiones audire et dein Missam celebrare, in qua et S. Communio-

nem tot fidelibus distribuere tenetur. Si vero adesset diaconus, ille posset S. Communionem distribuere, magno cum levamine tum sacerdotis tum fidelium qui etiam dum sacerdos confessiones audit, S. Communionem recipere possent. [12] deest. [13] convertuntur. [14] 7. Quid vero, si tales diaconi indigne ambulantes in dedecus fiunt status clericalis? ad hoc remedium haberi potest in depositione, in « reductione ad statum laicalem ». 8. [15] deest. [16] a talibus. [17] deest. [18] Exemplum in contrarium habetur in quibusdam Ecclesiis orientalibus Sedi Petri non unitis, in quibus matrimonium sacerdotum post tot saecula non obfuit caelibatui pro episcopis requisito. Eritne causa relaxationis in Ecclesia catholica, quae habet magisterium et auctoritatem supremam? [19] convertuntur. [20] saltem quoad sensum. [21] imo forsan audita S. Sede, omnibus perpensis. [22] in singulis regionibus.

4

EM.MUS P. D. LEO IOSEPH CARD. SUENENS
Archiepiscopus Mechliniensis-Bruxellensis

Venerabiles Fratres,

Vellem loqui in favorem instaurationis diaconatus permanentis, *in linea eorum quae a card. Landázuri dicta sunt.*[1]

I. Qui contra dixerunt non videntur semper prae oculis habere hanc quaestionem pertinere ad constitutionem ipsam Ecclesiae. *Debemus initium sumere non a quodam realismo naturali, sed a realismo supernaturali, ex fide viva in sacramentalitate diaconatus.*[2]

Insistere nolo in quaestionibus hodie adhuc disputatis, e. g. de interpretatione pericopae electionis Stephani et aliorum sex...[3] Nonnulla tamen certa sunt, et bene patent e Novo Testamento, e primis apostolicis Patribus...[4], e constanti traditione posteriori, ex libris liturgicis, tum Orientis tum Occidentis.

1. Iam ab Ecclesia apostolica et subapostolica, pars quaedam de plenitudine charismatum sacri ministerii tribuebatur modo proprio et stabili gradui a sacerdotali distincto.

2. Gradus hic institutus videtur praesertim in auxilium directum Episcopi et quidem: *primo, ad curam pauperum et ad rectam ordinationem communitatis; secundo,*[5] pro Ecclesiae localis praeparatione, ut ita dicam, communitaria (praesertim per charitatem inter fratres) et liturgica, in fractione panis, *ita ut construatur vera communitas religiosa.*[6]

Si quis muneris huius — nempe praeparationis communitatis ut Ecclesia fiat — non videt essentiam proprie sacram et necessario liturgicam, videtur non intelligere Ecclesiam sicuti est, fundatam scil. super sacramenta et quidem super charismata per sacramentum Ordinis collata.

Diaconatus restaurationi validum argumentum non obicitur dicendo dari posse laicis ipsa munera quae proponuntur pro diaconis. ...[7] Quaestio non est tribuendi modo quocumque munera externa (v. g. orationi praeesse, instructionem catecheticam praestare, operibus socialibus vacare): ipsa munera tribuenda sunt illi soli qui — modo obiectivo et adaequato — gratias habeat eisdem necessarias, ita ut non careant supernaturali efficacia ad creandam veram communitatem. Secus Ecclesia non posset esse vera societas supernaturalis, verum Corpus Christi mysticum, architectonice aedificatum super ministeria et gratias a Deo praeordinatas.

Neque sufficiunt illa dona et gratiae, quibus praediti esse possunt etiam boni laici, in quantum *isti* [8] sacramento Baptismi et Confirmationis ditati *sunt* [9] et authentico spiritu supernaturali animati. Cum vero alia dona praeordinata sunt magis propria ad ministerium communitarium efficacius adimplendum, ipsa praetermittenda non sunt. Christiana communitas habet ius ad fruitionem talium donorum in patrimonio Ecclesiae existentium.

II. His fundamentis theologicis innixi, videamus quomodo res de facto se habeant in diversis orbis regionibus.

Audivimus voces inter se opponentes. Sed obiectiones ad instaurationem diaconatus factae, etsi pro aliquibus locis et in certis rerum adiunctis aliquod momentum habere possint, tamen non pro omnibus et in omnibus validae sunt. Quare non est istius Concilii rem decernere in universali, vel declarare diaconatum in tota Ecclesia necessarium aut non. Unum tantum a Concilio faciendum est: explicite saltem possibilitatem talis muneris stabilis praevidere, non pro tota Ecclesia, sed pro illis tantum regionibus, in quibus (cum consensu competentis auctoritatis) legitimi pastores illam restaurationem existiment tamquam necessariam ut Ecclesia non deficiat, sed crescat et floreat.

Hoc est quod conscientiae nostrum omnium proponitur, venerabiles Patres: scil. per statuitionem aliquam mere negativam, non ponere praeclusionem contra possibilitatem sacri Ordinis huius, tamquam medii a Deo praeordinati, ab Ecclesia per multa saecula servati, et hodie ad Ecclesiam renovandam quam maxime necessarii...[10]

Secundum divinam oeconomiam episcopus a Deo *accepit* [11] plenitudinem et summam potestatum sacri ministerii sicuti accipit missionem ad constituendas omnes communitates supernaturales quae populo suo necessaria sunt. Quare in episcopi facultate est conferre aliis ministris potestatum suarum participationem adaequatam ad structuram populi sui et ad loci atque temporis adiuncta.

Quoad praxim diaconatus, necessitas eminet praesertim in duobus *casibus:*[12]

1. quando agatur de minima communitate, magis ac magis coacta ad vitam *in diaspora,* i. e. quasi segregata ab omni alio nucleo christianorum propter diversitatem fidei sive propter amplitudinem geographicam, sive propter circumstantias politicas;

2. quando agatur de immensis hominum turbis, praesertim suburbanis, quibus restituere oporteat aliquem sensum intimum christianae experientiae et consequenter sensum Ecclesiae ut familiae, *ut Ecclesia eveniat « à l'échelle humaine ».*[13]

Sunt igitur ista adiuncta in quibus Ecclesiae datur occasio ut se praebeat recte et plene missionaria, ita ut parata sit admittere pro diversis regionibus diversas solutiones, dummodo omnes intra limites divinae constitutionis suae. *In his casibus dicerem: salus populi, suprema lex esto.*[14]

III. Quae hucusque diximus respondent maximae obiectioni contra schematis nostri textum, id est timor ne per diaconatum uxoratis concessum, vulnus legi sacri caelibatus inferatur et simul numerus sacerdotalium vocationum minuatur.

Sed tamen, si diaconatus donum est, si gratia est, et si legitimi pastores conveniens *et opportunum*[15] putent de isto gratiae patrimonio haurire, tunc instauratio diaconatus nullo modo minuere poterit, sed augere *debet*[16] mensuram plenitudinis Christi in communitate christiana.

Certissime, tuendum est pretium et testimonium caelibatus clericalis, secundum antiquam et venerandam praxim Ecclesiae latinae. Sed non est contra hanc praxim, diaconatus cum aliqua, bene definita, relaxatione legis caelibatus: pro consequentiis negativis quas aliqui valde timent, potius sperandae sunt non paucae utilitates: *non videtur cur numerus vocationum sacerdotalium minuatur; hoc a priori dicitur; et e contra potest facilius augere*[17] in communitatibus iam per diaconos melius compaginatis *et praeparatis*[18] et ab eorum charismatibus efficacius vivificatis; ipsae sacerdotales vocationes erunt *exinde*[19] magis magisque sincerae et authenticae et melius comprobatae; castitas perfecta *propter regnum caelorum* altius elucebit et plenissimum testimonium praebebit...[20]

Quare, ut conclusio sit practica *in Concilio nostro pastorali, rogare vellem*[21] ut ad finem *v. g.*[22] discussionis cap. II deliberationibus Patrum proponatur sequens votum: « Ubi conferentiis episcoporum opportunum videtur instauratio diaconatus permanentis, libertas eis sit eum introducendi ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (*Act.* 6, 3-6). [4] (imprimis e Clemente Romano et Ignatio Antiocheno). [5] ad munera pro pauperibus et pro recta ordinatione sociali. [6] (*Act.* 2, 42; 4, 32-35; *Hebr.* 13, 16). [7] Enim vero. [8] deest. [9] deest. [10] Per diaconatus instaurationem, prima occasio datur ad confirmandum an vere necne profitemur Ecclesiae mysterium sicut in cap. I huius schematis describitur, an vere necne optamus Ecclesiam se ad plenam congruentiam referre cum divino archetypo suo. [11] accipit. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] debebit. [17] numerus vocationum sacerdotalium perdifficile minuetur et facile augebitur. [18] deest. [19] deest. [20] — melius illustrabitur mysterium divinae paternititas necnon mysterium Ecclesiae tanquam familiae: per episcopum, Ecclesiae particularis patrem; per sacerdotem singulae communitati praepositum; et tandem per diaconum praesertim si uxoratum, tanquam ministrum familiarum quae in familia Dei componuntur. [21] rogo. [22] deest.

Moderator: Nunc dent Patres votum suum de emendatione tertia, cuius textum exc.mus secretarius generalis nunc omnibus praeleget.

Secretarius generalis: Emendatio tertia... [*cf. pag. 280*].

5

BEAT.MUS P. D. ALBERTUS GORI

Patriarcha Hierosolymitanus Latinorum

Venerabiles Fratres,

Liceat mihi aliquid addere de collegialitate episcoporum.[1]

Collegialitas episcoporum cum Summo Pontifice, ipsorum Capite, tam clare in Evangeliis descripta et in Ecclesia apostolica certo exercita, apparet nobis hodie maximi momenti. *Quaedam tamen anomaliae notatae sunt.*[2]

Certo, recte animadversum est responsabilitatem talis anomaliae non imputandam esse tantum administrationi centrali. Historice enim constat Ecclesiam Romanam saepe coactam fuisse ad exercitium supremae suae potestatis ratione gravis deficientiae hierarchiae localis, aut propter appellationes subditorum, et etiam episcoporum, contra abusus potestatis superiorum hierarchicorum.

Quidquid sit de causis istis historicis, certe optatur hodie *melior consideratio collegialitatis* episcoporum, ut ope istius elementi certo evangelici, efficacius respondeatur necessitatibus pastoralibus huius temporis. Ceteroquin talis reformatio sic in votis multorum solemniter ab ipso Summo Pontifice Paulo VI in recenti oratione sua proposita est, et rea-

lizationem suam practicam invenire debet evidenter in institutione Conferentiarum Episcopalium a Concilio intenta.

Sed timendum est ne, ex nimia reactione contra excessum centralizationis auctoritatis ...[3], veniatur ad excessivam, nempe adulteratam, collegialitatem cum detrimento auctoritatis supremae Capitis. Hoc autem nocumenta et pericula non parva secum ferret.

Primum periculum foret *pro unitate Ecclesiae.* Neminem hoc latet: lex fatalis est, secundum quam auctoritas inferior semper latiorem autonomiam petit et omnem dependentiam respuere conatur. Hoc luculenter patet in evolutione antiquarum Ecclesiarum separatarum.

Secundum periculum foret *pro independentia,* tamen vitali, Ecclesiarum localium respectu auctoritatis civilis. Sine tutamine superiore sufficiente, Ecclesiae locales faciliores se praebent influentiis et coactionibus localibus et nationalibus. Historia etiam patet quomodo, effugiendo subiectionem Summi Pontificis, Ecclesiae...[4] tam in oriente quam in occidente arbitrio Principum se subiecerunt.

Tertium periculum foret pro efficientia activitatis Ecclesiarum particularium. Nam auctoritas capitum earum non amplius ab auctoritate suprema practice temperata, reactionem defensivam provocaret ex parte inferiorum. Hoc etiam constat in Ecclesiis separatis in quibus resistentiae istae, saepe ab externo adiutae, irritam faciunt auctoritatem capitis, eamque imparem reddunt exsecutioni mandatorum suorum, vel reformationi abusuum. Auctoritas enim hierarchae supremi saepe evacuatur resistentia synodi sui.

Quartum periculum est pravi exempli inferioribus. Tempore nostro adulto, ut aiunt, non tantum episcopi conscii sunt personalitatis suae, sed etiam sacerdotes et laici. Si ergo episcopi viderentur iugum exuere velle practice erga caput suum, Summum Pontificem, timendum sane est ne sacerdotes et laici parem independentiam exhiberent erga potestatem episcopalem. Tale periculum nullo modo illusorium est, dum hodie tam facile in quaestionem venit principium auctoritatis.

Unde censeo, Patres conciliares, aggrediendo quaestionem *collegialitatis,* ab initio vitare debere omnem speciem oppositionis immo diffidentiae erga auctoritatem pontificalem; sic vitarentur etiam pericula non parva iam memorata scandalumque ducum subalternorum qui viderentur nimis studiosi effugiendi directionem capitis sui supremi.

Remedium autem talium periculorum mihi obvium videtur. Sufficit ut, *iure et re,* instauretur vera *collegialitas evangelica,* nempe activitas collegii episcoporum cum et sub duce suo, Summo Pontifice.

Iam ex parte sua Summus Pontifex Paulus VI sincere ac solemniter proposuit ipse decentralizationem administrationis centralis a multis

optatam, et admisit collegialitatem postulatam, sub conferentiarum episcopalium a Concilio prospectarum.

Sed ex altera parte, *oportet ut etiam episcopi,* pari sinceritate moti, *veram collegialitatem evangelicam* admittant et exerceant. Iudicio meo, admittere debent non aegre, ut nimis patet ex declarationibus modoque procedendi aliquorum, sed libenter, ut decet episcopos Christi, *admittere debent* in conferentiis suis collegialibus praesentiam et participationem activam capitis collegii sui, Summi Pontificis, *in persona legati eius,* quidquid sit de figura et nomine istius, dummodo sit episcopus. Sic tantum haberetur illa vera et authentica collegialitas a Christo instituta, et ab Ecclesia apostolica exercita.

Collegialitas igitur non restauretur unilateralis et manca, sed integra et perfecta. Collegia episcopalia quae in activitate sua collegiali realem interventum capitis sui arcerent, certo authenticam collegialitatem evangelicam non exercerent. Quaenam vere species collegialitatis foret illa in qua praesentia et interventio ordinaria Capitis studiose vitaretur a membris collegii?

Collegialitas integralis quam propono, quae revera exerceretur in conferentiis episcopalibus, collaboratione reali et ordinaria episcoporum cum Summo Pontifice in persona legati sui, praeter manifestationem omnibus clarissimam perfectae collegialitatis Ecclesiae, foret etiam evidentis utilitatis episcopis. Certo enim episcopi sic optimum fructum accipere possent ex consiliis, conceptionibusque Summi Pontificis, quae certo gaudent totali independentia, experientia simul millennari et universali, quae maxime iuvarent independentiae et efficaciae conferentiarum, utilitatique Ecclesiae.

Puto ergo hanc formam integrae perfectaeque collegialitatis, ope praesentiae activaeque collaborationis Summi Pontificis per legatum suum in conferentiis episcopalibus, a nobis in textu schematum istius Concilii Oecumenici expresse determinandam esse. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] De recta collegialitate episcoporum cum Summo Pontifice. [2] Multi enim Patres conscii sunt alicuius atrophiae potestatis episcopalis simul ac hypertrophiae administrationis centralis. [3] romanae. [4] separatae.

6

EXC.MUS P. D. DINUS STAFFA
Archiepiscopus tit. Caesariensis in Palaestina

Venerandi Patres,

In pag. 27, linn. 13 ss. legitur: « Collegium episcoporum... una cum Capite suo... indivisum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur »; postea in linn. 28 ss.: « Suprema in universam Ecclesiam potestas, qua istud collegium pollet, sollemni et extraordinario modo in Concilio Oecumenico exercetur ».

Censemus haec verba dubiis et disputationibus in re maximi momenti tum doctrinalis tum disciplinaris ansam praebere posse. Quaeritur: suprema et universalis potestas in Ecclesia estne unius tantum personae, vel ...[1] collegii? Responsum clarum et definitivum habetur in constitutione dogmatica *Pastor Aeternus*: « Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset — *ait constitutio illa dogmatica*[2] — ... uni Simoni Petro contulit Iesus summi pastoris et rectoris iurisdictionem in totum suum ovile ».

Verba quae ex schemate citavimus, in notis praebentur tamquam ex relatione officiali mutuata Concilii Vaticani I, saltem in suo sensu; haud fideliter tamen, ut censeo, cum ipse relator officialis *nos expresse remiserit ad antea a se dicta, quae sunt:*[3] « Sive in Concilio (episcopi) congregentur, sive sint dispersi per orbem, sive considerentur ut singuli, sive coniunctim, Summus Pontifex eamdem conservat super eos supremam, plenam et immediatam potestatem » ...[4], ita ut concludendum sit: « vere plenam et supremam potestatem traditam esse Petro et suis successoribus, etiam independenter ab actione communi cum aliis episcopis »...[5]

Idem relator officialis ...[6], in sua postrema oratione diei 16 iulii a. 1870, reicit doctrinam eorum qui « intelligunt potestatem Pontificis limitari potestate episcoporum, ita ut in eo non sit vere suprema et plena potestas, sed dumtaxat in corpore episcoporum cum ipso »...[7], et affirmat: « Si monarchia ab aristocratia temperetur, conceptus regiminis vere monarchici plane destruitur, cum *in*[8] hoc casu summum imperium apud multos resideat et non apud unum »...[9]

Idem aliis verbis docuerat ipse Bossuet in sermone celebri *De Unitate Ecclesiae*: « In potestate quae in plures dividitur, partitio, suam secum ipsa restrictionem affert. Contra vero potestas quae uni datur et super omnes et sine ulla exceptione datur, infert plenitudinem »...[10]

Quapropter [11] primatus natura ipsa sua est tantum unius; plenitudo potestatis nullam limitem, defectum aut addictionem patitur; « nihil iurisdictionis ecclesiasticae posse illi subtrahi, nullis limitibus ab humana posse eius iurisdictionem auctoritate coarctari »...[12], sed tantum auctoritate divina, i. e. a iure divino naturali et positivo...[13] (Sufficit?... Non?...).

Congruenter igitur cum suis ipsius fontibus, schema corrigendum videtur, ita ut textus circa dependentiam episcoporum, etsi simul unitorum, nulla obscuritate laboret. *Et logico ordine, ut iam dictum fuit, disponatur, necessaria non omittendo, ac repetitiones, si quae sint, inutiles vitando.*[14]

Aliquantulum immorandum censui in Actis Concilii Vaticani I, *sive quia verba controversa, ex eodem eruta, dicuntur, sive quia plures aliae* [15] quaestiones nuper *hic* [16] excitatae, iam tunc diu disputatae fuerunt, textibus non exceptis « *superaedificatos* super fundamentum apostolorum et prophetarum » et cap. XXI Apocalypsis...[17] Inde etiam sumere fas est quae Innocentius III ad patriarcham constantinopolitanum scripsit Litteris quae incipiunt *Apostolicae Sedis,* ubi expendens verba « tu es Petrus », *ille Summus Pontifex* [18] inquit: « Quod si omnibus etiam apostolis simul dictum esse reperias, non tamen aliis sine ipso, sed ipsi sine aliis attributam esse cognosces ligandi et solvendi a Domino facultatem; ut quod non alii sine ipso, ipse sine aliis posset ex privilegio sibi collato a Domino et concessa plenitudine potestatis »...[19]

Quibus *verbis* [20] confirmatur quoque apostolatum et episcopatum, immediate et iure divino esse ex Christi institutione « non ad imponendum limitem, sed ad cooperandum supremae et plenae potestati Petri in aedificationem Ecclesiae »...[21]

Modos autem et limites cooperationis episcoporum in universae Ecclesiae regimine, est quidem episcoporum, sive singulorum, sive coadunatorum in Concilio, proponere, unius autem Summi Pontificis *disponere, i. e.*[22] libere decernere, mutare, amplificare, restringere, pro sua suprema auctoritate. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] integri. [2] deest. [3] ad antea nos expresse remittat a se dicta, i. e. [4] (Mansi, 52, 1109; cf. etiam 1106). [5] (Mansi, 52, 1109). [6] ep. Zinelli. [7] (Mansi, 52, 1310). [8] deest. [9] (Mansi, ibid.). [10] (cf. Mansi, 52, 1201). [11] deest. [12] (Mansi, 52, 1202; Relatio officialis ep. Zinelli diei 11 iulii 1870). [13] (Mansi, 52, 1109). [14] deest. [15] eo vel magis quod plures. [16] deest. [17] (cf. Mansi, 52, 683-684 et 717-718). [18] deest. [19] (Mansi, 52, 704; cf. Migne PL 214, 760). [20] rebus. [21] (Mansi, 52, 715). [22] deest.

Animadversiones additae:

La parola e il concetto di « collegio », « collegialità », hanno un uso molto frequente e abbastanza preciso nel diritto (in tutti gli ordinamenti), di modo che un uso diverso determinerebbe facilmente equivoci pericolosi.

Nel concetto più proprio e originario di « collegio », è insito quello dell'uguaglianza giuridica dei « colleghi », ossia dei membri. Non sembra quindi che possa usarsi « sic et simpliciter » questa parola per designare un ente collettivo, dove uno ha diritti assolutamente preminenti: il Successore di Pietro. Perciò anche Kleutgen voleva evitato il termine « collegio » (Mansi, 53, 320).

Questo sembra doversi evitare anche perchè la nozione essenziale di « collegio » esige che il soggetto dei diritti e dei doveri (che gli competono come « collegio ») sia uno solo e *indivisibile*. Nel nostro caso il soggetto non è tale, perchè il Sommo Pontefice può esercitare anche da solo la pienezza della sua potestà. Eppure nello schema si parla di « indivisum subiectum » (pag. 27).

Si è detto che conviene usare il termine « corpus »; ma il senso latino di questa parola, soprattutto nelle fonti romane, s'identifica con quello di « collegium ». Non sarebbe preferibile « *communitas* »?

D'altra parte: o si dice che questo ente collettivo *non è soggetto* di diritto, e allora l'espressione non ha il senso che le si vuole attribuire; o questo ente collettivo è soggetto di diritto, e allora si deve chiedere: soggetto di diritto divino, o soggetto di diritto ecclesiastico? Se il collegio dei Vescovi deve, *per diritto divino,* partecipare *qua tale* al governo universale della Chiesa, non è con ciò stesso limitato il Primato del Romano Pontefice? Egli infatti non può andare contro il diritto divino, nè prescindere da esso.

L'intervento, per diritto divino, nel governo universale della Chiesa, sembra non possa quindi riconoscersi alla comunità dei Vescovi se non nei seguenti termini: questo diritto divino della comunità episcopale è assolutamente indeterminato nel suo esercizio; il determinare le condizioni, i limiti, i modi di questo esercizio spetta unicamente al Romano Pontefice; nell'esercizio stesso di questo potere, le norme sancite dalla comunità episcopale non hanno alcuna forza obbligante, se non dal Romano Pontefice (cf. cann. 228, 227, 222).

Mi sembra di aver compreso che tali, almeno nella sostanza, sono le conclusioni su cui si sono fermati vari membri anche autorevoli del Concilio Ecumenico. Sommessamente mi pare invece che tali conclusioni non possano affatto considerarsi definitive e soddisfacenti.

Questa « potentia seu facultas gubernandi », ossia questo diritto soggettivo al governo universale della Chiesa, potrebbe infatti considerarsi un vero e proprio diritto divino della comunità episcopale, qualora questa potesse passare all'atto, esercitarlo cioè, ponendo qualche atto di governo universale, indipendentemente da ogni altro soggetto. Se invece, per ogni suo atto dipende da un'altra autorità, e ogni suo atto ha valore soltanto per l'autorità di quest'altro soggetto, si deve concludere che la comunità dei Vescovi non ha una propria autorità suprema, che gli atti di governo universale che la stessa comunità pone, procedono in realtà dall'autorità del Romano Pontefice e che il supposto diritto divino della comunità episcopale al governo universale della Chiesa sarebbe una « potentia » senza possibilità di passare all'atto, un diritto « ad nihil », cioè una contraddizione. Non

resta quindi se non concludere che la comunità episcopale può essere soggetto di diritto solo e in quanto il Romano Pontefice la costituisce tale.

De episcopatus ratione collegiali.

Vox et notio « collegii », « collegialitatis » in iure et in omnibus iuris systematibus, adhibentur frequenter et significatione bene definita; quare diversa harum vocum acceptio periculosas ambiguitates potest facile inducere.

« Collegii » enim notio magis propria et originaria, natura sua dicit « collegarum » seu sodalium aequalitatem iuridicam. Vox igitur « collegium » non videtur posse « sic et simpliciter » adhiberi, saltem accurato eo sensu qui proprius est definitionis dogmaticae, ad significandum corpus, in quo unus, suo ipsius iure ideoque sine sodalium consensu, iura habeat prorsus praepollentia et suprema, ut in hac re nostra habet Petri Successor. Hac ductus ratione etiam Iosephus Kleutgen, magnus ille Oecumenici Concilii Vaticani I theologus ac dein fautor eximius restaurationis thomisticae, vitandum censuit vocabulum « collegium » (Mansi, *Conciliorum amplissima collectio,* 53, 320).

Etenim, huiusmodi vocabulum esset hic improprium ex ipsa essentiali collegii notione, quippe quae postulat ut subiectum iurium et officiorum (quae ei competunt ut « collegio »), unum sit et indivisibile. At in re de qua agimus, subiectum non est huiusmodi, cum Summus Pontifex possit, etiam ex se solus, suae potestatis plenitudinem exercere. Si nihilominus vocem « collegii » adhibere volumus, sensum determinare debemus quo eam accipimus ».

Dixerunt aliqui magis convenire usum vocis « corpus »; at latina huius vocis significatio, etiam in fontibus romanis, eadem est atque vocis « collegium ». Nonne praeferenda est vox « communitas »?

Alii etiam dixerunt praetermittendum esse *ius*; sed respondemus hoc fieri posse tantum si admittatur collegium episcoporum non esse, qua tale, cuiusvis iuris subiectum.

Quare hoc ens collectivum seu communitas episcopalis: vel asseritur non esse subiectum iure suo autonomum, et tunc vocabulum non iam habet sensum, quem omnes ei tribuunt; vel est subiectum suo iure autonomum, et tunc nova occurrit quaestio, utrum nempe sit subiectum iure divino an iure ecclesiastico. Si enim episcoporum communitas debet, iure divino, partem habere, *qua talis,* in universali moderatione Ecclesiae, nonne eo ipso delimitatur Primatus Romani Pontificis? Ipse enim contra ius divinum agere vel illud neglegere nequit. At constitutio dogmatica *Pastor aeternus* Concilii Vaticani I dicit: « *uni* Simoni Petro contulit Iesus... summi pastoris et rectoris iurisdictionem *in totum suum* ovile ».

Primatus, ex natura sua, unius est; potestatis enim plenitudo non admittit limites, defectus vel additiones; quare concludendum est ecclesiasticam Romani Pontificis iurisdictionem nulla humana auctoritate posse coarctari (Mansi, 52, 1202), at solum auctoritate divina, hoc est iure divino naturali et positivo.

Si vero episcopalis communitas iure divino particeps esset universalis gubernationis Ecclesiae, eidemque pariter competeret huiusmodi iuris exercitium, consequentia gravissima et eversiva essent, cum, inter cetera, episcoporum communitas ius haberet eligendi proprios stabiles legatos apud Summum Pontificem, utpote participes exercitii eius ipsius Primatus, et cum is vacaret, posset sibi vindicare interventum ad novum eligendum Pontificem.

Huiusmodi conclusio aperte conflictat cum doctrina catholica et cum ipsa Ecclesiae constitutione.

Ideo asserunt quidam agnoscendam esse communitati episcoporum, *qua tali,* propriam facultatem interveniendi, ex iure divino, in universali Ecclesiae gubernatione, at modo his limitibus et condicionibus: ut hoc divinum communitatis episcopalis ius omnino indeterminatum sit quoad suum exercitium, et simul condiciones, limites modosque quo ipsum ius exercetur, definire unice pertineat ad Romanum Pontificem. Dicunt enim communitatem episcopalem, tum saltem cum in Conciliis Oecumenicis convocata est, de facto hanc universalem potestatem exercuisse. Atqui quod est in actu, debuit prius esse in potentia. Ergo communitas episcoporum ex sua ipsius origine, quae est divina, habet « potentiam », « facultatem », ius ad hanc universalem gubernationem.

Si communitas episcoporum absque suo capite accipiatur, haec sententia non potest admitti. Communitatem episcoporum in Oecumenico Concilio congregatam, habere potestatem universalem et supremam non ambigitur; immo hoc expressis verbis sancitur canone 228, § 1 C.I.C. Sed unde proveniunt immediate universalitas et suprema auctoritas huius potestatis? Ex Romano Pontifice, ut videtur: dari enim non potest Concilium Oecumenicum sine Summo Pontifice (can. 222), et sine illo normae a Concilio statutae nullam vim legis habent, et tantum ab illo definitivam obligandi vim consequuntur (can. 227).

Fundamentalia iuris principia aliam suggerunt animadversionem. Haec « potentia seu facultas gubernandi », seu hoc subiectivum ius ad universalem Ecclesiae gubernationem, posset considerari ut verum propriumque ius divinum communitatis episcopalis, si haec illud exercere posset ponendo aliquem universalis gubernationis actum independenter a quavis alia auctoritate. Si vero in quovis suo exercitio pendet ab alia auctoritate et quivis eius actus vim suam habeat tantum ex auctoritate alterius potestatis, concludendum est episcoporum communitatem non habere propriam distinctamque auctoritatem supremam; actus universalis gubernationis ab ea communitate positos, suam definitivam obligandi vim ex Romani Pontificis auctoritate tamquam ex fonte accipere; hypotheticum denique episcopalis communitatis ius divinum ad universalem Ecclesiae gubernationem esse « potentiam » quae ex se numquam posset ad actum transire, esse ius « ad nihil » seu contradictionem.

Obiiciunt quidam: si episcoporum communitas re vera in Conciliis hanc universalem potestatem exercet, quomodo hoc ius ad actum transire potest, si non erat prius in potentia? Respondetur: eodem modo quo aliquis, nullum habens ius in rem quae est in una alterius proprietate et possessione, potest eam accipere et possidere si ab hoc altero ei donetur.

Concludatur igitur oportet: episcoporum communitatem — absque Summo Pontifice — posse subiectum iuris esse tantum et in quantum Romanus Pontifex talem eam constituat, ac tantum ex Summi Pontificis concessione posse eius universalis et supremae iurisdictionis fieri participem.

Communitas ergo episcopalis nulla pandet potestate universali et suprema, nisi cum Capite et sub Capite suo. Summus autem Pontifex suam supremam auctoritatem exercere potest, pro suo libero iudicio, sive per se sive simul cum communitate episcoporum. Episcoporum vero communitas hanc supremam auctoritatem non participat nisi condicionibus, modis et limitibus a Papa praefinitis;

potestas enim suprema ab eodem profluit, sicut a capite in membra, quia in solo capite est plena atque integra (cf. L. Billot, *De Ecclesia Christi,* ed. V, p. 584). Non sunt ergo in Ecclesia duae auctoritates universales atque supremae: i. e. una in Romano Pontifice et altera in collegio episcoporum, sed una tantum, seu auctoritas Suprema Romani Pontificis, qui duabus formis eam pro sua libera electione exercere potest, i. e. per se solum aut simul cum collegio episcoporum, sive universo, prout accidit in Concilio Oecumenico, sive mediantibus communitatum episcoporum repraesentantibus, aut directe ab ipso Papa designatis aut indirecte, i. e. modis ab eo sancitis.

Si tandem quaeritur: subiectum auctoritatis supremae estne unicum an duplex in Ecclesia? Respondendum humiliter censeo: principium et fons auctoritatis supremae in Ecclesia est tantum et solum Caput eius, ideoque subiectum potestatis supremae sensu absoluto et magis proprio est unice Romanus Pontifex. Collegium autem episcoporum vocari potest subiectum potestatis supremae sensu relativo et per participationem, quatenus nempe sub Romano Pontifice ipsiusque ductu eius supremae auctoritatem participat eique cooperatur in regimine universae Ecclesiae.

« Apostolatus ergo — legimus in relatione deputationis pro rebus fidei in Concilio Vaticano I — et in ipso episcopatus, immediate et iure divino est ex Christi institutione, non ad imponendum limitem, sed ad cooperandum supremae ac plenae potestati Petri » (Mansi, 52, 715).

Constitutio dogmatica *Pastor aeternus* haec habet: « erga (hanc Romani Pontificis iurisdictionis potestatem) pastores atque fideles, tam seorsum singuli *quam simul omnes,* officio hierarchicae *subordinationis* veraeque oboedientiae obstringuntur; ita ut ... Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore » (Denzinger-Schönmetzer, *Enchiridion,* n. 3060; cf. n. 3064).

Leo XIII, in epistola encyclica *Satis cognitum* 29 iunii 1896, addit: « praeterea animadvertendum, tum rerum ordinem mutuasque necessitudines perturbari, si *bini* magistratus in populo sint eodem gradu, neutro alteri obnoxio. Sed Romani Pontificis potestas summa est, universalis planeque sui iuris: Inconveniens est quod duo aequaliter super eumdem gregem constituantur. Sed quod duo, quorum unus alio principalior est, super eamdem plebem constituantur, non est inconveniens » (Denzinger-Schönmetzer, n. 3309).

Iuxta intentionem Christi: « Episcopi sunt apostolorum successores atque ex divina institutione peculiaribus ecclesiis praeficiuntur quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis » (can. 329, § 1); episcopi sub Papa unicam hierarchiam constituunt; episcopi cum Summo Pontifice ita ordinantur ut illi, sive adunati in Concilium Oecumenicum sive per orbem dispersi Papae praesto sint ut eum adiuvare possint in exercitio suae supremae et universalis potestatis. Haec ordinatio, mea submissa sententia, est iuris divini, at nullam reapse secumfert universalem et supremam potestatem. Amplior conclusio nondum ita certa videtur ut definiri iam possit.

Moderator: Nunc dent Patres votum suum de emendatione quarta. Secretarius generalis leget tunc textum, sed antea notum faciet successum priorum duarum votationum.

Secretarius generalis: Lego exitum I suffragationis:

Praesentes votantes		2.298	
Dixerunt	*placet*	2.278	
	non placet . . .	12	
	placet iuxta modum	1	(sed nullum est votum)
Suffragia nulla		7	

Ita, emendatio placuit.

II emendatio:

Praesentes votantes		2.290	
Dixerunt	*placet*	2.264	
	non placet . . .	14	
	placet iuxta modum	2	(itaque nullum votum)
Suffragia nulla		10	

Nunc lego textum quartae emendationis; videatis pag. 6: ad art. 39... [*cf. pag. 280*].

7

EXC.MUS P. D. IOANNES RUPP
Episcopus Monoecensis

Tamquam puer Samuel, ter ab alto vocatus sum, id est in congregationibus generalibus; utinam ille me adiuvet! [1]

Cap. II constitutionis dogmaticae pulchra et exacta continet de apostolorum et episcoporum collegio. Si, iuxta Patres orientales, et praesertim Cyrillum Hierosolymitanum, Dionysium Areopagitam, Chrysostomum, Petrus est Coryphaeus apostolorum, ergo apostoli eorumque successores sunt *chorus* qui per saecula permanet. Petrus tamen qui per Leonem et Agathonem, i. e. per Romanos Pontifices loquitur, non tantum est *in* collegio, sed etiam *supra* collegium. Post ascensionem Domini, Coryphaeus non iam ille est tantum qui nomine apostolorum loquitur, sed qui vices Christi in terris gerit. Decet eorum meminisse quae Chrysostomus de textu evangelico « pasce oves meas » tam splendide praedicavit. Piscator Pastor factus iam dici potest « il dolce Cristo in terra ». Attamen ipse Christus dixit universo apostolorum collegio: « Ecce ...[2] vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi ».

Haec omnia, quae mysterio non carent, in textu proposito de collegio apostolico et episcopali plus minusve inveniuntur.

Unum tamen deest: quae sunt membra huius collegii?

Decus ordinis nostri, honor summo gradui sacramenti Ordinis debitus, hanc responsionem exigunt: omnes episcopi, i. e. tam titulares quam residentiales; *tam titulares, etiamsi ad Ecclesiam pauperum pertinent!* [3]

Haec asserta gravibus argumentis demonstrari possunt. Quatuor enumerabo:

1. Qui hodie titulares vocantur, tam in oriente quam in occidente, tam in Ecclesia catholica, quam apud fratres separatos *dilectissimos,*[4] tam nostris quam antiquissimis temporibus inveniuntur. Principium immemoriale de aequalitate omnium episcoporum a primis saeculis nobis legatum quomodo servare possumus, si illos episcopos a collegio excludimus?

2. De facto, dictis a Suarezio non obstantibus, *quia falsa sunt,*[5] in Conciliis oecumenicis, i. e. in coetu collegiali episcoporum, quo nullus est *maior et* [6] solemnior, iam antiquitus praesentes fuerunt. Cogitate insuper Tridentinum, ubi episcopis annulariis — *quia sic hoc tempore vocabantur* [7] — a card. de Lorraine tam vehementer impugnatis, tamen octo saltem titulares aderant! Cogitate Vaticanum I, ubi post unanimem suffragationem commissionis directoriae, die 17 maii 1868 factam, admissi sunt! Cogitate venerabiles cardinales, archiepiscopos, episcopos non residentiales in hac aula praesentes! Praxis Ecclesiae, tam clara, argumentum praebet quod maxime valet.

3. Quoad ius eorum, nolo cum Melchiore Cano de iurisdictione disputare, quae in Ecclesia particulari requireretur ad partes in Conciliis habendas. Post Litteras apostolicas a Benedicto XIV, viro praeclaro, die 4 augusti anni 1747 missas, obiectio fere evanescit.

Sed titularium ius clarius adhuc etsi indirecte vindicatur a commissione Vaticani I, *antea laudata,*[8] quae haec ponit: « Anche i Vescovi residenziali non votano nei Concili per la giurisdizione che hanno sulle loro chiese particolari, ma come maestri e governatori di tutta la Chiesa in generale », id est per potentiam *quamdam* [9] quae, facta convocatione, reducitur in actum.

4. Infallibilitatem denique tandem, ubi de actis conciliaribus praedicari debet, quis negaret eam nonnisi a « Virtute ex alto », de qua S. Lucas, id est a Spiritu Sancto, procedere, quem omnes episcopi aequaliter in consecratione acceperunt?

Ex his omnibus, duo concluduntur:

1. Canon 223, § 2, qui de materia agit, recondi debet in sensu praedicto.

2) In constitutione nostra, cap. II, pag. 25, post lin. 37, haec addantur: « Eadem dona etiam episcopi titulares dispensant i. e. prae-

sules illi qui, dioecesim actu non regentes, partes tamen habent in collegio episcoporum seu successorum apostolorum ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] ego. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] deest.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH HEUSCHEN
Episcopus tit. Druensis, aux. Leodiensis

Venerabiles Fratres,

Dubium motum est utrum in traditione satis appareat quod Ecclesia fundata est non tantum supra Petrum-rupem...[1] sed etiam super apostolos...[2], petra angulari et fundamentali semper remanente ipso Domino.

Iamvero in traditione omnino compertum est Ecclesiam — « plantationem, ut ait Ascensio Isaiae, quam plantaverunt duodecim dilecti apostoli » — *Ecclesiam, dico,*[3] etiam super apostolos, nomine collectivo indicatos, esse fundatam, *tamquam — verba sunt S. Irenaei — « super dodecastylum firmamentum », super firmamentum duodecim complectens columnas.*[4] Haec veritas patet in verbis quae in antiquissimis symbolis explicite occurrunt: « Credo Ecclesiam apostolicam ». Quae verba occurrunt in symbolo Epiphanii...[5], in symbolo maiore Ecclesiae armeniacae...[6], in Constitutionibus Apostolorum...[7] et denique in symbolo Nicaeno-Constantinopolitano...[8] Ecclesia autem praecise apostolica est quia super apostolos...[9] fundata, seu cum inversa imagine, quia ipsi apostoli eam fundaverunt, auctoritative divulgantes Evangelium. Quocirca docet idem Irenaeus...[10]: « Etenim Dominus omnium » — *sunt verba ipsius Irenaei* [11] — « dedit apostolis suis *potestatem Evangelii,* per quos et veritatem, hoc est Dei Filii doctrinam cognovimus, ... dispositionem...[12] salutis nostrae, ... fundamentum et columnam fidei nostrae ». « Ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo », haec classica *verba Tertulliani in eadem concatenatione* [13] iam inveniuntur in I Clementis...[14] et, saltem quoad ideam, etiam in S. Ignatio...[15], apud Serapionem Antiochenum...[16] et apud Origenem...[17]

Ideo est quod antiqui legitimitatem et veritatem Ecclesiarum comprobant, ostendendo earum series episcoporum ad « apostolos » ascendere. Quod est argumentum princeps Tertulliani in *De praescriptione haereticorum.* Idem argumentum subiacet operibus Hegesippi et S. Ire-

naei, qui catalogos episcoporum usque ad « apostolos » confecerunt. Quod Irenaeus praeclaro modo facit pro Ecclesia Romana, quae iuxta ipsum a Petro et Paulo fundata est, necnon pro Ecclesia Smyrnensi et Ephesina, quae apostolum Ioannem habent auctorem. Ideo etiam in antiquitate maiore honore gaudent Sedes *sic dictae* [18] « apostolicae », quae scil. aliquem apostolorum (aut virum apostolicum) auctorem et fundatorem habent. Huiusmodi « sedes apostolicae » in oriente plures sunt, in occidente vero nonnisi una et quidem maxima, nempe Romana...[19]

Neque dicatur assertionem huiusmodi simpliciter indicare quod apostoli doctrinam divulgant quin propriam auctoritatem exerceant. Ubique enim in textibus, v. g. S. Irenaei, asseritur apostolos in praedicando veram auctoritatem seu potestatem, a Christo acceptam, super credentes exercere. Non enim occupantur apostoli de diffusione alicuius notitiae seu doctrinae philosophicae, sed de authentice proclamando verbo Dei...[20]

Ut autem appareat antiquos Patres revera intellexisse et dixisse Ecclesiam esse super apostolos fundatam, vobis *adhuc* [21] communicare volo plura asserta patristica, limitando tamen expositionem ad solos Patres occidentales. Tempore Cypriani, *v. g.,*[22] auctor « Libri de Aleatoribus » affirmat se « in superiore suo portare originem authentici apostolatus, super quem — *dicit* [23] — Christus fundavit Ecclesiam »...[24] « Apostoli... perfecti ita sunt, ait Hilarius, ut et fundamenta Ecclesiarum fierent et columnae »...[25] Explanando textum epistolae ad Ephesios...[26], Augustinus ideam evolvit prophetas Veteris Testamenti disposuisse, apostolos vero *Novi Testamenti* [27] iacuisse Ecclesiae fundamenta. Qui idem Augustinus saepe saepius sermonem facit de apostolis tamquam fundamentis Ecclesiae...[28] Thema specialiter evolvit in diversis locis suarum Enarrationum in Librum Psalmorum, in contextu in quo sermo fit...[29] de montibus. Idea montis ei suggerit ideam fundamenti, et statim transitus fit ad fundamentum apostolorum. Sufficiat mihi hac in aula duos ex illis textibus legere, ceteros in scriptis secretariatui tradam.

Explanando textum Ps. 86...[30] « fundamenta eius in montibus sanctis, diligit Deus portas Sion », scribit: « Ne putes alia esse fundamenta, alias portas. Quare sunt fundamenta apostoli et prophetae? Quia eorum auctoritas portat infirmitatem nostram ». In eodem loco respondet difficultati: « Quomodo apostoli fundamentum Ecclesiae esse possunt siquidem ipse Christus, testante Scriptura...[31], fundamentum primum et maximum est? ». Solutio Augustini realitatem utriusque fundamenti salvat. In Commentario Ps. 45...[32], sequentia verba habet: « Mons (Domini) super alios montes collocatus est, quia et apostoli montes, por-

tantes montem hunc », scil. montem Domini...[33] In hoc monte eminenti, alibi dicit, « emicuit et eminuit auctoritas apostolica »...[34]

Brevitatis causa duo ex tribus testimoniis S. Hieronymi...[35] testimoniaque Primasii Episcopi Adrumetani...[36] et S. Gregorii Magni...[37] omittam, textus tamen scripto tradam.

Legam tamen quae Hieronymus habet in Libro adversus Iovinianum...[38]: « At dicis — ait —: super Petrum fundatur Ecclesia: licet id ipsum in alio loco super omnes apostolos fiat, et cuncti claves regni caelorum accipiant, et ex aequo super eos Ecclesiae fortitudo solidetur, tamen propterea inter duodecim unus eligitur ut, capite constituto, schismatis tollatur occasio ». Apertissima autem est affirmatio S. Paschasii Radberti, abbatis Corbeiensis, qui, ut notum est, passim in doctrina Augustini innititur. Postquam lectores exhortatus est ad firmitatem in fide similem firmitati Petri, sequentibus verbis prosequitur: « Unde non super uno Petro, verum super omnes apostolos apostolorumque successores Ecclesia Dei aedificatur »...[39]

Liceat mihi in fine testimonium S. Thomae afferre. « Utile est », ait in parte I *Summae Theologicae,* in q. 43, art. 7, ad 6, « ut per visibilia signa fides confirmetur et propagetur. Quod quidem principaliter factum est per Christum et per apostolos... Et ideo specialiter debuit fieri missio visibilis Spiritus Sancti ad Christum et ad apostolos et ad aliquos primitivos sanctos, in quibus quodammodo Ecclesia fundabatur »...[40]

Concludo ergo non esse dubium quin Patres textus Novi Testamenti reapse intelligant de fundatione Ecclesiae non exclusive licet principaliter super Petrum, sed etiam suo sed reali modo super fundamenta apostolorum.

In textu scripto tradito: [1] (*Mt.* 16, 18). [2] (sec. *Eph.* 2, 20 et *Apoc.* 21, 14). [3] deest. [4] deest. [5] (Denz. 42). [6] (Denz. 49). [7] (Denz. 60). [8] (Denz. 150). [9] « duodecastylum Ecclesiae firmamentum » ut ait Irenaeus. [10] (*Adv. haer.* III, Praef.). [11] deest. [12] (oeconomiam). [13] haec classica concatenatio Tertulliani (*De praescr. haer.* 21, 4; 37, 1). [14] (*Ad Cor.* 42, 1-4). [15] (*Ad Magn.* 6 et passim). [16] (Eus., *Hist. Eccl.* VI, 12). [17] (*De Princ.* IV, 2, 1). [18] deest. [19] In omni autem et tota Ecclesia, secundum verba Liturgiae, Dominus ipse apostolos « operis sui vicarios eidem contulit praeesse pastores ». [20] per Christum, cui credentes oboedire tenentur. [21] deest. [22] deest. [23] deest. [24] (PL IV, c. 827). [25] (*In Ps.* LVII, 10: PL 9, 450). [26] c. 2, vv. 19-20). [27] deest. [28] seu civitatis supernae. [29] in psalmis. [30] PL 37, 1101 s.). [31] (*1 Cor.* 3, 11). [32] (PL 36, 517). [33] Ierusalem novam. [34] (PL 37, 1355). [35] (PL 23, 217; 26, 370 bc; 26, 275-476). [36] (PL 68, 924). [37] (PL 76, 455-456). [38] (PL 23, 217). [39] (PL 120, 561). [40] Illud « quodammodo », ni fallor, ibi ponitur ob mentionem in enumeratione praecedenti illorum « primitivorum sanctorum ».

Animadversiones additae: (*Florilegium textuum*)

Ascensio Isaiae: « Plantationem quam plantaverunt Duodecim Dilecti Apostoli » (E. Tisserant, *L'Ascension d'Isaïe,* Paris 1909 p. 25 sq.).

Irenaeus, *Contra haer.* L. IV (P. Gr. VII, 1045): « Peregre nascebatur XII tribus, genus Israel, quoniam et Christus peregre incipiebat duodecastylum firmamentum Ecclesiae generare ».

Tertullianus, *De praescr. haer.* 21, 4: « id sine dubio tenentem quod Ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo accepit ».

Tertullianus, *De praescr. haer.* 37, 1: « in ea regula incedimus quam ecclesiae ab apostolis, apostoli a Christo, Christus a Deo tradidit ».

I Clementis, *Ad Cor.* 42, 1-4 (Funk, *Patres Apost.* t. I p. 153): « Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei ».

Augustinus, *Enarr. in ps.* 35 (PL 36, 347): « Et quomodo quando oritur sol prius luce montes vestit et inde lux ad humillima terrarum descendit, sic quando venit Dominus noster Iesus Christus prius radiavit in altitudinem apostolorum, prius illustravit montes, et sic descendit lux ad convallem terrarum ».

Augustinus, *Enarr. in ps.* 64 (PL 36, 781): « montes sunt magni praedicatores, humiles in se, excelsi in fortitudine Dei ». De quibusnam praedicatoribus agitur: « unus ex ipsis », prosequitur textus, « est Paulus ».

Augustinus, *Enarr. in ps.* 81, 5 (PL 37, 1049): « ... quorum fundamentum est primitus ipse Christus ex Virgine... deinde ipsi Apostoli et Prophetae ».

Augustinus, *Enarr. in ps.* 86, 3 (PL 37, 1102): « Quomodo ergo fundamenta Prophetae et Apostoli et quomodo fundamentum Christus Iesus quo ulterius nihil est? Quomodo putamus, nisi quemadmodum aperte dicitur sanctus sanctorum, sic figurate fundamentum fundamentorum? ».

Augustinus, *Enarr. in ps.* 75 (PL 37, 961): « Qui sunt montes magni? Praedicatores veritatis. Tu illuminas sed " a montibus aeternis ". Primi magni montes excipiunt lucem tuam et a luce tua, quam suscipiunt montes, vestitur et terra. Sed illi magni montes exceperunt Apostoli; tanquam orientis luminis primordia exceperunt Apostoli (nec apud se retinuerunt quod exceperunt) ».

Augustinus, *Enarr. in ps.* 103 (t. 37, c. 1358): « Ab increpatione Dei fugerunt aquae », hoc est a pressura montium recesserunt. Iam montes ipsi exstant Petrus et Paulus: quomodo eminent... Emicuit et eminuit auctoritas apostolica ».

Augustinus, *Enarr. in ps.* 124 (t. 37, c. 1650): Augustinus hic commentatur textum « montes in circuitu eius » et quaestionem ponit: « qualis est ista Ierusalem? ». Respondet: « Ipsa est tota felicitas nostra quia habebimus civitatem quam circumdederunt montes. Num enim non novimus montes? Aut quid sunt montes nisi tumores terrarum? Alii sunt ergo montes amabiles, montes excelsi, praedicatores veritatis, sive Angeli, sive Apostoli, sive Prophetae. Ipsi sunt in circuitu Ierusalem; ambiunt illam et quasi murum illi faciunt. De his montibus amabilibus et delectabilibus assidue Scriptura loquitur ». Est unicus locus in quo Augustinus imaginem in hoc sensu (de montibus civitatem ut muralia circumdantibus) adhibet.

Hieronymus, *In Ep. ad Gal.* lib. II c. 4 (PL 26, 370 bc): « Omnes aedificati sumus super fundamentum apostolorum et prophetarum, continentes nos angulari

lapide Iesu Christo Domino nostro... Et quomodo nos super prophetas fundati sumus, ita et patriarchae in Apostolorum fundamine constiterunt ».

Hieronymus, *In Ep. ad Eph.* 2, 20 (PL 26, 475-476): pluries expressionem habet.

S. Gregorius Magnus, *Moral.* lib. XXVIII, V (*in Cap. 38 Iob. 4-6*) (PL 455-456): « Sancti itaque apostoli et pro prima ostensione ornamenti lapides sunt in pectore et pro prima soliditate aedificii in solo fundamento. Unde David propheta cum sanctam Ecclesiam in sublimibus apostolorum montibus poni aedificarique conspiceret: " Fundamenta eius ", inquit, " in montibus sanctis " (*ps.* 86, 1). Cum vero in sacro eloquio non fundamenta sed singulari numero fundamentum dicitur, nullus alius nisi ipse Dominus designatur, per cuius divinitatis potentiam nutantia infirmitatis nostrae corda salvantur. De quo et Paulus ait: " Fundamentum aliud nemo potest ponere, praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus " ».

Primasius Adrum. Episc., *in Comm. in Apoc.* (PL 86, 924): « Sequitur: " Et muri civitatis habent fundamenta duodecim " et super ea " nomina duodecim Apostolorum et Agni ". Patriarcharum praemissa mentione, apostolos memorat. Cum noverimus Ecclesiam unum tantum fundamentum habere, id est Christus, moveri non debemus quia hic eam 12 habere dicit. In Christo enim Apostoli meruerunt esse Ecclesiae fundamenta, de quo Apostolus (*1 Ad Cor.* III): " Fundamentum ", inquit, " aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, Christus Iesus " ».

Moderator: Nunc fit ultimum votum in hodierna congregatione, de emendatione quinta. Exc.mus secretarius nunc leget textum huius emendationis.

Secretarius generalis: Emendatio quinta... [*cf. pag. 281*].

Et nunc communico exitum tertiae suffragationis:

Praesentes votantes	2.284
Dixerunt *placet*	2.249
non placet	31
Suffragia nulla	4

Ita etiam tertia emendatio placuit.

9

Exc.mus P. D. ANDREAS CHARUE

Episcopus Namurcensis

Venerabiles Patres,

Consilio habito cum pluribus Patribus ac peritis qui scientiis biblicis incumbunt vel incumbebant, opportunum arbitror adhuc reassumere in aula argumentum ex Scriptura ad quaestionem: « Num Christus colle-

gium apostolicum voluerit, hocque ut Ecclesiae fundamentum? ». *Solummodo per summa, sed systematice procedam.*[1]

1. Quomodo ipse Christus egit et quomodo voluntatem suam circa duodecim manifestavit? Notatu digna est expressio assueta Marci, interpretis, *ut aiunt,*[2] *Petri*: *οἱ δώδεκα*. Speciatim ubi de firma constitutione coetus apostolorum agitur, en quomodo Evangelista emphatice loquitur: « Vocavit ad se quos voluit ipse... et fecit ut essent duodecim cum illo, et ut mitteret eos praedicare »...[3] *Immo*[4] in textu graeco, v. 16 pergit: *ἐποίησεν τοὺς δώδεκα*, gallice: « Il fit *les douze* », et statim citantur nomina duodecim.

Relinquendo nunc cetera testimonia, statim transeo ad sententiam vere fundamentalem et decretoriam quam Christus, opere suo in terris peracto, pronuntiavit: « Data est mihi omnis potestas... Euntes ergo docete (i. e. discipulos meos facite) omnes gentes, baptizantes eos... Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi »...[5]

Utique potestas a Christo duodecim tradita funditus est potestas praedicandi, sed attente considerare oportet illam potestatem praedicandi conferri cum divina auctoritate et assistentia atque consectaria secumferre quae necessaria sunt ad finem concretum attingendum. Revera ex praeconio fidei quod duodecim proclamare debent, sequitur potestas organizandi cultum illi fidei correspondentem, i. e. potestas sanctificandi, — necnon potestas determinandi practicas applicationes in vita concreta discipulorum Christi, i. e. potestas pascendi, regendi communitatem fidelium. Breviter, apostoli constituuntur *a Christo*[6] insimul doctores, sacerdotes et pastores Ecclesiae et ita sunt in sensu verissimo Fundamenta Ecclesiae.

2. Hoc in vita primaevae Ecclesiae illustratur et confirmatur. In primis enim capitibus Actuum, videmus Petrum, per electionem Matthiae, collegium apostolicum complere voluisse ut aliquid necessarium...[7] De cetero videmus apostolos coniuncte, collegialiter agere. Unum saltem testimonium citabo, ex Actibus, cap. *VIII*:[8] « Cum audissent apostoli quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt Petrum et Ioannem, etc. ».

3. Quibus revocatis, nunc *tertio* venio ad examen aliquorum textuum de fundamentis Ecclesiae. Et quidem importat ab initio citare *1 Cor.*, cap. *III*:[9] « Fundamentum aliud nemo potest ponere praeter id quod positum est, quod est Christus Iesus ». Unde quisquis sit, alius homo dici nequit fundamentum nisi modo subalterno. Praecise, ex corde adhaeremus omnes declarationi Vaticani I, quod Summum Pontificem procla-

mat « perpetuum unitatis et communionis principium ac *visibile* fundamentum »...[10] Attamen inconcussum est praerogativis Summi Pontificis non evacuari ipsius coetus apostolorum praerogativas, quae *et ipsae divino ore* proclamatae sunt et in libris sacris consignatae.

Quid ergo censendum est de textu epistolae ad Ephesios cap. *II*,[11] ubi dicitur cives sanctorum et domesticos Dei superaedificari super fundamentum apostolorum et prophetarum? Licet Patres fere unanimiter — *hoc notandum est* [12] — textum explicaverint in sensu prophetarum Veteris Testamenti, et apostolorum Novi Testamenti, admittimus interpretes non concordare hodie quantum ad sensum vocabulorum. Quidquid autem sit, textus certo certius affirmare vult Ecclesiam esse fundatam super doctrinam Evangelii, quae hic in epistola ad Ephesios ut revelatio mysterii Christi proponitur. Propterea quia de revelatione mysterii agitur, nominantur « prophetae ». Sed retinendum est illos prophetas, secundum doctrinam a Paulo semper affirmatam, munus suum exercere non potuisse nisi sub auctoritate apostolorum, ad quos pertinet iudicare *auctoritative* ea quae sunt ad fidem. Ergo in hoc textu, tandem aliquando, ut fundamentum proprie dictum Ecclesiae solummodo apostoli intelligendi sunt. Valet ergo semper omnino testimonium epistolae ad Ephesios *in eius adaequato contextu*.[13]

Examinandum remanet testimonium Apocalypseos cap. *XXI*,[14] ubi nomina duodecim apostolorum Agni inscribuntur in duodecim fundamentis muri novae Ierusalem. Ierusalem nova est utique Ecclesia caelestis et eschatologica. In mente autem Apocalypseos quae dicuntur de Ecclesia consummata, i. e. eschatologica, inchoative iam praesentia sunt in Ecclesia actuali. Ergo apostoli sunt fundamenta duodecim Ecclesiae nostrae. Notatu dignum est insuper haberi in casu unum ex sat raris textibus Apocalypseos in quibus auctor stylum figurarum transgreditur ut sine imagine, sine, si vultis, genere litterario, clare suam mentem aperiat: « nomina duodecim apostolorum Agni ». Apostolos ad fundamentum Ecclesiae pertinere substantialem doctrinam Apocalypseos ingreditur.

Concludo. Collegium duodecim est institutio ipsius Domini, quae ut talis totam historiam ac vitam Ecclesiae comitatur. Unde, manentibus integris praerogativis Summi Pontificis, collegium, seu corpus, seu ordo episcoporum est fundamentum Ecclesiae. Cogitemus notanter ad admirabilem ritum consecrationis episcopalis, quando novus episcopus a fratribus in ordinem episcopalem cooptatur: fulget tunc imago viva Ecclesiae apostolicae Christi. Unde cum quanto gaudio, cum quam ferventi gratiarum actione audivimus Summum Pontificem Paulum VI:

« Vos, venerabiles fratres — aiebat in festo S. Michaëlis — et ipsi apostoli estis, et *a collegio* apostolico originem ducitis *eiusque veri estis haeredes* ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Fide credimus omnia quae de Summo Pontifice sollemniter docuit Vaticanum I. Nihil hac de re in quaestione ponitur, quando auctores schematis de episcopis in collegio adunatis loquuntur. His autem opportune praenotatis, dicendum esse arbitror, doctrinam nostram de collegialitate episcopali, ut aiunt, in Scriptura et in perantiqua traditione fundari. [2] deest. [3] (*Mc.* 3, 14). [4] autem. [5] (*Mt.* 28, 18-20). [6] deest. [7] (*Act.* 1, 15-26). [8] VIII, 14. [9] III, 11. [10] (cf. nostrum schema, p. 23, linn. 17-19). [11] II, 19-20. [12] deest. [13] deest. [14] XXI, 12-14.

Moderator: Notum faciet nunc exc.mus secretarius exitum quarti voti.

Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora nona.

Secretarius generalis: Circa quartam emendationem:

Votum dederunt	2.285
Dixerunt *placet*	2.263
non placet	15
Vota nulla	7

Igitur quarta emendatio placuit.

Em.mus D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XLIV

9 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLIV

9 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Audiant omnes! Recurrit hodie anniversarium pii decessus Summi Pontificis Pii XII. Erga tantum Pontificem, qui scientia, sanctitate et prudentia de Ecclesia optime meritus est, promamus sensus venerationis et precamur ut ei Deus concedat requiem et lucem sempiternam.

Communico etiam obitum exc.morum Patrum: Ioachim Di Leo, arch.-ep. Mazariensis in Sicilia; Leonis Smith, ep. Ogdensburgensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis; Salvatoris Siino, arch. tit. Pergensis, Nuntii Apostolici in Insulis Philippinis, qui decessit heri in cubiculo Summi Pontificis, improviso morbo correptus.

Communico denique mortem honorati viri Camilli Corsanego, promotoris Sacri Concilii et advocati Sacri Consistorii.

Nunc em.mus decanus preces nobiscum effundet pro requie sempiterna harum animarum sanctarum.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT, simul cum Patribus recitavit *De profundis* cum versiculis et orationibus.

Secretarius generalis: Moderatur hanc 44 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo-Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Petierunt loqui circa cap. II schematis *de Ecclesia* em.mi ac rev.mi DD. cardd. Achilles Liénart, ep. Insulensis in Gallia, Paulus Maria Richaud, arch. Burdigalensis in Gallia; exc.mi DD. Antonius Añoveros, ep. coad. Gaditanus in Hispania, Aemilius Blanchet, rector Instituti Catholici Parisiensis in Gallia, Villelmus Conway, arch. Armachanus in Hibernia, Eduardus Martínez, ep. Zamorensis in Hispania, Franciscus Šeper, arch. Zagrabiensis in Iugoslavia, Ioannes Weber, arch.-ep. Argentinensis in Gallia, Dionysius Hurley, arch. Durbanianus in Africa Meridionali, Gerardus Sigaud, arch. Adamantinus in Brasilia, Blasius D'Agostino, ep. Vallensis in Lucania in Italia, Michaël Browne, ep. Galviensis et Duacensis in Hibernia, Michaël Doumith, ep. Sarbensis in Libano, Franciscus Franić, ep. Spalatensis in Iugoslavia, Emmanuel Ga-

lea, aux. Melitensis in Malta, Eduardus Schick, aux. Fuldensis in Germania, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis in Turchia, Bernardus Yago, arch. Abidjanensis in Africa occidentali, Ioseph Maurer, arch. Sucrensis in Bolivia, Demetrius Mansilla, vic. cap. Burgensis in Hispania, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foed. Amer. Sept., Isaac Ghattas, ep. copto-catholicus Thebanus in Aegypto, Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia, Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania, rev.mus P. Anicetus Fernandez, mag. gen. O. P.

Nunc communico Patribus exitum quintae suffragationis heri peractae:

Praesentes votantes	2.284
Dixerunt *placet*	2.261
non placet	18
Suffragia nulla	5

Ideo etiam quinta emendatio placuit.

Suffragatio emendationum, iuxta ordinem moderatoris, in hac sessione prosequitur.

Hodie distribuetur Patribus fasciculus qui continet emendationes a Concilii Patribus scripto exhibitas super schema constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* scilicet partem secundam, nam prima iam est distributa primis diebus Concilii. Gratias!

1

EM.MUS P. D. ACHILLES CARD. LIÉNART
Episcopus Insulensis

Dilectissimi Fratres,

Quoties in disceptatione schematis *de Ecclesia* quaestio fuit de Petro et de apostolis, et nunc in art. 16 de collegio episcopali relate ad primatum Petri successorum, toties apparuit quaedam antinomia, quasi de duabus auctoritatibus antagonistis ageretur, quarum una alteri sacrificanda esset.

Mihi liceat nomine meo et nomine plusquam 63 Galliae episcoporum, modum exponere quo videtur hoc problema pacifice posse et debere componi.[1]

Credo *enim*[2] quod si omnes nos, potiusquam quaereremus in Scriptura textus particulares ad statuendam thesim nostram, legeremus Evan-

gelium in continuitate sua, simpliciter quaerentes quid Iesus fecit ad condendam Ecclesiam suam, et in Actibus Apostolorum quomodo Ecclesia nascens se contulit, visionem magis serenam et *iustiorem* [3] haberemus.

Quid vero fecit Iesus? Postquam « pernoctans fuisset in oratione Dei »...[4], electionem fecit particularem de duodecim discipulis « quos et apostolos nominavit ut essent cum illo et ut mitteret eos praedicare »...[5] Sic curavit ut secum collegium haberet apostolicum, et ut in isto Petrus ipse adnumeraretur. Quando ergo de collegio apostolorum loquimur, non est de collegio a Petro distincto sed de collegio in quo Petrus cum aliis includitur. Sane Iesus dedit primatum Petro in collegio apostolorum, et illi confidit munus ut alios in fide confirmaret: « Rogavi pro te ut non deficiat fides tua; et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos »...[6] Fratres dixit, non servos. Et ideo Petrus non est a collegio apostolorum alienus, nec a fortiori illi opponendus est quasi aemulus. Omnes simul adimpleturi sunt missionem ad quam Christus illos destinavit et cuius respectu postea, sive separatim sive coniunctim illis dotes secundum eorum gradus communicavit. Inter illos tamen vinculum caritatis tale esse monuit ut nulla contentio umquam exsurgere debeat.

Sic constitutum collegium apostolorum vere institutio Domini apparet, et utique est.

Apostoli autem ita senserunt qui, teste libro Actuum, post Ascensionem Domini in coenaculo se adunaverunt cum Maria Matre Iesu. Ante omnia, Petro duce, curam habuerunt de collegio suo complendo. Defuncto enim Iuda proditore, ad numerum duodecim perficiendum Deum deprecati sunt ut designaret novum electum, et Matthias collegio adnumeratus est. Collegialiter acceperunt Spiritum Sanctum die Pentecostes, et statim « Petrus cum undecim »...[7] ut dicit textus (i. e. collegium) inchoavit praedicationem salutis in Ierusalem.

Deinde videmus duodecim « unanimiter » adunatos in porticu Salomonis ad orandum et praedicandum...[8]

Nec collegium apostolicum a potestate cum Petro coregendi destitutum fuit; quod clare manifestum est in textu quando de diaconis instituendis agitur, ubi legimus: « Convocatis autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: " Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis " »...[9]

Quomodo ergo dubitare poterimus quin duodecim, Petro duce, ministerium collegialiter de facto exercuerint, etiam extra Concilium, sicut fecerunt solemniter in Concilio Hierosolymitano? Et quomodo etiam possemus denegare in apostolis quod unanimiter in casu Petri affirma-

mus: scil. institutionem istam a Domino fundatam ad missionem salutis inchoandam, et ab apostolis sedulo servatam et in usum expertam, cum eis non esse mortuam, sed perseverare ad missionem usque ad finem *mundi*[10] prosequendam?

Quapropter assentio his quae in art. 16 declarantur de collegio episcoporum et eius capite.

Haec non adversantur primatui super universam Ecclesiam quem Iesus, nominatim, per actum voluntatis suae, Petro commisit, fundans super illum Ecclesiam ipsam, cum omnibus iuribus et praerogativis quae fides nostra catholica in Summo Pontifice eius successore agnoscit et quae cum filiali subiectione profitemur.

Sed sane potestas illa suprema adhuc libentius ab omnibus accepta esset si ad mentem Evangelii conciperetur et praeberetur. Iesus enim novam notionem auctoritatis in seipso manifestavit et verbo apostolis suis praecepit: « Scitis, dixit, quia principes gentium dominantur eorum... Non ita erit inter vos; sed quicumque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister... sicut Filius hominis non venit ministrari sed ministrare »...[11]

Evangelium non definit auctoritatem verbis potestatis sed vocabulis servitii: *diakonia, douleuein.* Iura et munera uniuscuiusque membri ad missionem salutis exsequendam ordinantur et non ad personalem gloriam augendam. Et auctoritas respectiva Summi Pontificis, episcoporum et aliorum hierarchiae membrorum proportionatur gradibus responsabilitatis quam assumunt in opere incrementi Corporis mystici.

Si duas auctoritates diversae considerantur sub respectu potestatis, contentio inter illas oriri potest; sed non si sub aspectu servitii communis cui coniunctim collaborare intendunt, unaquaeque in suo gradu et pro sua parte.

Gratias insuper debemus divino fundatori nostro Christo Iesu quia sic omnia disposuit ut a Petro et successoribus eius servitium supremum exerceatur in Ecclesia ad unitatem fidei et regiminis servandam; et a collegio episcopali, Supremo Pontifici inseparabiliter et filiali oboedientia unito, sed in universo orbe disperso, catholicitas Ecclesiae suae reapse manifestetur et crescat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] tamen. [3] rectiorem. [4] (*Lc.* 6, 12-13). [5] (*Mc.* 3, 13). [6] (*Lc.* 22, 32). [7] (*Act.* 2, 14). [8] (*Act.* 5, 12). [9] (*Act.* 6, 2). [10] saeculi. [11] (*Mt.* 20, 25-28).

Animadversiones additae:

Cap. II et ipsum mihi placet, in quo graviora difficilioraque tractata sunt problemata sub serena veritatis inquisitione, de episcopatus natura, sacramentalitate,

collegialitate ac muneribus; sicque feliciter completur Concilii Vaticani I doctrina de constitutione hierarchica Ecclesiae.

Duo tamen mihi liceat exprimere.

1. Frequens invenitur mentio (saltem undecies in hoc capitulo) de primatu Romani Pontificis, quasi plus minusve semper timeretur ne assertio potestatis episcoporum ipsi offendere posset. Tutius ac honorabilius mihi videretur quod statim ab initio mutua relatio inter illa clare et aperte omnino semel exponatur, quin ulla ulterior requiratur allusio. Propono igitur ut pag. 23, lin. 22, post « incepto pergens » dicatur: « ... doctrinam de episcopis, successoribus apostolorum, qui cum successore Petri, Christi vicario, domum Dei viventis regunt, coram omnibus fidenter profiteri et declarari constituit.

« Quia, sicut episcopalis potestas a suprema et universali Summi Pontificis potestate " non eliditur sed e contra asseritur, roboratur et vindicatur ", ita e converso nullo modo illi officere timenda est. Neutra enim ad propriam exaltationem sed utraque ad utilitatem humileque populi Dei servitium a Christo Iesu instituta est, quemadmodum et Ipse non ministrari venit sed ministrare.

« Petrus etenim, etsi privilegiis donatus, unus inter fratres suos manet ut ipsis inserviat: " Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos " (*Lc.* 22, 32). Non ministri dicuntur, nec subditi sed fratres. Omnes insimul, unoquoque super alteros innixo, maximeque super Petrum, ad mundum universum Christo lucrandum destinantur.

« Quod simili modo de collegio episcoporum intelligendum est quibus in solidum una cum Petri successore mundi salus commissa est. Huius vero servitii seu officii ratione, ut illud taliter rite adimpleant, opportuna ipsis a Deo potestas concredita est ».

2. Ut melius consulatur fratrum separatorum, praesertim Orientalium susceptibilitatibus, quibus formula « Romanus Pontifex » saepius evocat ac quasi secum fert totam Ecclesiam Occidentalem, nonne melius esset ipsi substituere ubicumque possibile videtur, alium titulum « Petri successor » qui idem sonat meliusque etiam universalem primatum Papatus asserit.

Alias insuper emendationes proponam, subscribendo illis quae in fasciculo nobis tradito, a diversis Patribus sunt positae sub nn. 167. 173. 183. 194. 199. 202. 213. 220. 231. 244. 250. 253. 257. 270. 317. 329. 331. 339. 344. 358. 359.

Moderator: Legatur a secretario generali emendatio de qua votum petitur.

Secretarius generalis: Emendatio sexta... [*cf. pag. 281*]. Communico hoc ad claritatem: illa pag. 176 refertur ad volumen quod in priori periodo distributum est et inscribitur *Schemata constitutionum et decretorum de quibus disceptabitur in Concilii sessionibus, series prima.*

2

Em.mus P. D. PAULUS card. RICHAUD
Archiepiscopus Burdigalensis

Em.mi Praesides et venerabiles Fratres,

Post excellentissimas disceptationes em.morum cardd. Döpfner, Ricketts et Suenens, non sine aliqua confusione propono meas cogitationes practicas de diaconatu; ad rationes theologicas et ad votum emissum ab em.mo card. Suenens plane adhaereo.

Etenim existimo quod restauratio diaconatus, tamquam proprius ac permanens gradus in sacra hierarchia nullum damnum afferret presbyteratui, sub condicione bene admissa quod diaconatus non sit merum tempus probationis ante sacerdotium.

Immo existentia in medio christianae plebis diaconorum, iamvero in sacris institutorum sed in inferiori gradu relate ad presbyteratum, non potest nisi valorem sacerdotii in lucem meliorem constituere. Multi sunt inter iuvenes, experientia constat, qui timent presbyteratum et non volunt in seminarium intrare, quia vident saepe saepius sacerdotes, aliunde vere dignos, qui sunt extenuati sub oneribus activitatum plus minusve inferiorum et qui non gaudent tempore necessario ad studendum et praesertim ad orandum. Fuit iam sententia primorum apostolorum quando decreverunt institutionem diaconatus. Puto, forsan audacter, quod restauratio diaconatus foveret meliores ac numerosiores vocationes sacerdotales.

Experientia quoque mihi demonstravit, iam a longo tempore, etiam quando fui in saeculo, quod sunt nonnulli sacerdotes qui plus minusve videntur habere solam vocationem diaconalem.

Aliunde, sane non in omnibus regionibus, sed quando celebratio Missae, deficientibus sacerdotibus, est impossibilis in unaquaque paroecia per omnes Dominicas, clerus quidam, competens et speciali gratia sacramentali ornatus, posset utile praeesse ad aliquam functionem liturgicam, verbum Dei praebere, Eucharistiam dare, pro his paucis christianis qui cum merito in parva paroecia ferventes remanent. Evangelizatio et ordo pastoralis hodie in quibusdam regionibus, etiam in Gallia, ni fallor, non requirunt unum sacerdotem pro unaquaque paroecia, sed parochum quemdam in paroecia quae potius ut centrum habetur, et cui isto sacerdoti unus vel duo diaconi, residentes in paroeciis minoribus, auxilium et suppleentiam quamdam praebere possint. Est gra-

vis quaestio, fateor, de distributione cultus in hodiernis temporibus, quae actuali condicioni, sociali ac geographicae, forsan adaptanda est.

Ergo non nimis horresco si, post sententiam conferentiarum episcopalium et cum expresso consensu episcopi, qui solus potest iudicare ex opinione locorum et praesertim de valore morali alicuius diaconi eiusque familiae, quidam inter istos diaconos possit uxorem ducere, si res bene convenit nationi de qua agitur. Certissime ista licentia numquam concedenda est sacerdotibus et exinde nullum periculum pro sacra lege caelibatus, praecipue eo quod diaconatus non debet esse gradus transitorius ad presbyteratum. Sed talis possibilitas permitteret aliquando viris, profunde christianis et zelo ardentibus, sese dare authentice et sub influxu gratiae sacramentalis ad apostolatum hierarchicum, dum tamen caelibatus obligationem recusarent.

Aliunde mihi videtur praesentia diaconorum inter opifices et associationes Actionis Catholicae posset esse valde utilis pro apostolatu specifico et pro communicatione satis officiali iudiciorum Ecclesiae in rebus socialibus vel moralibus, quando, ut meri assistentes, in coetibus laicorum adsunt, salvis evidenter responsabilitate ac directione ipsorum laicorum. Nam magnas difficultates cognoscimus, si velimus sacerdotes sat competentes invenire pro tali assistentia in operibus et in diversis conventibus.

Insuper, ut bene dictum fuit, collaboratio diaconorum in functionibus exsequialibus, in cultu eucharistico, in operibus caritativis, in actione sociali, non solum in ruralibus regionibus, sed multoties in urbibus ministerium sacerdotale actuose levaret.

Surgit statim quaestio praeparationis talium diaconorum in seminariis. Non est sine solutione, post aliquam reformationem seminariorum, ac praesertim si talis efformatio daretur in seminariis pro vocationibus tarde declaratis vel in aliqua domo speciali. In hoc casu, evidenter obligatio studiorum in lingua latina non posset imponi.

Proinde restauratio veri diaconatus mihi apparet, saltem in pluribus regionibus et ad experimentum, tamquam corollarium efficax alicuius cogitationis pastoralis melius adaptatae ad condicionem actualem Ecclesiae, si velit sancta Ecclesia esse plene missionaria.

Ergo ultima paragraphus in n. 15 nostri cap. II schematis *de Ecclesia* mihi omnino placet, praesertim si ratio habetur de conferentiis episcopalibus. Dixi.

Moderator: Audiatur aliqua communicatio secretarii generalis, et ab ipso legatur septima emendatio.

Secretarius generalis: Nonnulli Concilii Patres hoc dubium propo-

suerunt: in suffragiis ferendis circa emendationes a commissione de Liturgia inductas, non satis provisum fuisse videtur, ad Patrum mentem circa potiora argumenta clare detegendam. Patres enim ad suffragia ferenda vocantur circa modum essendi rei seu argumenti cuius existentia seu admissio conciliaris a commissione gratis supponitur. Ita, e. g., in num. 42, pag. 27 emendationum, nempe Communio sub utraque specie, a Patribus quaeritur utrum locutio « sublato fidei periculo » immutanda sit in « firmis principiis dogmaticis a Concilio Tridentino statutis ». Locutionis substitutio peropportuna apparet, ideoque responsio potest esse « placet ». At puta casum Patris cui substitutio placeat quin ipsimet placeat restauratio Communionis sub utraque specie, quaenam esse deberet responsio? Nonne melius esset a Patribus prius exquirere utrum iudicent admittendam esse Communionem sub utraque specie ac dein eorum suffragia petere circa circumstantias, locutiones, etc.?

Ad hoc dubium praeses mandat respondere: cum schema *de sacra Liturgia* longe maiori parte votorum requisita approbatum fuerit, iam praesumptio stat pro approbatione rerum praecipuarum. Ceterum Patres, qui aliquid in hoc capite contentum non approbant, id indicare possunt in suffragatione totius cap. II, dicendo vel « non placet », vel « placet iuxta modum », scribendo tamen in hoc casu, in distinctis foliis, clare et distincte, modos.

Nunc lego septimam emendationem... [*cf. pag. 281*]. Quemadmodum heri dixi, ad facilitatem suffragationis videatur textus qui relatus est in fine, et haec emendatio correspondet pag. 27, ni fallor, n. 54, ubi sunt vetus textus et novus. Et ita in posterum, nonne?

Illa pagina, quam lego antea, refertur ad volumen distributum in prima periodo; pagina in qua textus refertur, sive vetus sive novus, habetur in loco indicato. Nunc sumus pag. 27, et postea 28, etc.

3

Exc.mus P. D. ANTONIUS AÑOVEROS ATAÚN

Episcopus tit. Tabudensis, coad. Gaditanus et Septensis

Venerabiles Patres et dilectissimi omnes,

Loquor in nomine aliquorum Patrum, saltem ex Hispaniae dioecesibus.

Ad n. 15 schematis *de Ecclesia,* ubi de presbyteris quaestio est, submisse has observationes profero:

1. In schemate fusius et intentius de presbyteris agendum; non tantum quia in Ecclesia primum munus sacerdotii exercent (Eucharistiam, peccatorum remissionem), sed quia per eos plerique fidelium aditum habent in potentiam illuminantem et vivificantem Ecclesiae.

2. Postulatur insuper fundamentum biblicum et traditionale, ut testimonio fontium doctrina textus roboretur auctoritate Scripturae et traditionis.

3. Nitidius et pressius referatur ordo presbyteralis ad Sacerdotium ipsius Christi, non tantum ad plenitudinem episcopalem.

4. Nobis placeret ut in schemate dictio « sacerdotes secundae dignitatis » non legeretur (lin. 6), ratione opportunitatis:

a) Quamvis enim presbyteri episcopis subiaceant, eorum mere legati non sunt, quia eorum potestas specifica, sacramenti ordinis ope accepta, ab ipso Deo est.

b) Etsi haec formula in libris liturgicis et in litteris ecclesiasticis frequens usurpatur, timendum est ut fideles, re non satis perspecta, aliquid vilipendii videant, quod quidem ineptum et iniustum pastoraliter esset.

c) Hodie expedit magni, immo maximi, sacerdotes apud fideles facere, praesertim in eo quod sacerdotium exstat, « in ministerio praecipuo, quale est Corpus Christi consecrare, et in quo sacerdotis exercitium ab aliqua superiore potestate non pendet, nisi divina » (S. Thom., *De ordine,* q. 40, a. 4)...[1]

5. Omitti expedit dictio: « cuius in pascendo grege eique inserviendo vices agunt » (lin. 13). Ut diximus, in hac phrasi innui videtur presbyteros meros delegatos esse episcopi. Theologi non contemnendi sustinent in ordinatione presbyterali quandam missionem « pro cura animarum » conferri.

6. In secunda paragrapho textus, lin. 15, memoratur « coetum cooptatum et concordem constituentes circa episcopum ». Legitur in lin. 20 « Episcopi munus participantes ».

Ipsa traditio ecclesiastica, in Pontificali proiecta, presbyteros agnoscit non tantum ut cooperatores ex officio episcopi, sed etiam ut eiusdem muneris functionis pastoralis regendi, docendi et sanctificandi participes. Efficiens praesentia episcopi inter fideles per presbyteros exequitur *frequenter.*[2]

Suadentne haec omnia, presbyteros dioecesis, ...[3] potestati Episcopi semper subiacentes, quamdam actuationem ...[4] habuisse, efficacem aut efficaciorem pro adiunctis historicis, numquam ab structuris dioecesanis absentem?

Tempore apostolorum, ut cognitum est, Ecclesiae aut singulares coe-

tus, plerumque collegiis ministrorum sive presbyterorum sive episcoporum a « diaconibus » adiutorum regebantur. Quod regimen — triplex officium gubernii, magisterii, liturgiae amplectens — exercitum esse forma vere collegiali videtur. *Hic notantur variae recensiones Sacrae Scripturae.*[5]

Quo in ordine synodus dioecesanae locandae sunt, olim crebriores et efficaciores, necnon munia Capitulorum, quae non modo clericis Ecclesiae Cathedralis constituebantur, sed variis advocatis ex diversis circumscriptionibus dicionis dioecesis.

Magno usui esset in ordine schematis, ut in textu apertius et expressis verbis admittatur necessitas exsequendi structuras *compactas*[6] presbyterorum; et ut quaedam commissio postea — sive schemati de cura animarum, sive restaurationis Codicis — formulas iuris quae aptiores nostris temporibus videantur redigat.

Concilii intentione pastorali praestituta, nonne expediret constitutionem cleri dioecesani roborare, ut eius participatio curae pastoralis aptior sit et uberior?

Optimum cum sit conscientiam officii episcoporum ad bonum commune Ecclesiae sumere, et vincula applicationis temporibus temperare, nonne et opportunum erit — servatis servandis — efficientius corpori presbyterorum curam pastoralem cuiuslibet dioecesis iniungere?

Erit praeterea, quod attinet ad episcopum eiusque sacerdotes, forma valentior ad Ecclesiam temporibus accommodandam, qui finis primus Concilii est, Ioanne XXIII auctore, felicis memoriae; maximeque, cum his diebus ita polleant structurae democraticae, sine pavore, cum democratia genuino sensu christiano intelligitur, ut in litteris Secretariae Status ad hebdomadam socialem Caënsem, in claris operibus tum Romani Pontificis Pii XII, tum card. Montini, hodie Summi Pontificis feliciter regnantis, atque in consensu sanae opinionis publicae.

Cum autem amor concordiam generet, hae coniunctiones episcopi cum coetu presbyterali — vel aliam formulam usurpando ut a collegio episcoporum distinguatur — arctius et intimius eos coniungit inter se, quod quidem paternitatis pastoris dioecesani erit expressio, qui ita aptius erit pastor, utpote « ideo pastor quia Pater » ut rectissime scripsit Summus Pontifex Ioannes XXIII in Encyclica *Sacerdotii nostri primordia.*

Nota bene. Hic n. 15 (De presbyteris et diaconis) transferatur post n. 21 schematis, ut servetur continuitas tractationis de episcopis.

Brevitatis gratia, lectionem scripti reformati in hac aula conciliari omitto, eum commissioni proponens ut studio tradatur...[7] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] *d*) Scitum est, praestantia iurisdictionis episcopi super presbyteros data, non patere utrum prisca collegia presbyterorum potestatem sacramentalem (Ordinis) plenam (episcoporum instar) aut limitatam (moris hodierni presbyterorum modo) exercere. Quapropter, quamquam verum est exercitium sacramentale presbyterorum temporibus recentioribus esse restrictius, non liquet tamen utrum ipsa presbyterorum potestas sit plena (licet in exercitio limitata) an in ipsa ordinatione tantum participationem restrictam potestatis sacerdotalis recipiant. [2] deest. [3] cuiusdam. [4] collegialem. [5] (cf. *Act.* 11, 30; 15, 4. 6; 21, 18; 20, 17 coll. cum 20, 28; *Tit.* 1, 5 coll. cum *Tit.* 1, 7 et *Tim.* 3, 2; *Act.* 14, 22; *1 Petr.* 5, 1-2; *Iac.* 5, 14; *Phil.* 1, 1; *Ep. Clementis Romani ad Corinthios.* Cf. etiam *1 Thess.* 5, 12; *Heb.* 13, 7. 17; *Act.* 15 [decretum conciliare]; *1 Tim.* 5, 17; 4, 4; *Tit.* 1, 9). Libet referre ut S. Ignatio Antiocheno, presbyteri intra Ecclesiam videbantur ut quidam « senatus Dei et concilium apostolorum »: « hortor ut in concordia omnia peragere studeatis, episcopo praesidente loco Dei, et presbyteris loco senatus apostolici, et diaconis mihi suavissimis concreditum habentibus ministerium Iesu Christi » (*ep. ad Eccl. Magnesiorum*). [6] collegiales. [7] Huius scripti compositionem ad litteram, ita se habet: « *De presbyteris.* Hierarchia, divina ordinatione instituta, constat non tantum ex episcopis, sed et ex presbyteris et ministris. Per episcopos autem *presbyteri* manuum impositione sacerdotio Christi configurantur, et missionem ab ipso Christo accipiunt ut eorum sollicitudinis pastoralis participes fiant. Circa episcopos qui eos in societatis operis adiumentum vocant, coetum coadunatum et concordem constituentes, veritatem et gratiam super omnes fideles dispergunt. Hi licet pontificatus apicem non habeant, tamen sacramento recepto veri sunt sacerdotes [47] providi cooperatores ordinis episcopalis.[48] In sacrificio Missae offerendo [49] et sacramentis administrandis et ipsi in persona Christi agunt, fideles ad iugem orationem exhortantur et dirigunt, eosque multiformi praedicatione verbi Dei ad communicandum sacrificio Christi et Ecclesiae in perfecta oboedientia fidei et amoris perducunt. Cura autem animarum actu exercenda eis a Romano Pontifice vel ab episcopo competente assignatur. Agnoscant presbyteri cuncti, etiam religiosi... ». Et addatur de coetu presbyterali (vel aliam formulam usurpando ut a collegio episcoporum distinguantur) sensu stricto.

Duodecim Patrum Concilii relatio, qui votum exc.mi D. Antonii Añoveros Ataún, coad. ep. Gadicensis et Septensis in Hispania subscripserunt, circa n. 15 cap. II schematis *de Ecclesia,* relate ad presbyteros: Luis Franco, ob. de Tenerife; Michael Nóvoa, ep. aux. Compostellanus; José Maria, ep. (tit.) Drusilianensis; A. G. ob. de Mondoñedo; Raphaël González Moralejo, ep. aux. Valenciae; Narciso Jubany, ep. aux. Barcinonensis; Pedro, ob. de Huelva; Manuel, ob. de Córdoba; Marcelo, ob. de Astorga; Vicente, ob. de Solsona; Felix, ob. de Jaén; Alfonso, ob. de Almería.

Moderator: Legatur emendatio octava.

Secretarius generalis: ... [*cf. pag. 281*]. Conferatis, claritatis gratia, fasciculi emendationum pag. 27, lin. 17.

4

EXC.MUS P. D. AEMILIUS ARSENIUS BLANCHET
Archiepiscopus tit. Philippopolitanus in Thracia

Venerabiles Patres,

Non de substantia schematis locuturus sum cum iam multa dicta sint et etiam repetita, sed de quodam problemate quod ponit ipsum schema et etiam alia schemata.[1]

Cum *enim*[2] schemata nostra sint ex diversis generibus, aliae ad doctrinam fidei pertinentes, aliae ad apostolatum aut Liturgiam aut vitam spiritualem, aut res sociales magis spectantes; cum etiam in unoquoque schemate partes ipsae sint satis variae, aliae descriptivae, aliae exhortatoriae, aliae dogmaticae, difficultas aliqua oritur circa « qualificationem » seu *ut aiunt*[3] « theologicam notam », quam huic nostro labori dare volumus. Nonnulli Patres conciliares et periti ex diversis nationibus de hac ambiguitate privatim sententiam expresserunt.

Et certe obiectum primum huius Concilii, ut firmiter dixit Summus Pontifex Ioannes XXIII, *dilectae memoriae,*[4] non est ut « de quibusdam capitibus praecipuis doctrinae Ecclesiae disceptetur » — ea sunt ipsa verba Summi Pontificis — sed ut « hodiernis necessitatibus consulendum sit ».

Attamen, v. g. hoc schema *de Ecclesia* de quo nunc disputatur, doctrinam continet de rebus quarum omnes videmus momentum. Cum tale documentum — per plures annos elaboratum, correctum, denuo redactum, disceptationi omnium episcopum subiectum, tertio a commissione compositum, et tandem (ut sperandum est) definitive admissum — publice proclamatum fuerit, necesse est ut obiectum sit acutae perscrutationis, primum ex parte theologorum, qui, sicut decet et debent, omnia verba perpendent — ut nosmetipsi in hac aula facimus —, ex dictis propositiones deducent, et, ex his commentariis et interpretationibus, fiet doctrina quae, in facultatibus universitariis et in seminariis, paulatim docebitur. Pastores quae hic dicta sunt populis exponent. Et, cum Ecclesia catholica quid sit ita declaraverit, ex suis dictis iudicabitur a christianis et non-christianis qui eam vere cognoscere volunt. Nos omnes sentimus quod pondus nostrae conscientiae ita imponatur et propterea volumus ad aliquem punctum perfectionis — in quantum possibile est — nostrum textum ducere, ita ut nulla ambiguitas verborum remaneat, nulla citatio biblica quae non in suo sensu stricto et litterali adhibeatur. Sed tandem, quem gradum auctoritatis volumus

tanto labori conferre? Quam vim doctrinalem nos ipsi his nostris declarationibus tribuere constituimus? et num eadem nota debet, v. g. omnibus capitibus schematis *de Ecclesia* applicari?

Sunt forsan qui dicant hoc esse munus et officium theologorum discernere quae nota sit documentis danda. Sed, sicut scimus, sunt inter ipsos theologos, ut ita dicam, variae « familiae intellectuales », quarum diversae sunt propensiones. Sine indicatione sufficienti, periculum est ut adaequatus commentarius impossibilis fiat et omnia uniuscuiusque relinquantur arbitrio. Cavere hic debemus ne quid infra, ne quid supra modum.

Sed, ex altera parte, timeamus etiam ne fiat abusus illarum ipsarum indicationum quas petimus: cavere enim etiam debemus ne nimis reiiciatur aliquid concretum, plenum, vivum, reale, quod habent imagines biblicae et traditio vera Ecclesiae et quod non totaliter retinent notiones abstractae; quae etsi necessariae sunt et validae et bonae, non sine periculo considerationi directae dati revelati substituerentur.

In oratione quam in hac aula nuper audivimus, Summus Pontifex, feliciter regnans, haec dixit: « Videtur advenisse nunc tempus quo, circa Ecclesiam Christi, veritas magis magisque explorari, digeri, exprimi debeat, fortasse non solemnibus illis enuntiationibus quas definitiones dogmaticas vocant, sed potius declarationibus adhibitis, quibus Ecclesia clariore et graviore magisterio sibi declarat quid de seipsa sentiat ».

Quod ita Summus Pontifex innuit, valde utile videtur ut Concilium faciat suum, forsitan iisdem verbis, et, si maiorem valorem alicui declarationi tribuere intendat, forma ipsa indicet.

Conclusio: Petitur — quin forma nimis rigida declarationibus Concilii imponatur — ne omittatur, quando opus erit, sufficiens indicatio qualificationis theologicae, ut iustae viae, in diversis casibus, christianae intelligentiae et futuris laboribus aperiatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest.

5

Exc.mus P. D. VILLELMUS CONWAY
Archiepiscopus Armachanus

Em.me Praeses et venerabiles Patres,

Cap. II in genere mihi placet. Placet saltem in genere in iis quae ibi affirmantur. Minus placet in nonnullis quae in eo *non* affirmantur. Datur enim, meo iudicio, gravis omissio, vel saltem gravis deficientia, nempe in modo tractandi de presbyteris et presbyteratu.

Hoc schema *de Ecclesia* ample et fuse tractat de episcopis per 9 paginas. Ample et fuse tractat de laicis per 7 paginas. Attamen, in toto schemate dimidia tantum pars *unius* paginae consecratur presbyteris. Et etiam in hac parva sectione quaestio non est principaliter de presbyteratu in se ipso considerato, sed potius de eius nexu cum episcopatu.

Hoc mihi videtur esse gravis deficientia debitae proportionis, quae omnino corrigi debet. Amplior omnino et profundior requiritur tractatio *de presbyteris,*[1] de veneranda dignitate illorum qui, etsi non episcopi, veri tamen sacerdotes sunt, mediatores inter Deum et homines, ex hominibus assumpti in iis quae sunt ad Deum; qui a Deo, per sacramentum ordinis, tremendam illam potestatem receperunt conficiendi et offerendi in sacrosancto Missae sacrificio Corpus et Sanguinem Domini; qui miranda illa potestate fruuntur absolvendi a peccatis in sacramento Poenitentiae in nomine et persona Christi.

Quod in schemate de episcopo dicitur, nempe quod, semel consecratus, « numquam simplex sacerdos ...[2] rursus fieri potest », idem potest dici (et de facto a Concilio Tridentino dictum est), mutatis mutandis, de presbytero utpote quod semel ordinatus numquam simplex laicus rursus fieri potest.

Momentum pastorale huius quaestionis neminem effugit. Cum ubique terrarum *penuriam*[3] vocationum sacerdotalium *laboramus ita ut vera crisis exsistat,*[4] maxime interest ut sacrosanctum hoc Concilium nedum minorare sed potius elevare *et exaltare*[5] videatur fulgentem presbyterorum dignitatem.

Saepius repeti audivimus omnes Concilium Vaticanum I, de Romani Pontificis auctoritate separatim tractando, episcopatum aliquatenus sub umbra reliquisse. Quidquid sit de ea re dicendum (*et certe post hoc Concilium episcopatus non erit sub umbra*[6]), dolendum sane erit si in futuro de hoc Concilio Vaticano II dici poterit quod intendendo epi-

scopatum et laicatum revalorare, ut aiunt, presbyteros in umbra inter episcopos et laicos reliquit, vel vix non oblitum est.

Propono igitur ut multo amplius et adaequatius de presbyteris tractatio fiat, Sacris Scripturis tam Veteris quam Novi Testamenti simul ac Sanctis Patribus in doctrinae expositione invocatis, immo ut caput novum et speciale de presbyteratu conficiatur post caput de episcopatu collocandum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] vel laicus. [3] crisis. [4] urgeat. [5] deest. [6] deest.

Animadversiones additae:

Propono ut pag. 27, lin. 36, post verbum « degentibus » dicatur « dummodo Romanus Pontifex eos ad deliberandum libere invitet et deliberata libere approbet ». Rationes:

1. Talia verba sunt necessaria ad praecavendum omne dubium de omnimoda plena potestate Romani Pontificis ad normam constitutionis *Pastor Aeternus* Vaticani I.

2. Talia verba exprimunt sensum in quo, meo iudicio, multi patres probabilissime interpretaverunt Propositionem 3 suffragationis diei 30 octobris 1963, habita praesertim ratione notarum explicativarum (a) et (b).

3. Talia verba consonant cum schemate cap. IV, *de ecclesiastica hierarchia,* Concilii Vaticani I: « At quoniam primatus Petro datus est, ut una ecclesia Christi et cathedra una monstraretur, Romano pontifici ceteri praesules subiecti sunt, tum singuli in propriis ecclesiis administrandis, tum universi in communibus ecclesiae negotiis gerendis... et licet ab eo congregati, tamquam veri iudices et fidei decreta et disciplinae leges condant; Romani tamen pontificis est generalia eorum concilia non solum convocare et dissolvere, sed etiam dirigere et confirmare » (MANSI, *Amplissima Collectio Conciliorum,* 53, 310 B-D).

6

EXC.MUS P. D. EDUARDUS MARTÍNEZ GONZÁLES

Episcopus Zamorensis

Venerabiles Patres conciliares,

Agentes de constitutione hierarchica Ecclesiae, *multa et optima de diversis quaestionibus dicta sunt quae in schemate continentur, at ni fallor,*[1] prae oculis habeamus oportet distincteque exponamus verum hierarchiae conceptum, *ex quo multa alia de ministerio, de servitio, de relatione ad populum Dei pendent,*[2] ne forte ambiguitas in dicendo ansam praebeat erroribus iam diu ab Ecclesia damnatis...[3]

1. Probe nostis, venerabiles Patres, Ecclesiam a Christo Domino institutam esse duplici missione: altera iuridica (*iuxta verba apud Ioannem*: « *Sicut misit me Pater et ego mitto vos* »[4]), altera pneumatica (*in Ioanne etiam verbis contenta, nempe*: « *Accipite Spiritum Sanctum...* », *et deinde per acceptionem Spiritus Sancti, praesertim die Pentecostes* [5]); « quae — ut nobis corpus animusque — se invicem complent ac perficiunt », ut verbis utamur Encyclicae *Mystici Corporis*...[6]

Solemne fuit semper in Ecclesia hanc missionem uti lemma considerare: « Apostoli nobis Evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo. Iesus Christus missus est a Deo. Christus igitur a Deo et apostoli a Christo, quod factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei », aiebat iam saeculo primo Clemens Romanus...[7]

2. Huiusmodi missio, qua « munus idem idemque mandatum quod Christus acceperat a Patre in Ecclesiam continuandum transmittitur », sic dicente Leone XIII in Encyclica *Satis cognitum,* eundem scopum habet ac missio Christi. « Sicut Iesus Christus in terras venit ut homines vitam habeant et abundantius habeant ...[8], eodem modo Ecclesia propositum habet tamquam finem salutem animarum sempiternam » (ipse Leo XIII, in Enc. *Immortale Dei*).

3. Omnis ergo potestas, hierarchiae ad hoc tantum concessa est ut homines « vitam habeant et abundantius habeant », vitam utique spiritualem, supernaturalem, divinam; et idcirco talis potestas est intrinsece sanctificans, pastoralis, vel potius paternalis. Nihil proprius, nihil profundius hac de re dici potest inspiratis verbis S. Pauli: « Nam si decem millia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos patres; nam in Christo Iesu per Evangelium *ego vos genui* »...[9]

Consectaria non levis momenti inde exoriuntur:

a) Inaequalitas inter pastores et fideles, quae est essentialis in Ecclesia, non secus ac essentialis est inaequalitas inter parentes et filios. Omnes quidem homines, in humanis, sed parentes filios generant et non e converso. Itidem in Ecclesia, omnes quidem christiani, sed hierarchae alios generant, et non e converso.

b) Ontologice et logice hierarchia, ut institutio, prior est populo Dei; prius enim sunt parentes quam filii. In Ecclesia prius pastores posterius oves sunt considerandi, siquidem homines non alia via fiunt oves ovilis Christi quam laborioso exercitio potestatis sanctificatricis pastorum: « In Christo Iesu per evangelium ego vos genui »...[10]

c) Organizatio hierarchica, in oppositione ad democraticam, hoc exigit: ut auctoritas via prorsus directa ex supernis descendat: a Deo in Christum, a Christo in eius vicarium et apostolos, a Christi vicario et apostolis in ceteros quosdam. « In Ecclesia, animadvertit Caietanus, ex

sua natura ordo est talis, ut ius principatus sit non in se, sed in domino suo naturali », scil. Christo (in Tractatu de Auctoritate Papae et Concilii...[11]).

d) Verus et plenus conceptus hierarchiae non supponit tantum quosdam imperare et reliquos oboedire: hoc enim etiam in democratia verificatur. Nec solummodo supponit Deum sive directe sive indirecte subiectum auctoritatis determinasse; sed insuper requirit modum transmissionis potestatis talem ut omnis excludatur persona, sive physica sive moralis, in ratione causae mediae se habentis.

Ex quo immediate deducitur hierarchas numquam esse posse « ministros » seu mandatarios populi. E contra, suaviter et gratissimo animo dicimus cum apostolo: « Sic nos existimet homo ut *ministros Christi* et dispensatores mysteriorum Dei », Ministri Christi, « qui singulari prorsus nexu iunguntur cum divino totius corporis capite » et « Christi nomine pascunt et regunt » (Encyclica *Mystici Corporis* ...[12]).

Sub luce horum principiorum diiudicanda sunt quae circa servitium populo Dei praestandum a hierarchia passim asseruntur. Si apostolus est missus ut « minister Christi et dispensator mysteriorum Dei », inter dispensatores quaeritur « ut fidelis quis inveniatur ». En primum officium hierarchiae: fidelitas missioni ipsi. Dicere auderem pastorem non directe institui et immediate in servitium populi, sed in *servitium missionis* — « vae mihi si non evangelizavero », *aiebat Apostolus* [13] — tandem aliquando in servitium vitae; *in quo servitio omnia comprehenduntur quae quocumque modo fidelibus praestare possunt et debent pastores*;[14] non secus ac parentes in servitium filiorum non directe et immediate constituuntur, sed directe et immediate ut filios gignant et alant et defendant nullo parcentes labori. In hoc autem repositum est « servitium », cui nullum aliud servitium comparari potest *et quod omnia servitia alia debet includere.*[15] Ideo apostolus vehementer exclamabat: « Impendar et superimpendar pro animabus vestris », quia etiam iuxta sententiam Christi « bonus pastor animam ...[16] dat pro ovibus suis »...[17]

Demum etsi S. Paulus characterem pontificis definiendo scribit: « Omnis quidem pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in iis quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, etc. »...[18], bene intelligitur pontificem assumptum esse ex hominibus, non ab hominibus, sed *a Deo,* et constitutum esse *pro hominibus,* id est in favorem hominum ut Deo offerat sacrificia et bona aliaque munera pontificalia exerceat; quod etiam divinum medium est vitam spiritualem, supernaturalem et divinam eorum fovendi, reparandi et defendendi. Unde iure hierarcharum officium et ministerium tandem etiam

servitium fidelium vocari potest, quia in eorum bonum a Deo et Christo electi et ordinati sunt suasque sacras potestates receperunt, *et certe.*[19]

Conclusio. Quoniam ergo ordo primae paragraphi *huius capitis*[20] procedendo a populo fideli ad hierarchas, ut videtur, realitati obiectivae non *bene congruit*,[21] et insuper, phrasis « qui vero ut ministri potestate pollent, fratribus suis inserviunt », obscurae et aequivocae interpretationi obnoxia esse potest; dum e contra paragraphus secunda optime argumentum inducit et claram doctrinam tradit, propono ut eiusmodi prooemium, *expuncta prima illa paragrapho, a secunda incipiat.* Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] e. g. in constitutione Pii VI *Auctorem fidei* adversus errores Synodi Pistoriensis (Denz. 1502). [4] (*Io.* 20, 21). [5] (*Io.* 20, 23; *Act.* 2, 3-4). [6] (Tromp, n. 63). [7] (RI 20). [8] (*Io.* 10, 10). [9] (*1 Cor.* 4, 15). [10] (*1 Cor.* 4, 15). [11] cap. I. [12] n. 41. [13] deest. [14] deest. [15] deest. [16] suam. [17] (*Io.* 10, 11). [18] (*Hebr.* 5, 1-2). [19] deest. [20] deest. [21] aptetur.

7

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ŠEPER
Archiepiscopus Zagrabiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Commissio praeparatoria de sacramentis prolixum schema *de sacra ordinatione* praeparaverat in quo multa de restitutione diaconatus dicta sunt. Quasi quoddam brevissimum reassumptum eorum quae ibi dicta sunt, ultimae quinque lineae n. 15 schematis *de Ecclesia* ...[1], habendae sunt.

Initio notare velim me hac de re non loqui ex angusta et restricta « perspectiva » meae dioecesis vel unius alteriusve nationis, sed ex « perspectiva » Ecclesiae universalis.

De diaconatu uti gradu proprio et permanenti in Ecclesia latina restituendo tam multae petitiones et desiderata, a viris ecclesiasticis et laicis ex variis partibus orbis catholici, rationibus gravibus suffulta, audita sunt, ut haec quaestio nullatenus sine gravi et sereno examine rationum pro et contra absolvi possit. Rationes quibus moveor ut pro restitutione diaconatus partem sumam ex triplici fonte proveniunt:

1. *Ex natura diaconatus.* Sufficit etiam superficialis lectio initii cap. VI *Act. Apost.*, ubi institutio diaconorum describitur, ut comperto fiat Diaconatum minime institutum esse ut esset purus gradus ad ordinem superiorem, sed proprie et vero sensu ut habeantur homines legi-

time constituti ad aliqua determinata ministeria et functiones in Ecclesia adimplenda. Si ergo in Ecclesia occidentali functio specialis diaconatus certis temporibus non videbatur necessaria et sic diaconatus in purum gradum redactus est, nihil impedit quominus aliis temporibus in plena amplitudine functionali restituatur, si et ubi bonum animarum id suadeat.

Certe mira discrepantia inter hodiernam Ecclesiam et Ecclesiam primitivam, ipsamque etiam Scripturam, haberetur, si hoc Concilium agnosceret ...[2] necessitatem functionum quae iuxta traditionem ad diaconatum pertinent, nollet autem diaconatum restituere, sed aliis mediis illis necessitatibus subvenire quaereret, quae in traditione antiqua nullum fundamentum habent.

2. *Ratio oecumenica*: Diaconatus permanens in Ecclesiis orientalibus usque ad hodierna tempora tamquam venerabilis traditio conservatus est. Nonne admiratio, ne dicam scandalum, apud orientales oriri posset si Ecclesia occidentalis novas formas summo studio quaereret (v. g. uti aliqui proponunt, aliquam specialem benedictionem pro iis qui apostolatui sese devovent), venerabilem autem et apostolicam traditionem restituere renueret?

3. *Ratio pastoralis et apostolica*: Ante circiter decennium catholici erant quinta pars hominum in orbe terrarum. Post aliquot decennia, ob incrementum generis humani, erimus forse decima pars *et ita porro.*[3] Ex alia parte, etiam numerus absolutus catholicorum crescit, sed non eodem rythmo crescunt vocationes sacerdotales, saltem in aliquibus regionibus. Praesertim vero in regionibus ubi vita Ecclesiae publica certis limitibus coarctatur, uti in regionibus sub regimine atheistico, et in nonnullis terris missionum, penuria sacerdotum vive sentitur.

Isti semper crescenti numero eorum qui ab Ecclesia evangelizandi sunt, Ecclesia etiam novis modis subvenire debet.

Ne dicatur haec omnia attingi posse per simplices laicos catholicos apostolatui sese devoventes. Laici numquam auctoritatem, quae pro multis circumstantiis requiritur, habere possunt. Et, si vera esset haec sententia, curnam usque modo hunc finem non attigimus, cum laicos semper habuerimus?

Oppositio contra restitutionem diaconatus maxime ex eo provenit quod in schemate praevidetur possibilitas dispensationis a lege caelibatus pro diaconis. Ideo tela quae contra talem possibilitatem diriguntur, etiam ipsam restitutionem diaconatus attingere videntur. Sed sunt duae res distinctae. Possumus cogitare de diaconis v. g. in Institutis saecularibus, in ordinibus religiosis, ergo de personis quae voto castitatis ligantur. Ceterum schema hanc quaestionem « praepositis Ecclesiae »

solvendam relinquit, inter quos utique primum locum obtinet Summus Pontifex...[4]

Praecipua ratio quae opponitur est timor ne possibilis institutio diaconorum matrimonio iunctorum grave vulnus caelibatui presbyterorum infligat. Sed haec ratio a nemine probatur, etsi apparenter aliquod fundamentum habeat. Posset forsan et contrarium dici, quod est aeque probabile: nempe quod nonnulli qui in dedecus ordinis sacerdotalis presbyteratum suscipiunt, possent uti diaconi in honorabili matrimonio utile servitium praestare *Ecclesiae*.[5] Ceterum non possumus caelibatum considerare tamquam merum effectum coactionis, cum ex omnimoda libertate procedere debeat et sit potius signum amoris exclusivi erga Christum eiusque Ecclesiam et effectus gratiae divinae sine qua impossibilis est.

Venerabiles Patres! Concilia oecumenica non sunt res quotidiana, sed novas epochas aperiunt. Nec hoc Concilium ideo convocatum est ut dicat « Amen » ad statum praesentem, sed ut futuris necessitatibus Ecclesiae meliori quo potest modo provideat. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] in fine pag. 26. [2] quidem. [3] deest. [4] cui profecto nemo potestatem dispensandi in lege disciplinari negabit, si id in determinatis rerum adiunctis necessarium videbitur. [5] deest.

Moderator: Audiatur emendatio nona.

Secretarius generalis: Ante lecturam emendationis, lego exitus suffragationum iam peractarum.

Suffragatio VI:

Praesentes votantes	2.275
Dixerunt *placet*	2.215
non placet	52
placet iuxta modum (votum nullum) . .	1
Vota nulla	7

Placuit igitur VI emendatio.

Emendatio VII:

Praesentes votantes	2.278
Dixerunt *placet*	2.212
non placet	47
iuxta modum	2
Vota nulla	17

Placuit etiam emendatio VII.

Emendatio VIII:

Praesentes votantes	2.251
Dixerunt *placet*	2.193
non placet	44
Vota *iuxta modum*, igitur nulla	3
Suffragia nulla	11

Etiam VIII emendatio placuit.

Nunc lego emendationem nonam ... [*cf. pag. 281*].

Claritatis gratia, lego textum art. 40, qui est in primo capite iam approbato. Art. 40 ita praescribit: « Cum tamen variis in locis et adiunctis, profundior Liturgiae aptatio urgeat, et ideo difficilior evadat:

1) A competenti auctoritate ecclesiastica territoriali, de qua in art. 22 § 2, sedulo et prudenter consideretur quid, hoc in negotio, ex traditionibus ingenioque singulorum populorum opportune in cultum divinum admitti possit. Aptationes, quae utiles vel necessariae existimantur, Apostolicae Sedi proponantur, de ipsius consensu introducendae.

2) Ut autem aptatio cum necessaria circumspectione fiat, eidem auctoritati ecclesiasticae territoriali ab Apostolica Sede facultas tribuetur, si casus ferat, ut in quibusdam coetibus ad id aptis et per determinatum tempus necessaria praevia experimenta permittat et dirigat.

3) Quia leges liturgicae difficultates speciales, quoad aptationem, praesertim in Missionibus secum ferre solent, in illis condendis praesto sint viri, in re de qua agitur, periti ».* Dixi.

8

EXC.MUS P. D. IOANNES WEBER
Archiepiscopus-episcopus Argentinensis

Em.mi Patres, carissimi Fratres,

Cum cap. II *de Ecclesia*, ut praeambulum ad studium collegii episcoporum, loquatur de collegio apostolorum in n. 12, liceat et mihi breviter tractare de momento huius collegii in Novo Testamento, ut complementum ad iam dicta ab em.mo card. Liénart et a rev.mo ep. Namurcensi, *quibus assensum dedi.*[1]

Quamvis vox « apostolus » non semper in eodem sensu technico in scriptis Novi Testamenti sumatur, tamen clare apparet exstitisse coetum

---

* *Vol. I, pars IV*, pp. 274-275.

discipulorum, nitide circumscriptum, qui « duodecim » (*οἱ δώδεκα*) appellatur et cui partes praecipuae tribuuntur, sive in sequela Christi, sive in munere praedicandi et regendi Ecclesiam. In hoc coetu Petrus quidem, *secundum promissa Domini, primum,*[2] eminentem et personalem locum tenet ...[3], quin tamen collegialitas duodecim destruatur.

Momentum huius coetus apostolici apparet: 1. in electione duodecim; 2. in eorum instructione et missione; 3. in parte quam habent in vita primaevae Ecclesiae; et 4. in munere eschatologico quod eis tribuitur.

1. Huius collegii electio et constitutio a Luca ...[4] refertur, a Matthaeo ...[5] et Ioanne ...[6] supponitur, a Marco autem explicite narratur ...[7], et quidem ita ut miro modo numerus duodecim afferatur: « Vocavit ad se quos voluit ipse... et fecit *τοὺς δώδεκα, ἐποίησεν τοὺς δώδεκα,* et imposuit Simoni nomen Petrus... », *etc.*[8]

Elenchus nominum duodecim apostolorum nobis quater conservatum est *in Evangeliis et in Actibus;*[9] id ostendit in traditione orali primaeva consideratum fuisse ut magni momenti.

Designationem « duodecim » evasisse terminum technicum non solum apparet ex frequentia quae occurrit in Evangeliis, sed etiam ex eo quod invenitur iam in prima epistola ad Corinthios, et quidem in sectione quae generatim consideratur tamquam a Paulo ex traditione orali desumpta, scil. in elencho eorum quibus Christus post resurrectionem apparuit: « Visus est Cephae et post haec undecim », vel potius « duodecim » (*ὤφθη Κηφᾶ, εἶτα τοῖς δώδεκα*)...[10]

2. Hic coetus a Domino non solum instruitur sicut et alii discipuli et populus, sed « privatim » peculiarem accipit institutionem et profundiores explicationes de mysterio regni Dei, de praeeminentia inter discipulos et de passione Christi...[11]

His viris praecipua officia tribuuntur. Eliguntur « ut essent cum eo » seu ut particulari modo associentur itineribus, vitae, miraculis, doctrinae Magistri. Secundum Matthaeum, *in cap. 28,*[12] « undecim » concreditur solemniter missio ad propagandam Ecclesiam in universo mundo: « Euntes ergo, docete omnes gentes », i. e., ex eis discipulos facite.

3. In vita primaevae Ecclesiae coetus apostolorum, ut talis, peculiari gaudet auctoritate. Numerus « duodecim » post defectionem Iudae solemniter, immo divinitus, redintegratur per electionem Matthiae ...[13] Primus sermo post adventum Spiritus Sancti tribuitur « Petro cum undecim »...[14] et ad ipsos se vertit turba...[15] Ab ipsis administratur communitas bonorum ...[16]; ipsi septem adiutores curant eisque manus imponunt...[17] Gubernium collegiale apostolorum apparet in loco Actuum quem fere quotidie in Missa de Spiritu Sancto legimus: ubi Petrus et

Ioannes dicuntur missi in Samariam « ab apostolis qui erant Hierosolymis »...[18]

In narratione de « concilio apostolorum » *circa annum 50* [19] quinquies apparet phrasis: « Apostoli et presbyteri »...[20] Ad hos, et non ad personam Petri, mittuntur ex Antiochia Paulus et Barnabas; ab his Hierosolymis recipiuntur; hi quoque ad Concilium congregantur; hi tandem sunt qui decretum mittunt. Sic Lucas loquitur, quamvis probabiliter solummodo Petrus et Ioannes in urbe sancta adfuerint: non *qui* sunt, narratoris videtur interesse, sed *quod sint apostoli* (*οἱ ἀπόστολοι*, cum articulo), quia collegium apostolicum repraesentant.

4. Tandem: duodecim habent speciales partes eschatologicas. Sicut duodecim initium Ecclesiae constituunt, ita eos Iesus praevidet et praedicit conclusuros historiam Ecclesiae. Ita illud *archaicum* [21] logion: « Sedebitis et vos super sedes duodecim iudicantes duodecim tribus Israël »...[22] Hic prima vice alluditur *a* [23] Domino ad relationem quae intercedit inter duodecim apostolos et duodecim tribus Israël, et ita simul inter eos et duodecim patriarchas, *eponymos* populi Dei.

Haec relatio simul et munus apostolorum in eschatologica quoque Ecclesia apparet in descriptione caelestis civitatis Ierusalem ...[24], ubi legimus: « Et habebat murum... habentem portas duodecim... Et nomina inscripta, quae sunt nomina duodecim tribuum filiorum Israël... Et murus civitatis habens fundamenta duodecim et in ipsis duodecim nomina duodecim apostolorum Agni ». Apostoli hic igitur omnes, id est, collegium apostolicum ut tale, dicuntur munere fundamenti fungi in Ecclesia — in Ecclesia quidem eschatologica — quae tamen est Ecclesia terrena ad ultimum suum statum gloriosum perveniens. Simul parallelismus cum duodecim portis, nominatis secundum nomina duodecim patriarcharum, suggerere videtur duodecim apostolos se habere ad Ecclesiam, sicut duodecim patriarchae ad populum Israël; utrique sunt populi Dei, antiqui novique, Eponymi, hi secundum spiritum, illi secundum carnem.

Textum quem propono pro n. 12, secundum praedicta completum, secretariatui tradam.[25]

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] (cf. *Mt.* 16; *Lc.* 22 et *Io.* 21). [4] (6, 17-18). [5] (10, 1-4). [6] (6, 71). [7] (*Mc.* 3, 13-19). [8] deest. [9] (*Mt.* 10, 3-4; *Mc.* 3, 16-19; *Lc.* 6, 14-16; *Act.* 1, 13). [10] (*1 Cor.* 15, 5). [11] (*Mc.* 4, 30; 9, 35; 10, 32. 41). [12] 29, 16-20, solis. [13] (*Act.* 1, 26). [14] (*Act.* 2, 14). [15] (v. 67). [16] (*Act.* 4, 23 ad 5, 11). [17] (*Act.* 6, 1-6). [18] (*Act.* 8, 14). [19] deest. [20] (*Act.* 15, 2. 4. 6. 22. 23). [21] archaicissimum. [22] (*Mt.* 19, 28 et par.). [23] ab ipso. [24] (*Apoc.* 21, 12-14). [25] (De institutione duodecim apostolorum). Dominus Iesus, precibus ad Patrem

fusis, vocans ad se quos voluit, duodecim elegit, ut essent cum illo, et ut mitteret eos praedicare nuntium evangelicum (*Mc.* 3, 13-19), et sub forma instituit cuiusdam collegii, cui ex eisdem electis Petrum praefecit. Eos ut socios sui ministerii formavit, specialiter instruxit (*Mc.* 4, 10; 9, 35; 10, 32. 41). Eos imprimis ad filios Israel (cf. *Mt.* 10), deinde ad omnes gentes misit, ut omnes populos discipulos constituant (*Mt.* 28, 1-6. 20), sicque Ecclesiam diffunderent, eamque sub tutela ipsius Domini, ductore Petro, eius fundamento (cf. *Mt.* 16, 18; *Lc.* 22, 32; *Io.* 21, 17) regerent. Eis promisit ut in fine saeculi duodecim tribus Israel iudicarent (*Mt.* 19, 28 et par.). Sic Ecclesiae ad suum gloriosum terminum pervenientis, fundamenta essent et quasi Patres (*Apoc.* 21, 12-14), qui iam in terris eius partes gesserant. Christi potestate muniti et promissionibus suffulti, primaevae Ecclesiae suis verbis et gestis praefuerunt (*Act.* 2, 14; 4, 31 ad 5, 11; 6, 1-6; 8, 14; 15, 2, 4, 6, 22, 23) donec per totam terram cresceret.

9

EXC.MUS P. D. DIONYSIUS E. HURLEY

Archiepiscopus Durbanianus

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Liceat mihi quaedam verba facere super hoc cap. II ...[1], duo argumenta proponendo: primum, circa episcoporum ministeria; secundum, quod ex primo oritur, de presbyteratus munere.

Quod ad primum spectat, de episcoporum ministeriis nempe, difficile non videtur eis, quae in par. 18-21 dicuntur, generaliter consentire. Attamen, statim animadvertere liceat magnam disproportionem adesse in par. 19, quae de munere docendi tractat et non minus quam 50 lineas adimplet. Primo sane aspectu, hoc multum esse videri potest, si ad factum non attendatur quod per 41 lineas de infallibilitate sermo est, relictis tantum 9 lineis de generali munere verbum praedicandi, quod, tempore in eo consumpto et labore suscepto computatis, maximum Ecclesiae ministerium apparet. Non quod mera verborum prolixitate rerum momentum mensurandum sit — sed quod magna huiusmodi disproportio verbalis ad parem disproportionem idearum ducere potest.

Hac seclusa consideratione, quae in paragraphis citatis inveniuntur recte quidem et bene dicuntur, si nonnisi ad principia attendimus. Etenim, secundum ipsam ministerii episcopalis rationem, episcopi est docere, sanctificare et regere. Quod si ad praxim, ad rem ipsam, oculos convertimus, quid conspicimus? Ministerium docendi et sanctificandi, in ipso suo cotidiano actu, quoad fere omnes suos aspectus, nequaquam ab episcopo, sed a presbyteris impletur.

Et sane, episcopus plus quam nonaginta novem pro centum ex suis ovibus apparet ut figura ignota, remota, sub plano personali et humano incognita. Ipsius est generaliora directiva statuere, res dioeceseos componere et organizare, varios conatus et incoepta coordinare; sed influxum hierarchicum directum in gregem suum saepissime non ipse habet, sed presbyteri, quibus mediantibus fere omnia in dioecesi peragit. Sunt enim presbyteri episcopi manus et pedes, oculi, aures, ipsaque vox. Et quemadmodum agere nemo potest quin organis corporis utatur, ita quaecumque episcopus componere desiderat, quaecumque sperare ei liceat, a presbyteris ut in effectum deducantur penitus funditusque dependent. Omnes enim scimus quantum in lectione litterarum pastoralium a presbyteris pendeat utrum verba episcopi sonant sicut tuba archangeli vel elenchus telephonicus.

Ex his apparet episcopum suo triplici docendi, sanctificandi et regendi munere fungi maxime presbyteros *ducendo*. Cum, suadentibus hodiernis adiunctis, ad gregem suum immediate appropinquare fere non potest, maxima sollicitudo episcopi in eo esse debet ut pastoralem ducatum (anglice: " pastoral leadership ") presbyteris praestet. Ita per ipsos perficiet quod per seipsum perficere non potest. Quod in ipso schemate, ut arbitror, explicite dicendum est; immo specialis conficiatur paragraphus de ducatu pastorali episcopi: quomodo nempe presbyteros debeat dirigere, organizare, inspirare, eis animum erigere ac auxilium ferre. Quod si diceretur rem istam, utpote ordinis practici, indoli constitutionis dogmaticae minus congruere, responderem etiam constitutionem dogmaticam ad *facta* attendere debere — quorum factorum maximum, ad ministeria episcopalia quod spectat (praesertim docendi et sanctificandi) est quod nostris diebus non ab episcopo generatim, sed ab eius presbyteris, adimplentur; et ideo quod episcopo incumbit quam maxime ductum et impulsum praebere.

Fateor quidem me in istis omnibus ut minus sapiens loqui, cum conscius sim me incapacem esse ostendendi in quo reapse istud ducendi munus consistat. Nihilominus mihi compertum est hanc esse rem gravissimam, in schemate nostro expresse tractandam. Videtur enim mihi quod si in praecedentibus decenniis Ecclesia adhortationibus Summorum Pontificum de apostolatu sociali, de missionibus, de laicorum apostolatu et de catechetica et liturgica renovatione tardius respondere visa est, ratio stat in hoc praesertim quod nos episcopi nostro ducendi muneri adimplendo impares fuimus. Nescivimus enim nuntium Encyclicarum Litterarum Summorum Pontificum ita tamquam doctrinam vivam presbyteris nostris tradere ut et ipsi eam populo Dei pari modo communicare possent. Proh dolor, impulsus renovationis catholicae saepius

non a nobis est exortus, sed ab electis coetibus presbyterorum ac laicorum.

Hoc igitur mihi omnino persuasum est: schema, cum de episcopali ministerio agat, clare principium statuere debet huius ministerii adimpletionem maxime in eo consistere quod ductum pastoralem fortem ac suavem praestemus presbyteris, qui, religiosis et laicis cooperantibus, opus facere debent quod ipsi facere non possumus.

Ex ista tam gravi consideratione, sponte, tamquam conclusio, sequitur maximum momentum ipsius presbyteratus ordinis in ministeriis hierarchicis exercendis. Ad quod punctum amplius elaborandum tempus mihi non suppetit. *Sed feliciter a duobus Patribus hodie iam de hac re et speciatim ab exc.mo arch. Armachano fuse tractatum est. Ut dicit ille exc.mus Dominus,*[2] schema nostrum presbyteratum parvipendere *videtur,*[3] cum ne unam quidem paragraphum ei devoveat, et cum ea quae de eo dicuntur ...[4] sub acervo considerationum de episcopatu veluti sepeliantur. Ut igitur dignius de presbyteratu tractetur, propono quod cap. II in tres articulos dividatur, ita ut de unoquoque hierarchiae gradu clare et distincte agatur, de episcopatu nempe, de presbyteratu et de diaconatu. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] schematis de Ecclesia. [2] Sufficiat hic dicere. [3] videri. [4] (in par. 15).

Moderator: Audiatur decima emendatio.

Secretarius generalis: Pag. 176, lin. 8, initio art. 42 (in novo libello pag. 27, lin. 25): initio art. 42 ... [*cf. pag. 281*].

10

Exc.mus P. D. GERALDUS DE PROENÇA SIGAUD
Archiepiscopus Adamantinus

Venerabiles Patres,

...[1] Loquor de n. 13 cap. II schematis *de Ecclesia.* ...[2]

...[3] Legite attente hunc textum simul cum nn. 12 et 16. Ex his numeris videtur elucere doctrina quaedam nova, scil.: duodecim apostolos constituisse, cum Petro duce, verum, permanens, stricte dictum collegium et quidem *iure divino.* Elucet quoque episcopos iure divino constituere verum et permanens collegium stricte dictum cuius caput est Romanus Pontifex.

Ex hac doctrina *oriretur* [4] gravissima consequentia: si ex institutione divina episcopi et Papa faciunt verum et permanens collegium stricte dictum, Ecclesia debet modo habituali — ordinario, non extraordinario — a Papa gubernari cum collegio episcoporum. Aliis verbis, gubernium Ecclesiae, iure divino, non esset monarchicum, personale, sed collegiale.

Quaestio haec est nimis momenti ideoque non potest manere obscura et confusa.

...[5] Venerabiles Patres, quid docet hac de re doctrina catholica traditionalis? Breviter *et modeste secundum meum iudicium* [6] eam exponam.

1. Virtute ipsius missionis qua, per electionem suam deputatur ad munus episcopale, omnis episcopus recipit officium et, consequenter, auctoritatem munus episcopale exercendi super fideles sibi commissos, intra fines territorii ab auctoritate competenti sibi indicati.

2. Virtute ipsius missionis episcopalis, sive uti episcopus residentialis, sive uti episcopus titularis, unusquisque episcopus accipit *capacitatem* ad exercendum munus pastorale relate ad universam Ecclesiam, in solidum, cum Romano Pontifice.

3. Haec eadem missio episcopalis episcopo *capacitatem* dat ad munus pastorale exercendum circa partem Ecclesiae universalis suam dioecesim excedentem.

...[7] Quaeritur: quando haec capacitas exercetur?

Respondeo: haec capacitas exercetur quando episcopus a competente auctoritate convocatur ad Concilium Oecumenicum, vel ad Concilium particulare, v. g., ...[8] nationale vel provinciale, vel ad alios coetus stricto sensu *collegiales,* secumferentes unionem cum Romano Pontifice et aliis episcopis.

...[9] Haec Concilia et hi coetus vere collegiales *stricto sensu,*[10] sicut historia ecclesiastica comprobat, nonnisi raro, saltem pro Ecclesia universali, et semper extraordinario modo, convocantur.

Ceteri actus *collectivi sed non collegiales* — notate differentiam — repetam: collectivi sed non collegiales — peracti a pluribus episcopis, v. g., eiusdem provinciae ecclesiasticae vel eiusdem nationis, sicut fit in conferentiis episcopalibus, ex institutione divina efficaciam non obtinent super fideles huius provinciae seu nationis, et hoc sensu, nullum habent effectum collegialiter productum. Tales actus tantummodo efficaciam iuridicam habent, i. e., tantummodo obligant in dioecesi, *a*) si Romanus Pontifex tales actus tamquam obligantes approbaverit, vi suae plenae et universalis potestatis, vel *b*) si episcopus, virtute suae iurisdictionis *personalis,*[11] tales actus tamquam obligantes pro sua dioecesi approbaverit.

...[12] In hac materia duo scopuli maxime periculosi sunt vitandi.

Primus scopulus hic est: vitanda est creatio alicuius institutionis mundialis quae esset ad modum Concilii alicuius Oecumenici *permanentis,* in quo episcopi aliqui, a ceteris electi seu delegati, totius collegii episcopalis munere fungerentur, et sic ponerent una cum Romano Pontifice actus vere collegiales, habituali et ordinario modo, quorum efficacia, ex divina institutione, ad universalem Ecclesiam extenderetur. Talis institutio esset quoddam « parlamentum mundiale » in Ecclesia catholica.

Talis institutio certissime non est tribuenda Christo, nam per viginti saecula apostoli, Romani Pontifices, episcopi eam prorsus ignoraverunt. E contrario, perspicuum omnibus est Christum Dominum contulisse supremum regimen Ecclesiae *personae* Petri uti *personaliter* exercendum, primo quidem ab ipso Petro, deinde exercendum a Petri successoribus.

Secundus scopulus: caveatur etiam alia institutio, scil., species aliqua Concilii nationalis vel regionalis *permanentis,* in qua pars quaedam episcoporum unius nationis vel regionis sententias iuridicas vel doctrinales poneret, quibus Romanus Pontifex, de facto, et habitualiter, assensum denegare non posset, et sic ligarent omnes episcopos eiusdem nationis vel regionis.

Nemo non videt tales institutiones ponere gravissima impedimenta permultasque difficultates ad exercitium potestatis ordinariae supremae Summi Pontificis et potestatis ordinariae *personalis* [13] cuiusque episcopi.

...[14] Addendum etiam est, tale Concilium oecumenicum, nationale vel provinciale, *permanens,* esset quid novum et inauditum in ipsa structura Ecclesiae, in qua apostoli et primi episcopi, ab eis ordinati, *personaliter* acceperunt munus *personaliter* exercendum, ut patet ex Tito et Timotheo.

Novum modum ordinarium regiminis permanentis, scil. collegialiter exercendi, introducere non licet, nisi fateamur Christum et apostolos structuram Ecclesiae graviter incompletam reliquisse.

...[15] Ut haec gravissima incommoda vitentur, propono has ...[16] immutationes et additiones textus pag. 24, lin. 40, et pag. 25, a lin. 1 ad 7. Haec proponerem: « Sicut autem permanet officium (loco " potestas "...[17]) a Domino singulariter Petro ut principi (loco " primo ", quia magis proprius terminus est), principi apostolorum et duci collegii commissum (non " concessa " quia terminus est magis proprius) commissum successoribus eius transmittendum (non " transmissa " — *non est factum historicum sed dispositio divina* [18]), ita servatur officium ...[19] totius collegii apostolici ...[20] Ecclesiam pascendi, a toto ...[21] corpore sacrato ...[22]

episcoporum sub Petri successore ...[23] exercendum. Proinde declaramus et docemus ex divina institutione et vi missionis legitimo modo collatae, aggregantis ad episcopale collegium, singulos episcopos munus particulare exercentes docere, pascere et regere singulas ecclesias; omnes vero ...[24] episcopos in solidum cum Romano Pontifice agentes, Ecclesiam universalem item ...[25] edocere et pascere, quos qui audit, Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et Eum qui Christum misit ».

Reliqua tradam secretariatui.[26] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] *Introductio*. Loquor nomine plurium Patrum Conciliarium, quorum elenchus a me tradetur secretariae generali. [2] Aliqua addam ad n. 12 et ad n. 16. [3] I. *Expositio*. Textus schematis sic sonat: « Sicut autem permanet potestas a Domino singulariter Petro uti primo apostolorum et duci collegii concessa et successoribus eius transmissa, ita servatur potestas totius collegii apostolici Ecclesiam pascendi, a corpore sacrato episcoporum exercenda. Proinde declaramus et docemus episcopos ex divina institutione fideles edocere et pascere, quos qui audit, Christum audit, qui vero spernit, Christum spernit et eum qui Christum misit ». [4] oritur. [5] II. *Explanatio*. [6] deest. [7] *Exercitium*. [8] ad Concilium. [9] *Historia*. [10] deest. [11] deest. [12] *Consequuntur*. [13] deest. [14] *Mutatio structurae Ecclesiae*. [15] *Emendationes*. [16] parvas. [17] quia officium est fundamentum potestatis. [18] ut melius exprimatur agi de dispositione divina et non solum de facto historico. [19] (loco « potestas » ex ratione supra indicata). [20] (mutatur incisum « ita... exercenda »). [21] (additur « a toto » claritatis causa). [22] (forte melius « sacro »). [23] (« sub Petri successore » additur claritatis causa). [24] (addatur hoc incisum maximi momenti: « ex divina institutione... omnes vero »). [25] (addatur: « in solidum... item »). [26] *Emendatio n. 12*. Ad n. 12 haec mutatio proponitur: in lin. 30 sic legatur: « quos et apostolos nominavit et ad modum instituit cuiusdam collegii in sensu lato, cui ex iisdem etc. ».

Notae ad n. 16. Ad n. 16 haec dicam: ex emendationibus et animadversionibus factis n. 13 patet iam textum huius paragraphi non placere. En quaedam: *a*) S. Petrus et alii apostoli non constituerunt collegium proprie dictum sed « ad instar collegii » seu uti collegium improprie dictum constituti sunt; *b*) non omnino « eadem ratione » coniunguntur inter se Romanus Pontifex et episcopi sicut coniungebantur S. Petrus et apostoli. Singuli apostoli habebant iurisdictionem in universum mundum, quam non habet episcopus singularis; *c*) consecratio fit a tribus episcopis, mihi videtur, non collegialitatis causa, sed ad melius tuendam successionem apostolicam; *d*) textus *Mt*. 18, 18 et alii non probant quod potestas ligandi ac solvendi duodecim collata, fuit collegialis. Constat nempe eam fuisse individualem. Textus confundit collegiale cum collectivo. Potestas data est collectivo quidem modo, sed singulis, non collegio; *e*) sub linn. 36-37 tribuitur conceptui « collegialiter » extensio et sensus quem nec ius romanum nec iura civilia moderna nec Ius Canonicum admittunt. De his tamen certe alii loquentur.

Loquor nomine episcoporum Marcelli Lefebvre, Aloisii Marelon, Antonii de Castro Mayer, Ioannis Pereira Venâncio, Carlos Saboia Bandeira de Mello, Ioannis Rupp, et rev.mi D. Ioannis Prou, abb. Solesmes.

Moderator: Audiatur emendatio undecima.

Secretarius generalis: Pag. 176, lin. 9 (quae respondet pag. 27, lin. 29 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 281*].

11

EXC.MUS P. D. BLASIUS D'AGOSTINO

Episcopus Vallensis in Lucania

Em.mi Praesides, Moderatores ac venerabiles Fratres in Christo,

Cap. II schematis *de Ecclesia, sicut iam in hac aula notatum est,*[1] evidenter argumentum magni momenti *respicit.*[2]

Quamvis capitis expositio mihi *in genere* [3] placeat, censeo quod opportunum fuisset in maiorem ponere evidentiam tum ex argumentis divinae Scripturae tum ex testimoniis sacrae traditionis originem et hierarchiae constitutionem, etiam relate ad primatum Romani Pontificis, ita ut clare *hierarchitas* Ecclesiae ostenderetur, quoniam Ecclesia non tantum mysterium est, sed etiam societas visibilis ex hominibus et pro hominibus constituta.

Hac generali observatione praemissa, quasdam emendationes liceat mihi proponere.

1. In prooemio, lin. 2, dicitur: « Christus Dominus ad populum Dei augendum et Corpus suum exaedificandum et nutriendum, in Ecclesia sua varias ministrationes, praesertim stabiles, instituit ». Evidenter hic de Corpore mystico et non de corpore physico Christi agitur, sed ad aequivocationem evitandam propono quod expressio sic emendetur: « ... ad populum Dei augendum et Corpus mysticum exaedificandum et nutriendum, quod est Ecclesia, varias ministrationes, praesertim stabiles, in ea instituit ».

2. In pag. 24, lin. 11, dicitur: « ... Ecclesiam exstruunt universalem aedificatam super Petrum, fidelibus omnibus superaedificatis super fundamentum apostolorum et prophetarum ». Petra fundamentalis a Christo Ecclesiae suae assignata Petrus est, ergo sufficit locutio « aedificatam super Petrum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu ».

3. In eadem pagina, ad n. 13, schema adfirmare episcoporum ab apostolis successionem intendit. Ideo opportunum erit consecutionem logicam subsignare et sequentem emendationem acceptare: « Quia ministerium illud sanctissimum a Domino Iesu apostolis concreditum est pro Ecclesia usque ad finem saeculi duratura, *ergo* morte eorum temporali non erat terminandum sed per successores apostolorum perseverare debebat ».

4. In pag. 25, ad par. 15 de presbyteris et diaconis loquitur, et praecise legitur: « Hierarchia, divina ordinatione instituta, constat episcopis, presbyteris et ministris ». Sed de ministris loquendo, schema mentionem facit solummodo de diaconatu et nihil de gradu subdiaconatus. Qua ratione haec sacrosancta Synodus finem quaestioni non ponit quae de gradu subdiaconatus agitur? Igitur quaestio circa diaconatum de quo multa multi ...[4] dixerunt modo valde generico resolvitur. Oportet quod haec quaestio attente examinetur et ...[5] normae praecisae impertiantur. *Quamvis schema de Ecclesia quod in praesens examinatur anxietatem pastoralem habeat et temporibus nostris non paucae circa consecrationem mundi necessitates adsint, mihi observare liceat quod ratio non est qua diaconatus tamquam gradus per se stans considerari debeat. Si candidati ad hunc gradum Ordinis dotes sive intellectuales sive morales praebent, qua causa ad dignitatem sacerdotalem accedere non debeant? Si vero his dotibus carent et solummodo quandam mediocritatem habent, opportunum et salutare erit quaedam ex sacris muneribus eis offerre? Insuper, quid dicam de solutione vinculi caelibatus? Optime, em.mus D. Bacci pro manente obligatione locutus est. Venerabiles Patres, quidquid ab aliis dicatur, intacta caelibatus corona sacris Ordinibus maioribus relinquatur. Si nostris argumentationibus difficiles aliquarum regionum condiciones opponuntur, quae causa penuriae cleri auxiliares petunt, censeo quod convenientes solutiones, maturo studio, non deficiunt, quin obligatio perfectae castitatis in servitio sacerdotali etiam partiali minuatur. Ideo votum meum est quod diaconatus tamquam gradus ad sacerdotium maneat, firma manente sacri caelibatus obligatione.*[6]

5. In pag. 26, schema mentionem facit de modo quo presbyteri munus ab episcopis acceptum adimpleri debent, sed de obsequio amoris et oboedientiae quod sacerdotes praestare tenentur illis *per quos a Christo, universali Sacerdote,*[7] sacerdotium acceperunt, silet.

6.[8] In par. 16 et 17 de collegio episcopali eiusque capite et de relationibus inter episcopos in collegio loquitur. Non paucae dissertationes iam in hac aula habitae sunt, praesertim circa competentiam episcoporum collegialitate. Sed, venerabiles Patres, mihi liceat postulare: quid, ut ita dicam, petimus ab Ecclesia Dei? In quaestione competentiae collegialitatis tamquam resolutiva principia veritates dogmaticae adfirmantur quae prae oculis habendae sunt.

a) Petrus a Christo Domino directe et immediate primatum iurisdictionis in universa Ecclesia obtinuit. Ergo, firmum est primatum Romani Pontificis, qui successoris Petri est. In exercitio huiusmodi primati ad eumdem Romanum Pontificem pertinet media efficaciora pro bono Ecclesiae eligere.

b) Episcopi utique a Christo Domino mandatum recipiunt, sed tramite Petro.

c) Collegium episcoporum in mandato divino collegio apostolorum succedit, et auctoritatem non habet nisi cum Petro et sub Petro. Nam collegium nihil aliud est nisi corpus morale; quoniam corpus non datur sine capite, ergo ut collegium episcoporum auctoritatem habeat, auctoritate Petri indiget. Sic rebus stantibus, nobis officium obsequii Romano Pontifici praestandi et actionem collegialem exercendi iuxta formas quae, servata opera, a Christo et Ecclesia praestata, a Summo Pontifice designantur. Sed discussio circa collegialitatem sub umbra et figuram et episcopi missionem posuit, necnon relationes episcoporum collegiales, i. e. nostra reciproca officia.

Pag. 28 legitur: « Episcopi denique, in universali caritatis societate, fraternum adiutorium aliis et praesertim tum egentioribus tum finitimis Ecclesiis, secundum venerandum antiquitatis exemplum, libenter praebeant. Ut collegialis ille affectus ad concretam applicationem perducatur, coetus episcopales multiplicem atque fecundam opem conferre possunt ». Locutus est et pluries de Ecclesia pauperum. Optime! Cur sermonem non facere de paupertate non paucarum Ecclesiarum quibus speciatim penuria cleri maxima afflictio est? Haec consideratio, puto, nostram collegialitatem respicit et immo inter nos caritatem.[8]

10. Ultimo: in ultima paragrapho loquitur de episcoporum munere regendi. Valde opportunum est quod hoc munus formaliter adfirmetur, quoniam Ecclesia Dei, utique Mater benigna est, sed semper societas iuridica et nostris temporibus in quibus sic frequenter de auctoritate aequivocatur, liceat pro bono fidelium munus, quod episcopis pertinet Ecclesias regendi, ostendere et confirmare. *Ideo, initium par. 21 sic ut emendetur postulo*: « *Episcopis non tantum docere et sanctificare, sed etiam vera, ordinaria et immediata potestate, intuitu servitii fidelium, regere et Ecclesias gubernare pertinet* ».[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] tractat, scil. de constitutione hierarchica Ecclesiae. [3] deest. [4] nostro tempore. [5] attentis modernis Ecclesiae necessitatibus. [6] deest. [7] a quibus. [8] [*a 6 ad 9 sic habetur*:] 6) Par. 16 in quo de collegio episcopali eiusque capite loquitur, funditus emendandus est et prae oculis tria habenda sunt: *a*) episcopi cum Romano Pontifice collegium efformant; *b*) collegium episcoporum in divinis mandatis collegio apostolorum succedit; *c*) collegium episcoporum auctoritatem non habet nisi cum Petro et sub Petro.

7) In pag. 29, lin. 5, rectius legatur: « ... missionem accipiunt docendi et baptizandi omnes gentes » et non « docendi omnes gentes et praedicandi Evangelium omni creaturae etc. »; quoniam in his verbis aliqua repetitio adest.

8) In eadem pagina ad n. 19 dicatur: « Episcopis ex mandato divino munus praedicandi fidem pertinet, eam sub lumine Spiritus Sancti illustrandi necnon ab erroribus gregi suo impendentibus arcendi. Quamvis singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen etiam per orbem dispersi sed collegialem nexum servantes, uti testes fidei in revelata fide tradenda in eandem sententiam una cum Romano Pontifice conveniunt, doctrinam ab omnibus fidelibus credendam annuntiant.

In lin. 40 peto ut sequenti modo emendetur: « Qua infallibilitate ipse quoque personaliter gaudet Romanus Pontifex, collegii episcoporum caput, quando ut supremus pastor et doctor Ecclesiae universalis, doctrinam de fide vel de moribus definitivo actu ex cathedra proclamat.

9) In pag. 30, lin. 30 peto ut post verba « Episcopus est » addatur locutio « vi episcopalis consecrationis »; lin. 35 expungatur verbum « generales »; lin. 39 loco verbi « reverentia » substituatur « fructuose ». [9] deest.

Moderator: Audiatur emendatio duodecima.

Secretarius generalis: Pag. 176, lin. 17 (quae respondet pag. 28, lin. 5 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 281*].

12

EXC.MUS P. D. MICHAEL BROWNE

Episcopus Galviensis et Duacensis

Em.me Praeses, venerabiles Patres,

Mirum mihi videtur nihil in hoc cap. II dici de dioecesibus: nec etiam de verbo « dioecesis » fit mentio. Sed omnes episcopi sunt episcopi alicuius dioecesis, vel residentialis vel titularis; non datur episcopus in vacuo. Verum est in par. 17 dicitur: « Quando episcopus particulari Ecclesiae praeficitur, regimen suum pastorale proprie dictum nonnisi super portionem populi sibi commissam, non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem extendit ». Ita textus. Sed non explicatur an necessarium in aliquo sensu sit ut episcopi particularibus Ecclesiis praeficiantur, an sit res humanae et mutabilis organizationis vel apostolicae et divinae institutionis.

Multa dicuntur, et recte et opportune, de episcopo ut membrum collegii, de eius obligationibus quoad Ecclesiam universalem. Sed quaestio nunc est de regimine eius pastorali proprio dicto. Apud omnes compertum est, Apostoli tradiderunt successoribus suis potestatem docendi, sanctificandi et regendi. Sed quaestio est num hanc potestatem tradiderunt limitatam ad certum territorium vel sine aliqua limitatione ad territorium.

Datur quaestio historica num in aevo apostolico regimen collegiale presbyterorum vel episcoporum in aliquibus territoriis locum habuerit. Certum est in saec. II episcopi generatim tamquam singuli rectores dioecesium praefecti sunt, i. e. systema episcopatus monarchici ut vocatur. Sed quaestio non est mere historica, est dogmatica, quia quaestio est num systema quo episcopus praeficitur particulari Ecclesiae tamquam proprius, immediatus et ordinarius pastor et rector sub primatu Summi Pontificis, sit mere humani iuris vel divini; num pertineat ad divinam constitutionem Ecclesiae vel ad humanum et mutabilem ordinem.

Haec quaestio clare exponi debet in hoc capite, primo, quia pertinet ad doctrinam de Ecclesiae constitutione et recta gubernatione; est fundamentum omnium quae postea in hoc Concilio dicentur de potestate, de iuribus et de obligationibus episcoporum; secundo, quia pertinet ad pastoralem vitam Ecclesiae; intimam habet relationem ad unitatem populi Christiani et ad unitatem Ecclesiae.

Episcopus ut rector et pastor dioecesis est signum et instrumentum quo unio cleri et populi in fide, in cultu, et in moribus christianis manifestatur et servatur. Ministerium episcopi ad hoc dirigitur ut omnes unum sint, et prima necessitas Ecclesiae hodiernae est ut omnes nostri catholici unum sint. Episcopus est medium quo unio populi christiani visibilis et practica sit, quo homines fiunt grex secundum voluntatem Christi.

Praeterea, episcopus ut rector dioecesis est signum et medium quo omnes in sua dioecesi cum Supremo Pontifice et universali Ecclesia certo et visibiliter uniuntur. Nostri catholici — etiam in Europa et multo minus in Asia — non possunt Romam venire ut fidelitatem erga Pontificem personaliter profiteri possint. Sed cum episcopum a Pontifice nominatum vel recognitum acceptant, tunc certo et visibiliter cum Pontifice et cum Ecclesia universali — vera et apostolica — uniuntur. Et hoc magnum momentum habet hodie in Sinis et alibi.

Doctrina de episcopo et dioecesi non est mere iuridica, pertinet ad fidem, ad vitam pastoralem, ad spiritualitatem populi christiani. Dioecesis non est entitas mere geographica vel burocratica, est res fundamentaliter religiosa quia est medium quo manifestetur visibiliter et servetur in vigore unitas christianorum inter se et unitas eorum cum Summo Pontifice et Ecclesia universali. Dixi.

Textus scripto traditus:

Mirum mihi videtur nihil in hoc cap. II dici de dioecesibus; nec etiam de verbo « dioecesis » fit mentio. Sed omnis episcopus est episcopus alicuius dioecesis sive residentialis sive titularis; non datur episcopus in vacuo.

Verum est in par. 17, pag. 28, lin. 11, dici: « Quando episcopus particulari ecclesiae praeficitur, regimen suum pastorale proprie dictum nonnisi super portionem populi sibi commissam, non super alias ecclesias neque super ecclesiam universalem extendit ». Sed non explicatur qua ratione et quo iure episcopi particularibus ecclesiis praeficiantur, an sit res humanae et mutabilis organizationis vel apostolicae et divinae institutionis. Multa dicuntur de episcopo ut membrum collegii episcopalis, et bene et opportune, sed fere nihil de eius regimine pastorali proprie dicto. Apostoli tradiderunt successoribus suis potestatem docendi; sanctificandi et regendi: hoc certum est; sed quaeritur num hanc potestatem tradiderunt pro aliquo certo territorio solummodo, vel sine limitatione territoriali.

Quaestio agi potest num in aevo apostolico regimen collegiale presbyterorum vel episcoporum locum habuerit in aliquibus regionibus. Certum est in saeculo secundo praevaluisse systema quo episcopi particularibus ecclesiis praefecti sunt, i. e., systema episcopatus monarchici, uti vocatur. Sed quaestio non est mere historica, est dogmatica, et ideo in hoc capite tractari debet, nempe num systema quo episcopus particulari territorio praeficitur ut proprius, ordinarius et immediatus pastor et rector sub primatu Romani Pontificis sit humani iuris et mutabilis; vel sit iuris divini et ex divina constitutione ecclesiae ortum.

Haec quaestio in hoc cap. II *de Ecclesia* clare exponi debet, quia pertinet ad doctrinam de constitutione et recta gubernatione ecclesiae; est fundamentum omnium quae postea in hoc Concilio de potestate, iuribus et obligationibus episcoporum decernentur. Pertinet etiam ad vitam pastoralem Ecclesiae, quia intimam habet relationem ad unitatem fidelium inter se et ad eorum unitatem cum Romano Pontifice et cum Ecclesia universali.

Episcopus dioecesanus est signum et instrumentum quo unio cleri et populi eius in fide, in culto divino, in moribus christianis servetur et manifestetur. Potestas et munus episcopi sunt medium quo unio populi christiani visibilis et practica fiat, quo christiani fiunt grex secundum voluntatem Christi. Ministerium episcopi ad hoc dirigitur ut omnes unum sint et prima necessitas hodiernae Ecclesiae est ut omnes catholici unum sint.

Praeterea episcopus dioecesanus est signum et instrumentum quo unio populi sui cum supremo Pontifice et cum universali Ecclesia visibilis et certa fiat. Nostri catholici nec in Europa, multo minus in Asia vel Africa, non possunt Romam venire et fidelitatem erga Pontificem personaliter profiteri. Sed cum episcopum a Summo Pontifice nominatum vel recognitum acceptant, tunc certo et visibiliter cum vicario Christi et cum Ecclesia vera et apostolica uniuntur. Hoc magnum momentum habet hodie in Sinis.

Doctrina de episcopo et de dioecesi non est mere iuridica: pertinet ad fidem, ad vitam pastoralem, ad spiritualitatem catholicam. Dioecesis non est entitas mere geographica vel burocratica; est res fundamentaliter religiosa, quia est medium quo christiani visibiliter et practice uniuntur ut grex; est medium quo cum Pontifice Summo et Ecclesia Christi vere et visibiliter uniuntur.

13

Exc.mus P. D. MICHAEL DOUMITH
Episcopus Sarbensis Maronitarum

Venerabiles Patres,

Circa n. 14 de episcopatu ut sacramento, iam multa dicta sunt. Vellem tantum unum verbum addere de potestate quae in consecratione episcopali confertur.[1]

In textu *dicitur,*[2] lin. 9, potestatem docendi et gubernandi *arcto vinculo* coniungi potestati sanctificandi quae in sacramento confertur; et lin. 18 (in obliquo tantum): « manuum impositione et verbis consecrationis episcopalis, conferri gratiam Spiritus Sancti... »; et tandem lin. 24: « episcopos, etiam vi sacramenti, superiores esse presbyteris... ».

Hae formulae videntur insufficientes.

Secundum generalem doctrinam de sacramentis, sacramentum confert gratiam, ad iustificationem subiecti certe, sed, speciali titulo, ad implendum munus in sacramento intentum. In episcopatu munus intentum est munus « pascendi gregem », quod continet simul missionem et potestatem.

Quod hoc munus non restringitur ad potestatem sanctificandi, cui coniungitur licet arcto vinculo potestas docendi et gubernandi, sed continet aequo modo et per modum unius, potestates sanctificandi, docendi et gubernandi, patet ex disciplina antiqua et ex libris liturgicis.

a) *Ex disciplina antiqua.* Omnes praerogativas episcopales ab ipsa consecratione pendere apparet ex eo quod consecratus, statim post consecrationem, officium exercet, absque ulla alia conditione: consecratus, inde a consecratione, fit doctor ...[3], fit pontifex ...[4], fit pastor seu membrum collegii quod tenet successionem apostolorum. Et re tam vera ut ipse recens codex orientalis ...[5] agnoscit « episcopum iurisdictionem et ius recipiendi reditus... obtinere, *recepta episcopali ordinatione* » quae in iure latino reservantur institutioni canonicae...[6]

b) *Ex libris liturgicis.* Libri liturgici, in quibus exprimitur significatio sacramenti et Ecclesiae intentio, clare dicunt munus episcopale, quod consecratione confertur, omnes praerogativas episcopales continere, sine ulla restrictione aut discriminatione.

In Sacramentario Leoniano legitur: « Tribuas eis cathedram episcopalem ad regendam Ecclesiam tuam... ».

In ritu coptico: « Infunde gratiam super servum tuum, quem elegisti in episcopum ut pasceret gregem ».

Et in ritu antiocheno: « Mitte super servum tuum Spiritum Sanctum ut pascat et visitet Ecclesiam... et omnem potestatem da ei quam dedisti apostolis Unigeniti Filii tui »...[7]

Si ergo verba significant quod sonant, dicendum est munus pascendi gregem continere, aequo modo et per modum unius, potestates sanctificandi, docendi et gubernandi, vel breviore verbo, continere apostolicam potestatem.

Si qua missio necessaria est, iam in ipsa consecratione continetur: secundum eosdem libros liturgicos, consecratio fit « ad Ecclesiam » (et nunc etiam fit ...[8] ad Ecclesiam, etiam si *Ecclesia*[9] est destructa) et consecratio fieri sine ordine « ad Ecclesiam » determinatam antiquitus omnino prohibebatur...[10]

Quid ergo dicendum de illa missione canonica *de qua dicitur*[11] in iure latino hodierno *quod*[12] confert iurisdictionem? ...[13] Si ad traditionem, disciplinam et sensum orientalium attendimus — quod *optandum est*[14] pro oecumenismo — debemus dicere quod missio canonica quae ab Ecclesia committitur est tantum ad moderamen potestatis, consecratione receptae aut recipiendae: illius legitimi exercitii conditiones determinat, ratione boni communis. Sed ipsam potestatem, de se apostolicam et divinitus traditam, nec confert nec aufert, quia quae divinitus traduntur, humana voluntate nequeunt auferri, et si deficiunt, nequeunt suppleri. Et proinde limitationes, reservationes immo et poenae graviores, quae ratione boni communis imponi possunt et debent, non attingunt nisi liceitatem actus.

Et sic Ecclesia apparet ut institutio divinae originis et sacramentalis essentiae, ordinata scil. ad communionem procurandam inter homines et Deum, mediante deposito a Christo commisso et nulla voluntate humana intercedente.

Quae si vera sunt, possunt introduci in n. 14 aliquae emendationes quae scripto remittam.[15] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Praeter modum loquendi, qui non videtur rectus, quia episcopatum concipit in ordine ad presbyteratum, dum videmus in N. T. diaconos et presbyteros ordinari in adiutorium apostolorum et episcoporum, aliquas animadversiones proponere vellem de potestate episcopali quae in consecratione confertur. [2] affirmatur. [3] seu authenticus praeco Evangelii. [4] potestatem habens alium ordinandi. [5] (can. 396 § 2). [6] (CIC, can. 349). [7] (quae omnia citantur in nota 10 schematis). [8] semper. [9] iam. [10] (Conc. Chalced. can. 6). [11] quae. [12] deest. [13] Certe non confert gratiam et ideo non est ordinis sacramentalis. Pertinetne ad apostolicum depositum ut conferat apostolicam potestatem? [14] est magni momenti. [15] Quod si hae animadversiones valent, in n. 14 introduci possunt sequentes emendationes:

Lin. 10: tollantur voces « arcto vinculo ».

Linn. 13-14: loco « praecellentem gradum confert sacerdotii » dicatur « *plenitudinem confert sacerdotii* ».

Lin. 19: addatur « *potestatem episcopalem et* gratiam Sp. Sancti ».

Linn. 20-21, loco « episcopatum esse vere et proprie gradum supremum sacramenti ordinis », proponitur « episcopatum esse vere et proprie *sacramentum ordinis* ».

Lin. 24, loco « superiores esse... vocant » proponitur: « etiam vi sacramenti episcopos *esse membra collegii et Apostolorum successores* ».

14

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS FRANIĆ

Episcopus Spalatensis et Macarscensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi breve dicere verbum de instauratione diaconatus et de relationibus Romanum inter Pontificem et episcopos intercedentibus.

Servata primum maxima reverentia erga exc.mum arch. Zagrabiensem, qui aliter sentit,[1] ex 20 episcopis ritus latini ex regionibus Iugoslaviae hic in Concilio praesentibus, 16 subscripsimus declarationem sequentem:

« Puto instaurationem diaconatus stabilis et uxorati pro mea dioecesi, perdurantibus hodiernis conditionibus non esse opportunum »...[2]

In regionibus etenim in quibus Ecclesia in certis difficultatibus vivit, disciplinam cleri caelibis servare est sat difficile, ast quomodo disciplina diaconorum cum uxoribus et forsitan cum numerosa prole servari poterit. Multo facilius clerus uxoratus quam qui sine uxore est, non solum in disciplina, verum etiam in fide paulatim *erga Deum*[3] et in fidelitate erga *Ecclesiam,*[4] Ecclesiae praepositos cedit. Sed quod est hodie apud nos, cras apud vos esse poterit, fratres carissimi! *Deinde hanc visionem angustam non esse putamus, quia nos episcopi congregati sumus hic ut ad invicem experientias nostras ex nostris regionibus communicemus; at nostram experientiam esse magni faciendam putamus etiam aliquo modo pro tota Ecclesia.*[5]

Deinde,[6] ex 20 episcopis ritus latini de quibus supra ...[7], etiam hanc alteram declarationem *ex visione universalis Ecclesiae*[8] subscripsimus:

« Puto instaurationem diaconatus stabilis et uxorati periculosum esse pro sacra lege caelibatus et pro vocationibus sacerdotalibus »...[9]

Quia haec ratio gravissima communis est toti Ecclesiae, ut iam ab aliis oratoribus satis inculcata est, statim transeo ad votum proponens,

ut ex textu omnino expungantur verba a lin. 33 ad lin. 41 in pag. 26, quae verba ad instaurationem diaconatus *uxorati*[10] referuntur.

De cetero nullum scandalum futurum esse quoad orthodoxos, humiliter puto; immo puto hoc fore maximo exemplo pro orthodoxis, nam ipsi maxime aestimant presbyteratum caelibem magis quam eorum presbyteratum qui habent mulieres. Et propterea quando videbunt nos non permittere neque diaconis uxorem ducere, tunc ipsi incipient adhuc magis aestimare Ecclesiam catholicam propter eius magnam aestimationem caelibatus.[11]

Ceterum verum est quod dixerat em.mus card. Spellman, scil. istas lineas de diaconatu instaurando conscriptas esse nimia cum facilitate, nam nec tempus suppetebat ut suffragatio fieret de hac re in commissione de doctrina fidei et morum, ita ut lineae, quas expungendas supra proposui *cum multis exc.mis Patribus,*[12] sine approbatione dictae commissionis in textum insertae sunt.

II. *Nunc pauca de relationibus inter Romanum Pontificem et episcopos.*

Sane, *venerabiles Patres et Fratres,*[13] nos omnes affirmare volumus et iura primatialia Romani Pontificis et iura episcopis divinitus data. Tamen, ut sinceri simus, duplex sententia inter nos nostrosque peritos clare perspicitur, quibusdam nempe volentibus fortius affirmare iura primatialia Papae, quibusdam vero volentibus fortius extollere iura episcoporum relate ad Pontificem. Mihi videtur *humillime*[14] schema bona via, nempe media, inter haec duo extrema procedere. Sed quia schema hoc compositum est praecise ut istas duas sententias conciliaret, in ipso inveniuntur, secundum meam humilem opinionem, quaedam quae iura primatialia Romani Pontificis aliquatenus obscurant, quae sane corrigenda sunt, et ex altera parte iura episcoporum videntur non esse sat clare descripta.

1. Quoad primum, scil. quoad obscurationem iurium Romani Pontificis.

Quam ad rem ex mea humili opinione haud parum contulerunt illi textus e quibus quidam satagunt fundamentum dogmaticum iuribus episcopalibus ponere et propter hanc nobilissimam rationem exaggerare videntur dicendo Christum instituisse seu fundasse Ecclesiam super Petrum-rupem et super apostolos, quae doctrina invenitur in *pag. 23-24.*[15]

Quae confusio, salva omnimoda reverentia auctorum, facta est, quia schema noluit distinguere inter fundamentum Ecclesiae ratione fidei seu ratione doctrinae praedicatae, et fundamentum ratione iurisdictionis supremae, ita ut valor textuum *Matthaei, Lucae et Ioannis*[16] aliquatenus obscuratus sit...[17]

Sed quidquid est de hac mea interpretatione *multorumque Patrum,*[18] textus ad Eph. 2, 20, *quoad interpretationem*[19] prout schema eum interpretatur, non est unanimis inter exegetas. Ideoque ex mea opinione non licet ...[20] uti in constitutione dogmatica prout in textu docetur, *quia est dubius.*[21]

Ideo humiliter propono:

a) ut expungantur illa verba in lin. 10, pag. 23: « ... ac super Apostolos fundavit »;

b) ut in pag. 24 omnia verba expungantur a lin. 9 ad lin. 14, cum commentario in pag. 32, ubi dicitur (in commentario): « Petrus et duodecim eamdem (notate!), eamdem habent fidem et missionem auctoritativam, qua Ecclesia fundatur ». Utique *habent eamdem auctoritatem*[22] ratione praedicationis, non vero ratione iurisdictionis supremae, saltem iuxta *Matthaeum.*[23]

Verbo ergo Dei cogimur, venerabiles Fratres, confiteri fidem nostram, scil. Petrum eiusque humiles successores fuisse et esse non tantummodo caput apostolorum et episcoporum, sed etiam supremum magistrum totius Ecclesiae. Romanus Pontifex, uno verbo, est vicarius Iesu Christi in terris non praecise in quantum est caput episcoporum et propterea cum ex cathedra loquitur, tunc remanens caput episcoporum loquitur ut vicarius Iesu Christi et supremus magister totius Ecclesiae. Quod revera in capite dicitur, sed tota haec doctrina deberet clarius et explicitius exprimi, secundum meam humilem sententiam, quia est veritas fundamentalis totius huius capitis et constitutionis totius Ecclesiae.

Et, quia tempus mihi deest, desidero etiam ut doctrina de iuribus episcoporum paulo clarius exprimatur.[24] Dixi. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] I. *De diaconatu. a*). [2] (Alexander Tokić, arch. Bar; Karmelo Zazinović, aux. KrK; Josip Arnerić, ep. Šibenik; Celestin Bezmalinović, aux. Hvar; Josip Lach, aux. Zagreb; Stjepan Bäuerlein, ep. Djakovo; Ivo Gugić, ep. Dubrovnik; Frane Franić, ep. Split et Makarska, Josip Pavlišić, aux. Senj; Mate Gorković, arch. Zadar; Alfred Pichler, ep. Banjaluka; Marko Alaupović, arch. Sarajevo; Viktor Burić, ep. Senj; Dragutin Nežić, ep. Poreč et Pula; Peter Čule, ep. Mostar; Matiša Zvekanović, ep. adm. ap. Bačka). [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] *b*). [7] mentionem fecimus, quindecim. [8] deest. [9] (Subscriptiones sequuntur eodem ordine, excepto ep. A. Pichler, qui noluit subscribere). [10] deest. [11] Addo quod mihi scripsit exc.mus ep. Poreč et Pula, scil. nos contrarios non esse ut Summus Pontifex in singulis casibus ordinem diaconatus conferat, sed talis diaconatus deberet in caelibatu exerceri, atque nullo modo opus est ut Concilium de hac re, praesertim in constitutione dogmatica quidquam dicat. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] pag. 23, lin. 10 et in pag. 24, lin. 9 usq. ad lin. 14. [16] *Mt.* 16, 18-19; *Lc.* 22, 32; et *Io.* 21, 15-17.

[17] In textu enim ad *Eph.* 2, 20 apostoli et prophetae sunt fundamentum vel ponunt fundamentum Ecclesiae praecise in quantum sunt praedicatores Evangelii in quo fundatur fides Ecclesiae, dum in textu Matthaei et Ioannis agitur de suprema auctoritate tanquam causa unitatis et stabilitatis aedificii moralis, agitur ergo de munere specie diverso, cui nemo apostolorum iuxtaponi potest nec particeps talis muneris fieri. Ideoque omnino specificandum est cum in textu loquitur de « fundamento » Ecclesiae et cum loquitur de opere « fundandi » Ecclesiam, ne verbis aequivocis ansam demus falsis interpretationibus et motivum suspicionibus inutilibus. [18] deest. [19] interpretatio eius. [20] eo. [21] E. g. Ricciotti apostolos in textu paulino non intelligit duodecim apostolos; Huby opinatur illos apostolos sensu latiore sumendos scil. missionarios, item quoque intelligitur a Pontificio Instituto Biblico in versione S. Scripturae in linguam italicam in commentario ad locum, dum contra H. Schlier, *Der Brief an die Epheser,* Patmos 1962, p. 142 apostolos intelligit in sensu duodecim apostolorum. De cetero ex textu ex epistula ad Ephesios, classica obiectio desumitur contra primatum Petri, prout omnia manualia De Ecclesia nos docent. Ideoque ex mea humili opinione licitum non esse illo textui Matthaei simpliciter iuxtaponere absque ulla interpretatione. Idem quoque dicendum de textu qui adducitur ad textum ad Ephesios sustentandum, nempe ex Apocalypsi desumpto (*Apoc.* 21, 14). Verba illa, ut patet, pertinent ad opus propheticum, quod ut scimus non est semper facile ad interpretandum, dum liber Matthaei et Ioannis sunt libri historici et de locis de quibus nobis sermo est, saltem inter catholicos non datur ambiguitati locus. Certo certius apostolus in illo loco Apocalypsis noluit relationem instituere inter apostolos et Petrum in munere fundandae Ecclesiae ratione primatus iurisdictionis, quia Ioannes ibi textum collationis primatus prorsus omisit. Nec quidem loqui voluit de fundamento Ecclesiae ratione praedicationis apostolicae, quia Paulum, qui apostolus decimus tertius collegii apostolici erat, inter illos duodecim locum videtur non habere. Quid tunc? Exspectemus caelestem Ierusalem, ut res arcana textus Ioannei tandem aliquando nobis patefiat. [22] deest. [23] *Mt.* 16. [24] In Concilio Vaticano I episcopus noster magnus Strosmajer, propter rationes oecumenismi nobilissimi, contrarius erat potestati supremae iurisdictionis Romani Pontificis, quam potestatem post Concilium plene agnovit. Non possumus vero nos in hoc Concilio, propter easdem nobilissimas rationes, propter scil. fratres nostros orthodoxos quibuscum simul vivimus, istam veritatem quocumque modo obscurare, sed in clarissima luce ponere nullo modo diminuendo mysterium hoc magnum in Ecclesia.

2. Quoad alterum punctum doctrinae, scil. de episcopis, schema summam laudis quoque non obtinet. Quod mirum non est, quia de hac difficili re theologi nos parum docuerunt. Nemo tamen catholicorum, submisse puto, dubitare posse de exsistentia collegii, seu corporis seu ordinis episcoporum et proinde de aliquo gubernio collegiali episcoporum cum et sub Romano Pontifice, cuius gubernii imago privilegiata est hoc Concilium. Concilium tamen remanet forma extraordinaria gubernii collegialis neque possumus concilium imponere Romano Pontifici in quacumque forma uti medium ordinarium gubernandi cum Ecclesia.

Sed fundamentalis quaestio huius gubernii collegialis est quaestio de relatione inter iura primatialia papae et iura singulorum episcoporum: Nam collegium episcoporum constituitur ex singulis episcopis. Proinde ponenda est primo quaestio de positione singulorum episcoporum erga Romanum Pontificem, ut sciamus quid

sit episcopus et deinde solvenda est quaestio de relatione collegii episcoporum erga Romanum Pontificem. Sed possumus legere auctores hodiernos, sed responsum ad has quaestiones, quod undequaque satisfaceret invenire non possumus. Propterea et schema de his quaestionibus satisfacere non potest in omnibus. Ex mea tamen humili opinione labor quem fecerat exc. ep. Zazinović investigando relationes singulorum episcoporum erga summum pontificem ex historia Concilii Chalcedonensis et proponendo in suo interventu hesterna die, ut profundius examinaretur doctrina de episcopis in luce etiam veterum conciliorum et patrum attentionem nostram meretur.

Ad pag. 27, lin. 36 ad lin. 39: Propono ut ista verba expungantur e textu, etsi doctrinam veram continent, quia in quibusdam circumstantiis historicis talis modus agendi, qui ibi suggeritur, magnum damnum Ecclesiae inferre potest in qua episcopi viventes sub aliqua potestate civili inimica Ecclesiae possent sub pressione eiusdem potestatis, quae in casu posset extendi ad omnes terras catholicas, aliquid per epistolas decernere sine invitatione Romani Pontificis et postea illa potestas, quae e. g. Romanum Pontificem in aliquo loco secreto detineret, posset dicere episcopis Romanum Pontificem illa decreta approbasse monstrando illis forsan subscriptionem Pontificis falsam.

In genere non video possibilitatem illius « Concilii per epistolas » quae ibi suggeritur, nisi a Romano Pontifice episcopi explicite per aliquam epistolam invitentur, ut ad aliquam quaestionem ab ipso per epistolam positam respondeant.

Animadversiones additae:

De diaconatu in Ecclesia catholica restaurando.

Liceat mihi pauca verba dicere de diaconatu in Ecclesia catholica restaurando.

Ut ab initio sincere et candide loquar, statim dico me esse contra restaurationem diaconatus stabilis in Ecclesia catholica.

Rationes huius nostrae humilis opinionis sunt sequentes.

1. Periculum pro vocationibus sacerdotalibus. Ego timeo ne nostri iuvenes seminaristae, in tentationibus pro sacra virginitate, ad ordinem diaconatus transeant et ita numerus sacerdotum diminuere incipiat.

Haec est ratio communis pro tota Ecclesia, ut opinor.

2. Periculum pro sacra lege caelibatus. Iam audivi in patria mea hoc concilium aboliturum esse sacrum caelibatum pro sacerdotibus. Non est dubium, quin diaconatus uxoratus, labefactet aestimationem apud nostrum populum catholicum quam ipse habet pro ministris Dei et Ecclesiae qui in castitate vivunt. Omnes nunc enim putabunt diaconatum esse primum gradum, ut e medio tollatur caelibatus sacerdotalis. Ita putabunt quoque plurimi sacerdotes. Ita confusio in Ecclesia creabitur.

3. Pericula quae Ecclesiae provenire poterunt a stabili diaconatu uxoratu, praesertim in regionibus in quibus Ecclesia in difficultatibus vivit. Revera in talibus conditionibus difficile est disciplinam cleri sine uxore servare, ast quomodo servabitur disciplina diaconorum cum uxoribus et forsan cum numerosa prole! Auctoritas civilis non amica Ecclesiae multo facilius poterit in diaconos uxoratos influxum exercere, quam in sacerdotes sine uxore.

Hoc nos docet historia.

4. Inutilitas diaconatus stabilis et uxoratus.

Omnia quae pro novis diaconis proponuntur, ut possint facere, omnia ista Ecclesia potest concedere, ut faciant laici specialiter consecrati, sicut nunc sunt in missionibus catechistae. Tales laici possent, ex potestate accepta in charactere baptismatis et confirmationis et ex deputatione Ecclesiae accepta in speciali consecratione: baptizare, etiam sollemniter, communionem distribuere, liturgiam quandam celebrare et populum Dei die dominica colligere eique verbum Dei annuntiare.

Talis consecratio esset exercitium plenum sacerdotii regalis universalis populi Dei seu omnium christifidelium.

Nemo est, qui non videat, quomodo sacerdotium universale novam lucem in hac suppositione acciperet.

5. Facilior subiectio laicorum consecratorum sacrae hierarchiae et parochis quam subiectio diaconorum.

Revera isti laici consecrati essent valde distantes ordine sacro a presbyteris et bene scirent se esse subiectos presbyteris et episcopis, quia Ecclesia ipsis posset facilius prohibere, quominus officia ipsis commissa exercerent. Nam in statu laicali remanerent ante et post consecrationem. Dum econtra valde difficile esset prohibere diaconis officia diaconalia, quia stabilitate gauderent.

6. Rationes oeconomicae, quae non sunt spernendae.

Laici nempe consecrati possent exercere, saltem in maiori parte, per sex dies in hebdomada, propriam professionem et ita propriam familiam sustentare. Econtra diaconos eorumque familias Ecclesia deberet sustentare, quod pro multis Ecclesiis esset impossibile. Alioquin maxima penuria sacerdotum pro colligendo populo Dei diebus dominicis persentitur, quod laici consecrati bene explerent. Si vero necesse esset, ut quidam ex istis laicis consecratis etiam per totam hebdomadam totum laborem suum pro Ecclesia impenderent, tunc secundum istas necessitates tales laici consecrati in plenum servitium Ecclesiae adsumi possent.

7. Obiectio. Christus instituit diaconatum. Ergo non est inutilis nec periculosus esse potest. Respondeo.

a) Puto non esse certum Christum instituisse ordinem diaconatus immediate. Potuit Christus instituere diaconatum etiam mediate, in sacro ordine presbyteratus. Qui enim instituit totum, instituit etiam partes istius toti. Proinde potuit Ecclesia partem characteris presbyteratus conferre diaconis, si in determinatis conditionibus censebat diaconatum esse necessarium aut utile. Si vero in aliis conditionibus Ecclesia iudicabat diaconatum non esse necessarium neque utile tunc Ecclesia poterat supprimere ordinem diaconatus stabilis, sicut de facto Ecclesia fecit per multa saecula. Alioquin deberemus dicere Ecclesiam iudicasse per multa saecula diaconatum non esse necessarium nec utile, dum econtra Christus iudicabat diaconatum esse necessarium et utile.

Proinde argumentatio illorum, qui volunt probare necessitatem instaurationis diaconatus stabilis ex eo, quod Christus illum instituerit, non valet.

b) Ordo diaconatus in hodierna disciplina Ecclesiae inutilis non est. Nam iste ordo exercetur a presbyteris et etiam episcopis. Ecclesia posset conferre sacram ordinationem presbyteratus sine collatione ordinis diaconatus, sicut etiam posset conferre ordinem episcopatus, uti videtur, sine collatione ordinis presbyteratus, sed hoc non facit, quia vult per gradus ordines superiores conferre, ut sciant sacerdotes se debere exercere etiam officia diaconalia et eorum virtutes. Sicut e. g. in sacro ordine subdiaconatus obligatio suscipitur sacri caelibatus, quae obligatio ex subdiaconatu remanet quoque in diaconatu, presbyteratu et episcopatu.

8. Hac occasione liceat mihi dicere me humiliter iam diu considerare ordinem s. diaconatus tamquam ordinem in quo speciali modo suscipitur obligatio pauperem vitam clericalem ducendi. Nam diaconi in primaeva Ecclesia distribuebant bona ecclesiastica sicut hodie presbyteri ex obligatione suscepta in ordine diaconatus deberent distribuere bona ecclesiastica. Ad hoc munus bene faciendum diaconibus, i. e. nunc sacerdotibus pernecessaria est virtus paupertatis. Sed propter fragilitatem humanam semper ariserat mihi sententia, ut in ordinatione s. diaconatus emittatur promissio paupertatis servandae sicut in subdiaconatu emittitur promissio sacri caelibatus servandi vel saltem sicut promittitur oboedientia et reverentia in presbyteratu.

Moderator: Audiatur secretarius generalis. Congregatio erit cras, hora nona.

Secretarius generalis: Exitus suffragationis circa *IX emendationem*:

Praesentes votantes	2.219
Dixerunt *placet*	2.139
non placet	67
Vota nulla	13

Emendatio X:

Praesentes votantes	2.218
Dixerunt *placet*	2.159
non placet	46
iuxta modum, ergo nulla	2
Suffragia nulla	11

Emendatio XI:

Praesentes votantes	2.236
Dixerunt *placet*	2.131
non placet	96
Vota nulla	9

Emendatio XII:

Praesentes votantes	2.254
Dixerunt *placet*	2.232
non placet	14
Vota nulla	8

Omnes lectae emendationes placuerunt Patribus.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XLV

10 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLV

10 octobris 1963

Em.mus P. D. Gregorius Petrus card. Agagianian, *moderator*: Exc.mus secretarius generalis dabit communicationes Patribus conciliaribus.

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Praesidet hanc 45 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. Gregorius Petrus card. Agagianian.

Communico venerabilibus Patribus: exsequiae exc.mi D. Leonis Smith, defuncti die 6 ultima, habebuntur hodie, hora 17,30 in ecclesia « Nostra Signora della Mercede », viale Regina Margherita 66, nempe prope Piazza Buenos Aires.

Exc.mus praefectus caeremoniarum apostolicarum rogat haec communicari Patribus: Sanctissimus Dominus, feria VI, nempe crastina, se conferet ad Sanctam Mariam Maiorem, hora 17, ut praesideat functioni Eucharisticae in honorem Maternitatis Beatae Mariae Virginis et ad recolendum anniversarium convocationis Concilii Oecumenici Vaticani II.

Rogantur ut interveniant sacro ritui em.mi ac rev.mi DD. cardinales habitu serico rubeo cum rocheto, mantelleta et mozzeta, et exc.mi Patres conciliares tantum cum mantelleta, nempe sine mozzeta.

Dominica autem 13 octobris proxima, habebitur beatificatio venerabilis Ioannis Nepomuceni Neuman, episcopi Philadelphiensis. In sacro ritu, qui post meridiem habebitur in hac Patriarchali Basilica Vaticana et cui praeerit ipse Summus Pontifex, hora 17, exc.mi Patres conciliares, qui velint huic ritui interesse, induent habitum praelatitium cum rocheto et mantelleta tantum et occupabunt sedes ipsis reservatas in aula conciliari.

Nunc lego nomina eorum qui petierunt verba facere adhuc super cap. II schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Iacobus Câmara, arch. S. Sebastiani Fluminis Ianuarii in Brasilia, Ferdinandus Cento; exc.mi DD. Ioseph Slipyj, arch. Leopolitanus Ucrainorum, Emmanuel Galea, ep. aux. Melitensis in Malta, Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania, Laurentius Jäger, arch. Paderbornensis in Germania, Ioseph Descuffi, arch. Smyrnensis in Turchia, Bernardus Yago,

arch. Abidjanensis in Africa occidentali, Ioseph Maurer, arch. Sucrensis in Bolivia, Demetrius Mansilla, vic. cap. Burgensis in Hispania, Laurentius Shehan, arch. Baltimorensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Isaac Ghattas, ep. Copto-Catholicus Thebensis in Aegypto, Alexander Renard, ep. Versaliensis in Gallia, Casimirus Morcillo, arch. Caesaraugustanus in Hispania, Anicetus Fernández, magister generalis O. P., Ioseph Urtasun, arch. Avenionensis in Gallia, Paulus Yü Pin, arch. Nanchimensis in Sina, Antonius van den Hurk, arch. Medanensis in Indonesia, Victorius Costantini, ep. Suessanus in Italia, Emmanuel Talamás, ep. Civitatis Juarezensis in Mexico, Hermannus Wittler, ep. Osnabrugensis in Germania, Ioseph Cirarda, ep. aux. Hispalensis in Hispania, Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia, Paulus Gouyon, arch. coad. Rhedonensis in Gallia, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania, Conradus de Vito, ep. Lucknovensis in India, Marcellus Lefebvre, superior generalis C. S. Sp.

Interea prosequentur suffragationes circa cap. II *de sacra Liturgia.*

1

EM.MUS P. D. IACOBUS CARD. DE BARROS CÂMARA
Archiepiscopus S. Sebastiani Fluminis Ianuarii

Venerabiles Fratres,

Nomine centum triginta trium episcoporum Brasiliae qui mecum cap. II schematis *de Ecclesia* examini subiecerunt, coram vobis, rev.mi Patres conciliares, magna cum reverentia denuo adstamus, ad quasdam observationes proponendas.

In primis quidem, verbum complexivum facere volumus de toto cap. II, cuius tamen qualitates et agnovimus et laudamus. Quod autem bonum est, optimum fieri posse putamus, si nimiae repetitiones omittantur eiusdem assertae veritatis, et praecipue si non tam insistenter curetur reaffirmandi, iterum ac iterum, doctrinam de primatu Petri eiusque successoris, ac si latere potuisset in mentibus Patrum aliqua restrictio circa talem veritatem revelatam, cui denique, sollemni hac occasione, episcopi Brasiliae omnimodam adhaesionem exprimere desiderant. Aliter vero ac timere videntur redactores cap. II, ita tenemus et affirmamus collegialitatem episcopalem ut, in mente nullius nostrum, umquam apparuisse videbatur detrahere, nec theologice nec in praxi, ex auctoritate et dignitate Summi Pontificis. E contra ipsa evidentiam aperit intimae unionis ceteros episcopos inter et Petri successorem, sine cuius

directione collegium episcopale, in se suoque exercitio, nec concipi potest.

Nobis praeterea placuisset collegialitatem hanc detegere fundatam non in historicis rationibus dumtaxat, vel iuridicis et practicis exigentiis, verum, ex divina ordinatione, in ipsa sacramentalitate episcopatus, qua membra collegii episcopi constituuntur, independenter ab effectiva quorumdam participatione in collegiali actione.

De modo autem iuridice hanc collegialitatem structurandi, mandari debere putamus ad decretum *de episcopis*. Quare cum de ipso disceptabitur, nostram vobis mentem aperiemus...[1]

Ceterum par. 15 huius capitis logice videtur ponendam esse in fine capitis, post praesentem par. 21.

Observationes autem particulares ad Constitutionis textum, simul cum nominibus episcoporum opinantium et numero votorum pro unaquaque emendatione, ne vestrae benevolae patientiae abutamur, secretariatui Concilii scripto trademus. Dixi.

Animadversiones additae:

Animadversiones maioris momenti:

I. Pag. 24, linn. 18-21. Dicatur: Quapropter, Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores, eadem divina *missione, non quidem ut testes oculares resurrectionis et organa infallibilia revelationis, sed ut qui eam diffunderent, sustentarent et pascerent. Rationes*: 1) ut clarius indicetur differentia quae inter apostolos eorumque successores intercedit; 2) textus originalis est aliquomodo obscurus et videtur asserere apostolos esse fundatores, cum Christus conditor sit Ecclesiae; 3) adiungitur « diffunderent » ut aspectus missionarius inhaerens functioni successorum apostolorum in luce ponatur. (*Adprobaverunt 128*).

II. Pag. 25, lin. 4. Omittantur verba « proinde declaramus et docemus », et dicatur: *Ideo Episcopi ex divina institutione fideles edocent et pascunt. Ratio*: ut clarius pateat Concilium nullam definitionem dogmaticam, in re, proponere. (*Adprobaverunt 128*).

III. *a*) Pag. 26, lin. 30. Omittatur verbum « extraordinarii ». *Ratio*: est quaestio canonica, quae tota pendet a disciplina mutabili Ecclesiae, de qua, simul cum aliis quaestionibus disciplinariis, ipso caelibatu non excluso, agendum erit in schemate *de clericis,* ubi § specialis inserenda foret de diaconibus et de caeteris ministris inferioribus. (*Adprobaverunt 128*).

b) Pag. 26, linn. 40-41. Loco « decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne », dicatur: « *decernere qua disciplina tales diaconi et quibus obligationibus ecclesiasticis obstringuntur* ». (*Adprobaverunt 125*).

IV. Pagg. 25-26, § 15. Ponatur § in fine huius capitis, post § 21. *Ratio*: ordo logicus. (*Adprobaverunt 133*).

V. Pag. 27, linn. 3-5. Pro « eadem ratione... inter se coniunguntur » dicatur: « ita... inter se divina ordinatione coniunguntur ». *Ratio*: ne videatur agi de mera comparatione rhetorica, et ut respondeatur verbis « statuente Domino » lin. 2. (*Adprobaverunt 133*).

VI. Pag. 27, linn. 9-11. Omittatur. *Ratio*: statim lineis sequentibus, et explicitius, idem dicit. (*Adprobaverunt 129*).

VII. Pag. 27, lin. 16. Omittantur verba « et numquam sine hoc capite ». *Ratio*: res iam positive dicitur in textu, et illud « et numquam sine hoc capite » tantum apologetice videtur hic positum. (*Adprobaverunt 126*).

VIII. Pag. 27, lin. 16. Omittatur verbum « indivisum ». *Ratio*: disputatur de uno vel duplici, licet inadaequate distincto, subiecto. (*Adprobaverunt 131*).

IX. Pag. 27, linn. 24-27. Sic immutetur propositio: « *Sicuti in Collegio illo, Summus Pontifex, cuius suprema potestas a Christo procedit ad fratres suos confirmandos* (*Lc.* 22, 32) *in aedificationem, non in destructionem* (*2 Cor.* 10, 8) *Corporis Christi, quod est Ecclesia,* (cf. *Col.* 1, 18) *cum apostolorum successoribus filios generat et oves pascit usque ad mensuram aetatis plenitudinis Christi* (*Eph.* 4, 13); *ita episcopi primatum...* ». *Ratio*: melius definiuntur, ex utraque parte, relationes collegium episcoporum inter et S. Pontificem. (*Adprobaverunt 96*).

X. Pag. 27, linn. 30-34. Omittatur haec periodus. *Rationes*: 1) nulla adest ratio ut in isto loco ponatur; 2) quae in textu dicuntur, nondum constant utrum dicenda sint *ex iure ecclesiastico* an *ex iure stricte divino*. (*Adprobaverunt 131*).

XI. Pag. 27, lin. 38. Addatur: « vel non renuat ». *Ratio*: patet. (*Adprobaverunt 130*).

XII. Pag. 28, linn. 8-10. Omittatur: « Qua de causa etc. ». *Ratio*: cum iam antea dictum idem fuerat. (*Adprobaverunt 130*).

XIII. Pag. 29, linn. 15-19. Omittatur. *Ratio*: videtur extra contextum, cum primo sermo sit de missione a Christo data, dum hic potius agitur de missione canonica. (*Adprobaverunt 128*).

XIV. Pag. 29, linn. 27-28. Omittatur « Fideles... cohaerere debent ». *Ratio*: non tantum quia videtur aliquid nimis dicere, sed etiam quia in fine huius capitis (cf. pag. 31, linn. 38-40) idem melius et praecisius dicitur. (*Adprobaverunt 131*).

XV. Pag. 29, lin. 24. Omittatur « sub lumine Sancti Spiritus illustrant ». *Ratio*: praeterea quod de hac propositione potest disputari, faciliter abusibus ansam praebebit. (*Adprobaverunt 128*).

XVI. Pag. 30, linn. 3-10. Omittatur. *Ratio*: est mera repetitio Concilii Vaticani I cuius doctrina confirmatur prooemio, et nulla habetur ratio ad hanc repetitionem faciendam. (*Adprobaverunt 130*).

XVII. Pag. 30, lin. 20. Post « exegetarum », addatur: « *necnon et sensu fidelium* ». *Ratio*: patet ex bulla *Ineffabilis Deus* et const. apost. *Munificentissimus Deus*. (*Adprobaverunt 132*).

XVIII. Pag. 30, linn. 23-29. Omittatur. *Ratio*: non explicatur in contextu, et non videtur necessitas nec specialis utilitas illud asserendi hoc loco. (*Adprobaverunt 130*).

XIX. Pag. 30, lin. 32. Omittatur: « quam ipse offert vel offerre facit ». *Ratio*: propositio omnino inutilis et in secunda parte aliquo modo curiosa. (*Adprobaverunt 127*).

Aliae animadversiones:

XX. Pag. 23, lin. 3. Pro « instituit » dicatur: « posuit ». *Ratio*: ministrationes non possunt institui. (*Adprobaverunt 132*).

XXI. Pag. 23, lin. 4. Adiungatur: *1 Cor.* 12, 20 ss. (*Adprobaverunt 132*).

XXII. Pag. 23, lin. 10. Pro « ac super » dicatur: « ceterosque ». (*Adprobaverunt 133*).

XXIII. Pag. 23, lin. 18. Pro « principium ac visibile fundamentum » dicatur: « visibile principium ac fundamentum ». (*Adprobaverunt 132*).

XXIV. Pag. 23, lin. 24. Omittatur: « Christi... capite ». *Ratio*: stylus nimis abundans et assertio minus praecisa, nam Summus Pontifex non est caput Christi, uti videtur asseri in textu. (*Adprobaverunt 133*).

XXV. Pag. 24, lin. 1. Addatur post « Eos »: *testes Christi, testante cum ipsis Spiritu Sancto* (*Io.* 15, 26 s.; *Act.* 1, 8; 5, 32; 15, 28). *Ratio*: ut indicetur intima connexio inter Apostolos testes Domini et Spiritum Sanctum Testem Domini. (*Adprobaverunt 132*).

XXVI. Pag. 24, lin. 5. Pro « regerent » dicatur: « pascerent ». *Ratio*: magis biblicum et magis accommodatum modo sentiendi hodierno. (*Adprobaverunt 133*).

XXVII. Pag. 24, lin. 6. Corrigatur: *Io.* 20, 23. (*Adprobaverunt 133*).

XXVIII. Pag. 24, linn. 11-14. Omittatur. *Ratio*: textus non videtur esse ad rem et ipsa propositio non videtur omnino clara. Sat convenit ut periodus finiatur cum voce: « *universalem* ». (*Adprobaverunt 133*).

XXIX. Pag. 24, linn. 28-29. Omittatur, post verbum « gregi ». *Ratio*: textus, quamvis biblicus, non est ad rem. (*Adprobaverunt 133*).

XXX. Pag. 24, lin. 35. Videtur curiosum in textu citato Sancti Petri omissa esse verba « *neque turpis lucri gratia* ». (*Adprobaverunt 133*).

XXXI. Pag. 24, linn. 36-39. Omittatur. *Ratio*: mera repetitio praecedentis; praeterea in textibus primitivis non est clara differentia inter presbyteros et episcopos. Curiosa videtur periodus illa de « accepti mandatis ». (*Adprobaverunt 133*).

XXXII. Pag. 25, linn. 5-6. Supprimatur citatio ex *Lc.* 10, 16-17. *Ratio*: non est ad rem, cum sermo in textu de 72 discipulis Domini. (*Adprobaverunt 132*).

XXXIII. Pag. 27, linn. 5-6. Aliquomodo sic immutetur: « *Quam indolem collegialem sacri episcopatus iam perantiquus usus innuit* ». *Ratio*: est argumentatio quaedam late dicta de collegialitate, quae per particulam relativam praecedenti propositioni melius nectitur. (*Adprobaverunt 133*).

XXXIV. Pag. 27, § 16. In tota ista § (quod valet etiam pro § 19) nimis occurrit vox « romanus Pontifex ». Nonne conveniret potius sermonem facere de « Successore Petri » vel de « Summo Pontifice »? (*Adprobaverunt 132*).

XXXV. Pag. 27, lin. 35. Pro « exerceri potest » ponatur: *exercetur*. Ratio: patet. (*Adprobaverunt 133*).

XXXVI. Pag. 28, lin. 4. Dicatur: « *visibile* principium ad fundamentum ». (*Adprobaverunt 133*).

XXXVII. Pag. 28, lin. 5. Pro « sunt » ponatur: *sint*. *Ratio*: videtur melius esse affirmare illam unitatem quodammodo initium suum sumere ab ipsa Episcopi actione. (*Adprobaverunt 130*).

XXXVIII. Pag. 28, lin. 18. Pro « disciplinae » dicatur: *communionis*. (*Adprobaverunt 132*).

XXXIX. Pag. 23, linn. 1-2. Ita dicatur: « *Christus Dominus, ad Corpus suum augendum et nutriendum, varias in eo ministrationes, praesertim stabiles, posuit* ». *Ratio*: redactio brevior et clarior. (*Adprobaverunt 129*).

Em.mo card. D. Jaime de Barros Câmara, exc.mi DD. Caetano Antonio Lima dos Santos, Hamleto de Angelis, Cristiano de Araújo Pena, Gabriel Paulino Bueno Couto, João Rezende Costa, Eugenio de Araújo Sales, José Gonçalves Costa, Herminio Malzone Hugo, Edilberto Dinkelborg, José Medeiros Delgado, José Maria

Pires, Helder Pessoa Camara, Walfrido Vieira, José Vicente Távora, João de Souza Lima, Amadeo Gonzalez Ferreiros, Ladislau Paz, Henrique Gelain, José Costa Campos, Martinho Michler, Cesário Alexandre Minalli, Joaquim de Lange, João Hoffmann, Aloisio Lorscheider, David Picão, Alberto Etges, João Muniz, Augusto Petró, Victor Tiebeek, Guido Casullo, Candido Padim, Milton Correia Pereira, Manoel Tavares de Araujo, Walmor Batu Wichrowski, Eliseu Mendes, Afonso Niheus, Benedito Coscia, Alano Maria Du Noday, José Gomes, Ruy Serra, Henrique Golland Trindade, Carlos Gouvêa Coelho, Jaime Luiz Coelho, Cornelio Chizzini, Fernando Gomes dos Santos, Geraldo Fernandes, Benedito Zorzi, Diogo Parodi, Pedro Felipak, Antonio Almeida Moraes Junior, José Hascher, Afonso Maria Ungarelli, Francisco Austregésilo Mesquita, Altivo Pacheco Ribeiro, Honorato Piazzera, Aniger Francisco Maria Mellilo, Tomás Vaquero, José Thurler, Francisco Borja do Amaral, Antonio Zattera, Anselmo Pietrulla, Hugo Bressane de Araujo, José Adelino Dantas, Alonso Silveira de Mello, Marzi Adalberto Domenico, José André Coimbra, Adolfo Luiz Bossi, Manoel da Silveira D'Elboux, Paulo Hipolito Liborio, José de Medeiros Leite, Tiago Ryan, Paulo Rolim Loureiro, Antonio Batista Fragoso, José Melhado Campos, Ernesto de Paulo, Agnelo Rossi, Edmundo Luiz Kunz, Manuel Pedro da Cunha Cintra, Clemente Isnard, Augusto Carvalho, Geraldo Maria de Moraes Penido, Raimundo Castro e Silva, Juan Battista Przyklenk, Miguel D'Aversa, José Newton de Almeida Batista, Giocondo Maria Grotti, Alexandre Gonçalves do Amaral, Gregorio Warmeling, Carlos Eduardo Bandeira de Melo, José D'Angelo Neto, Luis Victor Sartori, Bernardo José Bueno Mieli, Felipe Tiago Broers, José Lamartine Soares, Epaminondas José de Araujo, José Mauro R. de Alarcon Santiago, Serafim Fernandes dos Santos, João Batista da Mota e Albuquerque, Florencio Sisinio Vieira, José Nicomedes Grossi, João José da Mota e Albuquerque, Quirino Adolpho Schmitz, Francisco Zaiek, Belchior Joaquim da Silva Neto, Acacio Rodrigues Alves, Frei Felicio da Cunha Vasconcelos, Othon Motta, José Varani, José Eugenio Correia, Manoel Pereira da Costa, Wilson Laus Schmidt, Geraldo Ferreira Reis, Oscar de Oliveira, José Bezerra Coutinho, Vicente Marchetti Zioni, Climerio Almeida de Andrade, José Alves Trindade, José Pedro de Araujo Costa, Arcangelo Cerqua, Camilo Faresin, Adriano Hipolito, Antonio Mendonça Monteiro, Alberto Gaudêncio Ramos, Claudio Colling, Vicente de Paulo Araujo Mattos, José Lázaro Neves, José de Almeida Batista Pereira, Nivaldo Monte, Daniel Tavares Baeta Neves, José de Aquino Pereira, Jaime Schuck, Vicente Scherer.

Moderator: Continuando suffragationem circa emendationes ad cap. II *de sacra Liturgia,* exc.mus secretarius generalis leget textum emendationis.

Secretarius generalis: Ad art. 44, emendatio decima tertia: pag. 176, lin. 18 (velitis conferre textum integrum in parte fasciculi quae indicata est), post verbum « Concelebratio », addatur: « qua unitas sacerdotii opportune manifestatur ».

2

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. CENTO

Venerabiles Fratres, humanissimi Observatores et Auditores,

Magni, immo maximi ponderis quaestio sacrosancto Concilio proposita est circa restituendam an non disciplinam effectivam diaconatus in Ecclesia. Brevissime loquar, nam de hoc « sat prata biberunt ».

Utraque ex parte, em.mi ac exc.mi Patres suam sententiam solidis sustinuerunt argumentis, quae, absque dubio, omnes nos ad seriam meditationem invitarunt.

Quomodo negari posset, certis saltem in nationibus, ut asseruit em.mus Landázuri, supradictam restitutionem prorsus desiderabilem esse, ad maiora bona spiritualia procuranda populo christiano?

Nihilominus, quomodo non praeoccupari, prout em.mus Bacci insinuavit, de consequentiis praevidibiliter derivantibus quoad caelibatum ecclesiasticum, qui — dictum sit nullimode offendendo venerandam Ecclesiam orientalem — viget a saeculis in Ecclesia Latina?

Fisus proinde interpretem esse multorum sodalium, quorum aliqui iam meae propositioni adhaeserunt, votum exprimo ut, in ultima periodo pag. 26 huius schematis dicatur: « Quo in casu, salva semper sit sacra lex caelibatus ».

Si hoc modo, numerus diaconorum quantitative minor erit, magis tamen qualitative consentaneus erit traditioni latinae Ecclesiae. Dixi.

Moderator: Velit loqui exc.mus D. Ioseph Slipyj, arch. Leopolitanus Ucrainorum, et accedat ad microphonium exc.mus D. Emmanuel Galea, ep. aux. Melitensis in Malta.

[*Magnus plausus fit in aula. Prima vice enim in Concilio locuturus est exc.mus D. Slipyj qui, per 18 annos in carcere detentus pro sua fidelitate Sedi Apostolicae, mense februario elapso liberatus est. Valde tamen commotus animo, exc.mus D. Slipyj pro hac die verbo renuntiavit*].

Loquatur exc.mus D. Emmanuel Galea, ep. aux. Melitensis in Malta, et accedat ad microphonium exc.mus D. Eduardus Schick, ep. aux. Fuldensis in Germania. Exc.mum D. Ioseph Slipyj cum gaudio audiemus crastina die.

3

EXC.MUS P. D. EMMANUEL GALEA

Episcopus tit. Trallianus in Asia, aux. Melitensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Mihi in animo est pauca dicere de cap. II *de Ecclesia* in universum, et deinde breviter de par. 13 in particulari.

Quoad primum, hoc caput, ...[1] uti exstat, facile approbari *potest,*[2] salvis emendationibus a Patribus quoad singula iam propositis vel proponendis; tamen, ni erro, magis compleri et melius ordinari posse videtur.

Primum quidem, materia quae ...[3] tractatur magis compleri potest.

Compertum est enim in Ecclesia adesse duplicem hierarchiam iuris divini, scil.: hierarchiam Ordinis, quae constat episcopis, presbyteris et ministris, et hierarchiam iurisdictionis, quae complectitur Summum Pontificatum et episcopatum.

Iamvero, in hoc capite, quod ex professo tractat de hierarchia Ecclesiae, de hac distinctione nulla fit mentio, atque ideo non constat de quanam hierarchia agatur, utrum de alterutra an de utraque. Quinimmo, cum in diversis paragraphis frequens sermo fiat de Summo Pontifice, de episcopis, de presbyteris et de diaconis, apparet duo memorata genera hierarchiae promiscue usurpari.

Deinde, ut secundo loco dixi, huius capitis materia melius ordinari potest.

Nam, ut in ipso titulo enunciatur, agendum est in hoc capite de duabus rebus, scil.: de hierarchia Ecclesiae in genere et de episcopatu in specie. Quare paragraphorum ordo iuxta hanc duplicem materiam statuendus videtur.

Manente ergo in loco suo par. 11, ubi habetur introductio totius rei tractandae, par. 14 et 15 loca mutabunt et materia sic melius disponetur, ut agatur primum de hierarchia in genere, videlicet par. 12: de institutione duodecim apostolorum; par. 13: de apostolorum successoribus, seu de episcopis; par. 14: de episcoporum cooperatoribus, seu de presbyteris et de diaconis; et par. 15: de natura sacramentali episcopatus, presbyteratus et, si Patribus placet, diaconatus.

His de hierarchia in genere dictis, agetur in specie de episcopatu in par. 16-21 ut in schemate prostant.

Nunc aliquid dicendum in particulari circa par. 13: de episcopis successoribus apostolorum.

Certum est ex Ecclesiae doctrina episcopos esse apostolorum successores. Sed ad bene intelligendum ambitum huius successionis, distinctio omnino facienda est inter facultates a Christo Domino apostolis *traditas*.[4] Quaedam enim facultates ita eis datae sunt ut essent ipsis propriae et personales, tamquam apostolis, ut infallibilitas personalis et potestas instituendi per totum orbem terrarum ecclesias particulares. Istae facultates *certo*[5] non transierunt in successores. Aliae vero facultates eis datae sunt ut pastoribus ecclesiarum, ut sunt facultas docendi, sanctificandi et regendi oves proprias. Hae facultates transire debebant ad successores.

Haec distinctio, ut videtur, facienda est ut praecaveantur faciles errores. Meo iudicio, ex hac distinctione pendet etiam quaestio de collegialitate episcoporum, de qua multum disceptatur in hoc capite.

Nam certum est duodecim apostolos collegium, ex Christi Domini voluntate, constituisse. Sed an haec collegialitas computari debeat inter praerogativas quae ad successores eorum transire deberet et quo sensu, difficilior est quaestio.

Equidem candide fateor me sufficienti scientia carere ut huic quaestioni respondere audeam. Rogo ergo venerabiles Patres conciliares et ill.mos peritos, qui his studiis incubuerunt, ut videre velint an ex luce huius distinctionis aliquid certum possimus statuere de hac quaestione. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] quamvis. [2] possit. [3] hic. [4] datas. [5] deest.

Animadversiones additae:

Opinio mea circa episcoporum collegialitatem, si quid valet, haec est.

1. Iesus Christus duodecim apostolis a se electis, ut singulis, contulit omnem potestatem quam ipse a Patre acceperat, in toto orbe terrarum exercendam; sub dependentia Petri. Attentis enim extraordinariis adiunctis primae fundationis Ecclesiae suae, maxime expediens erat ut non unus sed plures, sicut erant iam in gratia confirmati et infallibilitate donati, ita haberent singuli potestatem Ecclesiam diffundendi in toto orbe terrarum.

2. Hinc oportebat ut vinculum quoddam existeret non solum inter apostolos et Petrum, caput, sed etiam inter ipsos, ut Ecclesiae diffusio ordinatim procederet. Ob hoc vinculum apte dicitur apostolos in collegium constitutos esse.

3. Sicut iure divino Petrus debebat habere successorem; ita eodem iure apostoli successores habere debebant, qui sunt episcopi quibus tamen illa potestas universalis non est transmissa, tum quia, diffusa iam per apostolos Ecclesia, non erat amplius necessaria, tum quia, multiplicato episcoporum numero, confusionem potius ingereret.

4. Quare, post apostolorum mortem, successores eorum, vinculum quidem cum Petri successore retinuerunt, vinculum autem inter se amiserunt; et ideo nullum

collegium sensu iuridico sumptum, amplius exstat episcoporum, sed tantum ordo hierarchicus divina institutione in Ecclesia constitutus.

Ex his principiis haec sequuntur:

a) Romanus Pontifex potestatem iurisdictionis habet in universam Ecclesiam; scilicet in omnes fideles et episcopos.

b) Summus Pontifex non potest ordinem episcoporum abrogare et Ecclesiam regere ipse solus vel per suos delegatos.

c) Episcopi non tantum ex caritate, ut ceteri fideles sed obligatione ex ipsa eorum divina ordinatione orta, tenentur promovere non solum bonum suae quisque dioecesis sed etiam confirmationem Ecclesiae, ubicumque est iam constituta, sed etiam eiusdem extensionem in totum orbem.

d) Ad hoc in praxim deducendum, episcopi omnes, vel complures eorum, possunt simul convenire et vota sua pro bono alicuius portionis Ecclesiae vel totius Ecclesiae Summo Pontifici submittere.

e) Summus Pontifex potest episcopos audire aut convenire ad secum tractandum de negotiis universae Ecclesiae, quoties sibi videtur, et hoc potest efficere sive rogando sive iubendo.

Moderator: Legatur altera emendatio in schemate *de sacra Liturgia,* ad suffragationem.

Secretarius generalis: Decima quarta emendatio: pag. 176, lin. 21 (quae respondet pag. huius fasciculi 28, lin. 13) ... [*cf. pag. 282*].

4

EXC.MUS P. D. EDUARDUS SCHICK
Episcopus tit. Araditanus, aux. Fuldensis

Venerabiles Patres,

Loquor nomine Patrum conciliarium linguae germanicae necnon conferentiae episcoporum Scandinaviae.

Requiri nobis videtur apto loco in cap. II plenior atque profundior expositio eorum, quae dicuntur de presbyteris et de Ecclesiis localibus, ne suspicio oriatur nos non satis aestimare momentum theologicum Ecclesiae localis et presbyteratus, aeque difficilis quam maximi momenti in cura animarum *nostris temporibus.*[1]

In cap. II huius schematis plus quam trecentae lineae de episcopis, et minus quam triginta de presbyteris agunt. Digna aestimatio episcopatus et dioecesium tam theologica quam practica, quam omnes nos desideramus, non cedere debet in detrimentum Ecclesiae localis et presbyteratus.

Nonne multa eorum, quae in cap. II de episcopis dicuntur, speciatim de eorum munere docendi, sanctificandi atque regendi, et quae tem-

poribus Ecclesiae Patrum ab ipsis episcopis et fieri poterant et fiebant, temporibus hodiernis non tam ab episcopis ipsis quam a presbyteris praestantur fidelibus? Nonne maxima ex parte sunt presbyteri, qui evangelium praedicant, qui Eucharistiae praesunt, qui sacramenta administrant, qui pastoralem pro singulis curam habent?

Desideratur igitur ut functio propria, responsabilitas et dignitas Ordinis presbyterorum multo magis extollatur.

Haec consideratio Ordinis presbyteratus eo ipso nos ducit ad rem maximi momenti, quae est Ecclesia loci seu paroecia sensu non tam administrativo quam potius theologico. Schema nostrum statim incipit ab illa Ecclesia universali, quam in Novo Testamento praesertim epistolae S. Pauli sic dictae captivitatis considerant. Sed negligitur conceptus ille aeque originalis vocis « ekklesia », quae est Ecclesia tamquam communitas christifidelium alicuius civitatis vel loci. S. Paulus in magnis suis epistolis vocem « Ecclesia » adhibens non tam utitur voce hac pro Ecclesia universali nec pro Ecclesia illa, quae natione aut dioecesi constituitur, sed potius et primarie pro communitate christiana alicuius civitatis: Ecclesia Thessalonicensium (*1* et *2* ad *Thess.*), « Ecclesia Dei, quae est Corinthi » (*1* et *2* ad *Cor.* in initio), immo pro communitate christianorum, quae congregatur in aliqua domo ad Eucharistiam celebrandam (ad *Rom.* 26, 5; *1* ad *Cor.*, 11, 18, etc.). Imago corporis Christi in textu classico, *1 Cor.* cap. 12, applicatur primarie communitati christianorum in civitate Corinthiaca.

Ita paroecia sensu theologico vel communitas christifidelium alicuius loci, quae ad Eucharistiam celebrandam convenire solet, ipsa est secundum Novum Testamentum « Ecclesia », est non tantum aliqua « sectio » administrativa Ecclesiae, sed est vera repraesentatio et manifestatio Ecclesiae universalis, in qua repraesentatione non tantum pars, sed totus Christus ut dominus Ecclesiae vivit et vivificat et illud mysterium agit, quo maius nec tota et universalis Ecclesia habet (*cf. Apocalypsim S. Ioannis, in cap. 1, a vers. 10 usque ad 20, et epistolas ad septem Ecclesias Asiae Minoris, ibidem, cap. 2 et 3*).[2] Ecclesia localis sensu strictissimo seu communitas localis per verbum Dei et corpus Christi adunita et Ecclesia universalis sunt quodammodo duo poli essentiales unius eiusdemque Ecclesiae.

Decretum nostrum careret aliquo aspectu fundamentali, si non consideret Ecclesiam sensu pleno, nempe Ecclesiam universalem repraesentatam *semper et ubique*[3] Ecclesiis localibus. Indigemus hoc fundamento ecclesiologico ad bene ponderandum momentum theologicum *tum*[4] paroeciae et eius liturgiae tamquam liturgiae Ecclesiae *cum parochi eiusque muneris pastoralis*.[5]

Quae ita desiderantur facili conamine addi possunt apto loco schematis. Indicationem istius loci et textum, qui correspondet huic propositioni, exhibui in scriptis *secretariatui generali.*[6] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] commissioni conciliari.

Nomina Patrum conciliarium linguae germanicae qui interfuerunt conventui die 3 octobris 1963 habito: exc.mi PP. DD. Angerhausen, ep. aux. Essendiensis; Aufderbeck, ep. aux. Fuldensis; Baaken, ep. aux. Monaster.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bolte, ep. Fuldensis; Buchholz, praef. ap. Shihtsienensis; Buchkremer, ep. aux. Aquisgran.; Cleven, ep. aux. Colonien.; Cobben, ep. Helsinkien.; card. Döpfner, arch. Monac. et Frising.; Držečnik, ep. Mariboren.; Emanuel, ep. Spiren.; card. Frings, arch. Colonien.; Fürstenberg, ep. Abercornen.; Graber, ep. Ratisbonen.; Geiger, prael. null. Xinguen.; Gnädinger, ep. aux. Friburgen.; Grimm, ep. Zinceuvensis; Hartl, vic. ap. Araucaniaen.; Hasler, ep. S. Galli; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Hoeck, abb. praes. Congr. Helveticae O.S.B.; Höhne, vic. ap. Rabaulen.; Janssen, ep. Hildesheim; Kaiser, prael. null. Caravelien.; Kelleter, ep. Bethlehem; Kempf, ep. aux. Herbipolen.; Kemerer, ep. Posaden.; card. König, arch. Vindobonen.; Koppmann, vic. ap. Vindhoeken.; Köster, ep. Gurcen.; Kühner, prael. null. Tarmen.; Lehnhard, ep. aux. Bamberg; Leiprecht, ep. Rottenburgen; Neuhäusler, ep. aux. Monacensis; Nordhues, ep. aux. Paderbornen.; Pietrulla, ep. Tubaracensis; Pietsch, ep. aux. Secovien.; Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; Przyklenk, ep. Januarien.; Raible, ep. tit. Anemuren.; Reiterer, ep. Lydenburgen.; Reuss, ep. aux. Moguntin.; Rudloff, ep. aux. Osnabrugen.; Rusch, adm. ap. Oenipontanus; Schaffran, ep. aux. Vratislavien.; Schäufele, arch. Friburgen.; Schoiswohl, ep. Secovien.; Schmidt, ep. aux. Treviren.; Schneider, arch. Bambergensis; Simons, ep. Indoren.; Splett, ep. Gedanen.; Spülbeck, ep. Misnen.; Stangl, ep. Herbipolen.; Taylor, ep. Holmiae; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Theissing, ep. aux. Berolinen.; Verwoort, ep. tit. Baricen.; Volk, ep. Moguntin.; Weber, ep. Iceuven.; Weinbacher, ep. aux. Vindobonen.; Westermann, ep. Sambalpuren.; Wember, vic. ap. Norvegiae Septemtrion.; Zauner, ep. Lincien.; Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

Animadversiones additae:

Textus propositi inserendi, respective mutandi.

In n. 7 cap. I, pag. 11, post lin. 33 ut pars distincta addatur textus qui sequitur, vel similis: « Haec Dei et Christi Ecclesia vere existit in quacumque Ecclesia locali, quae propterea ab apostolo Ecclesia vocatur (*1 Thess.* 1, 1; *2 Thess.* 1, 1; *1 Cor.* 1, 2; *2 Cor.* 1, 1; *Rom.* 16, 4 s. etc.), cuique ab ipso etiam imago corporis Christi applicatur (*1 Cor.* 12, 12-27). In tales Ecclesias Deus fideles congregat per Evangelium Christi. In unaquaque earum celebratur mysterium coenae Dominicae, quo maius nec tota et universalis Ecclesia agere potest, quoque Christus integer inter suos ubique praesens in quavis communitate sese exhibet symbolum eius unitatis et caritatis, qua omnes inter se coniunctos esse voluit (cf. Denz. 873 a). His communitatibus, licet exiguis et pauperibus, Christus totus adest per Spiritum unum, quo omnes et vivificantur et inter se uniuntur, Spiritu nempe amoris, solatii et spei, qui sua cuique charismata singulis tribuit, ut variis donis

unum corpus efficiant et mundo reddant testimonium spei vocationis suae. Etsi igitur Ecclesiae locales non mera sua externa aggregatione universalem Christi Ecclesiam efficiant, tamen non merae partes administrativae Ecclesiae existunt. Sed unaquaeque Ecclesia localis vera repraesentatio est Ecclesiae totius et universalis, quae ipsa in illa propriam suam vitam agit ».

Post pag. 26, lin. 27 (in fine istius incisi), addatur: « Cum pascunt Ecclesiam localem, sciant sese ministrando ita praeesse communitati locali, ut ista digne vocari possit illo praeclaro Ecclesiae nomine, quo unus et totus populus Dei insignitur ».

Pag. 26, lin. 6, deleatur: « secundae dignitatis ». Ratio: id, quod his verbis dicitur, in eodem contextu iam bis urgetur (« licet pontificatus apicem non habent »; « cooperatores ordinis episcopalis »; insuper ista verba (praesertim in linguas vernaculas translata) potius despectum presbyteratus insinuare videntur.

Pag. 25, linn. 38 s.: potius dicatur: « Ministerium ecclesiasticum divinitus institutum diversis ordinibus constat, qui antiquitus vocantur: episcopatus, presbyteratus, diaconatus ». Ratio est haec: evitetur insinuatio positiva, iam in Novo Testamento distinctionem existere claram et certam inter nomina episcopi et presbyteri; cum saepe in schemate sermo sit de ministerio ecclesiastico, quod verbum etiam dicitur de episcopis et presbyteris, « ministri » ne dicantur de solis diaconis; quoad commutationem vocis « Hierarchiae » in vocem « ministerii » vide infra.

Titulus cap. II (pag. 23). Loco « De Constitutione Hierarchica Ecclesiae » ponatur: « De ministerio ecclesiastico et in specie de episcopatu ». Ratio est haec: schema ipsum toties urget potestates in Ecclesia esse ministeria seu diakonias. Novum Testamentum sedulo evitat ad haec ministeria significanda vocem « arche » et similia; « Hierarchia » potius insinuat dominationem quam ministerium; in terminologia, qua primo haec vox adhibita est, ea non significabatur oppositio ministerii et populi, sed totius Ecclesiae structura. Insuper ex iisdem rationibus optandum esset, ut etiam alibi vox ista expungatur.

5

Exc.mus P. D. LAURENTIUS JAEGER

Archiepiscopus Paderbornensis

Em.mi et rev.mi Patres,

Cum tam multa et optima dicta sint de collegialitate episcoporum, quibus plane assentior, liceat mihi breviter quasdam adnotationes adiungere:

1. Iam clara verba prolata sunt de praerogativis illis extraordinariis apostolorum, quae non transierunt in episcopos eorum successores. Haec differentia magni momenti est etiam pro dialogo oecumenico, quia hoc modo tempus apostolorum distinguitur a tempore postapostolico Ecclesiae, quae tamen semper remanet apostolica. Puto quidem hanc dif-

ferentiam iam indicari in textu schematis in n. 13, attamen in adnotatione 8 huius capitis hoc clarius possit declarari. Quare textum emendatum hic forsan inserendum tradidi Secretariatui.[1]

2. Fundamenta biblica, patristica et liturgica collegialitatis in hac aula iam sufficienter sunt exposita. Liceat mihi solummodo in memoriam revocare illa verba Christi: « Et ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in aeternum »...[2] Hoc loco Christus *apostolos* suos alloquitur et illis promittit Spiritum Sanctum apud eos manere non solummodo pro eorum tempore vitae, sed illum Spiritum veritatis, qui inducat in omnem veritatem, apud eos mansurum esse et in illis futurum in aeternum...[3] Cum autem agatur de opere apostolico in hoc mundo peragendo, ideo haec verba iam indicant successionem apostolicam episcoporum, quae Spiritu Sancto operante sacramentaliter efficitur.

3. Hac in aula pluries iam quaerebatur quomodo suprema et universalis potestas tam ab ipso Romano Pontifice quam a collegio apostolico episcoporum suo capiti visibili unito exerceri potest. Ista Ecclesiae institutio unica est nec habet similem in mundi regiminibus. Ideo non potest comparari guberniis politicis. Ex hoc provenit menti humanae quaedam intelligendi difficultas. Ecclesia enim est mysterium. Spiritui Sancto attribuendum est eius mirabilis ac singularis constitutio. Ex assistentia eiusdem Spiritus Sancti Pontifex Romanus solemniter definiens infallibilitate pollet, qua Christus Ecclesiam suam instructam esse voluit. Idem Spiritus Sanctus collegium episcoporum suo capiti unitum tam in solemnibus Concilii definitionibus quam in ordinario et universali magisterio ab errore servat immune. Vincula fidelitatis et oboedientiae inter episcoporum ordinem et suum visibile caput connectuntur caritate divina, quam Spiritus Sanctus diffudit in corda nostra. Quia tota Ecclesia est communio Spiritus in caritate coadunata, iam S. Ignatius Antiochenus Romanam Ecclesiam appellavit « praesidentem in caritate ». Conceptibus iuridicis solis haec communio non potest intelligi.

Finaliter unum tantum locum ex allocutione inaugurali huius Concilii periodi in memoriam mihi liceat revocare. Beatissimus Pater dixit: « Huc, circa Nos, qui... in Petri apostoli successimus locum, cum eo tamen eamdem auctoritatem et munus obtinemus, vos, venerabiles Fratres, convenistis, qui et ipsi apostoli estis, et a collegio apostolico originem ducitis eiusque veri estis heredes; hic eadem fide eademque caritate coniuncti una preces fundemus; hic nos sine dubio superno dono fruemur Spiritus Sancti, praesentis, inflammantis, docentis, corroborantis... ».

Cetera in scriptis tradam. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] (Vide Appendix I). [2] (*Io.* 14, 16). [3] (*Io.* 14, 17; 14, 26; 15, 26).

Animadversiones additae:

I. - Plene consentio iis, quae dicta sunt de praerogativis extraordinariis apostolorum, quae non transierunt in eorum successores episcopos. Etiam pro dialogo oecumenismo haec differentia inter apostolos ipsos et episcopos magni momenti est, quia hoc modo distinguitur tempus apostolorum a tempore postapostolico Ecclesiae. Puto quidem hanc differentiam iam indicari in textu schematis n. 13 lin. 20 et 38-39. Attamen optandum videtur, ut hoc clarius adhuc explanetur saltem in adnotatione octava pag. 33. Quare novum textum in talem notam inserendum trado secretariatui generali. (Vide Appendix I).

II. - 1. Fundamenta biblica collegii apostolorum iam claro modo in lucem sunt posita. Quodsi post Concilium apostolorum Scriptura plus minusve tacet de actionibus collegialibus apostolorum, debemus cogitare, nos solummodo fragmenta minima habere de ulterioribus apostolorum actis eorumque fine vitae. De cetero dispersio Apostolorum super orbem terrarum nil derogat eorum collegialitati. Nam collegium non sicut familia per localem cohaerentiam constituitur, sed per communes praerogativas et communes deliberationes et actus.

2. Verum est *S. Paulum* saepius largiori uti conceptu apostoli, qui et homines charismaticos apostolatui deditos amplectitur. Attamen ab his clare distinguuntur ipsi Apostoli proprii nominis, v. g. in prima epistola ad Corinthios, cap. 15, v. 5, ubi ait de Christo a mortuis resuscitato: « Et quia visus est Cephae et post hoc undecim ». Similiter pluries in hoc capite et iterum v. g. in epistola ad Galatas, cap. 2.

3. Notum est, iam in *Concilio Vaticano primo* de mandato Deputationis de fide elaboratum esse schema constitutionis secundae: « De Ecclesia Christi », quo in schemate tam terminus « collegium » quam doctrina de collegio episcoporum proponitur. Textus illius schematis iam in notis huius schematis afferentur. (Vide Appendix II).

4. Confirmare velim illa quae feria secunda optime sunt dicta de efficacitate collegialitatis episcoporum. Haec enim doctrina dat fundamentum solidum conferentiis episcoporum alicuius regionis, quae hodie tam necessariae sunt, ut efficacem collaborationem episcoporum promoveant. De cetero hoc modo declarantur structurae historicae ecclesiarum orientalium et indicatur fundamentum patriarchatus, cuius rationes theologicae et iuridicae hac via clarescunt.

5. Nec apostolus nec episcopus concipi potest solitarius et modo individualistico, sed ex natura sua dicit relationem fraternam ad alios apostolos vel episcopos et ordinationem ad caput collegii tamquam ad unitatis principium visibile. Et haec est ordo totius structurae Ecclesiae. Nam et singula membra Corporis mystici non intelliguntur nisi per communionem cum aliis membris et per ordinationem ad hierarchiam. Similis ubique invenitur structura hierarchica Ecclesiae. Nam Episcopus nunquam segregatus est ab aliis episcopis, sicut iam eius ordinatio per tres episcopos ex antiquissima traditione designat. Sicut fidelium unitas efficitur non solum per Spiritum Sanctum, qui unitatis est increatum et invisibile principium, sed etiam per visibilia vincula cum fratribus et praepositis, ita etiam episcoporum unitas non solum per invisibilem gratiam Spiritus Sancti constituitur, sed etiam per visibilem fraternam collegialitatem inter ipsos et per unitatis collegii

visibile principium, quod est Romanus Pontifex. Et sic concludo, collegialitatem non solummodo confirmari validis scripturae et traditionis testimoniis, sed inniti etiam intimae et universali structurae Ecclesiae.

Appendix I.

(Hic textus proponitur, ut inseratur in nota 8 cap. I).

Apostoli ipsam Novi Testamenti revelationem immediate a Christo et Spiritu Sancto recipientes sunt testes resurrectionis Domini nostri crucifixi, mortui et sepulti, insuper sunt fundatores Ecclesiae secundum voluntatem ipsius Christi, et hisce in muneribus ita sunt unici, semel positi, ut episcopi eorum successores hunc eorum locum tenere non possint. Praerogativae etiam apostolis ut fundatoribus Ecclesiae concessae — ut v. g. infallibilitas personalis uniuscuiusque apostoli — in singulos episcopos singularum ecclesiarum non transierunt. In episcopos successores apostolorum solummodo transierunt potestates apostolorum ordinariae docendi, regendi et sanctificandi. Hac ratione distingui potest inter tempus apostolorum et tempus postapostolicum Ecclesiae, quae tamen semper remanet apostolica fundata super apostolos et perdurante apostolico collegio episcoporum.

Appendix II.

Testimonium S. Thomae Aquin. de apostolis ut fundamentis Ecclesiae.

S. Thomas Aquinas Symbolum Apostolorum explanans ait: « Fundamentum autem principale Ecclesiae est Christus. Apostolus in epistola prima ad Corinthios (3, 11) ait: Fundamentum autem nemo aliud potest ponere praeter id, quod positum est, quod est Christus. Secundarium vero fundamentum sunt apostoli et eorum doctrina; et ideo firma est: unde in Apocalypsi, cap. 21, dicitur, quod civitas habeat duodecim fundamenta, et erant ibi scripta nomina duodecim apostolorum. Et inde est quod dicitur Ecclesia apostolica ». (In Symbolum Apostolorum, art. 9; S. Thomas, *Opuscula Theologica,* vol. II, Taurini 1954, pagg. 212-213, n. 985).

6

Exc.mus P. D. IOSEPH DESCUFFI

Archiepiscopus Smyrnensis

Venerabiles Patres conciliares et carissimi Observatores et Auditores,

In novo schemate *de Ecclesia,* cap. II, par. 19, pag. 30, exponitur doctrina de episcoporum munere docendi in ordine ad infallibile magisterium Ecclesiae et Summi Pontificis. Quum haec ultima quaestio maximi momenti sit ad oecumenismum fovendum et ad unitatem faciendam, quam post Ioannem XXIII, carissimae memoriae, Paulus VI feliciter regnans eodem *magno corde et magno animo* [1] optat, proponere cupio ut in speciali paragrapho sit tractata infallibilitas cum titulo de magisterio Ecclesiae ubi explicite, *clare et non passim in multis locis,* [2]

exhaustive explicetur privilegium infallibilitatis et praesertim, quae mihi videtur aequivoca, haec sententia Concilii I Vaticani in hoc schemate rursus exarata: « Definitiones Romani Pontificis sunt *ex sese* infallibiles et irreformabiles... et non ex consensu Ecclesiae... ».

...[3] Mihi videtur Concilium iure statuisse sed non clare, praesertim propter iuxtapositionem: *1° ex sese, 2° non ex consensu Ecclesiae; iuxtapositio*[4] quae potest dare locum huic falsae interpretationi: 1° Papam solum esse infallibilem etiam opposita aut absente tota Ecclesia; et 2° totam Ecclesiam infallibilem opponi posse Papae infallibili. *Absit!*[5] Hoc nequidem cogitari licet. Hae duo infallibilitates, Ecclesiae et Papae, origine et subiecto diversae, non possunt opponi sed debent componi in una eademque infallibilitate, sicut docet Vaticanum I. *Pontifex pollet infallibilitate*[6] qua pollet Ecclesia in definiendo et proponendo. *Ergo sensus Ecclesiae cognosci debet.*[7] Illa *infallibilitas,*[8] cuius subiectum est Papa, ...[9] habet originem ex promissione speciali facta Petro tamquam Capiti collegii apostolici Christo *respondenti.*[10] Altera *vero, scil. Ecclesiae, ex verbis Christi etiam, quia Ecclesia gaudet infallibilitate*[11] in definiendo et proponendo, et quae semper cum Papa erit conveniens seu consentiens; quia numquam deficere potest *ipsa Ecclesia infallibilis cum infallibili capite suo Supremo Pontifice.*[12]

Ergo, *meo sensu,*[13] 1. « ex sese » primo significat *non*[14] ex dotibus particularibus Papae, nempe ipsius scientia, *doctrina*[15] aut sanctitate, sicut postulant et docent plures Ecclesiae seiunctae.

2. « Non ex consensu Ecclesiae ».[16] Meo humili sensu, verbum consensus est aequivocum. Consensus est « sentire cum ». Ergo Ecclesia sentit cum Papa, Ecclesia infallibilis cum Papa infallibili. Sed hic quid significat consensus? Meo sensu melius est adhibere verbum *assensus,* qui significat approbationem, licentiam datam ab Ecclesia ad Papam. « Non ex consensu Ecclesiae », scilicet « non ex *assensu* Ecclesiae », quia cum Ecclesia consentit cum Papa, Papa non creat infallibilitatem Ecclesiae sed agnoscit, approbat et, sicut dicitur in Luca: « Tu confirma », scilicet confirmat infallibilitatem Ecclesiae cum qua Papa unitur tamquam corpus suo capiti. Sed nullo modo consensus Ecclesiae parvipendendus est et potest considerari ut inutile et silentio praeteriri.

Quapropter propono hanc adiunctionem: « Ex sese, scilicet ex speciali assistentia divina ». Et postea haec mutatio: non « ex consensu Ecclesiae » sed: « non ex *assensu* Ecclesiae ». Et quod sequitur est iustissimum: « ita ut ab eius iudicio (Ecclesiae et Papae) dissidentes ad alium iudicium appellare nunquam omnino licebit ».

Sic, in casu dissensus in Ecclesia, veritas apparebit non ex maioritate numerica sicut in comitiis publicis, quae reapse non est semper si-

gnum veritatis absolutae, sed ex aliquo divino signo infallibilitatis Papae confirmantis infallibilitatem Ecclesiae consentientis.

Haec emendatio non est reformatio sed est explanatio, quia formulae sunt semper perfectibiles.

Conclusio finalis.[16] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] modo. [2] clarius et. [3] Antequam proponam aliquem textum substituendum, liceat mihi pauca praenotare quae iam in Concilio Vaticano I exposita fuerunt a relatore finali Deputationis de Fide, rev.mo P. conciliari Gasser, sicut refertur in notis huius schematis, pag. 42. Cf. etiam declarationes card. Guidi in Vaticano I. Pag. 30, linn. 4 s.: « Iamvero Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones 1. ex sese et 2. non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse... ». [4] n. 1 et n. 2 [5] deest. [6] deest. [7] (scil. sensum Ecclesiae). [8] deest. [9] et quae. [10] respondet. [11] quia, ex verbis Christi, etiam gaudet Ecclesia. [12] quia ipsa etiam est infallibilis. [13] deest. [14] specialem infallibilitatem Papae, Ecclesiae capitis, a Christo provenire, et non « ex consensu Ecclesiae » nec. [15] deest. [16] [*loco totius n. 2 habetur ut sequitur*:] 2. Non ex consensu Ecclesiae. Quid est consensus? Melius uti « assensu » (acceptationi). Non ex consensu Ecclesiae significat infallibilitatem Ecclesiae consentientis a Papa non creari, sed agnosci, approbari, confirmari, cum quo unitur tanquam corpus suo capiti. Sed nullo modo consensus Ecclesiae potest considerari ut inutile et silentio praeteriri. Iam dictum est a Patribus in Vaticano I infallibilitatem non esse quaedam inspiratio aut revelatio divina. Illa assistentia specialis divina, pro tempore ministerii data, in materia fidei et morum, in revelatione contenta, quae eximit ab errore, sed non ab investigatione veritatis, scil. a studio et consultatione aut aliis diversis mediis iuxta diversitatem temporum. Ad *confirmandam* Ecclesiam Summus Pontifex debet cognoscere *sensum* Ecclesiae. Quapropter Romanus Pontifex, quando loquitur ex cathedra, scil. tanquam supremus Pontifex universalis Ecclesiae, et *confirmat* fratres suos, non potest non inquirere prius de sensu aut consensu Ecclesiae, eam consulendo sive in Conciliis sive in consiliis regionalibus aut nationalibus, aut aliis opportunioribus mediis sicut semper factum est usque adhuc. Papa solus non est tota Ecclesia; sed si Ecclesia dissentit, ubi est Papa infallibilis, ibi est vera Ecclesia infallibilis cum eo consentiens. Haec duo membra sunt inseparabilia tanquam caput et corpus, in una eademque infallibilitate. Insuper, quum pastor et rector Ecclesiae *universalis* aut *oecumenicae* quam maxime optat *unitatem et caritatem* regnare in omnibus partibus Ecclesiae ubique terrarum dispersae, maxime gratum et acceptum certo habebit unicum medium adhibere quod est consultatio Ecclesiae universalis, scil. collegii episcopalis, pro tempore, modo aptiore a divina Providentia prolato. Quapropter, ad tollendam quamlibet aequivocationem quae a verbis iuxtapositis 1 et 2, in Concilio Vaticano I adhibitis, salvo meliore iudicio, propono hanc emendationem: pag. 30, lin. 5: « Iamvero Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones ex sese *scil. ex speciali assistentia divina et non ex assensu Ecclesiae,* ita ut ab eius iudicio *dissidentes* ad aliud iudicium appellare nunquam omnino liceat ». Sic, in casu dissensus, in Ecclesia, veritas apparet non ex maioritate numerica quae reapse non est sequela veritatis absolutae, sed ex signo divino infallibilitatis Papae confirmantis infallibilitatem Ecclesiae consentientis. Haec

emendatio non est *reformatio* sed *explanatio* textus Vaticani I. Animadversiones sunt ad mentem Gasser: Schem. Ecclesiae, notis p. 42, nn. 51-54.

Textus commissioni propositus: « Romanus Pontifex est pro universa Ecclesia catholica veritatis supremus magister; illi ministerium caritatis et admonitionis (*Io.* 21, 15-18; Clem. *ad Cor.* 56, 2), necnon officium et ius competit integre custodiendi, defendendi et infallibiliter proponendi doctrinam salutis pro christifidelibus universis. Ad hoc munus implendum Romanus Pontifex ut possit tanquam caput Ecclesiae loqui, postquam exquisierit (Conc. Vat. I, Herder pp. 791-792, in serie 2 schem. pag. 57 nota 16) sententiam Ecclesiae sive in Concilium Oecumenicum per ipsum convocatum, sive singillatim per orbem dispersae, sive cum aliis opportunis modis cognoscendi veritatem, prout temporum et rerum conditio suadet, ipse, quando loquitur ex cathedra, scil. in nomine Iesu Christi, cuius est vicarius visibilis in Ecclesia visibili, et doctor Ecclesiae universalis ut caput collegii episcopalis, definit doctrinam in materia fidei et morum in deposito revelato contineri aut cum eo necessario cohaerere, tunc ipse ut legitimus Petri successor, a Christo promissa speciali assistentia, pro tempore ministerii ab errore doctrinali immunis est. Ita ut eius sententia ab omnibus credenda sit infallibilis et substantialiter (quia sententia infallibilis potest esse perfectibilis et clarius explanari in formulatione) irreformabilis, ex sese, nempe virtute charismatis divini sibi concessi, et non ex consensu fidelium aut aliorum episcoporum. Parti dissidenti Ecclesiae ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare nunquam licebit.

Unde infallibilitas Ecclesiae suo capiti Romano Pontifici unitae una cum eadem Supremi Pontificis singulari infallibilitate, tanquam in suo culmine simul refulget, ita ut Ecclesia permaneat ut columna et firmamentum veritatis (*1 Tim.* 3, 15), ac portae inferi non praevalebunt adversus eam (*Mt.* 16, 18) ».

Moderator: Audiatur nunc enuntiatio emendationis ulterioris de schemate circa *sacram Liturgiam* ad suffragationem ferendam.

Secretarius generalis: Emendatio decima quinta: pag. 176, post lin. 21 (quae respondet pag. fasciculi 28, lin. 15) ... [*cf. pag. 282*].

7

Exc.mus P. D. BERNARDUS YAGO

Archiepiscopus Abidjanensis

Venerabiles Patres,

De diaconatu permanenti loquor et sub aspectu solo pastorali.

Post ea quae tam luculenter dixerunt em.mi cardd. Döpfner et Suenens, inutile videtur aliquid addere; censeo tamen Patres quosdam desiderare vocem ex Africa audiri in hac materia.[1]

Inter quaestiones quarum hodierna Ecclesia curam habet, quaestio de vocationibus sacerdotalibus, sine dubio, gravissima et urgentissima

est. Sacerdotes enim, quia pauciores sunt, semper currunt. Videntes eos sic opprimi, patimur, imprimis quando pro activismo a nonnullis accusantur. Quid autem ob tantos labores suos facere possint?

Attamen a pluribus annis, actione catholica impellente, adest maior laicorum collaboratio; sed laici, non solum, sine speciali apostolica voluntate, diu perseverare nequeunt, sed etiam ad quaedam opera facienda incapaces sunt, e quibus sacerdotes liberare velimus.

Multi igitur episcopi auctoribus schematis gratias agere debeant quia solutionem, partialem utique, pro sacerdotibus labore gravatis invenerunt, restaurationem diaconatus proponentes. Diaconatus autem restauratio difficultates iam dictas causat sed eam multa bona afferre nemo negabit. Quis enim secure affirmare potest prudentem diaconatus restaurationem secundum modos sociologicis et localibus conditionibus aptos, pluria bona quam mala non inferre.

Attamen obiectionibus respondere volo.

Primo, dictum fuit diaconatum, Ecclesiae primitivae aptum, iure in Ecclesia latina iampridem oblitum esse, ita ut retrogredi non deberemus eum restaurantes.

Respondeo Ecclesiam in Africa nunc vivere in primo saeculo post nuntium evangelicum. Conditiones vitae christianae et pastorales necessitates similes sunt Ecclesiae primitivae necessitatibus: pauci sunt sacerdotes; multi pagi christiani et millia christianorum presbyterum non habent sed praesentia hierarchica indigent; per diaconos, et non aliter, cum eis esse possumus et verbum Dei et Corpus Christi eis dare. Primaevae Ecclesiae mediis utentibus, nobis liceat ad messem vocare diaconos operarios.

Secunda obiectio facta fuit de formatione futurorum diaconorum, praesertim cum coniugem et liberos habebunt. Sed hanc formationem diversis officiis diaconalibus aptari debere opinor. Insuperabiles difficultates videntur quoniam omnes diaconi in omnibus gentibus ad eadem munera et officia elevandi putantur. Etsi autem omnibus diaconis impositio manuum idem charisma tribuit, officia tamen quae eis dabuntur post ordinationem diversa erunt, secundum diversas Ecclesiae necessitates: diversam igitur formationem recipiant. Exemplum suppono de diaconis qui curam habeant vitae christianae in pagis ubi nullus presbyter adest, cum officio catechizandi, baptizandi, orationem publicam faciendi, sacram Eucharistiam ministrandi. Tales formari possunt in schola catechistica cum praeparatione theologica, spirituali simul ac practica; deinde officium catechistae laici per nonnullos annos adimpleant sub moderamine presbyteri atque multis formationis sessionibus et exercitiis spiritualibus adeant. Ad diaconatum non ordinentur nisi post diuturnam probationem

et, etiam post ordinationem, spiritualia exercitia et pastoralia studia habeant.

Alibi, si officium diaconale non est idem, formatio diversa sit, secundum normas a conferentiis episcopalibus statutas.

In tertia obiectione timebatur ne seminaristae presbyteratui renuerent ut diaconi cum matrimonio fierent.

Periculum non est magnum si duo status bene distinguuntur: vocatio enim ad diaconatum stabilem vocatio ad sacerdotium non est; ordinentur tantum ad diaconatum viri iam in apostolica activitate probati in aetate seniores quam iuvenes sacerdotes, sicque instauratio diaconatus seminaristarum numerum non minuet sed, e contrario, novos operarios Ecclesiae dabit.

Necessarium tamen erit ut clare distinguamus duos ordines tamquam duas participationes distinctas ad episcopatum, duo ministeria ad servitium Ecclesiae.

Ex altera parte, vocatio ad castitatem perfectam a vocatione ad matrimonium differt: si forte alumnus seminarii ad matrimonium nunc vocatur, non potest esse nisi laicus ita ut non fiat Ecclesiae minister; sed si diaconatus instaurabitur, laicus certo remanere, sed etiam Ecclesiae diaconus fieri poterit ad fratrum suorum ministerium.

Obiectionibus respondi nomine meo.

Et nunc loquor nomine plus quam 40 episcoporum Africae occidentalis, quorum 37 mecum subscripserunt. Nolumus ianuam praesenti schemate apertam claudi. Etsi in dioecesibus vestris, fratres, diaconi necessarii non sint quia presbyterium vestrum ad omnes pastorales necessitates sufficit, apud nos vere necessarii sunt. Nolite prohibere, quaesumus, ne diaconatus permanens renovetur, ubi saltem opus est secundum iudicium episcoporum.

Vos igitur precamur ut acceptum habeatis textum de diaconatu, pag. 26, cum duabus emendationibus 261 et 269. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] A. v. d. Bronk, ep. tit. Thubunae in Numidia; Christopher Ulyatt; J. K. Amissah; J. B. Condray; L. Agboka; Gabriel Champagne; Joseph Bretault, év. de Koudougou; R. Chopard, pr. ap. de Parakou; Et. Courtois, év. de Kayes; A. Duirat, év. de Bouaké; E. Durrheimer, év. de Katiola; Noël Boucheix, év. de Porto Novo; J. Lingenheim, ep. Sokodensis; René Landru; Jean Lesourd, év. de Nouna; A. Konings, ep. Ketaensis; André Dupont; J. Etrillard, év. de Gagnoa; Pierre Rouanet, év. Daloa; Louis Durrieu, év. de Ouhigouya; D. de Montclos, év. de Sikasso; Jean Marie Maury, del. ap.; Peter Dery, bish. of Wa; Ignatius Prieto, Wankie; P. Kelleter, Bethlehem; J. A. Essuah, bish. of Kumasi; R. M. Tchidimbo, arch. de Conakry.

Moderator: Legatur nova alia emendatio circa schema *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Emendatio decima sexta: pag. 176 (quae respondet pag. 28, lin. 17 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 282*].

8

EXC.MUS P. D. DEMETRIUS MANSILLA REOYO

Episcopus tit. Erythraeus, vic. cap. Burgensis

Venerabiles Patres,

Animadversio mea ad cap. II schematis de Ecclesia, circa collegialitatem episcoporum tribus prioribus saeculis refertur.[1]

Sub nn. 12, 13 et 16, in cap. II huius schematis *de Ecclesia,* duo themata immiscentur, quae omnino disiungi necesse est, nam fundamentum biblicum et patristicum unius et alterius, gradu certitudinis sat diversae innititur. Haec duo themata sunt, ex una parte, institutio divina duodecim apostolorum episcoporumque successio apostolica; ex alia vero, collegialitas apostolorum et collegialitas episcoporum.

Corde credimus et confitemur apostolos institutos fuisse a Domino nostro Iesu Christo; etiam credimus et confitemur episcopos successores esse apostolorum in munere episcopali exercendo, sed si documentis vetustioris traditionis christianae teneor, in sensu tantum, quod unusquisque episcopus successor sit mediate vel immediate alicuius apostoli.

Alia tamen quaestio est sic dicta et non certe probata collegialitas apostolica et episcopalis vel, ut schema proponit, collegium apostolorum et collegium episcoporum.

Collegialitas, de qua agitur, nec definitur nec clare et distincte describitur. Et ne mens anceps permaneat, quid hoc verbo intelligatur exponere opus est. Collegialitas enim est vox aequivoca et ambigua; eius sensus et acceptiones variae sunt. Aliquando aequivalet fraternitati, concordiae, cooperationi in activitatem communem. Sic S. Athanasius loquitur de pace et concordia « eirene kai synphonia », tamquam de communione episcoporum; sic S. Cyprianus multoties vocat *aliquos*[2] episcopos *collegas*; ipse vero Cyprianus qui confitetur divina lege fundatum sit ... (quod) « ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta »...[3]; ipse Cyprianus qui proponit ecclesiam tamquam « plebs sacerdoti adunata et pastoribus grex adhaerens. Unde scire debes episcopum in ecclesia et ecclesiam in episcopo »...[4] Haec collegia-

litas est, quam Tertullianus exigit tamquam « communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis; quae iura non alia ratio regit quam eiusdem sacramenti una traditio »...[5]

Praeter hanc communionem episcoporum, quae aliquo sensu collegialitas vocari fas est, *sed in sensu ampliori,*[6] est alia collegialitas sensu strictiori et iuridico sumpta. Haec postulat solidarietatem corporativam omnium membrorum ita ut unumquodque propriam et individuam missionem, iurisdictionem, autonomiam habeat, sed non nisi in gradu quo nomine corporationis agit; pro corpore semper et ubique movetur; coaptatio huic corpori causa est totius et solidariae actionis. Hoc strictiori sensu vox « collegium » proponitur in schemate et pro hac strictiori collegialitate nullum argumentum clarum et apodicticum in traditione christiana trium priorum saeculorum statui potest. Nec Clemens Romanus, qui in fine saec. I, repraesentat magisterium Ecclesiae Romanae; nec Irenaeus et Hegesippus, qui adversus gnosticos in saec. II experti sunt conscientiam ecclesiarum orientis et occidentis et optimum habuissent fulcimentum in proposita controversia si recursus illis possibilis esset ad non coaptationem adversariorum collegio episcoporum; nec Tertullianus nec Cyprianus, qui plagis Africae Septemtrionalis strenue luctaverunt pro unitate Ecclesiae. Nec dulcis antiochenus Ignatius confitens initio saec. II quod ipso absente « solus Iesus Christus illam vice episcopi reget »...[7] Nullibi explicita vel implicita appellatio ad collegium episcoporum.

Quod semper, quod ubique apparet est connexio arcta omnium ecclesiarum localium cum illa ecclesia locali prima, ab aliquo apostolorum fundata, centro et criterio apostolicitatis. Illi enim apostoli, « omnes pariter et singuli habentes evangelium Dei », ut ait Irenaeus ...[8], « ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et quotidie mutuantur ut Ecclesiae fiant... »...[9] Unaquaeque Ecclesia conscia est propriae solidaritatis cum illa ecclesia locali prima et apostolica, sed nullo loco videtur talem solidaritatem cum sic dicto collegio episcoporum, de quo nulla mentio nec velata nec manifesta. Et sic « per temporum et successionum vices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur »...[10], ita ut pedetentim efformetur adagium canonicum: « Episcopus est in omni et sola civitate »...[11]

Conclusio. Inde, revisione facta fontium traditionis trium saeculorum, collegialitas episcopalis stricta, i. e., cum auctoritate in regimine ecclesiarum non apparet; attamen aliqua collegialitas sive ex Sacra Scriptura sive ex ipsis factis Conciliorum acceptanda videtur, dummodo rela-

tiones episcoporum ad caput collegii seu ad primatum recte et accurate determinentur et porta ecclesiis nationalibus claudatur seu non aperiatur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] alios. [3] (RJ 571). [4] (RJ 587). [5] (*De praescrip.* 20: PL 2, 31). [6] deest. [7] (RJ 55). [8] (*Adv. haer.* 33, 3, 1: RJ 208). [9] (Tert., *De praescrip.* 20: PL 2, 31). [10] (Cip., RJ 571). [11] De collegialitate nunc noviter inter theologos et peritos exorta, posset dici cum Irenaeo: « Si recondita mysteria scissent apostoli, quae seorsim et latenter a reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea, quibus etiam ipsas Ecclesias committebant » (RJ 209).

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH CLEMENS MAURER
Archiepiscopus Sucrensis in Bolivia

Em.mi Praesides, venerabiles Fratres,

De diaconatu brevissime loquar, tamquam proprio et permanente gradu restaurando et quidem de diaconatu sine impositione caelibatus.

Quaestio de diaconatu tamquam gradu permanente in Ecclesia etiam latina repristinando, in schemate *de Ecclesia* primarium locum certe non tenet. Decisio tamen maximi momenti erit, tum quoad muneris pastoralis praxim, tum quoad testimonium quod Ecclesia mundo moderno, *laicis* [1] et speciatim fratribus separatis reddere cupit. Diaconatus tamquam hierarchiae gradus permanens, denuo in illis regionibus Ecclesiae, ubi vere desideratur, videtur esse restaurandus.

Rationes principales optime et sapientissime exposuerunt multi oratores, praesertim em.mi cardd. Döpfner, Landázuri, Suenens, Richaud. Illis adhaereo corde et animo una cum maioritate omnium episcoporum Reipublicae Bolivianae et aliis plus quam viginti ex diversis nationibus, qui meam petitionem loquendi suis nominibus corroboraverunt in scriptis vel verbaliter.

Omissis nunc argumentis iam adductis a praeclaris praedecessoribus meis tantummodo unum adicere volo, nempe: Diaconatus restaurandus est ut Ecclesia clariorem suae conditionis conscientiam acquirat et exprimat, apparens omnibus tamquam ancilla Christi, humilitatem Servi Dei peramanter continuans et testificans.

Papa Ioannes XXIII, piissimae memoriae, ante huius Synodi initium, devota peregrinatione, Patribus Concilii in mentem revocavit et humilem nazarethanam domum et S. Franciscum qui diaconatus statum et gratiam permanenter exhibuit. Per ministerium humilitatis et pauper-

tatis eius sustentabatur domus Ecclesiae, quae per mundanam dominationis gloriam, praesertim temporalis in regionibus orientis, suffocabatur.

Ecclesia catholica seipsam in evangelica humilitate renovans, ex intima suae conditionis cognitione, clare aperteque profitetur se esse signum sensibile et instrumentum regni Dei, imitans humilitatem Christi Summi Sacerdotis, qui de seipso dixit: « Ego in medio vestrum sum, sicut qui ministrat »...[2]

Tota quidem Ecclesia, omnibus eius membris, omnibus gradibus et functionibus, praesertim sacerdotio, repraesentare debet Christum qui « non venit ministrari sed ministrare » (*Mat. cap. 20* [3]). Cum tamen hoc humilis ministerii testimonium certo certius inter notas maxime essentiales Ecclesiae apostolicae haberi debeat, exoptandum est, ut Concilium hoc non solum theoretice in capite de Ecclesiae mysterio, sed etiam practice per reintroductionem status permanentis diaconatus in lucem ponat.

Diaconatus, secundum doctrinam omnino communem, characterem permanentem et indelebilem animae imprimit. Illi sane meliores sacerdotes et episcopi erunt, qui secundum gratiam et characterem diaconatus vivunt, nil aliud desiderantes ac in infimo gradu servire. Propterea optandum est ut legislatio in Ecclesia occidentali ita renovetur, ut voluntas ascendendi ad presbyteratum minime sit conditio pro diaconatus ordine recipiendo. Sic ipsa legislatio et institutio, quae humilem diaconatum protegit et elevat, continua monitio erit pro altioribus gradibus, ut et ipsi diaconos, in quantum fieri potest, humilitate superent.

Cum tamen sit Concilii officium confutare errores serpentes, qui aliquibus faciem Ecclesiae obnubilant, et quidem modo positivo, hoc maxime de eorum funestissimo errore valet, qui gradus sacerdotii tamquam honorum cursum pro humana gloria considerant (« carrera eclesiástica »)...[4]

Cetera argumenta, nempe: ut per tale ministerium stabile necessitatibus urgentibus magnae Ecclesiae partis efficacius provideatur; ut caelibatus authenticitate sua clarius effulgeat et appareat tamquam signum libertatis filiorum Dei, in scriptis secretario generali tradam.

Et concludam. Quoad collegialitatem iam optime dictum est, ut privilegiati praesules — *et sunt multi* [5] — qui non indigeant diaconis, ex caritate fraterna saltem et ex gratitudine versus Christum Redemptorem, suis fratribus in episcopatu ne noceant, qui indigent hac restauratione diaconatus, opponentes ei decisionem negativam tanti Concilii.

Problemata circa formationem diaconorum evidenter nonnisi collegialiter solvi poterunt.

Unam solam suggestionem mihi permittite. Erectio facultatum theologicarum pro laicis *in Urbe et aliis civitatibus*.[6] Si multi laici in facultatibus theologicis pro ipsis destinatis bonam formationem religiosam praeter formationem professionalem acceperint, tunc postea ex illis certissime bonos diaconos eligere poterimus, si Deus eos ad tale servitium vocat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Lc.* 22, 27). [3] (20, 28). [4] 1. Institutio insuper diaconatus permanentis praestare poterit Ecclesiae optimos presbyteros et episcopos ex acie eorum, qui, inde ab initio, non nisi de servitio in gradu et ordine diaconorum praestando cogitant, et propter talem humilitatem ad superius ministerium promoventur.

2. Ecclesia nova et vetera proferens, ut novis necessitatibus pastoralibus occurrat.

Apostoli pastorali sollicitudine permoti septem viris boni testimonii, plenis Spiritu Sancto et sapientia, manus imposuerunt, ut eos constituerent super munus, quod antea neglectum esse videbatur. Effectus mirabiles in Actionibus Apostolorum narrantur: « Et verbum Domini crescebat et multiplicabatur numerus discipulorum in Ierusalem valde » (*Act.* 6, 7). Non enim solum panem distribuerunt septem illi viri ministrantes, sed pleni gratia et fortitudine verbum Dei praedicaverunt et baptizaverunt (cf. *Act.* 6, 8; 8, 40). Mirum est, quomodo aliquibus praxis apostolica et omnium Ecclesiarum traditio per tot saecula conservata et in venerabilibus Ecclesiis orientalibus numquam intermissa tamquam detestabilis repristinatio *archeologica* videri poterit, si Ecclesia catholica nunc ita domum exornare vult, ut fratres separati propriam domum propriasque traditiones in ea facile recognoscant. Nonne renovatio traditionis et praxeos apostolicae praeferenda est mediis omnino novis et modernis, si illa ipsa traditio remedium validissimum pro miseriis permagnis expectare facit. Proverbium nobis est in lingua hispanica: « Grandes males piden grandes remedios ».

Tot homines nostris regionibus non baptizantur, baptizati autem in fide non instruuntur, verbum Dei eis non praedicatur, panis eucharisticus esurientibus non praestatur, nupturientibus assistentia et benedictio Ecclesiae deest. Insuper fit, ut pastores ex alio ovili alacriter ovibus nostris neglectis servitium suum offerant, et Ecclesiae unitatem in maius periculum vocent.

Laici et simplices religiosi utique multum faciunt, plura tamen facere non possunt, et saepe in dissitis regionibus sine pane eucharistico vivere debent. Cur illis, qui iam valide laborant, gratia et facultas diaconatus denegari debebit?

3. Ut veracitas et puritas caelibatus magis effulgeat.

Diaconi permanentes caelibatus lege ne adstringantur, saltem per legem universalem. Sint inter illos qui praeclarum casti connubii testimonium praebent, et viri etiam charismate caelibatus uncti. Cum salus animarum suprema sit lex, nulla ratio apparet, ut homines maturae aetatis, bene praeparati, in matrimonio viventes, a diaconatus munere excludentur.

Dictum est in hac aula conciliari: « Pauciores tunc sacerdotes habebimus; gravissimum vulnus caelibatus legi inferetur! ». Pauciores quidem habebimus sacerdotes, qui sub lege caelibatus sunt, caelibatus autem testimonium minime reddunt; pauciores, dico, habebimus infelices sacerdotes apostatas, si efficacius et

fortius resistimus tentationi numerum augendi, non satis attendentes, ne quis tale onus suscipiat, qui non vere tale charisma a Deo acceperit.

Inter primarias huius ecclesiasticae caelibatus legis conditiones, semper haec adsit necesse est, ut omnes ab eius publico statu suscipiendo arceantur, qui non liberrime et motivis vere supernaturalibus ducti, hunc statum desiderant. Certe valet quoad caelibatus legem modo peculiari: « Qui et idoneos nos fecit ministros Novi Testamenti, non littera, sed Spiritu: littera enim occidit, Spiritus autem vivificat » (*2 Cor.* 3, 6). Vae Ecclesiae, si per beneficia, vel per aliqua alia motiva mundana aliquos ad suscipiendum caelibatum allicere vellet. Caelibatus enim insigne debet esse testimonium libertatis filiorum Dei, eo iam quod liberrime suscipiatur et quidem ab illis solis qui gratia suaviter alliciuntur, quique omnes dotes habent ut difficili hodierna conditione sic sensum eius implent, ut omnes videre possint quam abundanter his ultimis temporibus gratia operetur.

Si pauciores habebimus sacerdotes cleri saecularis, qui tamen testimonium perhibent authenticum liberrimae susceptionis et fidelissimae impletionis caelibatus propter regnum Dei, tunc suo tempore, gratia Dei opitulante, plurimas generosasque vocationes habebimus.

Non ipsa actualis legis littera, sed realitas ipsa sacerdotalis caelibatus illibata servetur. Negari non potest quod inter multas venerabiles Ecclesias orientales caelibatus testimonium uberrime floruit, quamquam non solum diaconos sed etiam presbyteros ex illis elegerunt qui sancte in matrimonio vixerunt. Per argumenta nimis humana, non solum Ecclesias orientales offendere possemus, sed etiam ipsum Spiritum Sanctum. A gaudio enim Evangelii et obedientia versus legem Spiritus, non autem a legislatione nimis rigida splendorem et vim attractivam caelibatus sperare debemus.

4. Collegialitas episcoporum in decernenda hac quaestione visibilis fiat!

Ne dicant fratres in episcopatu qui clerum numerosum habent: « Nos diaconorum servitio non indigemus, videant pauperes, ut nos nostro modo sequantur ». Certe generosissimi et carissimi episcopi, qui extremam nostram penuriam, iam sacerdotibus suis supplere incipiunt, sic non dicent. Tot nobis sacerdotes mittent, ut et ipsi diaconos habere cupiant; et si superfluum diaconorum bene praeparatorum habeant, et ipsis animum missionarium addant, ut libenter ad nostras etiam regiones, aliasque similiter pauperes veniant.

Problemata circa formationem diaconorum aliaque problemata quae circa legislationem versantur, certe unitis viribus solventur. Multi viri variae aetatis, saltem aliquibus regionibus iam bene praeparati sunt, et per optimam formationem religiosam et per pretiosam vitae experientiam. Laicos habemus ubique qui studere theologiae modo eis adaptato desiderant. Valde peroptandum est, ut primo hic in Urbe, paulatim etiam aliis in locis facultates theologiae pro laicis erigantur, non solum diaconorum intuitu, sed etiam ut habeamus multos apostolos laicos, qui in sua professione omnibusque religiosis quaestionibus bene formati sint. Plures ex illis deinde suo tempore, praeter validam operosamque actionem in professione, culturali, sociali, etc. ... forsitan etiam tamquam diaconi servitium Ecclesiae praestare poterunt. [5] deest. [6] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] Ioannes Muñiz CSSR, ep. Barrensis; Tomas F. Reilly CSSR, San Juan de la Moguana; Georgius Gottau, ep. Anatuyanensis; Vladimir Malanczuk; Bernardo Fey; Antoine Demets, ep. tit. Cadossa; Clarence J. Duhart CSSR, pr. ap. Udonthani (Thailandia); Florencio Coronado, ob. de Huancave-

lica; José Alfonso Tscherrig CSSR, vic. ap. de Reyes; Arnold Boghaert, ep. Rosensis; G. Legeland, pr. ap. Weetebula; Antonius Macedo CSSR, ep. aux. S. Pauli in Brasilia; A. Van den Bosch CSSR, ep. Matadiensis; Bernardus Nolker CSSR, ep. Paranaguaensis.

Moderator: Legatur nunc alia emendatio circa schema *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Antequam legatur decima septima emendatio, de mandato praesidis rogantur vehementissime Patres ut tempore suffragationis stent, quantum possibile est, suis locis, nam communicatum est multos Patres deesse, praesertim in quibusdam sectoribus. Sciant autem Patres: postquam tessera suffragationis sublata est ab assignatore loci, non amplius fieri potest suffragatio; secus maxima confusio exurgeret.

Nunc lego decimam septimam emendationem: Pag. 176 (quae respondet pag. 28 fasciculi, lin. 19 ss.) ... [*cf. pag. 282*].

10

Exc.mus P. D. LAURENTIUS SHEHAN
Archiepiscopus Baltimorensis

Venerabiles Patres,

De hoc cap. II imprimis ea approbare volo quae dicta sunt de necessitate paragraphum de presbyteratu includendi, quae paragraphus autem spectare debet ad cap. I schematis *de clericis,* nempe de perfectione seu de sanctitate vitae sacerdotalis, et cum eo convenire.

Porro, praeter eas quae iam oblatae sunt, duas alias emendationes volo proponere:

1. In pag. 30, lin. 3, legitur: « Iamvero Concilium Vaticanum I iure statuit Romani Pontificis definitiones ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare numquam omnino liceat ». Quam definitionem claram et completam omnes catholici sine distinctione aut restrictione toto animo accipiunt.

Haec definitio autem propter conceptus falsos de natura et de amplitudine infallibilitatis Romani Pontificis atque de nexu inter definitionem et consensum Ecclesiae est fons difficultatum, fortasse principalis, e parte fratrum seiunctorum. Quaeritur ergo num in hac constitutione includi debeat explicatio amplior huius definitionis.

In allocutione ...[1] qua, Missa solemni celebrata, sessio II incipieba-

tur, Paulus Papa VI, feliciter regnans, dixit: « Nobis prorsus videtur advenisse nunc tempus, quo circa Ecclesiam Christi veritas magis magisque explorari, digeri, exprimi debeat, fortasse non solemnibus illis enunciationibus, quas definitiones dogmaticas vocant, sed potius declarationibus adhibitis, quibus Ecclesia clariore et graviore magisterio sibi declarat quid de seipsa sentiat ».

Talis declaratio de definitione infallibilitatis et de nexu inter definitionem in genere et consensum Ecclesiae inveniri videtur in nota 52, in pag. 42, ubi dantur verba a Gasser in Concilio Vaticano I dicta: « Non possumus separare Papam a consensu Ecclesiae, quia hic consensus numquam ipsi deesse potest. Cum enim credimus Papam per assistentiam divinam esse infallibilem, eo ipso etiam credimus iis definitionibus assensum Ecclesiae non esse defuturum, cum fieri non possit quod corpus episcoporum separetur a suo Capite, et cum Ecclesia universa deficere non possit ».

Nunc igitur praeterea quaeritur utrum oporteat ut nota haec vel eius sensus in textu nostrae constitutionis contineatur.

Ad iudicium Patrum conciliarium immediate post definitionem Concilii Vaticani hanc emendationem propono:

« Talis autem definitio numquam intelligenda est contra consensum Ecclesiae vel sine consensu Ecclesiae; nam non possumus separare Papam a consensu Ecclesiae, quia hic consensus numquam ipsi deesse potest. Cum enim credimus Papam per assistentiam divinam esse infallibilem, eo ipso etiam credimus iis definitionibus assensum Ecclesiae non esse defuturum, cum fieri non possit quod corpus episcoporum separetur a suo Capite, et cum Ecclesia universa deficere non possit. Quando enim ... etc. ».

Sine dubio declaratio vel *haec* [2] explicatio definitionis fieri potest verbis magis exactis et magis felicibus iis quae ex dictis Gasser desumpta sunt.

2. In pag. 30, lin. 12 legitur: « Cum autem sive Romanus Pontifex sive Concilium sententiam definiunt, eam proferunt secundum ipsam revelationem, cui omnes conformari tenentur et quae scripta *vel* tradita per legitimam episcoporum successionem et imprimis ipsius Romani Pontificis cura integre transmittitur... etc. ».

En emendatio: loco verbi « vel » propono adhibendum esse verbum « et ».

Ratio emendationis: Patres Concilii Tridentini, ut patet ex actis illius sanctae Synodi, post longam et vivacem disceptationem, in decreto de libris sacris et de traditionibus recipiendis reiecerunt verba talia ut « partim ... partim », « aut ... aut », « vel ... vel », et acceperunt ver-

bum « et ». Ut longa et infructuosa disceptatio evitetur, propono ut bonum exemplum Patrum Concilii Tridentini sequamur in usu verborum quae ad relationem inter Sacram Scripturam et Traditionem spectant.

Nos omnes audivimus de quibusdam Patribus qui ad Concilium per « taxi » profecti, se, proh dolor!, invenerunt, longe distantes a Roma, in via Flaminia versus civitatem Tridentinam festinantes. Mihi videtur, quandocumque agitur de relatione inter Sacram Scripturam et traditionem, nos bene ageremus si ad Concilium Tridentinum rediremus.

Ergo propono verbum « et » loco verbi « vel ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] eloquentissima. [2] deest.

11

Exc.mus P. D. ISAAC GHATTAS
Episcopus Thebanus

Venerabiles Patres, dilecti Observatores,

Concilium Vaticanum II, in opere internae renovationis Ecclesiae, a tribus principiis ducitur: exponere omnia quae christianos divisos unire possunt; assecurare in organis centralibus ecclesiasticis diversitatem nationum et mentis orientationum; in lucem ponere episcopatum et collegialitatem episcopalem. Quae, in re ducemus de his, in bonum Ecclesiae magnum fient. Ita censeo exprimere etiam vota suae beatitudinis patriarchae nostri atque fratrum meorum ex Ecclesia Alexandriae in Aegypto. Post interventionem meam in prima sessione, et nitendo conclusionibus cuiusdam studii « A propos du Concile Œcuménique Vatican II, deuxième Session », de sequentibus loquar: *a*) de patriarchali institutione; *b*) de quodam « Consilio » apud Summum Pontificem constituendo.

Primum: *de institutione patriarchali.* Omnes meos in episcopatu Fratres attentos facere vellem in patriarchatibus: institutiones providentiales sunt, cum Ecclesia post-apostolica ortae, in amplis territoriis in quibus, non obstantibus omnibus difficultatibus, Domini praesentia et Eucharistica Liturgia permansit, sub ductu et praesidentia patriarchae, magni sacerdotis, capitis et centri unionis collegii episcopalis regionalis. Insistimus ut conditio et dignitas patriarchales agnoscantur in Concilio et inscribantur in schemate *de Ecclesia,* non ad aliquid archaicum conservandum, sed quia de conceptione ipsius Ecclesiae agitur, et de eius unitate catholica.

Ecclesia utique universalis est; quae tamen universalitas separari nequit a multiplicitate Ecclesiarum particularium: hoc apparet in epistulis S. Pauli et in Apocalypsi Ioannis. Et patriarchatus illius structurae elementum exstat. De facto, schema *de Ecclesia* parum agit de Ecclesiis particularibus, et nullibi de institutione patriarchali. Quare? Quia, si schema universale est « in intentione », « in exsecutione » tamen sat latinum conficitur, quin hoc a plerisque animadvertatur. Pro multis enim, ut videtur, Ecclesia « universalis » est Ecclesia « latina », quae Ecclesia « latina » agnoscit, in schemate speciali, « privilegia » concessa quidem minoritati, Ecclesiis orientalibus. Illum Ecclesiae conceptum infaustum, ne plus dicam, velitis examini subicere in Domino, atque renovare, non ex caritate, sed tantum propter veritatem.

Institutio patriarchalis etiam repraesentat formam instrumentumque varietatis atque diversitatis quae verae authenticaeque unitati catholicae essentialis est. Si christianismus non obstantibus innumeris aerumnis, in tot populis invictus remanet, ratio habetur in patriarchatuum praesentia regionali concreta et quasi inradicata.

Catholicitas Ecclesiae non tantum consistit in diversitate vestium et rituum sacrae Liturgiae, sed secumfert profundam differentiationem in conditione ecclesiologica: sumus vobiscum Ecclesiae-Sorores!

Ex ratione oecumenica etiam vitanda est a nobis identificatio, inconscia sane, inter Ecclesiam universalem et Ecclesiam latinam. Haec est ratio tot difficultatum inutilium, quibus dialogus cum fratribus separatis radicaliter impeditur. Considerari, in Ecclesia Christi, ut quoddam factum ecclesiasticum aliquantulum « exoticum », cui Ecclesia latina, loquendo ac si esset Ecclesia universalis, privilegia concederet, hanc conditionem numquam accipient, nec de cetero accipere possunt!

Fratres in episcopatu, vos instanter rogamus hunc conceptum renovare, et institutionis patriarchalis elementa essentialia, ubi in schemate de collegialitate episcopali agitur, inserere.

Secundum punctum, ut mihi videtur, aequalis momenti ac ponderis est: in oratione diei 21 septembris, Summus Pontifex Paulus VI iam insinuavit opportunitatem associandi quosdam ex suis fratribus responsabilitati gubernii ecclesiastici. Hac occasione, nonne ante omnia ad orientales patriarchas mens nostra dirigenda est?

Aliquod episcoporum « Consilium », aliquis « Senatus » dicerem, instituere, maxime importat. Ita, principium collegialitatis episcopalis in Ecclesiae structuris inscribitur. Dein, ex illa experientia collegiali, milliones ac milliones christianorum orientalium poterunt iudicare de authenticitate nostrarum affirmationum de eorum institutis et iuribus venerandis et servandis. Facta tantum iuvare possunt ut omnes denuo

propinquiores fiant, et paries occidentalem orientalemque Ecclesiam dividens, ut dicit Concilium Florentinum, de medio sublata auferatur.

Vobis, venerabiles Patres, has reflexiones propono, quorum curam Ecclesiae universalis et sensum oecumenicum intensum cognosco. Nonne ipsum Summi Pontificis Pauli VI nomen, in hac hora Concilii praelectum, pro nobis omnibus symbolum exstat mentis illius apostoli qui « omnia omnibus factus est, ut omnes Christo lucrifaceret » (*1 Cor.* 9, 22). Dixi.

Moderator: Legatur nunc alia emendatio *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Emendatio decima octava: pag. 176, linn. 22-23 (quae respondet pag. huius fasciculi 28, lin. 28) ... [*cf. pag. 282*].

12

EXC.MUS P. D. ALEXANDER RENARD
Episcopus Versaliensis

Venerabiles Patres,

Pauca verba vellem dicere de dilectissimis presbyteris, ...[1] circa ea quae dicuntur in cap. II, n. 15.

Novum schema certe ...[2] feliciora de presbyteris continet, quam in prima redactione habebatur. Nonnulli presbyteri quadam tristitia affecti erant dicentes: Concilium nostri obliviscitur, et curat de episcopis et de laicis; eritne necessarium exspectare aliud concilium ut tandem de presbyteris quaestio moveatur? Non debemus ...[3] simili dolore afficere illos qui, ut ita dicam, in prima linea Ecclesiae militantis, non sine magno labore ...[4], certant. Siquidem non pauci, neque minoris generositatis animi, aliquando tentatione afficiuntur: de valore dubitantes sui apostolatus suique sacerdotii, necnon de utilitate sacrificiorum praesertim castitatis perfectae, quae ipsis imponuntur.

Unde opportunius erit, si Concilium, Spiritus Sancti afflatu ductum, novum potentemque impetum ad evangelicam sanctitatem in presbyteris necnon episcopis provocet. Secus, quidquid sit de decisionibus et textis et methodis, non habebitur in Ecclesia optata renovatio, cum ista potius a sanctis et prophetis quam a legis doctoribus ...[5] oriri possit.

Grati sumus de sollicitudine quae in schemate apparet, quando affirmat: « Episcopi autem presbyteros ... ordinant, in quos gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt ». Libenter etiam bis legimus vocem « participare » (pag. 25-26): « ... ad sacerdotale munus participandum... episcopi munus participantes... ».

Attamen optandum est quod doctrina schematis in quibusdam punctis accuratior fiat.

1. Presbyteri participant non tantum munus episcopi, sed primum sacerdotium Christi, per sacerdotium sacramentale episcoporum; praedicandi missio eorum radicaliter ex ipso sacerdotio fluit, at non quasi ab extrinseco, per meram iuridicam decisionem additur. « Sacerdotem oportet praedicare »; presbyter ordinatur et ad Missam et ad ministerium verbi, ita ut homines adducantur ad Christi et Ecclesiae sacrificium, in oboedientia fidei. Sicut hierarchia episcopalis tota pendet a missione Christi, ita presbyteratus qui totus sacramentaliter et iurisdictionaliter pendet ab episcopo, totus etiam pendet ab eadem divina missione Christi.

2. Ope unici Sacerdotii quod participant, presbyteri cum episcopo constituunt unicum presbyterium, in quo omnes « compresbyteri » vocantur, secundum usum loquendi Cypriani et Augustini; ...[6] atque presbyteri non tantum filii et fideles ministri episcopi dicendi sunt, sed etiam *consilium,* velut senatus episcopi, iuxta doctrinam Ignatii Antiocheni et Hippolyti Romani. Non sufficiunt ergo verba quae in schemate leguntur: « Coetum coaptatum et concordem »; in eodem, *non in alio,*[7] schemate oportet ...[8] in lucem ponere presbyterium, id est unitatem corporis vel collegii sacerdotalis cum episcopo et sub ipso, sicut apparet in epistolis Ignatii...[9] Non est tamen obliviscendum quod, sicut in ordine naturali filii non sunt pro patribus, sed potius patres pro filiis, ita in ordine supernaturali, non sunt fideles pro sacerdotio sed ...[10] sacerdotium pro populo Dei.

3. Episcopus pater est, sed etiam *perfector,* secundum doctrinam Pseudo-Dionysii et S. Thomae...[11] Hoc certe valet in sua relatione ad presbyteros, ad quorum perfectionem et quandoque sanationem, totis viribus adlaborare debet, non tantum verbis et monitis, sed mediis aptis et praesertim exemplo suo. Hoc a Concilio firmiter affirmari debet, ut plura inveniantur in novo Codice Iuris Canonici, imprimis circa « Promitto » et vitam spiritualem. Titulo specialissimo, clerus omnis est « sal terrae: quod si sal evanuerit, in quo salietur? ».

Votum igitur propono ut Concilium in luce clariori ponat valorem sacramenti Ordinis, affirmando sacerdotium ut sic esse ministerium verbi et Missae, episcopum, propter Ordinem, esse sacerdotum patrem et perfectorem, affirmando simul presbyteros cum ipso constituere Ecclesiae presbyterium, in unitate fidei, caritatis et laboris.

Conclusio: Si presbyteri ita vivunt ut in ipsis appareat fraterna unitas et commune gaudium, tunc multiplicabitur in Ecclesia optatus numerus sacerdotum. Utinam! Dixi.

In textu scripto tradito: [1] concrete. [2] plura et. [3] in tali oblivione relinquere neque. [4] et abnegatione. [5] et scribis. [6] omnes in « presbyterio » sedent (Gelasius, *Ep.* 14, 8, ed. Thiel, p. 366; *Ordo Romanus* I, 47); [7] deest. [8] iterum. [9] Antiocheni (*Magn.* 6, 1; 13, 1; *Trall.* 3, 1; *Philad.* 4, 1). [10] vero. [11] (*Opusc. de perfectione vitae spiritualis,* 17-18).

13

Exc.mus P. D. CASIMIRUS MORCILLO GONZÁLEZ
Archiepiscopus Caesaraugustanus

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores dilectissimi,

I. Fundamenta doctrinalia hucusque allata, quibus episcoporum coetum ad instar collegii ab ipso Christo et non tantum iure ecclesiastico institutum esse propugnatur, mihi probabilia videntur; non tamen omni ex parte cogentia. Potius argumenti conamina quam peremptorium argumentum dicerem.

Ideo in huiusmodi argumenti perquisitione adhuc immorandum esse censeo, quin propterea tempus videamur terere: agitur enim de re valde gravi et pro universa Ecclesia maximi momenti, eo vel magis quod altum silentium de divina huius collegii institutione, per tot saecula protractum, magnum praeiudicium sit contra eius exsistentiam.

II. Ut autem in argumenti peremptorii inventione recte et methodice procedatur, nonnullae cautiones sumendae sunt ne veritates iam acquisitae obnubilentur aut corruant.

1. Atque in primis episcoporum collegium ita concipiendum ac exponendum erit ut suprema plenaque Romani Pontificis potestas nullum patiatur detrimentum, sed omnino intacta maneat; quamvis huius collegii exsistentia, si iure divino dari probetur, impraescriptibilia quaedam officia Romano Pontifici imponat.

2. Romanus Pontifex, quia Petri successor, non solum caput honoris sed caput iurisdictionis erit collegii episcopalis; at ita erit caput huius collegii ut caput quoque sit immediatum, et non solum mediante collegio, totius Ecclesiae. Proinde ipse solus, absque aliorum collegii membrorum consensu, leges, praecepta, etc. universam Ecclesiam ligantia, iniungere potest; quod ceteri episcopi sive seorsim singuli sive in unum collecti absque Papa numquam efficere valent.

3. Collegialitatem sic conceptam Summo Pontificatui haud offendere vel ex ipsa iam oecumenicorum Conciliorum existentia luculenter patet: in eis etenim omnes episcopi cum Romano Episcopo et sub eius ductu

collegialiter agunt, i. e. collegislatores sunt et iudices pro universali Ecclesia.

4. Etiamsi non possit evidenter probari collegialitatem episcoporum esse iuris divini, nihil tamen obstat quominus episcopale collegium, sive transeunter sive permanenter, iure ecclesiastico instituatur quando circumstantiae historicae et pastorales id suadeant; talis enim modus agendi nullibi iure divino est prohibitus.

III. Et his dictis accedamus iam ad structuram delineandam cui, mea sententia, conformandum fore argumentum pro divina collegii episcopalis institutione, ut efficax et decisivum sit.

A) *Quaestio de nomine.* Vox « collegium » ad qualificandum episcoporum coetum, ni fallor, nec in Sacra Scriptura nec in primaeva Ecclesiae traditione invenitur.

B) Quando igitur auctores recentes vocem « collegium » applicant ad episcoporum complexum, quid dicere volunt? Quantum capio, id significare intendunt: episcopatum nempe non solum esse collectivitatem quamdam, coetum aut aggregatum per modum unius amplectens omnes eos qui in Ecclesia plenitudine sacerdotii gaudent; sed et aliquid plus, scil. episcopos constituere ex Christi voluntate corpus stabile unum, entitatem seu personam moralem cum activitate corporativa propria, diversa ab activitate quae ex Christi quoque voluntate singulis ut personis physicis competit. Aliis verbis: iuxta hanc sententiam episcopi omnes, praeter activitatem pastoralem quam ut singuli in suam dioecesim iure divino exercent, alteram habent collegialiter seu corporative exercendam in universam Ecclesiam, sub Romani Pontificis ductu; et quidem non ex dispositione Summi Pontificis seu iure tantum ecclesiastico, sed ex ipsius Christi dispositione seu iure divino.

C) *Quaestio de re.* Ad patefaciendum igitur episcopatum iure divino esse collegium in sensu supra descripto, textus afferre non sufficit in quibus prudens dubium manere possit num de vero collegio agatur an de episcopis collective sumptis seu de multitudine episcoporum per modum unius designatorum; sed probandum insuper erit: 1) huic multitudini notas illas essentiales competere quae ex communi usu loquendi requiruntur ad veram societatem vel corporationem constituendam, et 2) has notas ei competere ex ipsius Christi voluntate et non ex ecclesiastica tantum dispositione.

Nisi haec duo probata fuerint, sive positivis documentis sive ratione theologica, argumentum peremptorium pro divina asserenda collegii episcopalis institutione, adhuc in votis erit; ac proinde huius collegii exsistentiam in iure divino fundatam, cum certitudine affirmare non licet. Suntne haec duo probata?

Concludo igitur qualescumque has reflexiones meam sententiam aperiendo, scil.: neque affirmo neque nego divinam collegii episcopalis institutionem; sed cum anceps haeream, efficacem probationem pro parte affirmativa humiliter postulo. Cor enim meum episcopi collegialitate trahitur; sed caput meum christiani aurorae claritatem nondum videt. Dixi.

Moderator: Legatur nunc alia, et quidem ultima pro capite II *de sacra Liturgia,* emendatio.

Secretarius generalis: Pag. 176 (quae respondet pag. 28, lin. 31 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 282*].

14

Rev.mus P. D. ANICETUS FERNANDEZ

Magister generalis O. P.

Venerabiles Patres,

Inter tot pulchre et optime dicta in schemate et in aula conciliari, quae animo gaudium magnum praebent, liceat etiam mihi aliquas observationes addere, quae quibusdam punctis huius cap. II quamdam clarificationem, meo humili iudicio, afferre possunt. Fusiori calamo scriptum, votum meum cum emendationibus formulatis circa has observationes secretariatui tradam.

1. Duo sunt subiecta supremae potestatis in Ecclesia, prout iam agnoscebatur a Patribus Vaticani I, teste relatore Zinelli ...[1]:

a) Primum subiectum (si tamen hoc verbum non placet quaeratur aliud magis pastorale; ego autem illud praefero quia magis perspicuum), primum subiectum potestatis plenariae clavium est Summus Pontifex. Nos omnes ante omnia fideliter et laetanter tenemus doctrinam in Florentino et Vaticano I definitam, videlicet, potestatem supremam fuisse Petro collatam, ut Capiti et fundamento Ecclesiae; et in eo collatam fuisse suis in Pontificatu successoribus. Ipsorum vero suprema potestas ex se et independenter ab actione communi cum aliis episcopis habetur et exercetur. *Non dico « independenter a consensu Ecclesiae » sed « ab actione communi cum aliis episcopis »*.[2] Haec enim est primatus potestas, quae habitualiter residet in Romano Pontifice tamquam Vicario Christi, et *etiam ut capite Ecclesiae ut tali, non autem collegialiter*[3] cum aliis episcopis coniuncto.

b) Secundum subiectum plenariae potestatis est corpus episco-

porum cum capite coniunctum. Haec potestas suprema originem habet in successione collegii apostolorum, et collegialiter exerceri debet.

Sed hoc secundum potestatis plenariae subiectum non debet primum inane et vanum reddere, aut minuere. Quod eveniret si Romanus Pontifex opus haberet exercendi potestatem suam in collegio et cum episcopis, non vero separatim ab ipsis. Tunc iam amplius potestas sua plena et suprema non esset, cum de natura plenitudinis sit ut independens ab inferioribus exsistat. Hoc autem dico non propter timorem nec quia ab aliquo Patre defendatur, sed *tantum* [4] claritatis *desiderio.*[5]

2. Ex dictis sequitur quod secundum subiectum plenariae potestatis, corpus videlicet episcoporum, agere debet subordinate ad primum. Haec collegialis potestas in universam Ecclesiam habitualiter, vel potius dispositive et actu exercenda iussu Capitis, residet in collegio. Sed non est necessarium nec possibile ut collegium continuo exerceat curam pastoralem in universa Ecclesia. Dupliciter enim exercere potest:

a) *Sollemniter* illam exercet in Concilio oecumenico.

b) *Ordinarie,* variis modis in textu schematis sufficienter insinuatis, sive per invitationem ipsius Pontificis, sive per convenientiam moralem omnium in aliquo negotio ex tacito eius consensu, sive per consuetudines legitimas vel aliis etiam modis. Immo quaedam ordinaria et continua actuatio huius collegialis potestatis fuit semper agnita: nimirum per magisterium ordinarium et universale episcoporum, quod plane concors se exercet, circa plurimas veritates expresse vel implicite contentas in revelatione.

3. Crediderim tamen non posse dici singulos episcopos, vi ipsius consecrationis episcopalis, ordinariam iurisdictionem habere, etsi impeditam seu ligatam, in omnes dioeceses; sed episcopi, ut singuli, et non collegialiter, tantum corresponsabilitatem quamdam solidariam ac pastoralem sollicitudinem erga alias Ecclesias habent, prout censuerunt magni praesules Cyprianus, Cyrillus et Augustinus, qui sibimetipsis numquam tribuerunt talem iurisdictionem. Ita recentius nova actuatio istius officii episcopalis erga omnem Ecclesiam atque nuntium evangelicum praedicandi in universum mundum conspicitur in illa missionali sollicitudine ac cura missionum tam diffusa per episcopos ubique terrarum.

Et hoc ideo quia singuli episcopi non succedunt toti collegio apostolorum sed per longam seriem pastorum eorum successio reducitur ad aliquem apostolum condentem particularem Ecclesiam. Proinde singuli episcopi, iterum ut singuli et non collegialiter, iurisdictionem concretam recipiunt super aliquam tantum portionem universae Ecclesiae.

4. Hinc sequitur quod si opportunum existimetur commissionem

quamdam centralem *institui* [6] quae repraesentaret omnes episcopos, illa nequit habere significationem alicuius Camerae deliberativae adsistentis Summo Pontifici in exercitio suae plenariae potestatis. Haec enim commissio ab ipso Summo Pontifice institui deberet si ei placuerit, et aliam potestatem habere non posset quam illam quam Summus Pontifex ei tribuere dignaretur; et membra eius proponi possent ab episcopis, si Summo Pontifici placuerit, sed minime eligi vel imponi possunt.

5. Unum verbum dicam de *diaconis*. Sive remaneat schematis textus (*quod mihi placeret* [7]) sive non, problema gravissimum penuriae sacerdotum plene non solvitur. Esset enim necessarium aliam institutionem faciliorem creare ut provideatur pluribus oppidis ubi christiani semel in mense vel in anno, vel in duobus vel quinque annis a sacerdote visitantur tantum. In his oppidis oporteret adesse aliquis christianus, e. g. quidam catechista ab episcopo vel parocho nominatus, qui cum quadam auctoritate possit populum convocare diebus dominicis et ei catechismum explicare, Sacram Scripturam legere, aliquas preces dirigere, assistere moribundis et alia similia, *ita ut nullus christianorum coetus sit sine capite, quod illum dirigat et cum episcopo uniat.* [8] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Mansi, 52, 110 A). [2] deest. [3] non solum Capite. [4] deest. [5] causa. [6] instituere. [7] deest. [8] Ad quod iuvaret coetus quosdam catechistarum instituere, qui hoc ministerio proprio laicorum fungerentur, uti iam exstiterunt huiusmodi catechistae et optime meruerunt in antiquis missionibus dominicanis Sinensium et Annamitarum.

Circa quod demum vellem illud dictum famosi Jefferson recolere, qui dicebat catholicismum esse meliorem pro propagatione fidei et conversione hominum, sed protestantismum meliorem pro conservatione fidei, eo quod facilius est habere pastores quam sacerdotes. Etsi talis assertio vera non sit, optime tamen exprimit necessitatem creandi institutionem quamdam laicorum qui simili apostolatu fungerentur in communitatibus christianis quae sacerdote carerent, et quasi ex auctoritate omnia illa peragerent quae a simplice christiano exerceri possunt.

Animadversiones additae:

In hoc cap. II maximi momenti quaestiones declarandae nobis proponuntur. Sed inter graviores illa praecipue venit quae de collegio apostolorum et episcoporum agit, de suprema potestate huic corpori episcopali inhaerente ac de natura huiusce potestatis dictae collegialis.

De hoc in textu schematis aliquae notantur sententiae obscuriores quae, meo humili iudicio, clarificari indigerent per expressiores magisque distinctas formulas. Ad quarum clarificationem forsitan iuvabit distinguere praecipua doctrinae puncta et aspectus quae hic audeo vestrae considerationi paucis submittere.

Notum est inter hodiernos plures theologos favere extremae interpretationi huius potestatis episcopalis collegialis, prout fuse ab illis describitur. Sed, meo humili iudicio, tam subtilis sensus conceptionis collegialis non apparet in ipsis

textibus Scripturae et traditionis sincere perscrutatis, neque consonat doctrinae Magisterii de primatu Summi Pontificis.

1. Primo quidem, haec collegialitas stricta quae extollitur, quasi una esset indivisa potestas suprema in Ecclesia quam simul omnia membra collegii participarent, non excluso ipso Petri Successore licet ut capite collegii, non apparet in ipsa institutione apostolorum atque missione universali praedicandi et condendi Ecclesiam, ipsis tradita. Quod enim Christus elegit « duodecim » quos et apostolos nominavit, illos saepius duodecim dixit atque post resurrectionem insimul misit, praedicta numeralis expressio non directe prae se fert notionem alicuius iuridicae facultatis collegialis, atque indivisae, sed potius aequam potestatem omnibus distributive collatam una cum corresponsabilitate in eadem missione et opere communi, id est, munus omnibus personaliter datum ad instar tamen alicuius collegii. Et de facto apostoli, per orbem dispersi, suam missionem et auctoritatem personaliter exercebant, quamvis manentes in mutua communione. Ergone dicendum est S. Ioannem ultimum apostolum, ceteris martyrio decessis, apostolicam potestatem amisisse, eo quod non iam collegium, sed una persona exstiterit?

2. Neque sensus stricte collegialis potestatis episcoporum comprobatur in historica successione, seu in factis episcopi succedunt apostolis. Non enim legimus apostolos instituisse pastores sive episcopos super universum orbem, sed semper super particulares Ecclesias, cum ipsis non succederent in munere proprio et charismatico apostolorum atque Ecclesiae conditorum, sed in pastorali munere gubernandi portionem commissam. At nec in historiae decursu magni et sancti praesules, ut S. Cyprianus, S. Cyrillus aut S. Augustinus, sibimetipsis tribuerunt potestatem veram in alias Ecclesias (quam dumtaxat adiudicabant Petri Cathedrae successori), sed tantum solidariam quamdam responsabilitatem ac pastoralem sollicitudinem in illas, vi ipsius communionis cum ceteris pastoribus.

Non igitur videtur secundum rei veritatem quod episcopi, vi suae adscriptionis corpori episcopali, indivisam quamdam collegialem potestatem recipiant, quam habitualiter super universam Ecclesiam exercerent, sive singuli sive per coetus conferentiasque episcopales adunati, praesentia quadam imaginaria Petri Successoris eorum actus confirmante. Sed quod Episcopi, vi suae consecrationis accedente commissione iurisdictionis ab auctoritate suprema, successionem muneris apostolorum accipiunt super portionem gregis traditam, curamque sollicitudinis pastoralis tanquam membra collegii super universam Ecclesiam.

3. Duo distinguenda sunt subiecta supremae potestatis quam Christus tradidit Ecclesiae, prout iam agnoscebatur a Patribus Vaticani I, teste Relatore Zinelli dicente: « Nos admittimus plenam et supremam potestatem in Summo Pontifice, velut Capite, et eamdem vere plenam et supremam esse etiam in Capite cum membris coniuncto » (Mansi 52, 1110 A).

4. Proinde *subiectum primarium* huiusce plenariae potestatis clavium, quae comprehendit tum Magisterii munus tum potestatem strictam regiminis seu iurisdictionem, Summus Pontifex est. Ante enim omnia fideliter tecta sartaque teneatur oportet doctrina in Florentino Concilio et Vaticano I definita, scilicet: Potestas suprema Ecclesiae primario a Christo Domino fuit immediate collata Petro, tanquam Capiti et fundamento Ecclesiae atque eius Successoribus in Petri Cathedra; quae potestas ex se et independenter ab actione communi cum aliis Episcopis vim habet et exercetur. Et haec quidem est primatus potestas quae habi-

tualiter residet in Summo Pontifice tanquam Vicario Christi, non tanquam Capite cum membris coniuncto, ab eoque exercetur.

5. *Secundo* eadem plenaria potestas inhaerere dicenda est in corpore episcoporum coniuncto cum suo Capite; haec derivatur ex successione totius collegii apostolorum ideoque exerceri debet collegialiter. Quod tamen subiectum adaequatum potestatis Ecclesiae non debet primum inane et vanum reddere, aut ipsi quoquo modo derogare. Hoc eveniret si potestas Pontificis semper se exercere deberet in collegio episcoporum et cum ipso, nunquam separatim. Ast tunc cessaret plena et suprema esse, de cuius natura est quod sit independens ab inferioribus; sententia enim e Cathedra Petri emanans a nemine iudicatur, ut sollemne fuit effatum in tota historia Ecclesiae. Et consequenter hoc secundum subiectum Ecclesiae potestatis, corpus videlicet apostolorum, semper debet subordinari primo, seu Vicario Christi.

6. Certe praedicta potestas habitualiter in episcopali Collegio residet. Sed non necesse est ut continuo gubernationem curamque pastoralem in universa Ecclesia exerceat. *Sollemniter* quidem se exercet in Concilio Oecumenico. At praeterea potest et expediens esse videtur ut frequentius in dies exerceatur per modos *ordinarios* in textu schematis insinuatos, sive per invitationem ipsius Pontificis, per convenientiam moralem omnium in aliquo negotio ex tacito eius consensu, per consuetudines legitimas, etc. Imo quaedam continua actuatio semper agnita fuit huius collegialis potestatis: nimirum per magisterium ordinarium et universale episcoporum, quod plane concors est circa plurimas veritates expresse vel implicite contentas in revelatione. Et recentius nova actuatio in dies magis conspicitur in ipsa sollicitudine et cura missionum tam diffusa per Episcopos ubique terrarum.

7. Ex recto hoc sensu collegialis potestatis sequitur quod collegialis haec potestas suprema non est intelligenda ut primarium munus, missio aut potestas propria singulorum episcoporum, licet utraque in nexu inseparabili existat. Non enim potest dici quod singuli Episcopi ordinariam iurisdictionem habeant, etsi impeditam, in omnes alias dioeceses. Et hoc ideo quia singuli episcopi non succedunt toti collegio apostolorum, aut universali missioni singulorum, sed per longam seriem pastorum eorum successio reducitur ad aliquem apostolum condentem particularem Ecclesiam.

Proinde singuli episcopi, qua singuli, missionem et iurisdictionem concretam recipiunt super aliquam tantum portionem Ecclesiae universae. Et consequenter haec divisio et adscriptio iurisdictionis episcoporum ad particulares Ecclesias non iuris ecclesiastici dicenda, sed apostolicae traditionis et ordinis divini. Ut vero membra corporis episcopalis, secundo loco ad singulos episcopos derivatur officium universalis sollicitudinis ad orbem totum, sicut semper agnitum fuit in Ecclesiae traditione. Quod tamen munus prius ut proprium officium competit Summo Pontifici.

8. Denique, ad aliam velut conclusionem praedictorum alludere reverenter volumus, scil.: commissio illa centralis episcoporum, universum collegium repraesentans, quae a quibusdam exoptatur, non liceret institui in stricta sua significatione alicuius Concilii deliberativi adsistentis Summo Pontifici in omni exercitio plenariae potestatis, a cuius consensu dependerent actus eius. Solum inde poterit constitui ut novum organum consultivum, sicut et aliae Congregationes et Officia Romanae Curiae, cum hac potestate quam Summus Pontifex ei tribuere placuerit.

Membra autem non deberent imposita esse ab episcopis collegii, sed libere electa a Pontifice, solumque ab illis proposita.

Melius tamen et opportunius haec optata assequerentur per illum modum qui est in votis maioris Patrum partis et ab ipso Summo Pontifice nuper nuntiabatur: Per renovationem scil. ipsius Curiae Romanae, praesertim mediante sic dicta ampla « internationalizatione » membrorum, ut sic ex omni parte venientes episcopi confratres, aliique sacerdotes ac laici, adsistant supremo Pastori in suo amplissimo munere eique opem adiutricem praestent in pascendo grege per tam varias partes dilatata.

9. Demum et consequenter ad haec omnia, dum laeti comperimus formulas huius schematis in hoc sensu dictas esse, nihilominus aliquas notamus obscuriores quae viderentur confusioni favere et clarificari possunt per emendationes annexas. Ita sub par. 16 linn. 12-17, quae centralis declaratio huius collegialis potestatis est, deest praevia formulatio propriae et independentis potestatis Summi Pontificis, quae ideo expresse poni debet. Secus impressio relinquitur quod unum tantum etsi divisum est subiectum potestatis, collegiale nempe illud ex Capite coniuncto cum collegio, pro hac parte regiminis generalis Ecclesiae. Oportet iuxtaposite declarare haec duo subiecta, sicut tam expresse et pluries fit pro munere Magisterii in tota par. 19.

Similiter desideratur eadem utraque declaratio distincta ubi de cura missionali seu officio Evangelium nuntiandi in omnem terram fit sermo, par. 17, linn. 17-35. Haec enim cura ut proprium officium et munus primario etiam competit Summo Pontifici, et secundario collegio episcoporum; ex quo ad singulos episcopos, qua singulos, haec universalis sollicitudo derivatur ex officio, et executive et activa collaboratione ad sacerdotes, universosque fideles ex caritate atque unione in Corpore Christi, ut dictum est.

Denique similis distinctio videtur inserenda esse, iuxta annexas emendationes, pro munere sanctificandi Episcoporum seu actu liturgico, par. 20 et 21.

Ad par. 15, pag. 26, linn. 39-40. Dicatur: « Quo in casu ad supremam potestatem Ecclesiae spectat decernere... » loco: « Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere... ».

Ad par. 16, linn. 12-17. Nova redactio: « Haec Sacra Synodus docet, renovando definitiones Concilii Florentini et Vaticani I Romanum Pontificem plenam ac supremam potestatem habere in Ecclesia universa, quippe qui Christi Vicarius totiusque Ecclesiae Caput existens, primatum regiminis verumque principatum super alias Ecclesias earumque pastores et fideles obtinet; proinde autem eidem beati Petri successori ex commisso ei munere pastoralis sollicitudinis totius gregis, primario competit cura atque exercitium pascendi, regendi et gubernandi Ecclesiam universalem, cuius potestas per se et independenter ab actione communi cum aliis episcopis vim obtinet super universam Ecclesiam. Sed et collegium episcoporum, quod collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, una cum Capite suo Romano Pontifice, et numquam sine hoc Capite, subiectum quoque indivisum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam exsistit. Dominus enim Petrum... ».

Ad par. 17, pag. 28, linn. 27-39. Nova redactio sententiae cum additione: « Cura Christi Evangelium annuntiandi ubique terrarum praecipue pertinet ad Romanum Pontificem, tanquam ad summum Ecclesiae Pastorem, cui proprium munus et officium est sacri Evangelii nuntios ad varias orbis terrarum gentes mit-

tere; sed etiam ad corpus episcoporum cum suo Capite pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium, ut iam Papa Caelestinus Patribus Ephesini Concilii commendavit. Proinde, etiam si suprema ordinatio missionum operis ad Romanum Pontificem pertinet, episcopi, praeter curam missionalem apud acatholicos officio ipsis in propria Ecclesia commendatam, ad hanc partem sollicitudinis pastoralis in universa Ecclesia adscitos se sentire debent, in laborum societate cum eo venire eique adesse oportet. Missionibus auxilia spiritualia... ».

Ad par. 18, pag. 29, linn. 15-19. Nova redactio totius ultimae sententiae: « Episcoporum autem pastoralis ac ministerialis missio hac ratione a Christo Capite accepta contrahitur divina institutione et designatur ad particulares Ecclesias per auctoritatem ipsius Vicarii ac Romani Pontificis, cuius modi designatio fieri potest per legitimas consuetudines, ab hac suprema potestate non revocatas, per leges ab eadem auctoritate latas aut agnitas, vel directe per ipsum successorem Petri, quo renuente episcopi in officium ac praesidium peculiaris Ecclesiae assumi nequeunt ».

Ad par. 19, pag. 30, linn. 12-22. Nova redactio istius dimidii paragraphi: « Cum autem sive Romanus Pontifex sive Concilium doctrinam declarant, eam proferunt secundum ipsam revelationem, cui omnes conformari tenentur, et quas veritates ut divinitus revelatas sollemniter vel authentice docent, eas omnes fideles credere fide divina tenentur, nam quae scripta vel tradita in revelatione sunt ea per legitimam episcoporum successionem et imprimis ipsius Romani Pontificis cura integre transmittuntur, atque praelucente Spiritu veritatis in Ecclesia sancte servantur et fideliter exponuntur. Ad quas veritates rite indagandas et apte enunciandas, Romanus Pontifex pro officio suo et rei gravitate atque episcopi sedulo se applicant per media apta, et adhibito quoque consilio theologorum necnon et sensu populi Dei perspecto; novam vero revelationem publicam tanquam ad divinum fidei depositum pertinentem non accipiunt ».

Lin. 24, pag. 30. Dicatur: « ... religiosum intellectus et voluntatis obsequium... » loco: religiosum voluntatis et intellectus.

Ad par. 20, pag. 30, lin. 27. Dicatur: « ... iuxta mentem et intentionem ipsius, manifestatam praecipue ex indole... » loco: « iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius, quae se prodit praecipue vel ex indole... ».

Lin. 36. Dicatur: « Ecclesiae leges, quae in certis materiis liturgicis possunt relinqui eorum particulari iudicio ulterius legitime determinandas et applicandas... » loco: « Ecclesiae leges, eorum particulari iudicio legitime determinatas ».

Pag. 30, lin. 40 ad pag. 31, linn. 1-2. Dicatur: « Eis, praeter ministerium verbi tantopere ad sanctificationem conferens, sacramenta praebent, quorum distributionem regularem et fructuosam in propriis Ecclesiis particulariter ordinant et promovent » loco: « Eis, praeter sanctificans ministerium veri sacramenta praebent, quorum omnium distributionem et fructuosam sua auctoritate ordinant et confirmant ».

Ad par. 21, pag. 31, lin. 5. Dicatur: « sibi commissas ut legati Christi eiusque nomine » loco: « ut vicarii et legati Christi ».

Lin. 11. Dicatur: « a supremo Ecclesiae regimine exercitium eiusdem dependeat, ultimatim regatur » loco: « a supremo Ecclesiae regimine exercitium eiusdem ultimatim regatur ».

Pag. 31, lin. 24. Dicatur: « praecipiendi » loco: praescribendi.

15

EXC.MUS P. D. IOSEPH URTASUN
Archiepiscopus Avenionensis

Venerabiles Patres,

Audivimus in hac aula ...[1] diversa argumenta opposita sacramentalitati episcopatus, quibus respondere mihi liceat cum animo pacis.

Primum argumentum erat, liturgiam non valere sufficienter ad probandum consecrationem episcopalem esse sacramentum.

Sed textus liturgici primaevi, etiam festinatim lecti, id clare demonstrant, ceteras personarum benedictiones, uti subdiaconorum, lectorum, viduarum, diaconissarum et huiusmodi, esse tantum inaugurationem muneris cum oratione Ecclesiae; tres vero ordinationes, episcopi nempe, presbyteri et diaconi ita eminere ut per impositionem manuum Spiritus Sanctus transmittatur. Et haec traditio sic in praxi Ecclesiae servata est, tam in oriente quam in occidente, ut vos, venerabiles fratres episcopi, numquam dubitaveritis vos in consecratione episcopali accepisse Spiritum Sanctum. Et plures ex vobis alios episcopos consecraverunt, eadem mente et fide. Documenta vero liturgica allegantur in pagg. 34 et 35 nostri schematis in notis 10 et 12. Quae attente perlegere faveatis, non tantum sicut documenta litteraria, sed ut instrumentum viventis Ecclesiae.

Si autem inquiritis num consecratio episcopalis quid addat characteri presbyterali, considerare debetis factum, ab historicis nunc plena luce illustratum, fere omnes pontifices romanos per plura saecula, dum ex ordine diaconali eligebantur, consecrationem episcopalem accepisse, quin prius presbyteri facti sint. De his testimonia prae manibus nunc habemus, allegata in nota 13...[2]

Ex his factis clarum est consecrationem episcopalem non esse meram benedictionem sed verum ritum sacramentalem quo sacerdotium in suo supremo gradu confertur.

Obiectum est ordinationes in sacris factas esse a simplicibus presbyteris. Porro, inveniuntur tantum tres Bullae Pontificales saec. XV ad Abbates singulares directae tribuentes eis hanc facultatem, quae ita arcte in usu fuit, ut non possit constituere verum et determinatum argumentum traditionis.

Praeterea, quaestio facta est, quomodo episcopus presbyteris superior sit. Quae quaestio aliter poni deberet, quia episcopus est fons totius sacerdotii, ut ab alio Patre conciliari iam perlustratum est.

Dubitatur forte utrum doctrina de sacramentalitate matura facta sit an non, utrum etiam in re a scholis controversa Concilium sententiam ferre liceat.

Respondeo maturam esse hanc doctrinam, tum ex consensu totius orientis et plurimorum ab occidente nunc theologorum, paucissimis exceptis, tum ex progressu quem promovit in hac quaestione constitutio apostolica *Sacramentum Ordinis* ...[3], tum denique ex studio quod nuperrime instituit praeparatoria et conciliaris commissio theologica de Fide.

Si historiam Conciliorum inspicimus, saepe videmus Concilia res controversas dirempsisse, quando graves et urgentes aderant rationes. Asserendo solemniter episcopatum esse sacramentum, Concilium ingredi non intendit in quaestiones disputatas, veluti de habitudine specifica characteris episcopalis ad characterem presbyteralem.

Concludo ratione pastorali et oecumenica. Gratia sacramentalis recepta in consecratione episcopali facit ut successores apostolorum, pastores unius dioeceseos aut non, penitus iuncti sunt Christo Domino, Summo et Aeterno Sacerdoti, unico Mediatori.

In amore viriliter paterno, quia est imago Patris, iuxta verba Ignatii Martyris, cum humilitate, quia omnia sua munera pendent a gratia Spiritus Sancti, unitur episcopus dilectissimis suis presbyteris non mere iuridice sed structura sacramentali.

Sic etiam, sine ulla particulari difficultate cum fratribus in Christo qui non admittunt sacerdotium esse sacramentum, decisio circa sacramentalitatem episcopatus optima coniunctio esset cum sacra hierarchia totius orientis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ex ore alterius venerabilis Patris. [2] pag. 35 schematis. [3] a f. r. Pio XII a. 1947 promulgata.

16

Exc.mus P. D. PAULUS YÜ PIN

Archiepiscopus Nanchimensis

Venerabiles Patres conciliares,

Post tot et tantos oratores,[1] liceat mihi pauca verba dicere de diaconatu permanenti. Loquor in nomine 40 Patrum conciliarium ex Asia Orientali, scil. ex Sinis, ex Vietnam, ex Corea et ex Iaponia...[2]

In terris Missionum, praesertim in Asia Orientali, restauratio huius institutionis necessaria est propter sequentes rationes:

1. Omnibus notum est quaestionem demographicam in nostris regionibus satis gravem esse. Ita augmentum populationis multo celerius est quam christianorum. Ideo sollicite curamus ut sit etiam conversio collectiva civium nostrorum. Sed ad administrationem sacramentorum et praedicationem verborum Dei absolute impar est numerus sacerdotum, et diaconatus permanens huic necessitati optime satisfacere potest.

2. Maior pars Asiae Orientalis iam a pluribus annis iacet sub immani persecutione. Ibi formatio sacerdotalis fere impossibilis evadit. Unde penuria vocationum sacerdotalium magis aggravatur.

3. Diaconatus permanens uti sacramentum secumfert gratiam status. Iam ab initio Ecclesiae viri praeclarissimi hoc munere sanctissime perfuncti sunt, ut S. Stephanus, S. Laurentius ac deinceps ut S. Franciscus Assisiensis. Cur nostri contemporanei illorum vestigia sequi non possunt? Immo necessitas nostri temporis urget.

4. Praeterea huiuscemodi diaconi munere optime funguntur pontis seu mediationis inter hierarchiam et christifideles. Ipsi namque, licet inter clericos cooptati sint, facilius tamen in societatem penetrant.

5. Catholici, quorum aliqui praeclarissimi nominis tamquam auditores nostris sessionibus assistunt, multum quidem adiumentum hierarchiae praestare possunt et praestant, at diaconi adhuc melius id perficient; agent enim cum auctoritate et multo magis aestimabitur opera eorum.

6. Formatio huiuscemodi diaconorum facilior erit ac brevior quam sacerdotum, quia studium philosophicum ac theologicum perficient lingua vernacula, non lingua latina, quae est crux pro orientalibus. Insuper huiuscemodi diaconi separatim a seminaristis ad sacerdotium destinatis formantur, inde periculum non est aliis seu contagium vocationes sacerdotales perdendi.

7. Ultimo: in terris missionum non desunt viri maturitate praediti, virtutibus ornati, de doctrina christiana solide instructi, et pro Ecclesia iam benemeriti, qui omnes digni sunt ut promoveantur diaconi.

Conclusio: Propter istas rationes enixe postulamus ut schema de diaconatu permanenti conservetur.

Ad caelibatum autem quod attinet, item petimus, ut in schemate statuitur, quaestio nempe de obligatione caelibatus relinquatur ad praepositos Ecclesiae.

Nobis videtur difficultas oeconomica ex sustentatione diaconorum non esse exaggeranda, stipendia namque non parva pro magistris et catechistis sustinemus, at diaconi multo magis valent quam isti.

Supradictis rationibus suffulti enixe postulamus ut Diaconatus permanens restauretur, qui est unum ex mediis evangelizationis efficacissimum. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] Ignatius Larrañaga, ep. Pingling; Federico Melendro, arch. Anking; Constans Kramer, ep. Luan; Joseph Kuo, arch. tit. Salamina; Karl Weber, ep. Ichow; Gabriel Quint, p. ap. Weihaiwei; Vitus Chang, ep. tit. Ciane; Raimondo Bergamin, ep. Padang; Petrus Grimm, ep. Tsinchow; Hermeng. da Losenstein, p. a. Kiamuzse; René Boisguerin, ep. Suifu; Orazio Ceol, ep. Kichow; Philip Côté, ep. Süchow; Paul Cheng, ep. tit. Uccula; Frederik Donaghy, ep. Wuchow; Eugene Fahy, p. a. Yangchow; William Kupfer, ep. Taichung; Petronio Lacchio, arch. Changsha; Inigo Koenig, p. a. Shaowu; Matthias Buchholz, p. a. Shihtsien; Pacifico Calzolari, p. a. Siangtan; Quintinus Pessers, p. a. Kiangchow; Petrus Moretti, p. a. Tungchow; Ferdinando Pasini, ep. Sanyüan; Paulus Tavares, ep. Macau; John Romaniello, p. a. Kweilin; Dominicus Desperben, p. a. Hainan; Henricus Pinger, ep. Chowtsun; Alfonso Ferroni, ep. Loahokow; Petrus Maleddu, p. a. Hsinganfu; Louis Morel, arch. tit. Eno; Carl Van Melckebeke, ep. Ningsia; Arturo Quintanilla, ep. Kweiteh; Stanislaus Lokuang, ep. Tainan; Ngo dinh Thuc Petrus, arch. Hue; Petrus Tou Paozin, ep. Hsinchu; Paul M. Ro, arch. Seoul; Joseph Cheng Tiensiang, ep. Kaohsiung; Paulus Taguchi, ep. Osaka.

17

Exc.mus P. D. ANTONIUS VAN DEN HURK
Archiepiscopus Medanensis

Venerabiles Patres conciliares,

Loquor nomine 30 episcoporum Indonesiae. Imprimis gratum animum exprimere volumus erga commissionem theologicam, quae in re difficili et sat delicata textum composuit, qui nostro iudicio in genere satisfacit. Quaedam tamen in eo sunt, quae emendanda videntur. Observationes maioris momenti breviter tangemus, ceteras scripto trademus.

N. 13, pag. 24, linn. 15 usque ad 39. Hic docetur, quod episcopi sunt apostolorum successores. Quod est dogma fidei indubitatum. Sed textus noster hoc dogma exprimit dicendo apostolos ipsos episcopos tamquam successores suos constituisse. Iamvero haec est quaestio potius historica, et quidem valde intricata, quae a Concilio non est dirimenda.

Verba enim ex Scriptura et ex epistola Clementis allegata, ostendunt quidem apostolos constituisse homines qui praeessent ecclesiis, non autem apparet ex textibus citatis eos constitutos fuisse tamquam auctoritatis suae haeredes suosque successores.

N. 14, pag. 25. Nobis placet, quod statuitur consecrationem episcopalem esse sacramentum. Concedendum quidem est, hac in re theo-

logos non semper consensisse. Sed res nobis videtur omnino vera. Et definitio videtur opportuna, quia:

1. Ad veram dignitatem episcopalem agnoscendam est necessaria.
2. Sacramentalis consecratio episcopalis est ultimum fundamentum dogmaticum auctoritatis collegii episcopalis.

Optamus autem ut iam hoc loco sermo fiat de insertione in illud collegium, quae per consecrationem fit. Textum scriptum adicimus.

N. 15. Quae dicuntur de presbyteris ceterisque ministris, nostro iudicio, aptius ponantur post absolutam expositionem de episcopis.

N. 15 in fine: De diaconatu. Verba quibus decernitur instaurationem diaconatus stabilis fieri posse nobis placent. Iudicium utrum necne huiusmodi instauratio singulis ecclesiis conveniat, committatur conferentiis episcoporum.

De caelibatu diaconorum, quod attinet, postulamus ut Concilium decernat, utrum iis permittendum sit matrimonium necne. Hac de re non una est sententia episcoporum Indonesiae. Quodsi Concilium positive decernat, conferentiae episcoporum diiudicent utrum hoc Ecclesiis suis conveniat, probante et confirmante Sancta Sede.

N. 16. In hoc praesertim articulo exponitur doctrina de habitudine inter supremam auctoritatem Summi Pontificis et auctoritatem Episcoporum. Quoad substantiam doctrinam in eo contentam approbamus. In eo enim apte componuntur duae veritates, scil. suprema auctoritas Romani Pontificis et suprema auctoritas integri collegii episcoporum. Haec ultima etiam veritas omnino retinenda *videtur*[1] quia solide in Scriptura et traditione fundatur, quia historia Ecclesiae praesertim antiquae illam confirmat et quia sine illa auctoritas Concilii oecumenici esset impossibilis. Fuerunt quidem qui dicebant hanc auctoritatem a Papa communicari episcopis in Concilio congregatis. Sed hoc fieri nequit. Nam primo *suprema* Romani Pontificis auctoritas non potest aliis communicari, sed debet ab eo personaliter exerceri. Secundo quia auctoritas, quae ab alia auctoritate terrena derivatur, nequit esse suprema.

Quamvis in genere hunc articulum approbemus, nihilominus quae in linn. 30 ss. dicuntur, aliquatenus corrigenda videntur.

Quae certo sunt iuris divini immutabilis, praemittantur illis quae sunt huius iuris concretizatio. De iure divino numquam datur Concilium oecumenicum, quod a Papa non sit ut tale confirmatum vel receptum. Ius autem convocandi, praesidendi etc. non semper exercebatur, est autem *quaedam*[2] concretizatio obvia post evolutam primatus doctrinam. Ergo secundo loco ponatur.

Simile quid valet de actione collegii dispersi. Certum est collegium illud nec esse nec agere sine Papa. Sed tamen non certum videtur ad

veram actionem collegialem requiri quod Papa, qua talis, expresse episcopos invitet ad actionem collegialem vel actionem unitam expresse recipiat.

Vox « libere » in lin. 38 videtur omittenda. Inter alia quia iniuriosa sonat erga personam Romani Pontificis, quasi scilicet posset ponere actum non liberum, ideoque nec humanum...[3]

N. 19. Agit de magisterio et de assensu debito. Substantiam doctrinae approbamus, sed duo videntur ...[4] corrigenda:

1. In initio huius articuli paululum evolvitur, magistros in Ecclesia esse ministros verbi Dei, qui et ipsi credunt et de quibus valet illud apostoli: « Credidi, propter quod locutus sum. Et nos credimus, propter quod et loquimur »...[5] Exprimatur ergo, quod ipsi magistri in Ecclesia, in ipso actu docendi, sese subiiciunt verbo Dei scripto vel tradito.

2. In fine articuli ...[6] agitur de assensu debito magisterio...[7] Haec autem *minus* [8] placent. Primo quia agunt de solo magisterio Romani Pontificis, non autem de magisterio episcoporum. Deinde quia omnino inter se assimilantur assensus debitus magisterio infallibili et assensus debitus magisterio fallibili. De utrisque enim, iisdem fere verbis, dicitur quod « sincero animo accipi debent », respective « sincere adhaereatur »...[9]

Quaedam tandem generalia ad redactionem huius capitis, immo et integri schematis, observanda videntur:

1. Loquens de habitudine episcopi ad dioecesim propriam ne dicatur « Ecclesia sua », sed *potius* [10] « Ecclesia sibi commissa ». Ecclesia enim non est episcopi, sed episcopus est ecclesiae...[11]

2. In textu passim sermo est de « potestate » episcopi et Papae. Potius adhibeantur voces « auctoritas », « munus », « ministerium », et his similia...[12]

3. Saepissime in textu iteratur collegium episcopale numquam esse aut agere posse sine Romano Pontifice. Haec est veritas evidens, a nemine dubitata. Quapropter sufficit *ut* [13] si una alterave vice clare *exprimatur*.[14] Nunc autem plus quam 30 vicibus enuntiatur, quod nimis videtur.

Cetera secretario scripto trademus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] est. [2] deest. [3] Textus emendatos scripto trademus. [4] omnino. [5] (*2 Cor.* 4, 13). [6] (pag. 30, linn. 23 ss.). [7] fallibili. [8] non. [9] Si Concilium de assensu debito loquatur, necessariae videntur plures distinctiones. [10] deest. [11] Ecclesia solius Dei est. [12] quae versa in linguis modernis mitius sonant. [13] deest. [14] exprimitur.

H. J. M. v. d. Burgt, arch. Pontianak; A. Djajasepoetra, arch. Djakarta; F. A. H. v. d. Hurk, arch. Medan; G. Manek, arch. Endeh; N. M. Schneiders, arch. Makassar; A. E. J. Albers, ep. Malang; P. M. Arntz, ep. Bandung; W. v. Bekkum, ep. Ruteng; R. Bergamin, ep. Padang; W. Demarteau, ep. Bandjermasin; P. N. J. C. Geise, ep. Bogor; Jac. Grent, ep. Amboina; G. Grimm, ep. Sibolga; A. Hermelink, ep. Tandjung Karang; L. v. Kessel, ep. Sintang; J. Klooster, ep. Surabaja; M. Mekkelholt, ep. tit. Dausara; J. H. Romeijn, ep. Samarinda; P. Sani, ep. Denpasar; W. Schoemaker, ep. Purwokerto; G. Sillekens, ep. Ketapang; J. H. Soudant, ep. Palembang; A. H. Thijssen, ep. Larantuka; Th. v. d. Tillaart, ep. Atambua; T. v. Valenberg, ep. tit. Comba; N. Verhoeven, ep. Manado; N. P. v. d. Westen, ep. Pangkalpinang; R. J. Staverman, vic. apost. Kotabaru (Hollandia); H. Tillemans, vic. ap. Merauke; M. v. Diepen, praef. apost. Manokwari; G. Legeland, praef. apost. Sumba-Sumbawa.

Moderator: Exc.mus D. Victorius Costantini, annuntiatus, loquetur crastina die. Interim exc.mus secretarius generalis dabit exitum suffragationum et alia nuntia.

Secretarius generalis:

Emendatio XIII:

Praesentes votantes	2.263
Dixerunt *placet*	2.166
non placet	92
iuxta modum (nullum igitur)	1
Suffragia nulla	4

Emendatio XIV:

Praesentes votantes	2.265
Dixerunt *placet*	2.088
non placet	168
Vota nulla	9

Emendatio XV:

Praesentes votantes	2.261
Dixerunt *placet*	2.111
non placet	142
iuxta modum, ergo nulla	2
Suffragia nulla	6

Emendatio XVI:

Praesentes votantes	2.166
Dixerunt *placet*	2.006
non placet	142
Vota nulla	18

Emendatio XVII:

Praesentes votantes	2.163
Dixerunt *placet*	1.839
non placet	315
placet iuxta modum, ergo nulla	2
Suffragia nulla	7

Emendatio XVIII:

Praesentes votantes	2.224
Dixerunt *placet*	1.975
non placet	245
Vota nulla	4

Emendatio XIX et ultima:

Praesentes votantes	2.231
Dixerunt *placet*	2.159
non placet	66
iuxta modum (nullum)	1
Suffragia nulla	5

Itaque omnes emendationes, hodie suffragio subiectae, placuerunt Patribus.

Quapropter feria II proximae hebdomadae, fiet suffragatio super integrum cap. II *de sacra Liturgia* cum formulis *placet, non placet* et *placet iuxta modum.* Sed qui suffragium ferunt *placet iuxta modum* debent una cum schedula offerre assignatoribus locorum folia in quibus modi clare et distincte praebentur. Desunt adhuc tres dies, itaque omnes Patres possunt modos praeparare.

Crastina die, distribuentur emendationes super cap. III constitutionis *de sacra Liturgia,* et suffragationes super emendationibus huius cap. III *de sacra Liturgia* incipient feria III proximae hebdomadae.

Itaque: feria secunda, suffragatio super integrum caput. Velint reminisci modorum, qui cupiunt suffragium ferre *placet iuxta modum.* Gratias!

Moderator: Proxima congregatio generalis habebit locum crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XLVI

11 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLVI

11 octobris 1963

Exc.mus P. D. Pericles Felici, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Velint omnes audire! Celebratur hodie Missa in honorem Maternitatis Beatae Mariae Virginis.

Omnes scimus quot calamitatibus hisce diebus terra fuerit commota. Benigne invitantur Patres, ut durante Missa preces effundant pro victimis et pro iis qui in egestatem redacti sunt.

Deus et Beata Maria Virgo, Mater nostra, illos benigne adiuvent!

[*Sequitur Missae celebratio*].

Moderatur hanc 46 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iacobus Lercaro, arch. Bononiensis.

Notum facio Patribus venerabilibus, episcopatum mexicanum aliquam summam destinasse pro victimis calamitatum horum dierum. Si qui alii episcopi vel episcoporum coetus exemplum sequi volunt, summas mittant directe ad Summum Pontificem [*plausus*].

In hac congregatione generali plura opuscula distribuentur.

Imprimis, distribuentur duo veneranda documenta Summi Pontificis Pauli VI, nempe: *Epistula* missa ad singulos catholicae Ecclesiae episcopos ceterosque Patres Concilii pro altera sessione Concilii celebranda, et eiusdem Summi Pontificis *Allocutio* ad Patres Concilii Oecumenici Vaticani II, in initio huius periodi.

Simul distribuetur a secretaria generali elenchus Patrum conciliarium, qui est redactus iuxta consilia quae data sunt elapso anno post publicationem, ad instar manuscripti, primi libelli, nempe primi elenchi. Si in hoc libello aliqua, ut dixit poeta, « aut incuria fudit, aut parum cavit natura », benevoli Patres ipsi emendent, et grati erimus si hoc secretariae significabunt.

Tandem distribuetur fasciculus continens emendationes cap. III de constitutione *de sacra Liturgia,* quae, uti diximus, suffragationi subiectae erunt proxima feria tertia. Feria autem secunda, ut heri annuntiavi, suffragationi subicietur integrum cap. II constitutionis *de sacra Liturgia.* Quod caput integrum emendatum, ut audivistis ex exitu omnium suffragationum peractarum, invenietis in fine fasciculi qui continet emenda-

tiones super cap. II, et integrum caput: a latere sinistro eius qui inspicit est textus vetus, a latere dextro est textus novus, qui suffragationi subiciendus est. Qui autem dicet *placet iuxta modum* tenetur exhibere modos scriptos in foliis distinctis; si non exhibeat hoc folium, vel haec folia, votum *placet iuxta modum* computabitur affirmativum, nempe *placet* tantum.

Et nunc lego nomina eorum qui petierunt loqui super cap. II *de Ecclesia*: em.mus ac rev.mus D. card. Ferdinandus Quiroga y Palacios, arch. Compostellanus in Hispania; exc.mus ac rev.mus D. Ioseph Slipyj, arch. Leopolitanus pro Ucrainis; exc.mi DD. Victorius M. Costantini, ep. Suessanus in Italia, Emmanuel Talamás, ep. Civitatis Juarezensis in Mexico, Hermannus Wittler, ep. Osnabrugensis in Germania, Ioseph Cirarda, aux. Hispalensis in Hispania, Henricus Nicodemo, arch. Barensis in Italia, Paulus Gouyon, coad. Rhedonensis in Gallia, Iacobus Flores, ep. Barbastrensis in Hispania, Conradus de Vito, ep. Lucknovensis in India, Marcellus Lefebvre, sup. gen. C. S. Sp., Angelus Temiño, ep. Auriensis in Hispania, Petrus Boillon, ep. Virodunensis in Gallia, Paulus Rusch, adm. ap. Oenipontanus in Austria, Ioseph Pont, ep. Segobricensis in Hispania, Aloisius Bettazzi, aux. Bononiensis in Italia, Custodius Alvim, arch. Lourenço Marques, Vincentius Jacono, ep. tit. Patarensis, Fortunatus Coutinho, coad. Belgaum in India, Henricus Vion, ep. Pictaviensis in Gallia, Ioseph Schneider, arch. Bambergensis in Germania, Patricius Cleary, ep. Nancemensis in Sinis, Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis in Gallia, Xaverius Geeraerts, ep. tit. Laganitanus in Belgio, Bernardinus Echeverria, ep. Ambatensis in Aequatore, Secundus García, coad. Ovetensis, Petrus Čule, ep. Mandetriensis in Iugoslavia, Marianus Oblak, aux. Jadrensis in Iugoslavia.

Moderator: Velint Patres omnes audire! Siquidem argumenta, de quibus nunc disceptatur in congregationibus generalibus, sunt maximi momenti, censent moderatores nondum oportere Patres interrogare an velint necne ut disceptatio claudatur. Rogant vero humanissime Patres illos, qui loqui petunt, ut si quaedam forte dicturi sunt, quae iam ab alio Patre sunt dicta, sententiae illius Patris se profiteantur adhaerere sine ulteriori explicatione, etiam si ratio explicandi parum differat, et verbum faciant solummodo de novis argumentationibus. [*Plausus*].

Apud secretariatum generalem vero iam possunt nomen suum inscribere Patres illi, qui loqui desiderant de materia cap. III constitutionis *de Ecclesia,* ita ut, debite absoluta disceptatione de cap. II, fiat immediate transitus ad disceptationem cap. III.

Rogo Patres omnes ne plausus fiant.

1

EM.MUS P. D. FERDINANDUS CARD. QUIROGA Y PALACIOS
Archiepiscopus Compostellanus

Em.mi Praesides, venerabiles Patres,

Dubium prolatum est circa sensum illarum expressionum, nempe « episcoporum coetus », « episcopatus », « collegium episcopale » et alia eiusdem generis, quae saepe adhibentur in fontibus et in magisterii documentis cum de episcopis agunt. Dubitatur enim utrum significent episcopos ex Christi voluntate veram corporationem constituere seu personam moralem in Ecclesia; an solum termini sint ad designandam per modum unius episcoporum collectivitatem seu totalitatem.

Efficax argumentum ad hanc determinandam quaestionem, pro corporatione asserenda, hac in aula humiliter postulabat frater meus carissimus arch. Caesaraugustanus, cum hoc argumentum sua, et quidem mea, sententia adhuc in votis fuerit.

1. Fortasse ad huiusmodi indubium argumentum inveniendum facilis via panditur.

Sufficeret enim, ni fallor, ea omnia elementa colligere in sacris fontibus hinc inde sparsa, quibus clare manifestatur coetum episcopalem ita esse a Domino Iesu institutum, ut de eo cum plena certitudine affirmari posset quod est unio moralis et stabilis plurium in eumdem finem, iisdem mediis, et sub eadem auctoritate conspirantium. Si haec elementa, quae sunt essentiales notae cuiusque societatis vel corporationis, coetui episcoporum conveniant, eo ipso absque dubio hic coetus verum collegium est seu corporatio.

Iam vero hoc argumentum extruere haud difficile censeo.

2. Verumenimvero, etiamsi haec collegialitas cum certitudine probaretur, adhuc probandum remanebit id quod a plurimis clarissimis huius Sacrosancti Concilii Patribus videtur propugnari, scil. collegium episcopale ex Christi voluntate facultate pollere, una cum capite collegii et sub eius ductu, leges ferendi pro Ecclesia universali.

Atque ratio est quia ex nudo collegialitatis facto huiusmodi facultas necessario non sequitur. Etenim ad collegialitatem asserendam sufficit ut episcopi singuli, cum ministerium pastorale in suis dioecesibus exercent, id faciant iuxta normas generales a Romano Pontifice latas, cum sic facientes iam vere dici potest eos in sua specifica activitate ad eumdem finem conspirare, quin facultas collegislandi pro universa Ecclesia requiratur.

Cum igitur haec collegislandi facultas non exigatur ut coetus episcoporum verum collegium sit, illi qui eam collegio episcopali iure divino competere affirment, probare, meo iudicio, debent.

3. Unde ad quaestionem utrum episcoporum coetus ad instar collegii divinitus sit institutus, sic breviter respondendum censeo:

a) Si vocabulum « collegium » id tantum significare vult, unionem nempe moralem et stabilem plurium in eumdem finem, iisdem mediis, sub eadem auctoritate conspirantium — quae sunt essentiales notae cuiusque societatis vel corporationis — tenendum esse omni certitudine videtur. Et hoc modo explicari possent non pauca quae de coetu episcoporum in Sacra Scriptura, traditione et magisterio inveniuntur.

b) Si autem voce « collegium » significare insuper intenditur episcopatum facultate gaudere collegislandi una cum Papa atque sub eius ductu pro Ecclesia universali, ut v. g. in Oecumenicis Conciliis accidit, determinandum adhuc foret utrum huiusmodi facultas iuris sit ecclesiastici — quod nullam gigneret difficultatem atque factorum explicatio sufficiens videtur — an iuris divini sit, quod quidem satis probatum nondum apparet.

Quaestio vero haec est quae modo praeciso et indubio solvi debet, ut veritas manifesto eluceat viaque claudatur difficultatibus ex aequivoco sermone certo proventuris. Dixi.

2

EXC.MUS P. D. IOSEPH SLIPYJ

Archiepiscopus Leopolitanus Ucrainorum

Admodum venerabiles Patres Concilii,

1. Cum hic os meum aperiam, praeprimis benedictus sit Deus in SS.ma Trinitate cum B. Virgine Maria et omnibus Sanctis, pro miraculosa possibilitate participandi in hoc Sacro glorioso Concilio. Gratias simul ago Suae Sanctitati — cum suis proximis collaboratoribus — pro laboribus peractis et vobis, venerabiles Patres, cum clero et fidelibus pro uberrimis orationibus pro Ecclesia nostra fusis.

Participatio in hoc Concilio Oecumenico est impletio desiderii saecularis omnium et in intimis cordis mei persuasus sum Concilium ipsum esse maximum beneficium divinum nostri temporis et esse convocatum a Papa ad muniendam Ecclesiam ab hostibus externis et ad confirmandam in interna constitutione nec non ad unitatem cum christianis omnibus stabiliendam vel ad minimum praeparandam.

Apparens omni cum humilitate coram vobis, venerabiles Patres Concilii, debeo fateri me apparere prima vice quidem, sed non ut hominem

novum, quia commendant me illustres mei antecessores, qui praesentes erant in primis Conciliis Oecumenicis et horum vestigia fideliter premo. Ex nostris terris ucrainicis antiquae Rus-Ucrainae Kioviensis iam in primo Concilio Oecumenico Nicaeno ...[1] interfuerunt Theophilus episcopus Gothorum et episcopus Cadmeus Regni Bosporici Ucrainae meridionalis inter christianos quorum erant non solum colonistae graeci, sed etiam numerosissimi scythae, proavi nostri. In qua enim civitate Bosporica regnabat libertas christianae fidei etiam ante Edictum Mediolanense.

Ad Concilium Constantinopolitanum ...[2] venit ex oppido Chersonesi in Crimea episcopus, et ita etiam *postea* [3] erant episcopi in Concilio Ephesino ...[4], Chalcedonensi ...[5] et Constantinopolitano ...[6]. In Concilio Lugdunensi I ...[7], Ecclesiam nostram praesentabat metropolita Petrus Akkerowycz, qui fidem nostram catholicam professus est et tristes notitias de invasione Mongolorum retulit. Periculum enim gravissimum devastationis totius Europae a mongolica invasione tunc imminebat. Et revera sub influxu metropolitae Petri, intonante Papa Innocentio IV, omnes fideles in angustiis sincerrime orabant: « a furore Tartarorum libera nos, Domine! ».

In Concilio Constantiensi ...[8] metropolita Kioviensis Gregorius Zamvlak unitatem cum Sancta Sede praeparabat, cui dein eius successor metropolita Isidorus in Concilio Florentino ...[9] subscripsit.

Concilio Tridentino et Vaticano I nostri metropolitae propter politicas circumstantias adsistere impediti erant, sed metropolita Lytwynowycz eo tempore Papae Pio IX oboedientiam filialem praestabat et variis praemiis ab eodem Papa affectus est.

2. Nunc nomine totius nostrae Ecclesiae Ucrainae, viginti praesentium et multorum absentium antistitum fidem nostram catholicam cum omnibus Patribus Concilii professi sumus atque maximas gratias Summis Pontificibus, Successoribus S. Petri, et toti Ecclesiae catholicae pro omnibus beneficiis acceptis in saeculis anteactis ex intimo corde agimus. Praesenti Concilio iungimus et definitionibus omnibus ac canonibus nos submittimus. Auspicamur Concilium Oecumenicum contra atheismum magnam pulchritudinem doctrinae catholicae illustraturum, praecipue quoad ordinem socialem, vias aptiores et efficaciores apostolatui indicans, prout nostra tempora postulant. Simulque cavendum est a periculis, quae verum bonum spirituale et materiale familiae christianae humanae consequi impedire possunt.

3. Venerabiles Patres! Aliquoties ab aliquibus Patribus in memoriam revocabantur verba Papae Ioannis XXIII de vocatione praeprimis pauperum prae divitibus ad Ecclesiam, quia Christus missus est « evan-

gelizare pauperibus »...[10], et praesertim de caritate et operibus misericordiae erga pauperes, ad minimum symbolico modo, omnes in ultimo iudicio interrogatos iri: « Quidquid fecistis... mihi fecistis »...[11] « Et pauperes coronabuntur »...[12] Quod signum characteristicum tempus nostrum praesefert. Non esse dubium nos passibus miliariis mutationibus et transformationibus vitae materialis et praecipue socialis obviam currere. Ecclesia, quae semper vitam humanam sapientissime dirigebat necessitatibus emergentibus manum auxiliarem tendere parata esse debet. Qua de causa et in suis personalibus exigentiis clerus relative ad fideles se accommodare et vivum exemplum Christi modestiae omnibus vita sua praebere debet. Positio episcopi ad eamdem in temporibus primis fidei christianae hodie se assimilat. Revera debet esse caput sui gregis concentrans totam *vitam* [13] suam in fundanda vita aeterna fidelium et esse paratum etiam ad omnes indigentias et penurias sustinendas. Immo et tota cura animarum debet esse hoc modo quam maxime praeordinata et adaptata secundum mentem Concilii Vaticani II uti Concilii pastoralis.

4. Nunc aliquod argumentum de collegio episcoporum proponam, quia de hac re Patres Concilii sapientissima dubia movebant et solutiones proponebant. Stricte loquendo episcopi « collegium » non constituunt, quia « collegium » in potestate iuridica et morali fundatur. Familia humana non est collegium, quia generatione membrorum suorum multiplicatur. Similiter et episcopi; episcopus Ecclesiae fit per Sacramentum, ergo aliquid physicum (signum visibile et gratia in anima, quod certe est aliquid physicum et reale), *et simul* [14] mysticum sicuti unitas Ecclesiae. Quo modo et Papa est episcopus non quatenus Papa, sed quatenus fit episcopus Ecclesiae (Mediolanensis, Romanae, *et sic porro* [15]) sicuti alii episcopi suarum particularium sedium, habentes plenitudinem potestatis episcopalis. Per electionem Papa accipit missionem specialem et vere maximam in ordine ad totam Ecclesiam et haec universalitas exigit etiam infallibilitatem. Quia tota Ecclesia Christi, ad quam dirigitur specialis missio Papae, non potest decipi et falli, propterea magisterium infallibile exigitur. Quod est etiam immediate a Christo concessum, quia Petrus iam ut apostolus accepit specialem missionem confirmare fratres, pascere oves et agnos. Ideo Papa suam supremam missionem, potestatem non accipit a « collegio » — *sicut aliqui putabant* — *a collegio* [16] episcoporum, sed a Christo *immediate*.[17]

Ex altera parte episcopi habent plenitudinem sacramenti Ordinis et quoad hoc, ut dictum est, Papa est episcopus sicuti et ceteri episcopi. Episcopi, ut dictum, accipiunt potestatem per Sacramentum in ordine ad particulares Ecclesias, sed simul etiam haec potestas quodammodo

ordinatur ad universalem Ecclesiam. Episcopus enim est particularis pastor, sed in ordine ad totam Ecclesiam. Quatenus particularis, non probatur haberi infallibilitatem, sed omnes episcopi simul habent directionem ad universalem Ecclesiam et sunt infallibiles. Quam sententiam eximii theologi contemporanei defendunt. Christus enim dixit: « Euntes, docete omnes gentes »...[18] Et Ecclesia est Corpus mysticum, aliquid unum organicum, et in quantum sunt unum, vel in quantum constituunt Ecclesiam universalem catholicam, eorum doctrina non potest esse falsa, sed infallibilis. Ideo loquentes ad totam Ecclesiam pollent simul cum Papa infallibilitate. Quae infallibilitas non est concessa episcopis a Papa, sed a Christo. Ideo a Papa non potest nec demi nec tolli. Bene attendendum est hoc magisterium infallibile esse eiusdem generis et speciei quoad fidem et mores, quae et in Papa et in episcopis fundatur in potestate episcopali. Et ita etiam infallibilitas fundatur in universalitate *Ecclesiae* [19] et exigitur ab ea. Nam tota Ecclesia non potest falsum credere et confiteri. Consequenter Concilium non constituitur ex Papa et episcopis ut aliquid tertium, *sicuti aliqui putant,*[20] morale collegium *aliquod,*[21] sed est Ecclesia fundata *vel corpus, si vultis, Ecclesia fundata* [22] ipsa cum dono infallibilitatis Spiritus Sancti, cuius ratio eadem est et in Papa et in episcopis. Differentia tantum in Concilio est haec, quod Papa suam missionem regendi Ecclesiam universalem accepit per specialem, separatam et distinctam promissionem Christi; eadem missio concessa est etiam omnibus apostolis et eorum successoribus, i. e. Petro et apostolis, Papae et episcopis.

Ab hoc uno, quod est Concilium, non potest dari appellatio. Clarum est ergo, quod potestas Papae et omnium episcoporum coincidit in Concilio.

5. Praeterea quoad n. 19, pag. 30, v. 23: « Romani Pontificis... » et sic porro, argumentum melius efformetur.

6. Dein, cum interrogatus sim a quibusdam de opinione circa diaconatum, mentem meam sincere aperiam praemissis rationibus a Patribus anteoratoribus de necessitate diaconatus adductis:

Praeprimis duo momenta attendenda sunt. Unum, quod indicavit, ni fallor, ...[23] card. Suenens, diaconatum esse pontem aliquem socialem inter societatem fidelium et clerum. *Haec est valde profunda sententia!* [24] Et alterum, quod attulit arch. Zagrabiensis Šeper, non agi hic de una vel altera eparchia *vel de una civitate,*[25] sed de quibusdam in tota Ecclesia indigentiis.

a) Non agitur *ergo* [26] de aliquo novo in Ecclesia introducendo. In oriente enim manet adhuc praxis diaconi etiam ante ordinem uxorati. Quae praxis quoque in occidente vigebat.

b) Non agitur de aliqua obligatione generali in omni eparchia restituenda, sed de permissione veterem praxim introducendi, pro necessitate quarumdam dioecesium. Prudentiae episcopi et parochi *vel conferentiae episcoporum* [27] in concreto committenda sunt.

c) Non est obliviscendum, posse agi hic de viduis, de patribus familiae sine filiis, ceterum devotissimis et in cura animarum Ecclesiae atque in actione catholica peritissimis.

d) Certe in omni re etsi optima abusus esse possunt, et in hoc casu etiam contra caelibatum, sed ministerium diaconatus propterea suo ab apostolis statuto fine in ordine sacramentali Ecclesia spoliari nequit.

7. Insuper generalis animadversio. In formandis canonibus ratio didactica non est negligenda. Numeri doctrinam exponentes tam citationibus, quam textibus, excerptis, terminis variis ita esse oneratos et perforatos ut sensus principalis sub pondere eorum pereat et perspicuitas obfuscetur. Ne nimis textus laceretur, quia tota doctrina catholica in uno canone perfecte exprimi non potest. Impossibile est etiam omnia argumenta adducere et omnia ad unum caput redigi. Ideo redactores qui totam materiam ordinabunt prae oculis teneant canones et definitiones formatos esse ad tradendum in scholis et in concionibus. Alioquin canon silva rerum evaderet.

8. Nos omni cum fiducia a Concilio magnum levamen et firmam confortationem exspectamus, quia ut dictum est, ipsum factum Concilii Ecclesiam catholicam in toto orbe terrarum evehit et sine dubio etiam in oriente ad statum deplorabilem in quibusdam civitatibus mutandum plurimum conferet. Ad quem influxum beneficum manifestandum nomine totius nostrae Ecclesiae enixe rogo ut Sacrum Concilium sedem nostram principalem metropolitanam Kioviensem-Haliciensem ad dignitatem patriarchalem evehere dignetur et conamina magna Summorum Pontificum Urbani VIII, Gregorii XVI, Pii IX et Leonis XIII in eodem patriarchatu creando tandem coronet. Quod ad confortandam Ecclesiam catholicam in oriente non solum inter catholicos, sed etiam inter orthodoxos plurimum conferet. Qua gratia, Concilio apud orientales omnem devotionem et gratitudinem sincerrimam merebit atque magnum passum in fide catholica in oriente confirmanda contulerit.

In textu scripto tradito: [1] a. 325. [2] a. 381. [3] praesentes. [4] (431). [5] (451). [6] II (553). [7] (1245). [8] 1418. [9] 1439. [10] (*Lc.* 4, 18). [11] (*Mt.* 25, 40). [12] (*Lc.* 6, 23). [13] vim. [14] Praeterea est. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] (*Mt.* 28, 19). [19] deest. [20] deest. [21] deest. [22] deest. [23] em.mus D. [24] deest. [25] deest. [26] deest. [27] deest.

3

Exc.mus P. D. VICTORIUS M. COSTANTINI
Episcopus Suessanus

Em.mi Praesides, venerabiles Patres, dilectissimi Observatores et Auditores,

Multae et pretiosae animadversiones iam factae sunt circa cap. II schematis *de Ecclesia.* Tamen considerationes quasdam summatim exponere audeo. *Quaedam, quae scripta sunt, relinquam brevitatis causa.*[1]

...[2] *Quoad diaconatum tamquam gradum permanentem.*

Non loquor nomine aliorum, quamvis meam sententiam cum aliquibus episcopis missionariis contulerim, qui eam ultro probaverunt.

Haec est propositio:

a) Cum ex una parte plurimae praevideantur difficultates sive oeconomicae sive morales inter quas minutio numeri presbyterorum, et ex alia parte, praesertim in locis missionum diaconatus stabilis perutilis reputetur, mihi videtur quod praefatae difficultates diluerentur si ad diaconatus gradum permanentem promoverentur idonei fratres laici Ordinum et Congregationum religiosorum vel membra alicuius Instituti saecularis votis adstricta. Tali in casu, nullum gravamen oeconomicum Ecclesiae seu missioni derivaret; nulla difficultas relate ad caelibatus legem, cum fratres laici, iam votum caelibatus aliunde habeant...[3]

b) Ceterum si quibusdam in locis graves rationes pastorales aliud exigant, maximis cautelis adhibitis diaconatum sine caelibatu, tamquam exceptionem ad experimentum putamus non impediendum esse.

De episcopis et de potestate collegiali.

1. In re tam gravi quae fidei dogmata et ipsam Ecclesiae constitutionem directe attingit, necesse est prius in tuto ponere ea quae sunt fidei, ea quae certa et clara sunt...[4]

Certissime apostoli a Christo vocati, ...[5] triplicem potestatem habuerunt, quam ad episcopos transmiserunt, et insuper *personales* praerogativas inter quas infallibilitas *adnumerabatur.*[6]

Certum pariter est episcopos succedere apostolis iure divino, ita ut episcopatus a nulla potestate aboleri possit...[7]

Quoad potestatem vero iurisdictionis. Episcopus veram et propriam iurisdictionem habet supra gregem ipsi assignatum. Non videtur habuisse vel habere posse potestatem supra omnem Ecclesiam. Habere debet tamen episcopus — et in hoc valde optandum est incrementum — amorem, zelum, caritatem erga totam Ecclesiam, ita ut gaudeat cum

gaudentibus, fleat cum flentibus, communionem non tantum cum Petro, quod necessarium est, sed et cum ceteris episcopis promovere curet, precibus, auxiliis quoque materialibus ita ut, sicut cum gaudio novissimis temporibus vidimus, dioeceses ditiores pauperiores adiuvent...[8]

Quoad infallibilitatem, *et in relatione ad episcopatum*:[9] nemo adfirmat vel adfirmare potest singulos episcopos infallibilitate pollere. Verum episcopi, collective sumpti, una cum Petro, ...[10] de infallibilitate Ecclesiae tamquam magistri in docendo participant; evidentissime *pariter*[11] de eadem Ecclesiae infallibilitate participant quando in legitimo Concilio Oecumenico coadunati sunt.

Ideo *non bona*[12] videtur propositio tenens in Concilio Oecumenico infallibilitatem Patrum a Summi Pontificis infallibilitate desumendam esse, dum e contra in Concilio illa infallibilitas exercetur qua Dominus Iesus Christus suam Ecclesiam instructam voluit...[13]

His tamen memoratis quaedam dicta circa Romani Pontificis infallibilitatem, humili nostro iudicio, probari nequaquam possunt. Sententiae enim Romani Pontificis, cum ex cathedra loquitur, *ex se omnino sunt irreformabiles,* et non ex consensu Ecclesiae. Nam infallibilitas in servitium et ad securitatem omnium pastorum et fidelium data est a Christo Domino per Spiritum Sanctum et non ab Ecclesia.

Inquisitiones sive personaliter factae, sive ab episcopis, sive a theologis, postulatae a Romano Pontifice, cum vult aliquid irreformabili suo iudicio credendum definire, sunt quidem utiles ut Summus Pontifex prudenter et licite agat (quod ordinarie semper factum est), sed non sunt *necessariae ad infallibilitatis exercitium,* quia adsistentia Spiritus Sancti, a Christo promissa, est veluti sacramentum (hodie valde placet hoc verbum), quae nec a sanctitate, nec a scientia, nec a prudentia Romani Pontificis pendet, sed unice et exclusive a voluntate Christi ut Ecclesia semper in veritate secura permaneat...[14]

Consensus Ecclesiae in definitionibus tum Concilii Oecumenici, tum solius Romani Pontificis non antecedenter requiritur, sed consequenter exigitur, cum Spiritus Sanctus per Patres in Concilio vel per Christi Vicarium loquatur. Actio enim Spiritus Sancti nequit ab Ecclesiae consensu pendere, sed ipse est qui, sua illuminatione, consensum omnium movet.

De hierarchia.

Hierarchia Ecclesiae constitutionem attingit. Hinc non possumus recedere ab iis quae Christus statuit. Sicut ex Sacra Scriptura et tota primaeva traditione eruitur, hierarchia constituitur a Petro, capite Ecclesiae et ipsius fundamento; et ab apostolis, proinde ab episcopis, sub Petri regimine.

Est de fide et doctrina universalis Ecclesiae orientalis et occidentalis hierarchiam constitui episcopis, presbyteris et ministris seu diaconis. Ideo quod Christus disposuit non est in facultate Ecclesiae mutare. Proinde in schemate doctrinali evidenter non posita sunt nec poni potuerant illae institutiones, quae etsi venerabiles et utiles, mere ecclesiasticae sunt. Quapropter e. g. in nostro schemate respiciente Ecclesiam universalem et non Ecclesiam latinam tantum, nihil dicitur e. g. de cardinalatu, nihil de metropolitis, nihil de primatibus, nihil de Dicasteriis Sanctae Sedis et consequenter nihil de patriarchatu.

Nemo vult minuere merita patriarchatuum in oriente, qui patriarchatus inter tot et tanta discrimina, magnas fidelium communitates sibi unitas servaverunt et fidem absque errore coluerunt. Attamen nemo theologorum adfirmare potest patriarchatum iuris divini esse, et consequenter iure divino ad constitutionem Ecclesiae pertinere. Patriarchatus ingreditur quidem in constitutionem dogmaticam et hierarchicam Ecclesiae solummodo quia patriarchae episcopi sunt, sicut nunc de cardinalatu, de primatibus et metropolitis dicendum est.

Quamobrem privilegia patriarchatus, sicut et cardinalatus et metropolitarum, non a divina institutione repetenda sunt, sed a necessitatibus, a conditionibus historicis, a bonitate ipsius institutionis.

Magna veneratione istas ecclesiasticas institutiones prosequamur; in lucem eorum merita magis promamus, sed nequaquam adfirmare possumus illas esse ex iure divino.

Demum, si Summus Pontifex, ut manifestavit Paulus VI, feliciter regnans, loco quorumdam officialium Curiae Romanae desiderat, sua libertate et plenitudine supremae potestatis, quosdam episcopos in adiutorium vocare — prouti nunc adiuvatur a dicasteriis romanis — optabile quidem erit ut etiam quosdam patriarchas in illis officiis advocet una cum aliquibus episcopis. Haec laudabilis erit ecclesialis institutio quam Petrus, Supremum caput Ecclesiae, ad melius servitium episcopis et populo Dei praestandum, libere potest constituere, si ipsi in Domino placebit, ut vultus Ecclesiae, universalis seu catholicus, magis magisque eluceat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] 1. Dum illa exhortatio quae ponitur in n. 15, pag. 25 et nn. 15-25 pag. 26 inter ea quae dicuntur de presbyteris et diaconis videtur minus prolixa et melius poneretur in alio schemate respiciente sanctitatem cleri; pars doctrinalis esset magis augenda, videtur enim deficiens, ut iam permulti adnotaverunt. 2. [3] Diaconi, ita selecti, possent baptismata conferre, S. Communionem ministrare et, si forte studia theologica sufficientia peregerint, etiam sermones ad populum proferre, si iudicio episcopi vel praefecti apostolici ad tale munus exercendum idonei fuerint inventi. [4] Deinde, talibus

veritatibus in tuto positis, inquisitiones fieri possunt, non novas interpretationes inveniendo circa fidei documenta, sed investigationes profundiores instituendo. Ad aequivocationes vel obscuritates vitandas semper distinctio prae oculis habenda est inter potestatem sanctificandi, potestatem docendi, potestatem regendi seu iurisdictionis. Item relate ad hierarchiam sedulo distinguendum est inter ea quae sunt iure divino a Christo Domino statuta, et ea quae iure ecclesiastico. [5] memoratam. [6] adnumeratur. [7] Quoad sacramentalitatem episcopatus esset optanda definitio dogmatica in hoc Concilio. Ex qua sacramentalitate episcopatus etiam sequitur (ut habetur in schemate) episcopum nulla potestate posse ad simplicem presbyterum vel eo minus ad laicum reduci. [8] et omnes episcopi cor unum et animam unam efforment atque ad missiones promovendas et adiuvandas magis satagant, apostolorum exemplum renovantes, qui et collectas colligebant pro ceteris communitatibus christianis. [9] deest. [10] etiam in magisterio ordinario. [11] deest. [12] erronea. [13] Evidenter tunc infallibilitas exercetur cum Concilium suum habet caput, i. e. Romanum Pontificem, sine quo legitimum Concilium non habetur. Ceterum, ut ait Conc. Vat. I, Romanus Pontifex cum ex cathedra loquitur, ea infallibilitate pollet qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit. Ita infallibilitas Ecclesiae qua talis est independens ab infallibilitate Romani Pontificis, quae non in Concilio, sed alio modo exercetur. [14] Infallibilitas Ecclesiae in magisterio ordinario vel extraordinario pendet a consensu expresso vel tacito Romani Pontificis, non quatenus ipse suam infallibilitatem communicat, sed quatenus sine capite non habetur universalis Ecclesia.

4

Exc.mus P. D. EMMANUEL TALAMÁS CAMANDARI
Episcopus Civitatis Juarezensis

Venerabiles Patres,

Loquar nomine octo episcoporum: quinque ex Venezuela, unus ex Argentina, unus ex Peruvia, unus ex Mexico.

Adhaeremus sententiae affirmanti [1] decere omnino hanc Sacrosanctam Synodum viam apertam relinquere tum restaurationi diaconatus permanentis, tum diaconatui sacra caelibatus lege non adstricto, ubi casus ferat et necessitas postulet. Ideo, enixe rogamus omnes illos quotquot diaconatum talem infitiantur attente reflectere in illud quod maximi momenti est: non enim agitur hic de relaxanda lege caelibatus iis quibus hucusque urget et adhuc in posterum urgere omnes volumus; sed de concedendo diaconatu uxoratis aliunde iam probatis ad bene exercendum sacrum hoc munus. Minus recte, ergo, quis posset iudicare inceptum pastorale de uxoratis diaconis tamquam vulnus inflictum legi caelibatus. Ceterum, solus diaconatus legi caelibatus adstrictus non videtur ullo modo satisfacere posse ingentissimis necessitatibus medendis.

Necessitatibus enim pastoralibus *ab aliis* [2] iam enumeratis, quibus ope sua subvenire poterunt diaconi, addendae aliae maximi momenti sunt quae requirunt qualificatam adsistentiam celebrationi matrimoniorum in amplissimis regionibus missionum et Americae Latinae uni solo sacerdoti commendatis, quae ideo solum coram civili potestate pluries contrahuntur; et sublevationem spiritualem infirmorum, praesertim graviter aegrotantium, qui saepe moriuntur sine ullo adiutorio nequidem ad actum contritionis eliciendum...[3]

Addendum etiam est, quod, soli,[4] instructores vel professores laici ad sacram doctrinam tradendam, quamvis magnopere utiles, non videntur huic ingenti necessitati satisfacere, tum quia non facile magnam illam necessariam acquirent auctoritatem apud populum, praecise propter carentiam sacri ordinis; tum quia multoties efficacius in rebus divinis populus Dei instruitur quando instructio ipsa pars est actuum, vel comitatur actus cultus sacri, quod in multis mundi plagis fieri nequit propter exiguum sacerdotum numerum; fieri autem posset solo diacono praesente.

Ex experientia multarum dioecesium,[5] ubi unus solusque parochus curam habere debet sive decem, sive viginti, immo et quadraginta et amplius pagorum, novimus quam difficile sit constituere laicum quemdam catechistam et quorumdam actuum cultus conductorem cum tali auctoritate coram populo, ut revera omnes fideles, vel maior pars eorum, et non solum unus et alter ei parere velint. Quod desideratur etiam ad tutandam validam applicationem, ex parte laicorum, can. 1098 C.I.C., sive in periculo mortis sive extra mortis periculum.

Ex hoc, *et ex aliis rationibus omissis quia iam dictis,*[6] concluditur necessariam esse multiplicationem praeconum et gestorum rerum divinarum in aliquo saltem ordine sacro constitutorum...[7]

Quaerimus ergo: *cur,*[8] si compertam habemus indigentiam magnam pastorum ne plurimi fideles, tamquam oves errantes, doctrinis variis et peregrinis sinant se abduci, ut de facto, eheu!, nunc ubique terrarum abducuntur; cur, si experientia constat caelibatus legem esse verbum quod non omnes capiunt qui ope catecheseos ministrare verbo Dei volunt et saltem restricta mensura ipso altari; cur, *inquimus,*[9] non probare diaconatum caelibatus lege non adstrictum ut hi catechistae atque ministri caritatis et sacramentorum baptismatis et Eucharistiae, immo, si Ecclesia hoc opportunum censuerit, etiam testes qualificati sacramenti matrimonii, multiplicentur in mensura qua populus Dei indiget?...[10]

Ideo conveniens videtur viam *sternere ad diaconatum perpetuum* [11] saltem experimenti causa. Etenim, etiam in hoc campo experimentum valde utile esse videtur, quia, quamvis plura praevideri possunt, non

tamen omnia, sive bona sive mala. Immo, putamus experimentum plurimum conferre posse etiam ad eliminanda vel saltem minuenda inconvenientia illa omnia et difficultates quae contra diaconatum, lege caelibatus non adstrictum, afferri solent, et quas nos ipsi fatemur conspicere, non tamen ita ut excludatur; *quia huiusmodi difficultates nec maiores numero videntur esse nec graviores natura quam illae quae in actuali disciplina inveniuntur et quas pati christiana patientia debemus quia homo ubicumque ierit eas portabit!*

Etenim, quis nostrum, venerabiles Patres, enumerare posset tot ac tantas difficultates ...[12], quas data fragilitate humana et inconstantia, Ecclesia Dei patitur, ortas occasione meritissimae et sacrae legis caelibatus quam omnimode censemus observandam esse ab omnibus qui presbyteratum conscendere vehementer cupiunt, propter praestantissima exempla heroicae virtutis aliaque ingentia bona? Quo ergo iure, data eadem fragilitate et inconstantia quae ad finem usque saeculorum perdurabit, propter ingentia bona spiritualia quae a diaconatu perpetuo inter uxoratos Ecclesiae Christi auspicantur, ei nolumus nostrum affirmativum votum tribuere nisi fere tamquam conditio sine qua non, appareat nobis sine ulla gravi difficultate? Teneamus, ergo, diaconatum perpetuum propter ingentia bona et patiamur difficultates quae totaliter vitari non poterunt ullo modo.

Praeter quod iam dictum est, nempe [13] subiecti huius diaconatus caelibatus lege non adstricti *eligantur* [14] ex hominibus iam coniugatis, et ideo exemplari vita matrimoniali iam probatis, *addendum est quod etiam seligi poterunt* [15] ex adhuc non coniugatis, coniugandi tamen (*sit venia verbo* [16]) aliquot ante annos sacrae suae ordinationis, eo ut probationem vitae matrimonialis etiam accipiant; quo tempore, scil. quod matrimonium inter et sacram ordinationem esset, soli catecheticae institutioni populi et ministerio caritatis unice dicati esse poterunt. Insuper, *quod nunc maxime indiget Ecclesia,*[17] quidam eorum, nomine *ipsius* [18] Ecclesiae, poterunt speciali modo exercere actionem socialem, sive ut periti in rebus agronomicis, *in regionibus parum evolutis,*[19] vel in technicis opificum, vel in coadunandis corporationibus operariorum, vel iuvando operarios ad instituendas associationes cooperativas, *etc.*[20]

Quod ad sic dictam publicam opinionem christifidelium spectat, ne nimiam admirationem vel scandalum patiantur, prout quidam timent, efformari omnino faciliter poterit ope modernorum mediorum, sicut efformari solet in omnibus publicis negotiis magni momenti. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Dicendum videtur. [2] deest. [3] et praesertim catecheticam institutionem abundanter ministratam, ex qua, principali mo-

do, sperari licet efflorescentia vitae christianae. Ipsa enim receptio sacramentorum sine convenienti et proportionata instructione, vel moraliter impossibilis evadit vel parum omnino fructum sanctificationis recipienti affert. [4] Iamvero soli, ut ita dicam. [5] Ex nostra, quaecumque sit, experientia pastorali in nostra dioecesi et in aliis nobis cognitis. [6] deest. [7] At omnes novimus, praesertim qui per annos seminariorum moderatores fuimus, ingentem iuvenum et adolescentium numerum qui omnino impares sunt, quamvis pulchrum et laudabile atque maxime meritorium, ad castitatis votum eliciendum, ita ut ad presbyteratum adspirare merito possint. Et multo plures adolescentes ac iuvenes admodum adesse dicendum est qui nequidem cogitant de vita sua dicanda sacro ministerio propter naturale desiderium vitae matrimonialis. [8] Cur ergo. [9] inquam. [10] Cur, necessitate pastorali urgente, non permittere diaconis perpetuis matrimonium, quod obstaculum non fuit ut Iesus Christus constitueret Simonem Ioannis, vicaria potestate, pastorem et petram fundamentalem Ecclesiae suae? Et notatu dignum est diaconatum permanentem institutum fuisse praecise propter tunc temporis crescentes necessitates pastorales ad quas subveniendas impares erant apostoli. Nonne nunc temporis etiam hoc accidit quod nec episcopi nec presbyteri sublevare possumus nec quidem fundamentales necessitates spirituales populi christiani? Ex dictis, ergo, patet utilitas magna restaurationis diaconatus perpetui etiam sacra caelibatus lege non adstricti; et. [11] ad hoc sternere. [12] immo, aliquando proh dolor! et scandala. [13] Ut autem. [14] qua par est prudentia eligantur, seligi poterunt vel solum. [15] vel etiam. [16] deest. [17] deest. [18] deest. [19] deest. [20] deest.

[*Subsignaverunt etiam*] Sergius Mendez Arceo, ep. Cuernavacensis; Antonius Ioseph Ramírez S., ep. Maturinensis; Felicianus R. Gonzales, ep. Maracayensis; Mariano Jacinto Valdivia, ob. de Huancayo; Ioseph Raphael Pulido, arch. coad. Emeritensis in Venezuela; Georgius Mayer, ep. S. Rosae (in Argentina); Crisanto Mata Cova, ob. de Cumaná; Francisco José Iturriza, ob. de Coro.

5

EXC.MUS P. D. HELMODUS HERMANNUS WITTLER
Episcopus Osnabrugensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi pauca afferre de n. 14 cap. II, et quidem in specie de connexione inter potestatem ordinis et potestatem iurisdictionis (pag. 25, *a lin. 8* [1]). Meo humili iudicio quaestio haec in schemate non sufficienter est soluta. In schemate solummodo dicitur, potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita esse institutam, « ut arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi ». Hic modus loquendi non sufficienter mihi videtur exprimere connexionem inter potestatem sanctificandi ex una parte et — ex altera parte — munus authentice docendi et gubernandi seu potestatem iurisdictionis. Melius soluta erat haec quaestio in schemate nobis anno transacto *dato*.[2]

Potestas episcopalis tota quanta confertur per consecrationem episcopalem quoad substantiam; potestas autem iurisdictionis quoad exercitium validum dependet a missione (institutione) canonica (directe vel indirecte) per Romanum Pontificem habenda.

Argumenta sunt sequentia:

1. Christus Dominus ad continuandam propriam suam pro salute hominum missionem instituit in Ecclesia officium episcopale. Hoc officium constituitur munere seu « officio » « pascendi gregem Dei »...[3] et potestate ad hoc munus implendum necessaria. Haec potestas — utpote potestas Christi Domini Ecclesiae concredita — seu plenitudo sacerdotii constituitur omnibus facultatibus, quae requiruntur ad hoc munus implendum: scil. ad cultum celebrandum, ad sacramenta administranda, ad docendum et gubernandum, etc. Tales facultates unitatem efformant, quae simul sumptae constituunt potestatem episcopalem.

Haec potestas episcopalis confertur per consecrationem episcopalem. Consecratio episcopalis utpote sacramentalis est actio vicaria Christi; hac ratione potestas episcopalis habet indolem christologicam. Hinc valida collatio consecrationis episcopalis confert ex opere operato potestatem episcopalem. Ordinatur autem haec potestas in ordinatione collata ad Ecclesiam, i. e., haec potestas confertur propter Ecclesiam, ipsa est exercenda in Ecclesia. Hac ratione potestas episcopalis habet indolem ecclesiologicam.

Hinc exercitium potestatis episcopalis sacramentaliter collatae coordinandum est cum exercitio potestatis aliorum episcoporum, qui collegium constituunt, cuius caput est Romanus Pontifex. Tali coordinatione et *communicatione*[4] membrum fit etiam collegii episcoporum...[5] Non potest igitur haberi exercitium legitimum potestatis episcopalis ex parte episcopi, qui qua talis non est recognitus et incorporatus in hierarchia Ecclesiae per supremum Ecclesiae regimen, quod non est sine Romano Pontifice, qui ut successor S. Petri perenniter a Christo Domino est constitutus Episcopus Episcoporum...[6]

2. Argumentum positivum:

a) Totam potestatem episcopalem — sine ulla distinctione inter potestatem sanctificandi et potestatem iurisdictionis — conferri in consecratione episcopali elucet praesertim ex vetusta et venerabili traditione Ecclesiae. Potestas episcopalis intelligebatur tamquam unitas pluribus facultatibus constans. Hanc traditionem non fuisse interruptam usque ad altum medium aevum constat non modo ex investigationibus historicis ultimorum decenniorum, sed in ipso Pontificali Romano, quo Ecclesia hodie utitur, testimonium huius traditionis habetur. Dicitur enim in consecratione episcopi: « Tribuas ei, Domine, cathedram epi-

scopalem, ad regendum Ecclesiam tuam, et plebem sibi commissam etc. ». Haec enim verba sensu obvio intelligenda sunt de collatione potestatis *etiam iurisdictionis.*[7]

b) Referri hic etiam debet can. 396 ...[8] iuris vigentis de personis in Ecclesia orientali ...[9], ubi dicitur: « Recepta episcopali ordinatione, episcopus episcopalem iurisdictionem... obtinet ». In hac dispositione sine dubio antiqua traditio perdurat.

c) Certum est, potestatem episcopalem exerceri non posse *si*[10] ordinatio, etsi rite peracta, legitima non fuerit. Hoc constat pariter ex laudatis investigationibus historicis, et in specie ex prohibitione — usque ad saec. XIII — ordinationis absolutae. Ordinatio non collata pro determinata Ecclesia particulari exsecutionem potestatis non conferebat et « irrita » seu vacua fuit ad normam can. 6 Concilii Chalcedonensis...[11]

d) Praxis Ecclesiae quoad collationem officii episcopalis inde ab alto medio aevo modificationem subibat, ita ut ipsa traditio antiqua non iam nota fuisset...[12]

Notandum autem est fere mediam partem Patrum Concilii Tridentini sententiam habuisse de potestate iurisdictionis in ipsa ordinatione conferenda...[13] Quod ipsum Concilium hanc sententiam suam non fecit, facile explicatur; alii enim Patres in hac sententia periculum haberi censebant quoad potestatem primatialem...[14] De cetero in tuto collocata potestate primatiali in primo Vaticano Concilio, tale periculum de se in hac sententia vere non latens penitus excluditur...[15]

Conclusio: Humiliter propono, ut loco textus in n. 14 ...[16] dicatur: « Iesus Christus Dominus noster potestatem episcopalem ita instituit, ut in sacramento ordinis conferatur cum donatione Spiritus Sancti una haec potestas, ad munera tamen diversa implenda ordinata. Exercitium autem huius potestatis, qua episcopus agit tamquam instrumentum Sancti Spiritus, legitimum non est, nisi fiat per episcopum communionem habentem cum omnibus episcopis in Ecclesia collegium sub Romano Pontifice constituentibus ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] v. 8 usque ad 12. [2] tradito. [3] (*1 Petr.* 5, 2). [4] communione. [5] Deficiente tali coordinatione officium episcopale non esset in aedificationem Corporis Christi, sed potius in eius ruinam. [6] (Vat. I; Denz. 3060). [7] iurisdictionis; non nisi interpretatione valde artificiali restringuntur ad aptitudinem regendi sacramentaliter conferendam. [8] § 2, 1. [9] (*AAS* 49, 1957, 550). [10] nisi. [11] (a. 451) (Videas in Corpore Iuris Canonici, ed. Friedberg, I, 257). [12] Demum ab hoc tempore cum distinctione inter potestatem Ordinis et iurisdictionis paulatim divisio inter utramque hanc potestatem se affirmabat. [13] Hi Patres decretum Concilii Tridentini de sacramento Ordinis approbabant tantum, quia in ipso (cap. 4) dicitur episcopos posi-

tos esse a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei (Denz.-Schönmetzer 1768); haec autem verba intelligi possent in sensu sententiae de collatione potestatis iurisdictionis in consecratione episcopali. [14] Hoc periculum praesumebant quia antiqua traditio non iam nota erat, scil. notum non iam erat etiam potestatem sacramentaliter collatam quoad validum exercitium ab Ecclesia, et ita tandem aliquando etiam a Romano Pontifice, pendere. Itaque vere Concilium Tridentinum ob defectum doctrinae de structura interna Ecclesiae hanc quaestionem nimis difficilem habere debebat. [15] Etsi verum sit, ultimis saeculis auctores magni nominis (e. g. Wernz) iurisdictionem episcopalem derivare directe ab ipso Romano Pontifice, haec difficultas facile solvitur. Laudati auctores non potuerunt cognoscere evolutionem historicam quoad conferendum officium episcopale. Praesertim ignorabant ipsam praxim et conceptionem Ecclesiae primo millennio. Haec demum ex studiis historicis ultimis decenniis nota facta sunt. 3. Argumentum etiam speculativum evolvi et brevitatis causa folio adnexo secretariatui generali trado. [16] v. 8 ss.

Animadversiones additae:

Argumentum speculativum. Ius (subiectivum) duabus essentialibus partibus componitur: *a*) ipsa facultas agendi vel habendi, quae esse spirituale seu intentionale constituit (substantia iuris, structura interna); *b*) structura externa, qua ipsa facultas ad extra efficax esse potest seu talis facultas in vita sociali ponitur.

Non potest societas tangi ipsam substantiam iuris, quia qua spiritualis ab extra affici nequit. Potest Status respective Ecclesia infra propriam competentiam afficere structuram externam iuris, quia Status et Ecclesiae est ordinare (coordinare) exercitium iuris. Potestas socialis igitur versatur circa exercitium iurium. Ius de se rite constitutum attamen legitime non recognitum exerceri nequit, quia caret debita structura externa; hinc ipsi deficit pars essentialis, ita ut ex toto (quamvis quoad substantiam habeatur) constitutum non sit, necnon efficacitate careat.

Haec sunt applicanda ad potestatem episcopalem: Consecratio episcopalis qua talis non sufficit, ut consecratus potestatem episcopalem valide exercere possit, quia consecratione non efficitur communio cum aliis episcopis, non peragitur incorporatio consecrati in hierarchia Ecclesiae. Deficiente tali incorporatione potestas episcopalis quoad substantiam quidem habetur ex consecratione, attamen ipsa caret structura externa debita, ita ut potestas efficax non sit ex defectu talis elementi essentialis et consequenter valide exerceri non possit.

Incorporatio episcopi in hierarchia Ecclesiae haberi non potest, quin in ipsa (directe vel indirecte) Romanus Pontifex partem habeat. Deficiente igitur recognitione episcopi consecrati per Romanum Pontificem episcopus valide, id est efficaciter, potestatem episcopalem (iurisdictionis) exercere non potest.

Hac conceptione tota evolutio historica quoad collationem officii episcopalis explicatur: « Exsecutio » potestatis, quae primo millennio habebatur per ordinationem pro determinata Ecclesia, nunc per missionem canonicam seu institutionem canonicam ex parte Romani Pontificis habetur. Exsecutione respective missione canonica structura externa potestatis episcopalis habetur, ipsa potestas quoad substantiam confertur consecratione. E contra supposita sententia iurisdictionem episcopalem quoad substantiam haberi demum per missionem canonicam praxis Ecclesiae primo millennio explicari non potest.

Neque obstant sententiae hic propositae dispositiones iuris vigentis; omnes

enim dispositiones canonicae, quae de concessione potestatis iurisdictionis episcopalis agunt, bene explicantur eo, quod conceditur exercitium validum potestatis in consecratione receptae. (Nisi agatur de facultatibus, quae ad officium episcopale iure divino non pertinent, sed a Romano Pontifice sunt concedendae). Simili modo explicantur textus in documentis Pontificiis, e. g. si in Encyclica *Mystici Corporis Christi* Pius XII dicit iurisdictionem episcopalem advenire episcopos a Romano Pontifice.

Quod attinet difficultatem iurisdictionem papalem et episcopalem haberi posse antecedenter ad consecrationem episcopalem, respondendum est: Talis thesis se evolvere potuit demum habita distinctione reflexa inter potestatem ordinis et iurisdictionis. Pro Ecclesia primi millennii impossibile fuit concipere potestatem episcopalem sacramentaliter non collatam. Ita e. g. Romani Pontifices usque ad altum medium aevum non ponebant ullum actum gubernii ante consecrationem; tempore ab electione ad consecrationem perduravit regimen temporis Sedis vacantis. Hinc dicendum est: ex conditione, quae est per accidens, structura officii explicari nequit. Aliis verbis: episcopus nondum consecratus non est sensu pleno episcopus. Si potestatem habet, haec non est potestas episcopalis plene constituta, scilicet sacramentaliter collata et fundata necnon qua talis in Ecclesia incorporata. Romanus Pontifex ipsa electione et acceptatione a Deo accipit Ecclesiam gubernandam; quamdiu autem consecratus non est, plene non est constitutus episcopus. (Ita diaconus in Romanum Pontificem electus non posset absolvere sacramentaliter).

6

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. CIRARDA LACHIONDO

Episcopus tit. Drusilianensis, aux. Hispalensis

Venerabiles Patres,

Loquar etiam de n. 14 huius cap. II; et loquor nomine 16 episcoporum Hispaniae.[1]

Placet doctrina proposita in schemate...[2] Et ex toto corde *adhaesionem damus*[3] iis quae ab exc.mo ac rev.mo D. Aemilio Guerry, arch. Cameracensi, dicta sunt in aula conciliari dum extolleret momentum praedictae sacramentalitatis tum pro theologia de sacerdotio evolvenda, tum pro clariore intellectione sollicitudinis qua ex officio tenentur omnes episcopi pro universa Ecclesia et quidem ratione saltem priori quam illa alia quae oritur ex munere particulari unicuique commisso.

Unus tantum exc.mus Pater, mihi quidem carissimus,[4] dubium in aula exposuit circa doctrinam de sacramentalitate episcopatus, eo maxime innixus quod multi fuerunt medii aevi theologi eam negantes. *Et intendebam proponere argumenta pro tali sacramentalitate quae tamen heri optime proposita fuerunt ab exc.mo ac rev.mo D. Urtasun, ep. Avenionensi. Hac de causa, omittam. Et hoc tantum dicere volo:*[5]

Tria ...[6] emendanda *existimamus* [7] in prima paragrapho huius n. 14 ...[8] ad maiorem eius perfectionem:

1. Textus primae epistolae Petri, cap. 2, v. 25, non videtur citandus, *iuxta ea quae ab em.mo card. Bea iam proposita fuerunt.*[9] Loquitur *enim* [10] de Christo Domino, Episcopo *certe* [11] animarum nostrarum. Verbum autem « episcopus » relate ad Christum adhibetur in textu sensu omnino diverso ab illo *alio* [12] quem habet vox relate ad praepositos Ecclesiae.

2. Asseritur in schemate arctum vinculum a Domino institutum esse inter potestatem sanctificandi et illas alias authentice docendi et gubernandi, sed proh dolor, nonnisi de prima dicitur in sacramento Ordinis conferri. Unde uno eodemque tractu et separantur et coniunguntur hae tres potestates. Quod minus placet, cum consecratio episcopalis radix vere sacramentalis sit eorum omnium quibus episcopus indiget ad suum munus episcopale perfecte obeundum, *et hoc* [13] fortasse clariori *modo* [14] asserebatur in primo schemate constitutionis *de Ecclesia* ...[15]; *et hinc toto ex corde adhaereo iis, quae a meo praedecessore immediato dicta fuerunt.*[16]

3. Dum sermo fit de charactere sacramentali quo episcopus ornatur, notandum videtur doctrinam theologicam de charactere adhuc immaturam et insufficientem permanere. Omnia quae cum charactere episcopali unita asseruntur in schemate circa inamissibilitatem episcopatus et eius essentialem superioritatem supra presbyteros vi sacramenti *ipsius*,[17] vera esse *existimamus.*[18] Cum autem non desint theologi affirmantes sacramentalitatem episcopatus, impressionem tamen characteris *novi* [19] vel negantes, vel *diversa* [20] ratione explicantes, docenda *esse existimamus* [21] a Concilio sacramentalitas consecrationis episcopalis, quin de charactere nihil prorsus dicatur.

Et hinc aliqua emendanda secretariae mittam.[22] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] circa sacramentalitatem episcopatus. [3] adhaereo. [4] Exc.mus ac rev.mus D. Raphael García, arch. Granatensis in Hispania. [5] Quae quidem ratio potius argumentum quam difficultas mihi videtur. Sacramentalitas consecrationis episcopalis iam ab initio suos habuit patronos, sed inde a Concilio Tridentino in dies communior evasit, ita ut hodie, praesertim post documenta Leonis XIII (*Apostolicae curae,* 13 sept. 1896) et Pii XII (*Sacramentum Ordinis,* 30 nov. 1947), omnino communissima vere dici potest. Commentaria omnia, privata certe, theologorum omni ex natione, quae circa schema constitutionis dogmaticae sunt exarata, ipsam unanimiter tenent. Et si non defuerunt decursu temporum theologi sacramentalitatem negantes, nostris temporibus ita paucissimi sunt, ut clarior appareat ceterorum unanimitas. Nec alia ex parte argumenta quae afferuntur, ullam vim habere nobis videntur. Argui-

tur enim ex perfecta relatione ad Eucharistiam quam habet presbyteratus, quin locus sit pro superiore gradu in sacramento Ordinis. In hac autem ratione duo magni ponderis obliviscuntur: 1. in sacramento Ordinis, praeter potestatem circa Eucharistiam, aliae etiam conferuntur potestates circa Corpus Christi mysticum tam in munere sanctificandi quam docendi et pascendi; 2. immo et quoad ipsam Eucharistiam presbyter non habet potestatem ex officio ipsam perpetuandi per novas ordinationes. Nec ignoramus quaedam esse documenta Romanorum Pontificum, quibus Bonifacius IX, Martinus V et Innocentius VIII quibusdam abbatibus, certe presbyteris, potestatem ordinandi contulerunt. Sed, quidquid sit de valore historico praedictorum documentorum, nihil evincunt, cum tales paucissimae concessiones perfectam habeant explicationem in actuali theologia de sacramentalitate episcopatus. Dum e contra universalis et constans locutio librorum liturgicorum in formulis consecrationis episcopalis, necnon praxis continua non reducendi episcopos ad gradum presbyteralem (cum contrarium tot tantosque dolores Ecclesiae vitare potuisset), indubie commonstrant sacramentalitatem episcopatus. Placet, repetam, doctrina schematis. [6] tamen. [7] existimo. [8] cap. II. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] quod. [14] ratione. [15] cap. IV, pag. 23, linn. 1-3. [16] deest. [17] deest. [18] existimo. [19] deest. [20] diversissima. [21] esset. [22] Hinc prima paragraphus n. 14 sic esset emendanda nostro humili iudicio:

Lin. 8: Dominus Iesus, ut episcopi veri pastores suae gregis esse possint, arcto vinculo coniunctas voluit potestatem authentice docendi et gubernandi et sanctificandi in Ecclesia, easque in sacramento Ordinis per sacram collationem summi gradus sacerdotii simul omnes tribuit. Ita episcopalis consecratio...

Lin. 21: ... sacramenti Ordinis. Proinde sacra Synodus declarat episcopos, etiam vi sacramenti, superiores esse presbyteris, ita ut episcopus ordinatus nunquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri possit.

7

EXC.MUS P. D. HENRICUS NICODEMO
Archiepiscopus Barensis

Venerabiles Patres,

Cap. II schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* cuius disceptatio iam ad finem properat, haud dubie, uti ex disceptatione ipsa usque adhuc habita clare apparuit, punctum centrale et veluti nevralgicum totius schematis dicendum est. Ac merito quidem: agitur enim de constitutione hierarchica Ecclesiae, quae divina ordinatione instituta est, uti Tridentinum sanxit ...[1] et Summi Pontifices Pius VI, in constitutione *Auctorem fidei ...*[2], et S. Pius X, in decreto S. O. *Lamentabili ...*[3], confirmarunt; in specie autem de episcopis, de quibus eadem Tridentina Synodus declarat « praeter ceteros ecclesiasticos gradus episcopos, qui in apostolorum locum successerunt, ad hunc hierarchicum ordinem praecipue pertinere et positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei »...[4]

At, propter hoc ipsum, maximum exstat nostrae responsabilitatis officium. Sumus nos profecto *in termino* nostri conciliaris laboris « ecclesia docens », sed *in itinere* nostro « ecclesia quaerens » potius dici possemus. Quaerendum ergo a nobis est ex divinae revelationis deposito quid ulterius hac de re affirmandum veniat, praeter ea quae ab Ecclesiae magisterio iam affirmata et definita sunt. *Ulterius,* dixi, nempe declarando quae nondum declarata sunt vel explicitius declarando quae minus explicite sunt declarata; nullo modo itaque coarctando aut imminuendo, sed semper locupletando. Nam Ecclesia, uti S. Pater Paulus VI ait initio huius periodi, « mysterium est... ac propterea talis est naturae, quae novas semper altioresque suiipsius explorationes admittit ». Ad rem nostram autem specificam quod attinet ipse Summus Pontifex ad disceptandum et ideo ad quaerendum « magna spe et sincera fiducia » — sunt eius augusta verba — nos omnes invitat.

Quid igitur nobis Sacra Scriptura dicat, quid e traditione eruatur circa apostolos et apostolorum successores horumque munera in Ecclesia; quid potissimum de collegio apostolorum et de collegio episcopali ibidem habeatur venit quaerendum. Responsiones vero nobis quaerentibus omnino certae esse debent, cum evidens sit omnes affirmationes alicuius constitutionis dogmaticae solida et inconcussa probatione fulciri debere.

Enimvero negari nequit non semper omnibus quaerentibus patere ea quae, e contra, ab aliquibus uti certa asseruntur, ita ut propterea non paucae et nequaquam spernendae in animo multorum exurgant perplexitates, quae minime sunt, ut quis putare posset, simplices anxietates, ne roborando munus episcopale primatus Summi Pontificis detrectetur.

Patet sane episcoporum collegium — et hic collegium uti factum consideramus quin de nomine quaestionem instituamus — utpote quod apostolorum collegio successit divina voluntate esse constitutum; e contrario non eodem modo patet episcoporum collegialitas uti ab aliquibus praesentatur. Nam saepe saepius ea quae de collegialitate dicuntur subtili laborant ambiguitate iuridicum ordinem cum theologico commutante.

Reapse, theologice loquendo, episcoporum collegium, propria omnimoda fungens potestate eidem a Christo Domino concredita, habetur tantum in Concilio Oecumenico — uti constans praxis Ecclesiae testatur, etsi aliqua difficultas oriri possit ex facto quod ad Concilium vocantur etiam non episcopi — ubi pro universa Ecclesia expeditur magisterium extraordinarium una cum iurisdictione, ita ut veritates definitae eo ipso in leges vertantur, et leges ipsae condantur; necnon, quodammodo tamen, per ordinarium magisterium, de quo ultimo profundiores explorationes desiderantur.

Procul dubio plurimis quidem aliis modis episcoporum collegialitate Summus Pontifex frui potest relate ad universae Ecclesiae regimen et hoc, pro temporum circumstantiis, et opportunum potest dignosci; at huiusmodi formae ab ordine theologico exulant, cum ordinem iuridicum respiciant, et ideo plenitudinem potestatis episcoporum collegio commissam minime secumferunt.

Ceterum vocabula ipsa « collegium » et « collegialitas » patenter diversam designant significationem.

Haec dico non ad quomodocumque negandum, sed, uti minus peritus, ad obiectivas difficultates peritioribus proponendas ut accuratior sit investigatio et securior responsio.

Schema ipsum ad hanc investigationem fructuose peragendam nos vocavit et vocat, validum adiumentum praestans. Quod quidem intellectu aperto et animo sereno nos omnes agere intendimus ita ut post sedulam investigationem plenam veritatem docere possimus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (sess. XXIII, cap. IV). [2] (D. 1502, 2502). [3] (D. 2054, 3454). [4] (*Act.* 20, 28. — Sess. XXIII, cap. IV).

8

EXC.MUS P. D. PAULUS GOUYON

Archiepiscopus tit. Pessinuntinus, coad. Rhedonensis

Venerabiles Fratres,

Duae illae veritates: primatus Romani Pontificis et collegialitas episcopalis, ex ipsis primordiis historiae simul exoriri videntur. Deinde eodem modo progrediuntur in lumine saeculorum, ita ut si de una discutitur, pariter et de altera quaestio ponitur. Hoc saltem verum est de periodo de qua hic agitur, i. e. de traditione Ecclesiae in secundo et tertio saeculis, *in relatione cum art. 13 et 16 cap. II.*[1]

His praemissis, tria genera factorum considerabimus, quae in praedicta periodo inveniuntur:

1. Litterae, quas episcopi ...[2] ad christifideles et ad Ecclesias a se longe dissitas scripserunt.

2. Conventus locales episcoporum *in eadem periodo, quasi praevius.*[3]

3. Character collegialis consecrationum episcoporum.

1. *Litterae antiquorum episcoporum.* Sicut Paulus christifidelibus Urbis Romae scribebat, priusquam illos oraliter Evangelium docuerit, nullis ei ius illud abnegantibus, et minime omnium ipso Petro, qui e

contra eum propterea laudat in sua secunda epistula ...[4], ita nemo Ignatium Antiochenum in fine saec. I de eo vituperat, quod ecclesiis in Asia consilia impertitur, et suo iuniori fratri in episcopatu, Polycarpo Smyrnensi, animum paterne auget.

Pariter scribit Ignatius et ipsis Romanis, attamen cum quadam solemnitate et reverentia insueta.

Etiam Polycarpus, in medio saec. II, ad christifideles Philippenses epistulas mandat.

Aliquot annos postea Dionysius Corinthius septem ecclesiis in Asia exhortationes mittit.

Omnes illi autem hoc faciunt, non civilitatis causa, sed ut lectores suos moneant, vel ad vigilantiam inducant, et non raro quia et ipsi lectores consilium rogaverunt.

Quomodo autem hic modus agendi intelligendus esset si auctores epistularum non sibi conscii fuissent responsabilitatis, quam condividebant cum episcopis illarum ecclesiarum?

Eodem tempore Clemens Romanus fideles Corinthios adloquebatur, et vocabulis utebatur quae auctoritatem specialem indicant; ex hoc rite deducitur argumentum pro existentia potestatis in suo genere plene illimitatae.

2. *Primi conventus locales.* Iam vertente saec. II, episcopi in unum conveniunt et concilia localia celebrant. Pontifici Romano Victori sane tribuenda sunt illa prima concilia, ad quaestionem sic dictam « paschalem » dirimendam. Episcopi argumentum hoc pertractant, non solum Ephesi cum Polycrate, sed etiam ubique in universo mundo christiano. Ut controversia non ad acerrimum conflictum deveniat, aliqui episcopi, v. g. Irenaeus Lugdunensis, *Romanum Pontificem interpellant*[5] et ita eius auctoritatem agnoscunt. Traditio particularis uniuscuiusque Ecclesiae ab episcopis collegialiter procedentibus, vel iudicatur vel impugnatur vel defenditur. Postea concilia regionalia habentur per decursum totius saec. III, v. g. in civitatibus Carthaginis, Iconii et Alexandriae. Postquam persecutiones finem susceperunt, conventus episcoporum crebrius celebrabantur, et imprimis conventus ille splendidus, cui Romanus Pontifex per proprios Legatos praefuit, id est Concilium Oecumenicum Nicaenum.

Si episcopi sic vocantur ad omnes quaestiones pertractandas, etiam illas quae propriam cuiusque ecclesiam non directe respiciunt, sed ad totam nationem vel ad universalem Ecclesiam sese referunt, et si nunquam contestata fuit eorum competentia in hoc modo agendi, quis non videt rationem in hoc sistere, quod omnes in solidum, et sub Romani Pontificis capite, « sollicitudinem omnium ecclesiarum » portabant?

3. *Character collegialis consecrationum episcoporum.* Iam ab antiquissimis temporibus consecrationes episcopales non ab uno, sed a pluribus episcopis celebrabantur.

Initio saec. III traditio apostolica Hippolyti hoc explicite attestatur...[6]

Pariter[7] in suo can. 4 Concilium Nicaenum has adhuc distinctiores praescriptiones habet: « Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia episcopis ordinari. Si hoc difficile fuerit, modis omnibus tamen tribus in idipsum convenientibus, et absentibus episcopis pariter decernentibus et per scripta consentientibus ». Numerus ergo requiritur, non solemnitatis causa, sed quia novus episcopus in collegium ingreditur...[8]

Huic autem regulae nulla fit exceptio. In usu est iam ab initio omnium liturgiarum, quamvis diversa sit habitudo pro impositione manuum. Quinimmo, ipse Romanus Pontifex, per plura saecula, hanc regulam secutus est quando consecrabat episcopos. Si deinde solus ritum adimplevit, hoc explicatur quia in sua persona omne corpus episcopale authentice repraesentabatur. Usus modernus aliunde ad ritum antiquum reversus est...[9]

Talia facta antiquitatem notionis collegialitatis clare probare videntur. Ideo non mirum est quod sancti Patres eam exprimunt. Textus nostri schematis typicas citationes affert, pag. 37, nota 28: ordo episcoporum apud Tertullianum ...[10], corpus episcopale, collegium episcopale apud Cyprianum et Optatum. « Si pastores multi sumus, unum tamen gregem pascimus... et oves universas colligere et fovere debemus », ait Cyprianus.

Concludimus ergo quod collegialitas episcopalis, quae fundamentum habet in ipsa Scriptura, immediate post mortem apostolorum facta est praxis vivens in Ecclesia, eodem modo ac primatus pontificalis, a quo separari non potest.

Ex altera parte sic loquitur Sanctus Pater in oratione inaugurali nostrae sessionis: « Huc, circa Nos, qui, licet postremi tempore et meritis in Petri apostoli successimus locum, cum eo tamen eamdem auctoritatem et munus obtinemus, vos, venerabiles Fratres, convenistis, qui et ipsi apostoli estis, et a collegio apostolico originem ducitis eiusque estis veri heredes ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] magni nominis. [3] qui quasi praeludium fuerunt primi Concilii Oecumenici Nicaeni. [4] (3, 5). [5] ad Romanum Pontificem recurrunt. [6] « Quique cum nominatus fuerit... conveniet populus una cum presbyteris et his qui praesentes fuerint episcopis... Consentientibus omnibus imponant super eum manus » (*La Tradition apostolique,* éd. Botte, Paris,

Cerf 1946, pp. 26-27). Huius textus variae versiones factae sunt in diversas linguas et magnum influxum habuit, speciatim in civitate Alexandriae. [7] deest. [8] illorum episcoporum cum quibus aequalia iura et officia obtinebit. [9] Omnes norunt quomodo post determinationes a Pio XII proclamatas episcopi qui in consecratione partes habent, non tanquam « assistentes » nominandi sunt (ut factum est tardiori tempore, a fine saec. XIII), sed vere « con-consecratores ». [10] cuius sensus bene distinguitur.

9

Exc.mus P. D. IACOBUS FLORES MARTIN

Episcopus Barbastrensis

Venerabiles Patres, dilectissimi Observatores et Auditores,

Ad cap. II huius schematis de Ecclesia, quod tanti momenti est et nos premit, aliquot vellem observationes addere.

1. Et primo quidem, ad n. 11 addantur aliqua verba. Non enim omnino bonum videtur tantummodo iura sua christianis fidelibus declarare sed insimul etiam obligationes; et superioribus non solum obligationes sed et iura. Sic dicerem ad lin. 5: « Quicumque e populo Dei sunt eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent et divinae consortes facti naturae debent sancta conversatione vivere et praepositis Ecclesiae reverentiam et oboedientiam exhibere tamquam Christo; qui vero ut ministri potestate pollent, sciant eam potestatem regendi, docendi et sanctificandi accipere in servitium fidelium et non in suam utilitatem ut et Christus ».

Necessarium videtur animadvertere auctoritatem in Ecclesia, sicut in quavis societate, non esse servitium, sed potestatem, attamen semper in servitium aliorum. Debemus omnes nos impendere et superimpendere pro animabus, debemus animas quaerere et super humeros nostros portare, debemus ministrare et non ministrari, debemus etiam lavare pedes aliorum, sed auctoritas est potestas a Deo data et debemus etiam apostoli praeceptum in memoriam revocare: « Oboedite praepositis vestris et subiacete eis, sicut Christo ».

2. De episcoporum munere docendi, n. 19, posset etiam ampliori modo statui modos qui videantur hodie magis pastorales, pro docendo per se et per instrumenta communicationis quae adhiberi possunt. Non solum ergo in ecclesia, in ephemeride officiali dioecesana, per litteras pastorales, sed etiam adhibendo, ut cathedram, radiophonicas allocutiones, televisionem, folia, catecheses, praedicationes, ipsam homiliam frequenter ad populum; et non credo esse abs re, si addatur illa moni-

tio post lin. 29 in pag. 30, quod consonaret verbis n. 17 positis de comparatione ad Summum Pontificem.

Sicut Romanus Pontifex, ut Successor Petri, est unitatis tum episcoporum tum multitudinis principium et visibile fundamentum, ita episcopi singuli principium et centrum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus et in illis potestatem habent, et obligationem docendi et ab erroribus oves suas defendendi et avertendi, curando ut semper unitatem magnam retineant cum aliis ecclesiis et episcopis, et speciatim cum finitimis, et cum Romano Pontifice, ut unitas doctrinae appareat.

Fideles ergo, credo esse addendum, monemus de obligatione sua ipsos audiendi et ab illis doctrinam de fide et moribus accipiendi.

Debita ergo proportione servata, fideles et sacerdotes tenentur etiam reverenter amplecti doctrinam, quam legitimi Ecclesiarum pastores proponunt.

De collegialitate autem hoc mihi videtur dicendum: quaestio quae subest nostris disputationibus mihi videtur esse haec: num possit obligari Romanus Pontifex ad habendum consilium aliquod permanens episcoporum, fundatum in iure aliquo divino?

Aliqui enim videntur velle imponere aliquod collegium, aliqui alii timent quod videatur tale quid nos velle. Certe, fuisse collegium apostolorum, nemo dubitat; egisse pluries collegialiter, nemo negat; egisse semper collegialiter, non video; etiam quando unusquisque erat in omni terra ubi exivit sonus eorum, vehementer dubito: erant omnes uniti certo, erant omnes conscientia plena se omnes ab uno Christo procedere, in uno Christo Ecclesiam efformare unam, ipso summo angulari lapide Christo Iesu. Haec unio et communio sacrosancta intangibilis erat et omnes debebant quaerere et per totum orbem quaerebatur haec unitas sancta in Christo. Haec ratio unitatis, « ut omnes unum sint ... ut credat mundus quia tu me misisti », haec videtur ratio fundamentalis et aeterna in omnibus. Ecclesia est una, fundata a Christo et propagata ut una et vivere debet ut una, et haec est ratio ultima communionis ecclesiasticae et ideo communio et communicatio in sacris in Eucharistia. Una Ecclesia cum Petro accipit mandatum etiam: « Euntes in mundum universum, praedicate Evangelium omni creaturae »; ideo solidarie omnes accipimus cum Papa, cum omnibus apostolis hanc missionem universalem.

Quomodo autem apostoli et Ecclesia, et deinde per saecula episcopi, hanc unionem manifestaverint et exercuerint, hoc nobis quaerendum est. Omnes episcopi semper, in omni loco, in omni circumstantia... Igitur videtur nobis quaerendum aliqua linea dogmatica, linea pastoralis antiqua, linea pastoralis hodierna. (Aliqua relinquam...).

Linea pastoralis: unio et cooperatio manifestata fuit perpetuo, per patriarchatus in oriente, per provincias in occidente, per concilia generatim provincialia, dein per concilia oecumenica; aliquando fuit actio collegialis inter episcopos, semper fuit unitas, semper; dein per recursus etiam ad alios episcopos, ad Romanum Pontificem, per litteras, per responsa scripta... Semper etiam actione collegiali? Non credo; semper unitas tamen per communionem.

Quomodo nunc Ecclesiam gubernat Romanus Pontifex? Quomodo gubernantur particulares Ecclesiae? Per Curiam Romanam, per nuntios apostolicos, per conferentias episcopales vel metropolitanas; sed omnia haec sunt iuris humani, non divini.

Multa adhuc, credo, hac in re maturanda sunt. Quod vero magis interest in hoc Concilio, non dogmatico sed pastorali, quod a nobis quaesivit Summus Pontifex est ut offeramus ei fructum studiorum, ut « universale munus (suum), quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis — ait Ipse — poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles fratres in episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt... operam ».

Oportet ergo ut Romano Pontifici offeratur medium quod melius omnibus videatur pro Ecclesiae vita, pro eius efficacitate, pro nostra absoluta Christo fidelitate (erunt consilia internationalia efficacia, ut pro missionibus; erit consilium episcoporum internationale; erit nova Curia internationalis; erunt...), quod melius appareat pro bono animarum, pro bono totius Ecclesiae et quo melius episcoporum unio obtineatur, ut clare appareat omnes nos unum esse « ut cognoscat mundus quia tu me misisti ».

Conclusio, ergo. Ut, manente schemate in rebus essentialibus, clarius et distinctius statuatur doctrina dogmatica certa: fundamentum unitatis et communionis fidei, sacramentorum, regiminis et apostolatus universalis, et deinde delineamenta organizationis iuris humani, quae Summo Pontifici videatur melius pro efficacitate apostolatus hodierni in tota Ecclesia.

Faxit Deus ut omnes nos unanimiter perseverantes in oratione cum Maria, Matre Iesu et Matre nostra, accipiamus Spiritum Sanctum et renovemus faciem terrae! Dixi.

Textus scripto traditus:

Gaudio non parvo perfusi ex unitate et caritate quae evidenter diffusa est in cordibus nostris per inhabitantem Spiritum Sanctum qui datus est nobis, aliqua dicere vellem ad cap. II, quod magna fecunditate donetur.

Et primo quidem ad n. 11, lin. 6: Mihi videtur non sufficere iura sua christianis declarare sed insimul etiam obligationes, e contra in linea sequenti auctoritatibus edicere non solum obligationes sed et iura: sic dicerem: « Quicumque e populo Dei sunt eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent et divinae consortes facti naturae debent sancta conversatione vivere et obedientiam in Ecclesia superioribus ostendere et reverentiam tamquam Christo; qui vero ut ministri potestate pollent, tam docendi, quam regendi et sanctificandi illam accipere in servitium fidelium et non in suam utilitatem. Necessarium videtur animadvertere auctoritatem in Ecclesia, sicut in quavis societate non esse servitium, sed potestatem, attamen semper in servitium aliorum. Licet quantum possimus debeamus nos obligare ad servitium, ad humilitatem, ad lavandos pedes aliorum, ad quaerendas animas, et illas super humeros nostros portandas, tamen idearum claritas, hodie praesertim est necessaria: Potestas non est nisi a Deo, non est nisi ad bonum aliorum, attamen est vera potestas et subditi debent illam vereri et obsequi.

De aliis quae circa collegialitatem dicta vel dicenda sunt: collegialitatem adesse in episcopatu clarissimum est tam theoretice, quam in praxi omnium saeculorum.

Clarum videtur collegium apostolorum. Clarum etiam apparet ex verbis et missione Christi, quae ex historia totius Novi Testamenti verificari in episcopis: illos succedere apostolis, qui durare non poterant, nec per totum orbem terrarum poterant ire ut et successores haberent in tempore, et particulares determinatas portiones gregis universalis haberent.

Ut melius concipiatur hic venit in medium ratio unitatis totius Ecclesiae, quae sicut ab uno Christo fundata est *una,* sic per Christum propagatur ut *una,* et vivit *una,* totaliter. Igitur omnia in unitatem melius reducuntur per hanc collegialitatis unionem. At semper cum capite et sub capite. Corpus non est sine capite, nec caput est sine corpore. Romanus Pontifex debet esse alicuius Supremus Pastor. Ipse debet esse unum cum omnibus episcopis. Est unum cum omnibus nobis. Veritas ergo collegialitatis splendidiorem facit *unitatem Ecclesiae.* Quae cum indefectibilis sit nobis dat certitudinem praesentiae Christi. Tunc possumus dicere Romanum Pontificem non posse deficere quia deficeret Christus ipse.

Tunc optime intelligitur Petrum habere primatum verae iurisdictionis in omnem Ecclesiam, in fideles et pastores, definitiones suas esse ex sese irreformabiles, et non ex consensu Ecclesiae; non quod admittamus ecclesiae consensum deesse posse; sed quod Romanus Pontifex non debet consultationes facere, non debet responsa habere scripto vel ore, non debet Concilium convocare... sed quod necessario habebit semper hunc consensum, secus Romanus Pontifex non definiet aliquam veritatem, vel id quod definit ab Ecclesia acceptabitur statim.

Collegialitas est solidalis participatio ab omnibus episcopis in munere regendi, docendi, sanctificandi plene; hoc accipitur consecratione qua aliquis particeps fit missionis Christi in Ecclesia: Sicut misit me Pater et ego mitto vos: docete omnes gentes... Hoc modo fit ut fiat participatio totius corpus episcopalis in vita totius ecclesiae, cum munere regendi, docendi et sanctificandi omnem Ecclesiam, omnes animas, omnes regiones, cum Romano Pontifice et sub Romano Pontifice, sed uniti ad eum sumus etiam nos responsabiles. Non aufert a nobis responsabilitatem sed auget, dat, elevat, et ideo quia ut ait Paulus VI habemus perspectum illud vinculum, " quo nos cum Iesu Christo coniungimur, pro haec vivens ac sancta Ecclesia,

hoc est nos, copulatur cum Christo, a quo procedimus, per quem vivimus, et ad quem tendimus. Non alio lumine praesens hic consessus fulgeat nisi Christo qui est lux mundi; non aliam veritatem quaerant animi nostri, nisi verba Domini, qui unus est magister noster; nihil aliud studeamus nisi eius praeceptis prorsus fideli obsequio obtemperare ".

Hoc collegium, hanc unitatem Ecclesiae voluit Christus fundare supra firmam petram, Petra autem prima est Christus, sed Petra etiam est Petrus, ergo Vicarius Christi et nos una cum Petro, sumus etiam fundamentum totius ecclesiae et totius boni in Ecclesia universa.

Participare ratione episcopatus in vita totius Ecclesiae certissimum etiam hac ratione videtur, pulcherrimumque est. Et iam praegustamus in ipsa aula: « quam bonum et quam iucundum habitare fratres in unum ».

Igitur cum debeamus pro tota Ecclesia impendi et superimpendi in unione cum Romano Pontifice pro omnibus rebus et personis Ecclesiae. Nunc sentimus cum Ignatio Antiocheno commendantem suam Ecclesiam aliis, tunc amore erga ecclesiam romanam flagrabimus, cum eodem Ignatio patriarca maximo: Ecclesiae dilectae, et illuminatae... quae praesidet in regione romanorum, digna Deo, digna decore... Quam multa de Patribus orientis possemus citare...

Igitur collegialitas cum sit clara, debemus schema probare, emendationes tamen aliquae erunt faciendae.

Sed nunc remanet labor forte maior pro nobis ipsis, de quo fere nihil dictum est. Beatissimus Pater edixit ut studium fiat de actuatione huius collegialitatis, de reformatione Curiae, de modo iuvandi Ipsum in gubernatione totius Ecclesiae. Quid faciendum cum ipso et sub ipso?

Tempora nova forte aliquid novum exigit a nobis. Forte aliquod studium proponendum: Ego generale quid de habendis viribus internationalibus efficacibus dicerem: Pro caritate, pro communicationibus, pro mediis diffusionis, pro subveniendis omnibus qui in necessitate versantur, pro realizatione in studiis, in scientia etc. et etiam modum inveniendi quo non nos sed nostri sint ubique praesentes, sed etiam inveniendi oeconomica media ad opera vere catholica... Ad hoc vero sufficit? convenit? aliquis coetus specialis qui bis vel ter in anno cum Romano Pontifice conveniant, ad modum cuiusdam collegii?

Pro mea parte vellem nunc aliam emendationem suggerere: n. 21 loquimur de munere regendi episcoporum et in fine dicit: Fideles autem episcopo adhaerere debent sicut Ecclesia Christo, et sicut Iesus Christus Patri, ut omnia per unitatem consentiant.

In n. vero 19 cum agitur de munere docendi in fine cum de Romani Pontificis auctoritate loquitur dicitur etiam « cum non ex cathedra loquitur... ». De episcopis vero nihil habet. Puto omnino non debere silere de hac re, hodie praesertim: addi deberet: Debita quidem proportione servata, fideles et sacerdotes tenentur etiam reverenter amplecti doctrinam, quam legitimi ecclesiarum pastores et doctores suis proponunt. Quamvis enim huiusmodi iudicia infallibilia non sint, tamen ab illis dimanant, qui a Spiritu Sancto sunt positi ut christianum populum in via fidei et morum dirigant et iuxta supernaturalem providentiam tuto ad salutem obtinendam perducant.

Immo facile dicerem ut inter nos episcopos non parvipendamus, multo minus damnemus aliorum episcoporum in suis dioecesibus dispositionibus, et velimus in aliis regionibus fieri eodem modo ac in nostris, cum ille episcopus proprius

aliter iudicet agendum. Episcopus est certe iudex in sua dioecesi licet non infallibilis.

Animadversiones additae:

Liceat mihi votum meum exprimere circa doctrinam sacerdotii, in qua licet tam fundamentalis sit videtur mihi non pauca deesse pro concinna et plena declaratione.

Vellem ante omnia ut sacerdotium Christi, ex quo omne aliud sacerdotium derivatur et a quo et significatum et vim accipit et cuius alia omnia non possunt esse nisi participationes in maiorem lucem ponatur, claritate plena tam in suis constitutivis, quam in suis effectibus et fructibus. Fiat proinde clara doctrina de sacerdotio.

Ipse enim Christus est summus, aeternus, unicus sacerdos. Ipse unica principalis victima. In ipso omnia constant. Ipseque est qui solus potest dicere: Data est mihi omnis potestas in caelo et in terra.

Omnia alia in Ecclesia sunt omnino participationes sacerdotii Christi: quae certe a pluribus multifariam, multisque modis, sive iurisdictionaliter, sive per sacram unctionem et ordinationem, per manuum impositionem recipiuntur.

Sive per episcopos, sive per presbyteros et alios Sacros Ordines, vel etiam per ordines minores, aliqua potestas recipitur.

Bene determinentur in quibus et quibus rationibus, quo sacramento et qua ratione, in confectione victimae, in oblatione, qua populi vel delegatione vel repraesentatione.

Quomodo autem limitetur in presbytero, quomodo plenitudo sit in episcopis; quid habent laici, quid eis desit ut semper, licet regale, magnum sacerdotium habeant non tamen sicut sacerdotes qui sacramento proprio et speciali Christo sacerdoti configurati sunt ut possint consecrare, remittere peccata in confessione.

Haec, in hac hora laicorum, clare debemus explicare et in luce sacrae theologiae dogmaticae et pastoralis fundare ut sit per hoc Concilium magnus theologicus et pastoralis progressus.

10

EXC.MUS P. D. CONRADUS DE VITO
Episcopus Lucknovensis

Venerabiles Fratres,

Puto quod valde clara distinctio *de diaconatu* [1] fieri deberet, nempe de diaconatu uti officium permanens in Ecclesia et de diaconatu uti officium quod ad modum exceptionis aliquibus selectis laicis confertur.

1. *De diaconatu uti officium permanens in Ecclesia,* aliqui Patres ...[2] praeclare locuti sunt et quidem pro et contra.

Si tamen minimo inter Patres, illis quae ipsi dixerunt tam praeclare, aliquid addere liceat, vellem quae sequuntur de dispensatione a caelibatu adnotare:

a) Diaconus qui mulierem ducit, talem sponsam habere tenetur, quae bonitate et decore clericali excellat, quia domina diaconi erit.

b) Ideo diaconi uxor decorosas vestes habere tenetur, ornamenta quae eius status conveniunt habere deberet, etc.

c) Filii et filiae diaconi, uti filii clerici deberent educari, aptas scholas adire, et postea convenientes professiones obtinere. Immo exemplum patris sequendo, tandem matrimonio iungendi *sunt*.[3]

d) Ideo domus et beneficium diaconale deberent esse talia, ut cum decore clerico debito, diaconus suam alere et servare familiam possit.

e) Sed uti res nunc se habent, potestne Ecclesia tale onus sustinere? Quod si diaconi uxor vanitati indulgeret, tum in modo se gerendi, tum in moribus, quae nunc in deliciis sunt, amando, vel si amantis suspicionibus victima esset, vel si filii et speciatim filiae vanitatibus huius saeculi indulgerent, possetne diaconus diaconale officium cum fructu adimplere?

Puto quod nemo ex Patribus tale onus Ecclesiae latinae velit imponere.

2. *De officio diaconatus quod aliquibus ad modum exceptionis concedi potest,* in votis multorum est.

In hoc secundo casu agitur tantum de aliquo distincto viro,

a) qui ratione bonitatis, zeli apostolici et amore pro Ecclesia revera distinguitur ab aliis;

b) qui saecularem professionem revera decorosam iam exercet, qui v. g. magister, vel medicus, vel praesertim in missionibus catechista est;

c) qui ex hac professione sumptus ad vitam sustentandam facile obtinet;

d) cuius familia vita vere christiana et bonitate praeeminet;

e) qui per exercitium actionis catholicae parochum vel *praesertim in missionibus* [4] iam cum zelo et alacritate adiuvat.

Puto quod talis vir, ad modum exceptionis, immo quasi ratione praemii, diaconus ordinandus erit.

Utique ipse cum sua familia remanebit, professionem saecularem quam iam habet exercet, suis sumptibus se et familiam sustentat, sed tamen diaconus erit, et pro temporis opportunitate, speciatim diebus dominicis et *festis de praecepto*,[5] diaconi officium exercet.

Ideo liceat mihi proponere quod verba quae sequuntur addantur pag. 26 lin. 41: « Provideatur tamen quod diaconatus officium vel professionem vel status permanens in Ecclesia non evadat, sed tantum ad modum exceptionis, et quasi ad modum praemii, aliquibus distinctis viris conferatur, qui zelo salutis animarum iam excellent, familiam revera

christianam habent et professionem saecularem decorosam iam exercent ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] hac in re. [2] inter quos em.mi DD. cardd. Spellman, Ruffini, Bacci, etc. [3] erunt. [4] speciatim missionarium. [5] festivis.

11

Exc.mus P. D. MARCELLUS LEFEBVRE

Archiepiscopus tit. Synnadensis in Phrygia, superior generalis C. S. Sp.

Venerabiles Fratres,

Loquor nomine aliquorum Patrum quorum nomina trado secretariatui generali, et loquor de nn. 16 et 17.

Nobis visum est quod si servatur textus cap. II in n. 16 et n. 17 uti iacet, finis pastoralis Concilii in gravi periculo ponitur.

Textus etenim innuit quod membra collegii episcoporum habent aliquod ius cogubernationis, *sicut dixit aliquis Pater,*[1] sive cum Summo Pontifice in Ecclesia universali, sive cum aliis episcopis in diversis dioecesibus.

Practice collegialitas exsisteret et per aliquem senatum internationalem Romae degentem et cum Summo Pontifice Ecclesiam universalem gubernantem, et per coetus episcopales nationales habentes vera iura et officia in omnibus dioecesibus unius nationis.

Unde paulatim substituerentur in Ecclesia regimini personali ab individuo pastore, collegia sive internationalia sive nationalia. Nonnulli Patres de periculo imminutionis potestatis Summi Pontificis locuti sunt, *sicut heri magister generalis O. P. et arch. Saragozensis in Hispania,*[2] et cum eis plene consentimus. Sed nobis videtur quod aliud periculum forsan adhuc gravius exsisteret, i. e.: disparitio progressiva et imminens characteris essentialis episcoporum, i. e.: quod sunt « veri pastores qui pascunt et regunt singuli singulos greges sibi assignatos » propria et immediata et in ordine suo plena potestate. Etenim sensim sine sensu coetus nationales cum eorum commissionibus pascerent et regerent omnes greges, ita ut ipsi sacerdotes et fideles haererent inter hos duos pastores: episcopum, qui theoreticam auctoritatem possidet, et coetum cum commissionibus, qui de facto exercitium auctoritatis haberet. Multa exempla possemus afferre de angustiis in quibus iam hodie versantur et sacerdotes et fideles et ipsi episcopi.

Certe Dominus noster voluit fundare Ecclesias particulares super pa-

stores personales; de Pastore tam eloquenter locutus est! Ita etiam universa traditio Ecclesiae nos docuit, *sicut*[3] tam pulchra liturgia consecrationis episcopalis nobis ostendit.

Ideo coetus episcopales fundati in collegialitate morali, in fraterna caritate, in mutuo auxilio, multum emolumentum afferre possunt et de facto attulerunt in apostolatu. Sed si paulatim locum tenent episcoporum, quia fundantur in collegialitate iuridica, maximum damnum afferre possunt.

Ad vitandum hoc periculum translationis munerum Summi Pontificis et episcoporum ad collegia, alium textum proponimus pro n. 16 et pro n. 17, quem submittimus commissioni conciliari. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] et.

Nomina Patrum qui in hac emendatione consentiunt: exc.mi DD. Castro Mayer, ep. Campos; Johan Pereira, ep. Leiria; Carlos Saboia, ep. Palmas; Aloysio Marelin, ep. Caxias; Rupp, ep. Monaco; Ladislao Paz, ep. Corumba; Sigaud, arch. Diamantina; Prou, Abbas gen. Congr. Solesmes.

Novus textus propositus loco textus in pag. 27, par. 16, cap. II.

N. 16. (De collegio episcopali eiusque Capite). Sicut in evangelio, statuente Domino, S. Petrus et alii apostoli collegium aliquod constituunt, in quantum communionem inter se et sub Petro servaverunt, simili ratione, successor Petri, Romanus Pontifex et episcopi successores apostolorum, inter se coniunguntur.

Sacra Scriptura et traditio Ecclesiae nos docet quod extraordinario modo tantum in Conciliis adunati, apostoli et eorum successores collegialiter egerunt, sub ductu Petri et Romanorum Pontificum. Apostoli etenim, personaliter suam missionem et potestatem suis successoribus transmiserunt sicut et ipsi a Domino nostro acceperunt.

Sacra Synodus in his sacris traditionibus fundatus confirmat: solus Romanus Pontifex in Ecclesiam universalem plenam, ordinariam, episcopalem potestatem per se habet. Episcopi vero, in apostolorum locum succedentes, tanquam veri pastores, assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt propria et immediata et in suo ordine plena potestate.

Unde etiam episcopi, aliquando, sive omnes sive quidam, Romano Pontifice vocante aut comprobante, in verum ac proprium collegium, per modum unius agentes, coadunantur, ad res Ecclesiae universalis aut Ecclesiarum particularium definiendas et regendas.

Haec est constans et unanimis traditio Ecclesiae catholicae quam nemo in dubium revocare potest. Haec est ineffabilis et mirabilis constitutio Ecclesiae quae immutata usque nunc permansit et permansura erit usque in finem saeculorum, secundum promissiones Domini.

Certe suadent conditiones hodierni temporis quod in coetibus frequentioribus episcopi, in caritate Christi uniti, cogitationes, desideria, proposita, curas pastorales communicent et unitatem quam maximam servent, nunquam tamen imminuta potestate Romani Pontificis, neque potestate uniuscuiusque episcopi.

12

EXC.MUS P. D. ANGELUS TEMIÑO SAIZ
Episcopus Auriensis

Em.mi ac rev.mi Patres conciliares,

Collegialitas prout in schemate habetur duo *inter alia* [1] includit elementa:

a) Sollicitudinem omnium episcoporum erga universam Ecclesiam; i. e. ad Ecclesiae universalis emolumentum.

b) Aliquod regimen pastorale episcoporum sub Romano Pontifice ad modum cuiusdam collegii erga universam Ecclesiam... [2]

De primo elemento non videtur dubitandum. De illo praeclare locutus est Pius XII in Encyclica *Fidei donum...* [3] Praeceptum enim praedicandi Evangelium omni creaturae nullo modo ad solos apostolos, sed ad successores etiam esse datum intelligendum est, quibus in munere adimplendo suam assistentiam usque ad consummationem saeculi Christus promisit.

Nunc autem quaerimus utrum *secundum elementum* seu regimen pastorale ad modum collegii in universam Ecclesiam sit etiam ex apostolis ad episcopos transmissum.

Schema distinguit inter regimen pastorale ordinarium et extraordinarium. Primum negat, secundum concedit episcopis... [4] Quidam Patres conciliares videntur tribuere episcopis omnibus regimen pastorale ordinarium et permanens ex ipsa natura Ecclesiae sub Romano Pontifice in omnes fideles. De hoc ultimo loqui vellem, venia vestra.

Si hoc regimen pastorale in universam Ecclesiam exercendum ad modum collegii ex ipsa natura Ecclesiae derivatur, iuris divini et necessarium est dicendum. Proinde cum Romanus Pontifex aliquid docet vel praecipit, sine *respectu et* [5] aliquo interventu collegii invalide agit vel egit, cum ius divinum non servetur cui subicitur successor Petri. Neminem fugit gravitas huius consequentiae. De hoc non erat in Ecclesia conscientia. Praeterea videtur non posse haec doctrina cum summa et suprema potestate ei in Petro concessa. In notissimo loco S. Matthaei, cum primatus universalis promittitur, nullus ad alios apostolos respectus ut ad subiectum activum *auctoritatis* [6] assignatur. Pariter, cum in S. Ioanne primatus confertur. A Christo separatim ab aliis discipulis solus respicitur Petrus, cui plena et universalis confertur potestas. Nullo iure possumus nos quidquam addere, quo voluntas Christi plane mutaretur.

Unde est quod dum Concilium Vaticanum I primatum definit, nihil de hac collegialitate dicit, sed potius contrarium docere credendum est. Solus Romanus Pontifex praecisione facta ab omnibus aliis ut subiecto activo, potest omnia quae Ecclesiae competunt praecipere vel definire. Scimus, ex historia Concilii, de hac dependentia vel independentia ab episcopis directe esse agitatam quaestionem. Propterea verba Concilii « eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse », non alium sensum induere possunt praeter illum qui ex ipsis verbis et ex historia Concilii eruitur, nempe: definitiones valorem habere independenter a sententiis manifestatis et a mente sive fidelium sive episcoporum. Disputationes quae diu habitae sunt de duplici subiecto infallibilitatis satis superque confirmant *rem.*[7]

Si vero dicatur Romanum Pontificem praecipere vel definire ut caput collegii episcopalis, *i. e.*[8] ut semper et necessario in Papa agente subaudiatur corpus episcopale, etiamsi hoc non intendat neque respiciat, liceat nobis humiliter respondere haec dici nimis gratuito et speciem habere lusus verborum ad salvandam theoriam. Quomodo vere collegialiter agat, nullo respectu habito nulla dependentia de collegio difficillime concipitur.

Concludendum ergo censemus, sive ex Sacra Scriptura sive ex Concilio Vaticano I satis constare, ut humiliter opinor, Romanum Pontificem sine dependentia episcoporum, nullo ad illos respectu habito, posse definire et proinde non necessario collegialiter, quod etiam *utique*[9] efficere potest *in conciliis et aliunde.*[10] Inde sequitur quod si desideratur quod in futurum collegialiter ordinarie *et semper*[11] ita agat, quia putatur ita expedire nostris temporibus, ex iure ecclesiastico, non ex divino, est expetendum.

Breves aliquas animadversiones subiungimus ad argumenta quae contrarie opponuntur.

Ut iam apposite in hac ipsa aula dictum est, in apostolis duo sunt distinguenda: munus fundandi Ecclesiam, quod personale et incommunicabile est, et sacerdotium plenum episcopale successoribus transmittendum.

Iamvero *putamus quod*[12] regimen pastorale collegiale, si perfecte apud *apostolos*[13] adest, in universam Ecclesiam ad primum munus personale pertinere ...[14]. Primo, quia ...[15] vel saltem convenientissimum erat facultatem amplissimam in fundatione omnes apostolos possidere; secundo, quia cum omnes gauderent personali infallibilitate, vix aliter cogitari potest; tertio, quia cum non essent ecclesiae locales, ministerium pastorale fere *necessarium*[16] erat sic exercendum. Unde erant circumstantiae extraordinariae quae *regimen universale*[17] exigebant, sicut ex-

traordinarium est hoc regimen in Conciliis, quin ex eo deducatur hoc modo esse agendum...[18]

Liceat etiam asserere testimonia quibus affirmatur apostolos esse fundamentum Ecclesiae vel quid simile, rem non evincere. Vox enim « fundamentum » est ambigua. Dicitur saepe fundatores esse fundamentum sui operis ...[19]. Iam vero munus fundandi in apostolis personale erat, ergo non communicandum. Aliter tamen dicitur fundamentum Petrus. Ex contextu enim intelligitur hoc fundamentum permanenter et perpetuo et active seu positive influere in unitate et firmitate Ecclesiae producenda et conservanda. Proinde *istum fundamentum*[20] mortuo Petro, *necessario*[21] debebat successoribus in perpetuum transmitti.

De argumento deducto ex exsistentia et natura conciliorum *pauca verba, quia tempus non est. In omni Episcopo est radicalis...*[22] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (vide nn. 16 et 17). [3] *AAS* 49, 1957, p. 237 s. [4] (vide n. 16, linn. 28-39 et n. 17, linn. 11-14). [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] ita. [9] deest. [10] ut in Concilio. [11] deest. [12] deest. [13] illos. [14] credendum est. [15] necessarium. [16] necessario. [17] istud regimen. [18] Inde sequitur argumentum quod trahitur ex modo agendi apostolorum efficacitate carere. Cum aliunde positive demonstretur regimen pastorale episcoporum in universam Ecclesiam ad modum collegii, sicut ordinarium et necessarium proponatur, cum Sacra Scriptura et Concilio Vaticano non posse componi, concludendum est collegialitatem apostolorum pertinere ad privilegia personalia successoribus non transmittendam. [19] in quantum fundamenta ponunt. Sic forte intelligenda verba ex ep. ad *Eph.* 2, 20 et alia. [20] ista functio. [21] deest. [22] quaedam animadvertemus: verum est quidem episcopos in Concilio iudices et legislatores et magistros esse sub Romano Pontifice, tamen ex iure divino, non ut vicarios Papae, et quidem in universam Ecclesiam. Consequentia autem quae eruitur, nempe, si in Concilio ergo semper, non est recta, ut opinamur. Res sic explicanda videtur: quomodocumque intelligatur transmissio iurisdictionis, per Romanum Pontificem vel directe ex Christo, hoc tamen certum est, sine designatione portionis gregis episcopus iurisdictionem in actu non habet. Designatio gregis est saltem conditio ut episcopus iurisdictionem habeat, quin eo ipso delegatus evadat Vicarii Christi. In Conciliis assignantur omnes fideles ut subiecta passiva iurisdictionis, et sic illam exercet episcopus iure proprio, ut in sua dioecesi, in illis rebus quae Concilio subiiciuntur. Sed quia hoc omnibus datur, nonnisi collegialiter potest exerceri.

Magis explicatur: In omni episcopo est radicalis exigentia a Deo data, per consecrationem ministerium pastorale perfectum exercendi, seu ut magister et legislator sit. Unitas in Ecclesia exigit quod cum dependentia a Petro exerceatur. Per convocationem Concilii et invitationem Pontificis, sicut per designationem dioecesis, conditione impleta, episcopus iure pleno et proprio magister et iudex et legislator evadit.

Conclusio. Regimen pastorale episcoporum ad modum collegii exercendum

permanenter sub Romano Pontifice, non videtur esse iuris divini. Quia ad naturam Ecclesiae ut a Christo fundatae non pertinet, Concilium hoc tantum potest ut ius ecclesiasticum condendum, ad modum disciplinae mutabilis.

Proponimus ergo quod schema in hac re prout est probetur nihil addendo.

13

Exc.mus P. D. PETRUS BOILLON

Episcopus Virodunensis

Venerabiles Fratres,

Peropportuna nobis exc.mi fratris Beck declaratio apparuit, qui dixit, antequam de episcopatus ordine loquamur, de Christi Sacerdote primum pauca exponenda esse.

Etenim Christus, secundum ordinem Melchisedech, est Sacerdos, non tantum in sacrificio offerendo, sed in tota Mediatoris missione ex unione hypostatica. Quod ut intellegamus, ad Moysen adspicimus qui Christi sacerdotis imago fuit anticipata, ut in epistola ad Hebraeos, cap. III, vv. 1-6, manifestatur.

Atqui Moysis sacerdotium, sacerdotium Aaron in eo superest quod non tantum ad sacrificium, sed ad integram mediatoris missionem extenditur, scil. docentis et regentis et sacrificantis. Ita Christi sacerdotium, modo tamen supereminenti, ad integram mediatoris missionem pertinet, scil. ad Prophetae et Regis et Sacrificantis missionem, quae unico exprimitur verbo, id est missio *Pastoris*. Bonus Pastor enim oves et nutrit et ducit atque « animam suam dat pro ovibus suis », secundum Ioannem, cap. X, v. 11.

Episcopis autem Christi Mediatoris missionis fit participatio per ordinationem aut consecrationem, in qua pastores constituuntur ad oves verbo nutriendas prophetico, et pastorali regimine regendas, et sacrificio ac sacramentis sanctificandas, ut iam dixit exc.mus frater Wittler.

Nec censeant quidam nos nescio qualem dignitatem vel praeeminentiam vel superioritatem vindicare velle erga sacerdotes ut eos dominatione opprimere possimus. Absit! Unum tantum clare intellegere petimus: quid nos esse et agere intendit Christus?

Si enim e sacramento pastores constituimur, laus Deo, quia characterem simul et gratiam sacramentalem ad omnia nostrae conditionis opera recipimus. E sacramento presbyteris participationem sacramentalem tradimus, non tantum erga Sacram Eucharistiam *vel sacramenta,*[1] sed erga missionem pastoralem integram ad nutum episcopi exercendam, e nostra

plenitudine tradentes sicut de Moyse in Numeri Libro dicitur: « Descenditque Dominus per nubem et locutus est ad eum, auferens de Spiritu qui erat in Moyse et dans septuaginta viris » ...[2]; quod iterum apparet in ordinationum formulis et antiquissimis, sicut in Traditione Hippolyti: « Sicut praecepisti Moysi ut eligeret presbyteros quos replesti de Spiritu tuo quod tu donasti famulo tuo ». Item e sacramento, charactere et gratia sacramentali ad communionem per totum populum christianum suscitandam instituimur, quod ad omnia episcopalis administrationis officia feliciter pertinet. Item e sacramento, nos populum docemus, non ut theologicus magister discipulos docet, sed ut pastor qui oves secundum earum necessitates nutrit cum patientia pastorali. « Non ut dominantes in cleris sed forma facti gregis ex animo »...[3]

Tandem maxime conveniens apparet illa episcopatus enucleatio. Etenim in divinae gratiae dispensatione in Ecclesia, omni missioni et obligationi sacramentum aliquod respondere videtur. Fidei enim necessitati respondet baptismum, forti Ecclesiae servitio sacramentum Confirmationis. Et sic de aliis obligationibus et sacramentis in Ecclesia. Valde ergo mirabile et contra consuetam Dei supernaturalem oeconomiam esset, si soli missioni episcopali, quae est principalis et a Iesu ipso divinitus in Ecclesia missio instituta — et quae ab antiquissima traditione cum presbyterii episcopalis missione nunquam confusa vel aequiparanda est —, aliquod non responderet sacramentum i. e. sacramentum Ordinis in sua tam characteris quam gratiae specifica plenitudine.

Conclusio: venerabiles fratres, humiliter peto ut in initio cap. II, de episcopatu, prooemium de Christo Mediatore, Summo Sacerdote, proponatur, ut episcopatus sacramenti natura ita melius manifestetur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Num.* 2, 25). [3] (*1 Petr.* 5,3).
[*Approbarunt etiam*] em.mus card. Lefebvre; exc.mi Urtasun, ep. Avignon; Vion, ep. Poitiers; Cazaux, ep. Luçon; Boudon, ep. Mende.

14

Exc.mus P. D. PAULUS RUSCH

Episcopus tit. Meloënsis in Isauria, adm. ap. Oenipontanus

Venerabiles Patres,

Ab episcopis Germaniae et Austriae, *id est a 69 episcopis,*[1] mandatum accepi disserendi pro collegialitate corporis episcoporum. Cum autem pro hac sententia optima iam dicta sint, non abutor patientia vestra, sed statim ad conclusionem transibo.

Diligenti ergo examine peracto, conferentiae Germaniae et Austriae persuasum est:

1. Collegialitatem non esse aliquid novi, cum iam ex multis annis in libris nostris dogmaticis expresse doceatur.

2. Multo minus aliquid esse inauditi, cum e. g. in Summa Theologiae a Salaverri edita thesis contineatur: Christus instituit collegium apostolorum strictiore vinculo societatis, quae thesis vocatur doctrina catholica de fide divina.

3. *Nobis persuasum est* [2] conceptum collegialitatis sufficienter elaboratum esse, quippe qui duplex elementum contineat:

a) elementum morale, quod est unanimitas, quae saepe occurrit in Actibus apostolorum, et *b*) elementum iuridicum tamquam radicem, in eo consistens quod in causis maioribus requiritur collegium.

4. *Nobis persuasum est* [3] de hac collegialitate omnino constare tum ex Sacra Scriptura, *ergo ex iure divino,* [4] tum ex historia Ecclesiae antiquae et occidentis et orientis, in qua historia actus synodales inter alia testes invicti sunt.

Quare episcopi supracitati petunt, ut textus cap. II, n. 16 ...[5], scil. « Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se plenam et universalem potestatem; collegium episcoporum autem ... una cum Capite suo Romano Pontifice ... indivisum subiectum supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur », permaneat sicuti est. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (linn. 12-18).

Elenchus episcoporum qui assensum dederunt.

Nomina Patrum conciliarium linguae germanicae, qui interfuerunt Conventui die 7 m. octobris 1963 habito:

Angerhausen, ep. aux. in dioec. Essendien.; Aufderbeck, ep. aux. in dioec. Fulden.; Baaken, ep. aux. in dioec. Monasterien.; arch. Bengsch, ep. Berolinen.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bolte, ep. Fulden.; Buchkremer, ep. aux. in dioec. Aquisgranen.; Cleven, ep. aux. in archidioec. Colonien.; Cobben, ep. Helsinkien.; Duschak, vic. ap. Calapanen.; Emanuel, ep. Spiren.; Esser, ep. Keimoezan.; Etspüler, prael. null. Bangueden.; card. Frings, arch. Colonien.; Frotz, ep. aux. in archidioec. Colonien.; Fürstenberg, ep. Abercornen.; Gnädinger, ep. aux. in archidioec. Friburgen.; Graber, ep. Ratisbonen.; Haene, ep. Guelen.; Hengsbach, ep. Essendien.; Hoeck, abbas praes. Congr. Bavaricae O.S.B.; Höhne, vic. ap. Rabaulen.; Hiltl, ep. aux. in dioec. Ratisbonen.; Jaeger, arch. Paderbornen.; Janssen, ep. Hildesheien.; Kampe, ep. aux. in dioec. Limburgen.; König, arch. Vindobonen.; Köstner, ep. Gurcen.; Kühner, prael. null. Tarmen.; Landersdorfer, ep. Passavien.; Lenhardt, ep. aux. in archidioec. Bambergen.; Macheiner, ep. aux. in archidioec. Salisburgen.; Niederberger, abbas praes. Congr. Helveticae O.S.B.; Nordhues, ep. aux. in archidioec. Paderbornen.; Olbert, ep. Zimtaoven.; Pacho-

wiak, ep. aux. in dioec. Hildesheien.; Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; Reiterer, ep. Lydenburgen.; Reuss, ep. aux. in dioec. Moguntin.; Riha, abbas praes. Congr. Austriacae O.S.B.; Rintelen, ep. aux. in archidioec. Paderbornen.; Rohracher, arch. Salisburgen.; von Rudloff, ep. aux. in dioec. Osnabrugen.; Rüth, vic. ap. Norvegiae Centralis. Schick, ep. aux. in dioec. Fulden.; Schilling, vic. ap. Gorkaen.; Schneider, arch. Bambergen.; Schräder, ep. aux. in dioec. Osnabrugen.; Schröffer, ep. Eystetten.; Schütte, sup. gen. S.V.D.; Sedlmeier, ep. aux. in dioec. Rottenburgen.; Splett, ep. Gedanen.; Stein, ep. aux. in dioec. Treviren.; von Streng, ep. Basileen. et Luganen.; Tenhumberg, ep. aux. in dioec. Monasterien.; Theissing, ep. aux. in dioec. Berolinen.; Thijssen, ep. Larantukan.; de Vet, ep. Bredan.; Volk, ep. Moguntin.; Wechner, ep. aux. Oenipontan.; Weigl, ep. Ikelaën.; Weber, ep. Iceuven.; Weinbacher, ep. aux. in archid. Vindobon.; Westermann, ep. Sambalpuren.; Wittler, ep. Osnabrugen.; Womberg, vic. ap. Norvegiae septemtr.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zauner, ep. Lincien.; Zimmermann, ep. aux. in dioec. Augustan. Vindel.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH PONT Y GOL

Episcopus Segobricensis-Castellionensis

Dilectissimi Patres,

In cap. II duas animadversiones vobis humiliter propono, cetera scripto secretariae tradam.

Et quidem primo:[1] *de voce et conceptu « potestatis » in isto capite.*

Si de ipsa voce instituatur sermo, ex investigatione instituta in nn. 11-17 praesentis capitis, circa verba quibus exprimitur ministerium, quod Dominus Petro, apostolis eorumque successoribus credidit, elucent sequentia: vox « auctoritas » adhibetur ter, ...[2] « potestas » duodecies, « servitium » semel, « testificatio » semel...[3]

Si haec investigatio limitatur ad n. 16, in quo « de collegio episcopali eiusque capite » sermo fit, sequentia inveniemus: vocem « auctoritas » bis, « ministerium » semel, « potestas » sexies...[4]

Unde patet doctrinam hanc expositam esse mente, sit venia verbo, « auctoritaria », praesertim ubi agitur de relatione inter ordinem episcopalem et Romanum Pontificem.

Sincere fateor conceptum « potestatis » in sensu auctoritatis socialis esse omnino biblicum ut patet ex iis quae docet Paulus, praesertim ad Corinthios ...[5]. Sed praevalentia mentalitatis « auctoritariae » prae aspectu servitii, qualis in nostro capite apparet, non recte videtur componi cum assertione Christi, qui contraponit « dominationem » gentilem « ministrationi » ab Apostolis praestandae...[6]

Si praeterea attenditur ad scopum, praecipue pastoralem, praesentis

Concilii, congruum videtur quoque ut, *praetermissis forsitan*[7] quaestionibus quae ad sufficientem maturitatem nondum pervenerunt, expositio circa episcopos eorumque ordinem, potius extollat naturam « ministerialem » missionis nostrae, simul ac assistentiam quam pro eius adimpletione Dominus confert tum singulis tum universis.

Sub hoc lumine haec viderentur declaranda:

a) Munus episcopale est plenum eo sensu quod includit totalitatem missionis collatae apostolis « usque ad consummationem saeculi »...[8]

b) Receptio huius muneris est quidem fons potestatis, sed praesertim responsabilitatis, iuxta illud Pauli: « Vae mihi si non evangelizavero ».

c) Ad adimpletionem gravissimae huius missionis Christus promisit apostolis-episcopis, « omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » assistentiam suam.

d) Cum totus ordo episcoporum, una simul, adimplet suam missionem, assistentia divina fit sponsor infallibilis veritatis eorum quae docentur. Cum autem praerogativa infallibilitatis competat toti collegio episcopali, non autem singulis, etiam aliqua forma collegialitatis admittenda videtur in Ecclesia ex institutione divina.

e) Habendum praeterea prae oculis est, partitionem actualem universalis Ecclesiae in dioeceses, quibus unus tantum praeficitur episcopus, esse iuris ecclesiastici. Ius divinum ministerii episcopalis non potest consistere in eo quod episcopus sit pastor, doctor et pontifex unius Ecclesiae particularis, sed in eo quod triplici praeditus missione, cum potestate et responsabilitate inde derivatis, sit successor apostolorum. Iamvero, ut ipse docet Pius XII in Encyclicis litteris *Fidei donum*: « Unusquisque episcopus, qua legitimus apostolorum successor, ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris episcopis sponsor fit, secundum illa verba quae Christus ad apostolos fecit: " Sicut misit me Pater et ego mitto vos " ...[9] ». Non potest ergo infirmari haec divina institutio propter succedentem ecclesiasticam partitionem.

f) Intra hoc collegium episcopale extollenda est, ante omnia, lex concordiae, innixa in influxu supernaturali Christi: unitatem fidei sustinentis in hierarchia suae Ecclesiae. Propter hanc legem concordiae, nulla potest dari contradictio inter totum corpus episcopale eiusque caput, cum episcopi, una simul, munere funguntur testium fidei vel morum.

E contra, unanimis testificatio corporis episcoporum, etiam ante definitionem Summi Pontificis, sufficit ad aliquam veritatem quasi de fide manifestandam. Ad cuius evidentiam fas sit legere ea quae inveniuntur in constitutione apostolica *Munificentissimus Deus* Pii PP. XII de dog-

mate definiendo de Assumptione B. Mariae Virginis in caelum. *Textum non lego.*[10]

Secundo:[11] *de quaestione quadam oecumenica.*

Quamvis in hoc capite agatur de structura hierarchica ipsius Ecclesiae catholicae, nefas tamen est oblivisci unius ex praecipuis finibus Concilii nostri, oecumenici nempe. Unde videmur teneri ad germanam expositionem veritatis, quoties haec appareat conveniens ad unionem fovendam vel ad positionem Ecclesiae catholicae, in quaestionibus unionem spectantibus, illustrandam.

Iamvero, una ex his quaestionibus, et quidem maioris momenti, est positio fratrum nostrorum qui, in venerabilibus orientis Ecclesiis praesertim, episcopalem consecrationem validam receperunt, cum qua, prout schema nostrum fatetur ...[12], ex voluntate Christi, arcte coniungitur potestas authentice docendi et gubernandi in Ecclesia.

Nec sufficit ad talem quaestionem dilucidandam consideratio tantum negativa de eorum defectu communionis cum Romano Pontifice ...[13], sed requiritur consideratio positiva, qua explicetur gradus participationis ipsorum in missione Christi, mediante linea successionis eorum ab apostolis, ac proinde vires sanctificationis, quas, ipsorum ministerio, Christus exercet in suis fidelibus.

Haec omnia spero, venerabiles fratres, pro vestro unitatis christianae studio, iubebitis includi in schema definitivum...[14] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] I. *Emendationes textuales.*

a) In descriptione ministerii apostolorum omnino siletur de eorum munere testium. In electione Matthiae, e contra, Petrus missionem duodecim describit his verbis: « testem resurrectionis (Iesu) nobiscum fieri unum ex istis » (*Act.* 1, 22). Unde videtur addenda haec idea, et quidem hoc modo: pag. 24, lin. 3, post verbum « participes facti » dicatur « testes essent resurrectionis ipsius (*Act.* 1, 22) » et prosequatur textus.

b) Recte asseritur ministerium apostolis esse concreditum pro Ecclesia usque ad finem saeculi duratura, sed cum agatur de re tanti momenti, optandum est ut fiat verbis ex ipsa Sacra Scriptura deprompti. Quod agi potest hoc modo: pag. 24, lin. 17 post « concreditum est pro Ecclesia », substituantur verba « usque ad finem saeculi duratura » his quae proponuntur: « cum promissione assistentiae suae omnibus diebus usque ad consummationem saeculi (*Mt.* 28, 20) » et prosequatur textus.

c) Haec missio, prout usque ad consummationem saeculi adimplenda, tria comprehendit: praedicationem verbi Dei, administrationem sacramentorum, curam pastoralem (cf. *Mt.* 28, 18-20). Unde haec tria videntur includenda in iis quae episcopi in Ecclesia praestare debent. Proinde, pag. 25, lin. 5, post verba: « fideles edocere et pascere » addatur: « eisque sacramenta ministrare » et prosequatur textus.

d) Optandum videtur ut luculenter pateat ministerium in Ecclesia esse ser-

vitium. Unde proponitur sequens variatio in paragrapho exponente actuositatem Domini in Ecclesia per ministerium episcopale, pag. 25, linn. 28-31: « per eorum multiforme (pro: eximium) servitium, verbum Dei (pro: fidei) et sacramenta fidei continuo Ecclesiae administret, (dematur: eorum paterno munere) nova membra Corpori mystico regeneratione spirituali incorporet, (dematur: eorum denique sapientia et prudentia) populus Novi Testamenti in sua ad aeternam beatitudinem peregrinatione dirigat et ordinet ».

e) Petrus et apostoli constituunt collegium apostolorum; Romanus Pontifex et episcopi constituunt collegium episcopale: in pag. 27, lin. 5 substituantur verba « inter se coniunguntur » verbis « efformant collegium episcopale ».

f) In ipsa pagina, linn. 12-18 idem repetunt quod dictum est in linn. 9-11, proinde videntur expungendae.

g) In pag. 31, linn. 6-7 asseritur, et quidem recte, sacra potestate utendum esse tantum ad gregem aedificandum. Quod etiam optandum est ut dicatur verbis Novi Testamenti, hoc modo: post verba « sacra potestate » ea quae sequuntur, nempe « qua tamen nonnisi ad gregem suum aedificandum uti debent » substituantur his: « quam dedit Dominus ad aedificationem et non ad destructionem (*2 Cor.* 10, 8; cf. *ib.* 13, 10) » et prosequatur textus. II. [2] ministerium sexies. [3] (ac praeterea « iurisdictio » semel, « ministratio » bis, « munus » quinquies, « primatus » bis et « principatus » semel). [4] (« primatus » semel et « principatus » semel. - Cf. Adnexum). [5] (*2 Cor.* 10; 13, 1-4. 10). [6] (*Mc.* 10, 42-45; cf. *Mt.* 20, 25-28; *Io.* 13, 13-17). [7] missis. [8] (*Mt.* 28, 20). [9] (*Io.* 20, 21. *AAS* 49, 1957, 237). [10] « Haec singularis catholicorum antistitum et fidelium conspiratio, qui Dei Matris autumant corpoream in caelum Assumptionem ut fidei dogma definiri posse, cum concordem Nobis praebeat ordinarii Ecclesiae magisterii doctrinam concordemque christiani populi fidem, — quam idem magisterium sustinet ac dirigit — idcirco per semetipsam ac ratione omnino certa ab omnibusque erroribus immuni manifestat eiusmodi privilegium veritatem esse a Deo revelatam in eoque constantem divino deposito, quod Christus tradidit Sponsae suae fideliter custodiendum et infallibiliter declarandum... ». « Itaque, ex ordinarii Ecclesiae magisterii universali consensu certum ac firmum sumitur argumentum, quo comprobatur corpoream B. Mariae Virginis in caelum Assumptionem... veritatem esse a Deo revelatam, ideoque ab omnibus Ecclesiae filiis firmiter fideliterque credendam » (*AAS* 42, 1950, 756-757). [11] III. [12] (pag. 25, linn. 8-12). [13] (cf. pag. 29, lin. 19). [14] IV. *De cap. II in genere.* Praesenti statui schematis hoc vitio vertendum est quod non prosequatur considerationem de Ecclesia ut sacramento (quae videtur centralis cap. I) proponens locum quem in constitutione huius sacramenti et in eius efficacitate retinet sacra hierarchia. Unde in futura et definitiva redactione curandum est ut idea quae assumatur quasi centrum in expositione doctrinali circa mysterium Ecclesiae (sive agatur de notione sacramenti sive de alia v. g. familiae Dei) retineatur etiam ut centralis capitis nostri ita ut exponatur locus sacrae hierarchiae relate ad ipsam, et sic consulatur unitati totius schematis.

Similis consideratio institui posset de ordine cap. II, cuius praesens dispositio potius intenta videtur ad extollendam potestatem quam ad exponendam diaconiam sacrae hierarchiae relate ad universam Ecclesiam. Unde novam dispositionem materiae huius capitis excogitans, sequentem confinxi, in qua praeterea includuntur illa quae desiderantur de novo tractanda, quamque vobis offero, si forte aliquid boni ex ipsa retinendum putetis:

De hierarchia ecclesiastica et speciatim de episcopis.

11. Prooemium.	Nexus cum praecedentibus.
I. De ipsis episcopis	Locus hierarchiae in mysterio Ecclesiae.
12. De institutione duodecim apostolorum.	De natura et existentia episcopatus.
13. De episcopis successoribus apostolorum.	
14. De episcopatu ut sacramento.	
15. De episcoporum ministeriis.	De adimpletione missionis episcopalis.
16. De episcoporum munere docendi.	
17. De episcoporum munere sanctificandi.	
18. De episcoporum munere regendi.	
19. De opere episcoporum in aedificatione universalis Ecclesiae (ubi de collegio episcoporum et primatu).	De effectibus actuositatis episcopalis.
20. De opere episcoporum in aedificatione propriae Ecclesiae particularis.	

21. De episcopis communionem cum catholica Ecclesia non retinentibus.

II. De participantibus ministerium episcopale.

22. De participatione munerum episcopalium in presbyteris, diaconibus, clericis et laicis.
23. De aedificatione Ecclesiae localis per cooperationem omnium graduum hierarchiae et populi.

Adnexus. De vocibus, quibus exprimitur in nn. 11-17 schematis de Ecclesia, ministerium quod Dominus Petro, apostolis eorumque successoribus credidit.

(numerus primus indicat paginam, alter lineam)
(sublineantur loci pertinentes ad n. 16 de collegio episcopali eiusque capite):

auctoritas: 26, 32; *27, 9; 27, 26* = 3
iurisdictio: 28, 15-16 = 1
ministerium: 23, 4; 24, 21; 25, 15-16; 25, 35; 26, 28; *27, 7* = 6
ministratio: 23, 3; 25, 37 = 2
munus: 23, 4; 25, 25; 25, 29; 26, 20-21; 28, 34 = 5
potestas: 24, 2; 24, 19; 24, 40; 25, 2; 25, 9; 25, 11; *27, 13; 27, 17; 27, 21; 27, 26; 27, 29; 27, 34* = 12
primatus: 23, 20; *27, 24* = 2
principatus: *27, 25* = 1
servitium: 25, 28 = 1
testificatio: 25, 36 = 1.

16

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BETTAZZI

Episcopus tit. Thagastensis, aux. Bononiensis

Venerabiles Patres,

...[1] In primis et ante omnia consensus confirmetur iis quae de primatu Vaticanum I sanxit: omnes Patres certe hoc faciunt, atque saltem absonum esset vel cogitare quod in animis eorum qui de collegialitate loquuntur, aliquid lateret quod primatui obstaret.

Quod ad episcopatum attinet duae res fieri debent clariores quam quae dicuntur passim in schemate ...[2], nempe:

Primum: consecratione episcopali conferri non solum potestates sacramentales sed, sub modo unius, omnes episcopi potestates.

Secundum: ex consecratione ipso iure divino omnes episcopos consecratos sive residentiales sive titulares, membra fieri corporis episcopalis, salvo obice impediente plenam ecclesiasticam communionem.

Liceat mihi, iuniori quidem atque italico, quaedam addere iis quae ex Sacra Scriptura et traditione patristica praesertim iam ab exc.mo Charue et Heuschen dicta sunt et quasi complementum eorum quae hoc ipso mane a nonnullis episcopis allata sunt, eaque liceat explicite declarare praecise quatenus ex ipsa traditione romana proposita: quaeque dum episcopatui eiusque mysterio lucem afferunt, inde ipsius Pontificis primatui argumenta addunt, non tantum sub aspectu apologetico ac iuridico, uti mos est, sed sub aspectu ipso vere theologico, ex ipso mysterio Ecclesiae profluente, et hoc in primis attendendum.

Thesis qua episcopi *ex ipsa consecratione* participes sunt universalis iurisdictionis Ecclesiae et constituunt corpus successorum apostolorum quod, cum Petro coniunctum, iure divino suprema Ecclesiae potestate fungitur, thesis ista, dico, non est quiddam inventum gallicanum vel antiromanum, sed est doctrina usitata praecipuorum et gravissimorum fautorum Romani Pontificis primatus.

Ut praetermittam canonisticam traditionem classicam a Gratiano usque ad Constantiae Concilium, principium ducere possumus a Ioanne de Turrecremata, O.P.

Ille enim, primus optimusque doctor Romani primatus contra conciliarismum, omnibus notus ut nimius fortasse studiosus Romani Pontificis praerogativarum, tamen asseruit collegium exsistere iure divino, quod una cum Papa est praeditum suprema iurisdictionis potestate super to-

tam Ecclesiam (etiamsi ille hoc corpus invenit in cardinalium collegio potius quam in episcoporum).

Amplius autem ac melius in Tridentino Concilio densum Patrum agmen descripserunt missionem singulis episcopis *ex consecratione* assignatam de universali Ecclesia.

Qui Patres non transalpini fuerunt, ut ita dicam, aut primatus adversarii, sed italici quidem Curiae Romanae *fidelissimi*,[3] omnes pro certo habentes Pontificis primatum definitive iam sancitum esse a Florentino Concilio, et tamen testes insignes collegialitatis traditionis neque interruptae neque denegatae: Paleotti, qui postea fuit primus bononiensis archiepiscopus, Della Rovere, Laureo, Nacchianti et maxime duo qui postea Summi Pontifices facti sunt, Castagna (postea Urbanus Papa VII) et Facchinetti (postea Innocentius Papa IX).

Ut brevius dicam, memorabo tantum verba Facchinetti: « Dum creamur et consecramur episcopi contrahimus duplex vinculum, alterum cum Ecclesia particulari cui sumus praefecti... alterum cum Ecclesia universali, quae una est et cuius episcopatus unus est. Illud vinculum cum Ecclesia particulari contractum dissolubile est voluntate Papae; alterum vero cum Ecclesia universali minime, sed perpetuum et indissolubile est. Nam facta v. g. electione a capitulo ad Ecclesiam particularem... initiatur matrimonium cum Ecclesia particulari. Dum Papa de Ecclesia providet, matrimonium perficitur. Dum consecramur, consummatur matrimonium, et contrahimus aliud vinculum cum Ecclesia universali et cum eo consequimur potestatem liberam generandi filios, nempe sacerdotes, in Ecclesia nostra particulari ut in universali comprehensa... Quaero ego hoc vinculum matrimonii, quod initiatur et cum Ecclesia particulari perficitur, quo iure sit inventum? Certe iure positivo. Hoc enim dissolubile est, ut dixi; alterum vero indissolubile... An autem episcopi, prout ad Ecclesiam universalem sunt consecrati, possent dici iure divino instituti: putarem posse »...[4]

Ob eamdem causam iidem Tridentini Patres minime aptum existimant distinguere in episcopo potestatem Ordinis a potestate iurisdictionis et inclinant ut existiment *in ipsa consecratione* episcopo alias potestates conferri praeter eas quae proprie sacramentales sunt...[5]

Quae doctrina inde a Concilio Tridentino multum progressa est: praesertim per dissertationem de episcopis titularibus Hieronymi Vielmi qui alius fuit theologus Ordinis Praedicatorum, magister veneratus S. Caroli Borromaei; et ipsa postea progressa est per Hieronymum Andreucci, S. I., et inde per alios usque ad finem saec. XVIII et usque ad eos doctores qui Iansenismi adversarii firmissimi fuerunt et doctrinam praepararunt de primatu et infallibilitate eisdem fere verbis quibus a Vaticano I defi-

nita fuit (sunt inter alios celeberrimus Petrus Ballerini, Antonius Zaccaria, et ceteri... usque ad Maurum Cappellari).

Inter eos primus qui doctrinam defendit de episcoporum collegio et de omnium episcoporum consecratorum participatione universali iurisdictioni Ecclesiae, fuit Dominicus Cristianopulus O. P., doctissimum membrum primi collegii historici Ordinis eiusdem.

In opere *Della nullità delle assoluzioni nei casi riservati,* quod editum fuit Romae a. 1785 cum licentia ...[6] Magistri Sacri Palatii, inter permulta haec dicit: « Potestas quam Iesus Christus immediate ad Ecclesiam suam gubernandam praeposuit, i. e. iurisdictio universalis super totam Ecclesiam universam, omni cum plenitudine consistit in Summo Pontifice eodemque modo omni cum plenitudine consistit in corpore episcopali ».

« Eosdem episcopos, igitur, qui membra sunt episcopalis corporis habent collegialiter summam potestatem super Ecclesiam universalem non distincte a Papa qui caput est eorum collegii, *eamque potestatem habent ex consecratione iure divino* ».

Haec verba eo magis sunt significantia quia ea aliis dictis adiiciuntur quibus absolute affirmatur « posse Papam etiam solum omnia quae potest Papa cum Concilio et contra eadem non posse episcoporum collegium sine Papa ».

Ex Cristianopulo, quem omnes coryphaei romanae doctrinae (Zaccaria praesertim) laudaverunt, plurimi hauriunt auctores subsequentes usque ad Concilium Vaticanum I: a Bolgeni (qui non recte huius doctrinae inventor existimatus est) usque ad Maurum Cappellari (qui postea fuit Supremus Pontifex Gregorius XVI, Pii IX proximus antecessor).

In opere quod *Il trionfo della Santa Sede* inscribitur, Cappellari, eamdem traditionem sequens, episcopis tribuit, sicut dicit, « ius suffragii » i. e. « *iurisdictionem universalem quae a Deo episcopis directe communicatur* » cum contra « ius regiminis singulae Ecclesiae particularis ab Ecclesia communicatur per Papam caput eius ».

Haec principia Concilium Vaticanum I minime repugnavit sed expresse voluit non praeiudicata a definitione dogmatica primatus cum relator Deputationis de Fide Zinelli hoc declaravit: « Hanc quaestionem... nos certe noluimus definire per nostrum canonem nec per incisum insertum. Si asserimus totam plenitudinem potestatis supremae esse in Summo Pontifice, nec asserimus nec negamus potestatem quae est in episcopis derivari a Deo immediate aut a Summo Pontifice ».

Hunc haud interruptum et cohaerentem processum historicum amplissime probare possem: nunc parco. Satis tamen sint ea quae perpauca nunc dicere potui ut confirmetur hanc doctrinam, quam defendimus,

novatricem non esse sed Sacram Scripturam et traditionem primitivam ac sequentem fideliter repetere, ita ut novatores dici possent qui contraria affirmarent.

Quod si quis innuat hanc expressionem « collegium apostolorum » ius romanum sapere ac propterea eis difficultatibus implicari quae huic instituto iuridico connectuntur, liceat mihi concludenti fateri nos nolle quidem ad ius romanum redire; simplicius liceat (iuxta antiquorum adagium « legem credendi lex statuat supplicandi ») liturgiam recolere quae die 24 februarii in festo cuiusdam apostoli numerum duodenarium integrantis, sic orat: « Deus qui B. Matthiam apostolorum tuorum collegio sociasti... », quod mihi sufficit. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Agimus de divina Ecclesiae constitutione: nemo igitur mirari potest si disputatio nostra longior fit. [2] (pag. 25, linn. 8-9; pag. 27, lin. 36; pag. 28, linn. 11-16; et pag. 29, lin. 5). [3] fidissimi. [4] (Concilium Tridentinum, IX, 179, 15-21 et 32-52). [5] (ita praesertim Castagna). [6] ut imprimeretur.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

Secretarius generalis: Proxima congregatio: feria secunda sequenti, hora nona.

CONGREGATIO GENERALIS XLVII

14 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLVII

14 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderatur hanc 47 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Iulius Döpfner, arch. Monacensis.

Antequam legam nomina eorum, qui petierunt loqui circa cap. II schematis *de Ecclesia,* notum facio Patribus die 13 octobris a. 1963 supremum diem pie obiisse exc.mum D. Sebastianum Briacca, ep. Montis Vici seu Montis Regalis in Pedemonte. Recitemus *De profundis.*

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT recitat, alternatim cum Patribus, Ps. 129 *De profundis,* cum versiculis et oratione.

Secretarius generalis: Petierunt igitur verba facere circa cap. II schematis *de Ecclesia* em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Frings, arch. Coloniensis in Germania, Ioseph Ritter, arch. S. Ludovici in Stat. Foed. Amer. Sept.; exc.mi DD. Petrus Parente, arch. tit. Ptolemaidensis in Thebaide, Custodius Alvim, arch. Lourenço Marques, Vincentius Jacono, ep. tit. Patarensis, Fortunatus Coutinho, ep. coad. Belgaum in India, Henricus Vion, ep. Pictaviensis in Gallia, Ioseph Schneider, arch. Bambergensis in Germania, Patritius Cleary, ep. Nancemensis in Sinis, Ioannes Sauvage, ep. Anneciensis in Gallia, Secundus García, arch. coad. Oveten., Petrus Čule, ep. Mendetrien. in Iugoslavia, Marianus Oblak, ep. aux. Iadrensis in Iugoslavia, Salvator Baldassarri, arch. Ravennatensis in Italia, Ioseph Höffner, ep. Monasteriensis in Germania, Ioseph Carraro, ep. Veronensis in Italia, Armandus Fares, arch. Catacensis in Italia, Georgius Kemerer, ep. Posadensis in Argentina, Paulus Zoungrana, arch. Uagaduguensis in Volta Superiore, Aloisius Carli, ep. Signinus in Italia, Narcissus Jubany, ep. aux. Barcinonensis in Hispania, Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon, Iesus Enciso, ep. Maioricensis in Hispania, Aloisius Romoli, ep. Pisciensis in Italia, Ioannes Mazur, ep. aux. Lublinensis in Polonia, Petrus Rougé, ep. coad. Nemausensis in Gallia, Raymundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea, Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania, Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D., Ioseph Reuss, ep. aux. Moguntinus in Germania, Guidus Riobé, ep. Aurelianensis in Gallia.

Moderator: Legat nunc exc.mus secretarius generalis cap. II constitutionis *de Liturgia* pro votatione definitiva de hoc capite.

Secretarius generalis: Iuxta mandatum moderatoris, fit hodie suffragatio de cap. II schematis *de sacra Liturgia,* quod inscribitur *de sancto Eucharistiae mysterio.*

Videatis pag. 25 fasciculi distributi. Caput ita incipit: « Salvator noster, in Cena novissima, qua nocte tradebatur, Sacrificium Eucharisticum Corporis et Sanguinis sui instituit, quo Sacrificium Crucis in saecula, donec veniret, perpetuaret, atque adeo Ecclesiae dilectae Sponsae memoriale concrederet mortis et resurrectionis suae: sacramentum pietatis, signum unitatis, vinculum caritatis, convivium paschale, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia et futurae gloriae nobis pignus datur... ».

Et reliqua usque ad pag. 28, ubi caput ita finem habet, n. 58: « Novus ritus concelebrationis conficiatur, Pontificali et Missali Romano inserendus ».[1]

Ergo suffragatio facienda est super totum hoc integrum caput.

Ut pluries iam dixi, suffragatio fit per *placet, non placet* et *placet iuxta modum. Placet iuxta modum* hoc significat, quod caput plerumque, in pluribus partibus placet, sed in quibusdam aliis non placet vel modificandus est. Ergo ut haec immutatio seu modificatio fiat, necesse est cognoscere quomodo modificatio facienda sit. Ergo qui dicunt *placet iuxta modum,* tenentur tradere una cum schedula suffragationis et in foliis distinctis, uti patet, modos qui desiderantur ut inserantur in schema. Si modi non dantur, etsi suffragatio facta sit *placet iuxta modum,* mens suffragantis praesumitur esse pure positiva. Ergo ut valeat *placet iuxta modum,* una cum schedula tradendus est modus vel modi qui desiderantur.

Durante hac congregatione, distribuentur schedulae, quas vos omnes Patres venerabiles iam cognoscitis, et postquam votum vestrum cum tranquillitate dederitis, eaedem schedae auferentur ab assignatoribus locorum. Gratias!

Moderator: Continuatur nunc disceptatio de cap. II schematis *de Ecclesia,* sed antea audire faveant Patres omnes!

Disceptatione de hoc capite iam ulterius progrediente, immo tempore opportuno ad finem currente, iterum, uti iam in initio ultimae congregationis generalis, Patres omnes enixe rogantur ne repetant eadem argumenta vel etiam talia qualia vix a rationibus iam prolatis differunt.

---

[1] *Cf. pag. 283.*

Exstat ratio etiam psychologica. Auditores huius almi consessus, uti experientia docet, meris repetitionibus pro re iam pluries commentata non alliciuntur pro re proposita.

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. FRINGS
Archiepiscopus Coloniensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi pauca quaedam addere ad quaestionem collegialitatis episcoporum et quidem quomodo haec veritas contenta sit in antiquissima traditione.

1. Verum est conceptum collegialitatis in sensu iuridico stricte determinato non inveniri in antiquissimis Patribus. Qui hinc concluderet talem collegialitatem in primis saeculis revera non extitisse omnino falsam methodum adhiberet in inquirenda veritate ex sacra traditione. Hoc modo neque primatus iurisdictionis Summi Pontificis, qui est veritas firmissima fidei nostrae, ex sacra traditione priorum saeculorum cognosci potest, quia tunc temporis primatus Summi Pontificis Romani aliis formis se manifestabat. Omnino autem non licet diversas methodos adhibere ad inquirendum primatum Summi Pontificis et collegialitatem episcoporum.

His praesuppositis ei, qui sincere perquirit historiam veteris Ecclesiae, collegialitas episcoporum non minus clare apparebit quam primatus iurisdictionis Summi Pontificis, sicut duo elementa quae semper ad vitam Ecclesiae pertinent.

2. Breviter etiam positive hoc illustrare iuvabit. Antiqua Ecclesia, sicut iam ex Sacra Scriptura elucet, ex multis Ecclesiis localibus aedificabatur, quae inter se communicabant in verbo et in Corpore Domini nostri Iesu Christi. Et sicut una et unica Ecclesia aedificabatur ex multis Ecclesiis inter se communicantibus sub Romano Pontifice, sic etiam episcopi arcto foedere ab initio inter se coniuncti erant. Ita ut S. Cyprianus dicere possit: « Episcoporum multorum concordi numerositate unus Episcopatus copulatus est », et alio in loco: « Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur ». Quod haec communio episcoporum non tantum episcopos alicuius regionis complecteret, clarum est ex verbis S. Ignatii Antiocheni qui dicit: « Christus sententia, i. e., Verbum est Patris, episcopi per tractus terrae constituti, id est per totum mundum dispersi, in sententia, id est in Verbo, Christi sunt ».

Haec communio episcoporum inter se et cum Romano Pontifice gra-

vissimum pignus erat unitatis et veritatis conservandae. Et in hoc praecise erat elementum principale huius collegialitatis, scilicet in conservanda unitate et veritate.

Etiam vocabulum « collegii » usurpabatur tunc temporis, sicut elucet ex loco apud S. Optatum Milevitanum qui dicit de episcopis donatistis: « Quia collegium episcopale nobiscum habere nolunt commune, collegae non sint; tamen sunt fratres ».

Et etiam practice et iuridice haec communitas episcoporum variis modis exercebatur, e. g. per litteras communicatorias quibus novi episcopi legitimum suum introitum in ordinem episcoporum finitimis episcopis communicabant, per epistolas illas pulcherrimas quas episcopi miserunt ad alias Ecclesias praesertim ad Ecclesiam Romanam, caput totius Ecclesiae, e. g. S. Ignatius Antiochenus, S. Polycarpus Smyrnensis et S. Dionysius Corinthius. Praesertim vero haec communio se ostendebat eo quod singuli episcopi quaestiones maioris momenti non alia via decisas habere voluerunt quam via collegiali, scilicet per Synodos, sive provinciales sive regionales ex quibus Concilia oecumenica provexerunt.

3. Tertia assertio. Patet non omnes veritates fidei nostrae ab initio et statim omni claritate apparuisse in Ecclesia sed aliquas paulatim explicatas esse. Cogita de veritate Assumptionis B. Virginis Mariae et etiam de veritate primatus iurisdictionis Romani Pontificis qui in sua decisa claritate tandem in Vaticano I definitus est. Iterum autem dico collegialitatem episcoporum in antiqua traditione non minus clare apparere quam veritatem nobis omnibus carissimam de primatu iurisdictionis Summi Pontificis. Proinde ex hoc capite historiae veteris Ecclesiae, secundum meum humile iudicium, nihil impedit quoniam haec veritas ut essentialis pro structura Ecclesiae in hoc Concilio in plena luce ponatur. Dixi.

Textus scripto traditus:

Liceat mihi adhuc aliqua verba de quaestione collegialitatis in Ecclesia dicere, praesertim de modo quo in antiqua traditione haec veritas contenta est.

1. De methodo cognitionis. Verum est conceptum collegii in sensu iuridico stricte determinato in traditione Patrum non inveniri. Qui vero concluderet, collegium episcoporum ergo non exstitisse, omnino falsam methodum inquisitionis ad cognoscendam traditionem applicaret. Hoc modo etiam primatus iurisdictionis Romani Pontificis, quamvis certissima veritas fidei nostrae, cognosci nequit. Etiam hic primatus in saeculis prioribus non se manifestavit sensu iuridico postea explicite determinato. Sed nullo modo licet, diversas methodos ad cognoscendum primatum Romani Pontificis et collegialitatem episcoporum adhibere. His praesuppositis, ei qui historiam Ecclesiae antiquae sincere perquirit, collegialitas episcopo-

rum non minus clare apparet quam primatus Romani Pontificis, sicuti duo elementa quae semper ad vitam Ecclesiae pertinent.

2. Breviter hoc etiam positive declarare iuvabit. Tota Ecclesia ex multis ecclesiis localibus, sicuti iam in Sacra Scriptura apparet, aedificata erat, quae in verbo et corpore Domini communicabant. Sicuti una et unica Ecclesia Christi ex multis Ecclesiis invicem communicantibus sub Romano Pontifice aedificabatur, ita etiam « episcoporum multorum concordi numerositate unus episcopus copulatus » erat, ut verbis S. Cypriani utar (*Eph.* 55, 24, 2). Iterum dicit Cyprianus: « Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur » (*De cath. eccl. un.* 5, 2). Et S. Ignatius, proximus tempori apostolorum exsistens dicit, quod « Christus sententia Patris est, episcopi per tractus terrae constituti in sententia Christi sunt » (*Eph.* 3, 2). De cetero iam ipsum factum epistolarum S. Ignatii vinculum collegialitatis exprimit, quod singulos episcopos in unum episcopatum colligavit. Idem de epistolis S. Polycarpi, S. Dionysii et de aliis epistolis saec. II dicendum. Ex quo patet, quod communio episcoporum multorum pignus fuit et veritatis et unitatis conservandae. Et hoc praecise est principale elementum collegialitatis, in quo elementa iuridica fundantur. In hoc sensu etiam verbum collegii in scriptis Patrum expresse invenitur, e. g. in scriptis S. Optati Milevitani, praeclarissimi impugnatoris schismatis donatistarum, qui dicit: « Et quia collegium episcopale nolunt nobiscum habere commune, non sunt collegae, si nolunt; tamen, ut supra diximus, fratres sunt » (*Contra Parmen. Donat.* 1, 4; cf. 7, 6 etc.).

Haec collegialitas insuper diversis modis etiam iuridice exercebatur. Via ordinaria ad unitatem in Ecclesia efficiendam et conservandam erant litterae sic dictae communicatoriae, quas episcopi sibi invicem dederunt et quibus singulae Ecclesiae sibi invicem conglutinabantur. Episcopi singuli quaestiones gravioris momenti nullo alio modo nisi via collegiali in synodis provincialibus decisas habere voluerunt. Ex hoc fundamento etiam Concilia Oecumenica procreverunt.

3. De explicatione veritatum in Ecclesia. Alia observatio adhuc adiicienda est. Veritates fidei nostrae non omnes subito in sua plena claritate apparent, sicuti patet de Assumptione B. M. V. vel etiam de infallibilitate et de primatu iurisdictionis Summi Pontificis, qui non prius quam in Concilio Vaticano I, in sua explicita claritate definitus est. Iterum dico, secundum historicam veritatem principium collegialitatis in primis saeculis non minus clare apparuisse quam veritatem nobis omnibus carissimam primatus Summi Pontificis. Ex hoc capite, scil. historiae veteris Ecclesiae, nihil impedit quominus haec veritas essentialiter ad structuram Ecclesiae pertinens hoc in Concilio in plenam lucem ponatur.

2

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. RITTER
Archiepiscopus S. Ludovici

Venerabiles Fratres,

De cap. II schematis *de Ecclesia* paucissima tantum dicam. Collegialitas episcopatus et instauratio diaconatus stabilis, cum maximi sint momenti, considerationem quam claram et deliberationem maturam me-

rentur. Disceptatio tamen de utraque, saltem meo iudicio, quadam confusione obscuratur.

De collegialitate episcopatus duae sunt quaestiones: una speculativa, seu dogmatica; altera practica. In hoc schemate *de Ecclesia,* agitur solummodo de quaestione dogmatica, de constitutione Ecclesiae essentiali, ideoque de natura episcopatus. In hoc Concilii momento, disceptandum est utrum episcopatus secundum institutionem sit collegialis; considerandum est quid doceant Sacra Scriptura et traditio de collegialitate. De ceteris, quando et quomodo et qualem collegium episcopale auctoritatem exerceat, disceptabitur in schemate *de episcopis ac de dioecesium regimine.*

Mutandis mutatis, eadem dicenda sunt de instauratione diaconatus. In hoc Concilii momento, disceptandum est utrum instaurandus sit diaconatus stabilis; considerandum est utrum necessarius sit vel utilis ad Ecclesiam aedificandam, renovandam et augendam. Quantae et quam variae sint difficultates, sive intra sive extra matrimonium, contra diaconatus instaurationem, relinquatur tempore et loco proprio discutiendum. Dixi.

3

EXC.MUS P. D. PETRUS PARENTE
Archiepiscopus tit. Ptolemaidensis in Thebaide

Em.mi Principes, venerabiles Patres,

Cum ad schema aptandum in commissione doctrinali nonnihil collaboraverim, liceat mihi nunc his quae copiose, *sapienter et* [1] diversimode dicta sunt in hac aula aliquid adiungere circa cap. II, ea spe ut doctrina, quae definienda proponitur, clarius et rectius perspiciatur, *tot* [2] inter varias sententias. Ex toto capite, quatuor seligo puncta praecipua.

Primum quidem: *Ratio fundamenti.* Ex Matthaeo, cap. 16, clare patet Christum fundamentum, ad instar rupis, Ecclesiae suae constituisse Simonem, quem consulto *Cepham* seu Petram appellavit. Tota igitur Ecclesia, nemine excepto, Petro innititur tamquam singulari fundamento visibili, quod vices gerit invisibilis ac definitivi fundamenti, nempe Christi, lapidis angularis.

Exinde consequitur ceteros apostolos Petro aequiparari non posse, ratione fundamenti Ecclesiae, sed eos, in linea subordinata, munus Petri participare dici posse, quandoquidem, ut imagini indulgeam, alicuius domus ratio fundamenti primario competit rupi, secundario partibus *profundioribus* [3] parietum...[4]

Secundum punctum: *Sacramentalitas episcopatus*. In schemate, n. 14, aperte affirmatur episcopatum esse « gradum supremum sacramenti Ordinis », in quo sacerdotium adaequate ac plene actuatur, cuius presbyteri participes fiunt. Sic quaestio antiqua dirimitur ad maiorem episcopatus gloriam.

Praeterea in schemate « arctum vinculum » innuitur inter utramque potestatem, ordinis nempe ac iurisdictionis, in episcopo, vi suae consecrationis; quae quidem assertio maximi momenti est, sub aspectu historico et dogmatico. Constat enim, inde a saec. X circiter, iurisperitos potestatem Ordinis a potestate iurisdictionis plus aequo discriminasse ita ut episcopo nullam potestatem iurisdictionis agnoscerent vi consecrationis, sed talem potestatem episcopis quasi ab extrinseco communicari a Romano Pontifice.

Dogmatice vero cum probatis auctoribus ...[5] sustineri potest, ac fortasse *debet*,[6] potestatem in Ecclesia vigentem unicum genus esse ratione originis (Christus) ac ratione finis (salus animarum); quae tamen in species dispescitur secundum obiecta, cum et ad sacra media sanctificationis spectet et ad munus regendi quo perfecta societas indiget ut vivat.

Iamvero cum per se una sit Ecclesiae potestas, utique complexa, quae a Christo apostolis ad redimendum mundum collata est, sponte fluit hanc eamdem potestatem essentialiter transferri in episcopos, qui apostolorum successores per consecrationem sacramentalem constituuntur. Gaudent igitur episcopi, et quidem iure divino, participatione potestatis Ecclesiae (tum Ordinis tum iurisdictionis) eo tamen pacto ut talis potestas numquam avulsa consideretur ab Ecclesiae organismo in quo, ita Christo volente, nihil esse neve concipi potest independenter ab unico fundamento, quod est Petrus. Itaque potestas episcopalis integra a Christo promanat (*iure divino*), sed non extra Petrum, quia potestas illius sacrae societatis est, quam Christus super unicam rupem, Petrum, fundavit. Ideo potestas illa, etsi ex iure divino, neque esse neque exerceri potest sine aliquo nexu vel nutu, explicito vel implicito, Summi Pontificis. Magis autem nutus pontificius requiritur ad exercitium *iurisdictionis*, quae natura sua subditorum adsignationem importat, quam nemo facere potest nisi ille, cui Christus totum gregem suum pascendum commisit.

Nihilominus, cum bona pace iurisperitorum, asserimus Papam non creare iurisdictionem episcoporum, sed exercitium in determinatos subditos decernere illius potestatis, quae iam est in episcopis vi consecrationis, saltem *radicitus* ac *virtualiter*, tamquam aptitudo ad gubernandam Ecclesiam particularem vel ad participandam auctoritatem Concilii oecu-

menici in Ecclesiam universalem, utique dependenter a Summo Pontifice, qui illam potestatem in actum deducit ac dilatat.

Tertium punctum: *Collegialitas*. Schema collegium apostolorum eorumque successorum aperte admittit tamquam ab ipso Christo constitutum; quod quidem, attentis diversis disputatis opinionibus, magni faciendum est. At cum collegialitas in decursu saeculorum ambiguitatibus et etiam erroribus ansam praebuisset, necesse erat caute procedere et quoad nomen et magis quoad naturam ac proprietates eiusdem. Nomen transeat, dummodo ne aequivocationes subaudiat.

Periculum insitum in hac re est *relatio* inter membra collegii et Petrum Caput; quae quidem relatio imprimis *quoad esse* consideranda venit. Iamvero concessa et agnita institutione collegii apostolorum ex parte ipsius Christi Domini, omnes apostoli, Petro non excluso, membra eiusdem collegii indesinenter manent, ita ut nullus ex apostolis avulsus a collegio considerari possit...[7]

Status seu *conditio* membri collegii, ministerium sacrum omnium episcoporum ac ipsius Papae certe obsignat...[8]

Attamen semper prae oculis habenda est *conditio personalis* Petri, qui a Christo factus est fundamentum et caput totius Ecclesiae ideoque etiam collegii apostolici; ac insuper considerandum est quod non omnia munia apostolorum episcopis *transmissa sunt*.[9]

Quapropter *ratio membri* collegii neque superat neque aequiparatur rationi fundamenti et capitis, quinimmo huic substat tum in *esse* tum in *operari*. Haec autem est ratio propter quam in schemate satis (pro aliquibus nimis) insistitur in mentione Petri Capitis.

Quartum punctum: *Potestas episcopalis eiusque habitus ad potestatem Summi Pontificis*. Hoc est punctum capitale totius quaestionis et ipsius schematis ...[10]. In schemate, n. 16, satis provisum est huic problemati, lineam quamdam mediam sequendo; sed, uti fieri solet, solutio proposita non omnibus placet, cum quibusdam nimis, aliis vero parum videatur...[11]

Prostat monumentum doctrinale Concilii Vaticani I, a quo nemini dissentire licet;iamvero in Actis — *non possum legere* — *patet quod Christus instituit Petrum ceteris apostolis praeponendo, et quidem primatum verae iurisdictionis Petro contulit, prae ceteris apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul; et, secundo loco, talis primatus in Romanum Pontificem transit*.[12]

Istis canonibus modo *plenissimo* [13] et inaequivocabili asseritur, et quidem provocando ad Sacram Scripturam et ...[14] traditionem, suprema ac plena potestas iurisdictionis Romani Pontificis in universam Ecclesiam ...[15]. Quamvis igitur successor Petri ad collegium episcoporum per-

tineat, eius primatus est omnino *personalis,* ita ut eius persona supra collegium extollatur potestate sua suprema, cui ipsum collegium subicitur.

Quid igitur de potestate episcoporum? ...[16] Hic nodus! Iam supra innuimus episcopos, vi suae consecrationis, sacrae potestatis Ecclesiae iure divino participes fieri, ita tamen ut haec eorum potestas potestati Petri successoris, iure quoque divino, subordinata *maneret* [17] in essendo et in operando. Sed quaeri potest *an* [18] eadem sit ratio potestatis episcoporum *collegialiter* sumptorum. Ad dubium solvendum, satis est considerare Concilium oecumenicum. Ibi enim collegium episcoporum ...[19] adstat et agit; at, omnibus fatentibus, eius acta authenticum valorem nonnisi a Romani Pontificis explicito nutu et promulgatione consequi possunt.

Ergo potestas, etiam collegialis ...[20], neque separari neque aequiparari neque subtrahi potest Romani Pontificis potestati, ut valida sit ...[21]. Exinde tamen non est deducendum collegio episcopali nullam esse potestatem propriam in Concilio ac si tota potestas eidem a Romano Pontifice *communicata sit.*[22] Assident enim episcopi ...[23] tamquam iudices et magistri authentici Ecclesiae universae; sed quemadmodum in propria dioecesi, *ita etiam in Concilio, sub Petro Capite ipsi agunt et loquuntur.*[24]

Definitive dici potest: vi consecrationis episcopi accipiunt *a Deo* potestatem sacram, Ecclesiae propriam, per modum *aptitudinis* vel *virtualitatis* permanentis, quae in actum legitimum in sinu Ecclesiae erumpere nequit independenter a Romano Pontifice, qui est fundamentum et actuosum principium unitatis totius Ecclesiae ...[25]. His plus minus consonat schema, *in quo est sermo etiam de indiviso subiecto plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam.*[26] Quod quidem gloriam, dignitatem ac vim episcopalis potestatis satis ac iure tuetur, salva tamen, uti par est, definita doctrina fidei de Romani Pontificis primatu. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] ac. [2] atque via quaedam conciliativa indigitetur. [3] profundis. [4] Quod quidem cautum est in schemate nec plus dici posse videtur movendo a textibus *Eph.* 2, 20 et *Apoc.* 21, 54, de cuius interpretatione ab exegetis ac theologis disputatur, dum textus *Mt.* 16 soliditate et claritate pollet. [5] (F. card. Cavagnis, *Inst. iuris publici eccl.,* Romae 1906, vol. II, q. 2. De errore Bolgeni in hac re cf. M. R. Gagnebet, *L'origine de la juridiction collégiale du Corps épiscopal au Concile selon Bolgeni,* Romae 1961). [6] decet. [7] Quilibet apostolus, ipse Petrus, in linea ontologica, semper est pars collegii apostolorum. Idem dicendum de episcopis et Papa. Quod vero ad activitatem spectat, sive Petrus sive ceteri apostoli, sive Papa sive episcopi, tanquam membra collegii necessario agunt, quandocumque in ambitu Ecclesiae ad salutem operantur. [8] quia apostoli cum Petro hierarchice collecti et constituti sunt a

Christo ac plena potestate exclusive ditati ad fundandam et evolvendam Ecclesiam. [9] transmittuntur. [10] Post consideratum collegium quoad esse, nunc quoad operari considerandum venit. [11] Breviter sed clare rem expendere conabor. Cum Romani Pontificis primatus tangatur, oportet imprimis attente considerare quid sollemne Ecclesiae magisterium definiverit hac de re (cf. U. Betti, *La costituzione dommatica Pastor Aeternus del Concilio Vaticano I,* Roma 1961; H. Schauff, *De Romano Pontifice et Concilio,* in *Symposium Theologicum,* ed. Divinitas, Roma 1962). [12] istius Concilii legimus: *a*) Christus « Petrum ceteris apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis (nempe sive fidelium sive episcoporum) principium ac visibile fundamentum... ». Primatus Petri est id « in quo totius Ecclesiae vis et soliditas consistit » (DB 1821). Primatus verae iurisdictionis soli Petro a Christo directe collatus fuit « prae ceteris apostolis sive seorsim singulis sive omnibus simul », nempe etiam collegialiter sumptis. Sequitur canon (DB 1823); *b*) talis primatus a Petro in eius successores transit, qui sunt Romani Pontifices. Unde Summus Pontifex supremae potestatis plenitudine pollet « quae vere episcopalis est » in totam Ecclesiam seu tum in fideles tum in pastores. Sequitur canon (DB 1831). [13] firmissimo. [14] divinam. [15] proinde in ipsos episcopos sive singillatim sive collective seu collegialiter sumptos. [16] ac de eius relatione ad potestatem supremam Romani Pontificis? [17] maneat. [18] utrum. [19] legitime convocatum. [20] cum episcopatus naturam non immutet. [21] Eo magis idem tenendum est de qualicumque potestate collegiali asserta extra Concilium Oecumenicum. [22] communicaretur. [23] Concilio Oecumenico. [24] suam auctoritatem exercent sub Petro Capite et non independenter ab ipso, ita a fortiori in Concilio collegialiter nonnisi sub Petro Capite agunt, qui iurisdictionem plenam et immediatam habet in fideles, in episcopos singulos, in collegium episcopale, in Concilium. Romani Pontificis potestas essentialiter nihil accipit a collegio episcopali, at eidem satis tribuit, quatenus eos suae ipsius potestatis in universam Ecclesiam participes actu constituit. [25] Christi. [26] nostrum in n. 16, ubi hanc summi ponderis affirmationem legimus: « Collegium episcoporum... una cum capite suo Romano Pontifice et nunquam sine hoc capite, *indivisum* subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam creditur. Quae potestas tamen Papae tanquam fonti, episcopis tanquam rivulis competit.

4

EXC.MUS P. D. CUSTODIUS ALVIM PEREIRA
Archiepiscopus de Lourenço Marques

Praeclarissimi Patres,

Praetermitto aliqua quae scripto tradam secretario. Illa quidem exprimunt vota et desideria triginta et octo episcoporum Lusitaniae.

Quae brevissime sequuntur puto esse dicenda...[1]

Mirandum spectaculum saepe dictum est libertatem qua omnes possumus et debemus sententiam nostram proferre...[2]

Miror tamen, quod aliqui Patres in quasdam rhetoricas exaggerationes lapsi sunt. Cogito et intelligo rationes quidem afferri posse pro

et contra diaconatus Ordinem stabilem in Ecclesia. Rationes tamen in favorem non videntur adeo validae ut mutetur disciplina actualis, historia magistra.

Praeter illa iam dicta, si diaconis, enim, non ministratur scientia theologica competens, aequalis presbyteris, si legi caelibatus non obstringuntur, nihil vel pauca facient. Si utrumque agunt, cur ad sacerdotium non ascendent?

Si ad matrimonium admittuntur, vulnus in sacra caelibatus disciplina inflictum, esset transitus ad altiora impugnanda, de quibus sileo, sed multa dicenda essent. Inutile est amplius dissertare de hoc vulnere; omnes id admittunt.

Si Patribus ergo placet iterum instaurare diaconatum stabilem, enixe rogarem ut tantum detur facultas episcopis vel conferentiis episcopalibus qui id petierint et ad experimentum, sub vigilantia Apostolicae Sedis et salva, *salvo meliore iudicio,*[3] semper sacra caelibatus lege.

De collegialitate episcoporum etiam multa et recta prolata sunt. Puto sine timore procedendum est. Episcopi, quidem, nihil sunt sine Romano Pontifice; sed, e contra, Romanus Pontifex esse non potest sine episcopis, cum sit eorum caput. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] meo iudicio, de quibus aliter ac aliter iam multa dicta sunt. [2] Gaudeo maxime. [3] deest.

Animadversiones additae:

Fere omnes episcopi Lusitaniae (38) haec exponunt:

1. Cum em.mis cardd. Ruffini et Bea optant ut ad accuratum examen subiiciantur textus S. Scripturae.

2. Approbant et votum emittunt in favorem declarationis sacramentalitatis episcopatus, tanquam plenitudo ipsius Ordinis sacri.

3. Optant ut deleantur verba pag. 26, lin. 2 (in quos gratiam...) et substituantur per verba « in quos gratiam per Ordinationem transfundunt » vel similia.

4. Enixe rogant ut deleantur verba in pag. 26, lin. 36 « immo Diaconatus... », ita ut nec aperiatur nec claudatur ostium et diaconatus remaneat ut nunc est.

5. Item, pag. 30, lin. 21 deleantur verba « novam vero revelationem... ».

6. Item, pag. 23, lin. 6 deleatur verbum « plena », cum peccatores, utpote membra Ecclesiae, sane non plena dignitate in ea pollent.

7. Ut in eadem pag. 23 et lin. 6, post « qui vero » addatur verbum « etiam », cum qui potestate pollent non minore dignitate decorantur ac illi quibus inserviunt.

8. Ut clarius dicantur quae sunt in pag. 23, linn. 18-21, ne subiectum infallibilis magisterii videatur esse aliud ac illud cui sacri apostolici primatus praerogativa tribuitur.

9. Ut in pag. 24, lin. 11 « Ecclesiam exstruunt universalem » aliter redigatur v. g. « Ecclesiam super Petrum aedificatam ad universum extendunt ».

10. Ut in pag. 25, lin. 26, quae de praesentia Christi in episcopatu dicuntur, aliter redigantur, ne videatur esse in omnibus eorum muneribus *univoca*.

11. Pag. 29, lin. 16 substituatur « fieri potest » per « fieri debet » vel « oportet fieri ».

12. Eadem pag. 29, lin. 27 deleatur pericopa « fideles... cohaerere debent », nam in n. 21, pag. 31, ad finem, idem venit, ei illud « *chordae citharae* » non recte sonat.

Aliqui insuper episcopi (quatuor vel quinque) *firmo n. 4* optarent ut interstitia inter diaconatus et presbyteratus, quae iure tribus mensibus constant, amplientur, ita ut diaconus in suis muneribus, iam non intra ipsos Seminarii *muros sed* in medio mundi positus, vere et per satis longum tempus probaretur, antequam ad s. presbyteratus Ordinem accederet. Ita posset adhuc ad saecularia transire.

Nullam difficultatem haberem pro ordinatione diaconi *nostrorum fratrum laicorum*. Die transacto, in Basilica Lauretana, hoc postulabat frater aliquis Ordinis Capuccinorum. Esset utilis etiam in missionibus. *In missionibus, dico,* ubi *instauratio diaconatus sine caelibatu esset magnum detrimentum.* Loquitur, et mecum sunt multi, episcopus missionarius.

5

Exc.mus P. D. VINCENTIUS M. JACONO
Episcopus tit. Patarensis

Em.me Praeses, venerabiles Fratres,

Post tot disquisitiones, *varietate et profunditate ornatas,*[1] puncta tantum quae potiora videntur, mea humili sententia, breviter exponam:

1. Peculiaris potestas a Christo Iesu apostolis omnibus concessa et successoribus episcopis (*Mt. 18; 28 ...*[2] post vocationem duodecim, quos et apostolos vocavit [*Lucas*[3]] eorumque institutionem speciali cura habitam) tamquam verum fundamentum doctrinae *collegialitatis* apostolorum et episcoporum, iure divino, haberi potest et probabilius debet, cum satis constet ex traditione apostolica, ut eruitur ex Actibus Apostolorum (*cap. I; cap. 6; 15; cf. ad Galatas*[4]) et dictis Patrum saec. II et III (ut audivimus ab exc.mo Gouyon ...[5], et paulo antea ab em.mo card. Frings): traditio apostolica verbum Dei explicat. Admittitur etiam in Litteris Encyclicis *Fidei donum* Pii XII.

2. Cum res magni sit momenti et momentosas habeat consequentias, maxima adhibenda est cautela et praecavendae exaggerationes quae primatum Petri eiusque Successoris Romani Pontificis labefactare possint. Proh dolor, quandoque verba et scripta inveniuntur quae, modo etiam indirecto, eversiva sanae doctrinae apparent.

3. Humillime commendandum teneo, una cum *Mt. 16 et Io. 21*[6], verbum Domini *Lucae, 22*[7]: « Ego autem rogavi pro te ...[8] ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos ». Fides

ergo Petri, a Domino facta solida, erit *ratio et causa* soliditatis fratrum apostolorum, quos omnes Satan « expetivit ut cribraret sicut triticum », seu totius collegii apostolorum (cf. Vaticano I, Denz. 1836).

4. Itaque in Ecclesia, si non unum subiectum auctoritatis et infallibilitatis activae sit, duplex habendum subiectum, *non adaequate* tamen distinctum. Proinde si Romanus Pontifex, in ipso collegii episcopalis actu, quo definitive doctrina fidei et morum tradatur, non esset omnino independens a sententia aliorum, immo ceteros obligans, si aliam habeat, actum esset de Petro, eiusque successore, petra supra quam *fundata*[9] est Ecclesia, supremo Pastore tum agnorum tum ovium, et confirmatore fratrum in fide, ad mentem *Pastor Aeternus...*[10]

Meminisse iuvabit quae clarus episcopus Gasser dixit in disputationibus Vaticani I: « Verum est quod consentio praedicationis praesentis totius magisterii Ecclesiae, unitae cum capite, sit regula fidei etiam pro definitionibus Pontificis. At exinde nullo modo deduci potest stricta et absoluta necessitas exquirendi a rectoribus Ecclesiarum » consentionem ...[11]. Causa enim infallibilitatis Pontificis est peculiaris adsistentia Spiritus Sancti, quam Christus pro Petro impetravit.

5. Sane collegium episcoporum, in magisterio ordinario et universali pro rebus fidei et morum nequit errare, sed semper cum et sub Petro, principe apostolorum, seu sub Romano Pontifice capite, i. e. praecipuo et indispensabili membro totius collegii et peculiari privilegio donato ut fratres confirmaret.

Pariterque in munere, quod officium appellari poterit, Ecclesiam universam regendi — in quo partem aliquam habent episcopi ut corpus coniunctum Papae, qui, velut caput, plenam et supremam potestatem ordinariam et immediatam habet in totum corpus — collegium episcoporum nihil potest nisi cum et sub Summo Pontifice, qui opportunitatem et modos patefaciet interventionis. Agitur nempe de exercitio.

Votum ergo: clariore modo et profundiore, quantum fieri potest, exponantur argumenta in favorem collegialitatis episcoporum sive in essendo sive in agendo, *ut utar verbis card. Siri, in agendo,*[12] quod est maximi momenti, v. g. in causis maioribus.

Tandem addam: cum em.mo card. Cento seponendam puto sacrae caelibatus legis exemptionem pro diaconis in permanenti hierarchiae gradu constitutis. Gratias.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] 18, 18, 28, 18-20. [3] *Lc.* 6, 13. [4] (I, 26, 6; 15. cf. *Gal.* 2). [5] in congregatione generali praeterita. [6] (*Mt.* 16, 18-19 et *Io.* 21, 16 s.). [7] *Lc.* 22, 31 s. [8] (Simon). [9] aedificata [10] (D. 1821-1840). [11] (CL 7, 404). [12] deest.

6

EXC.MUS P. D. FORTUNATUS DA VEIGA COUTINHO
Episcopus tit. Sagalassensis, coad. Belgaumensis

Venerabiles Patres,

Liceat mihi, minimo apostolorum, pauca animadvertere circa relationes inter collegium episcoporum et Petri successorem exsistentes...[1]

Est[2] adhuc necessarium repetere collegium episcopale intelligendum esse non ut « conglomerationem » episcoporum sine Papa, dum Summus Pontifex stat ex altera parte, sed ut corpus universale episcoporum, in quo includitur episcopus Romae, qui, etsi est unus ex eis, gaudet tamen praerogativis successoris Petri...[3]

Tractatio completa de collegialitate episcopali non potest praetermittere examen relationum essentialium quae exstant inter collegium et praeclarissimum membrum suum, Successorem Petri. Si autem videtur necessarium ambas quaestiones uno eodemque capite tractare, tum videtur mihi expedire ut secunda quaestio modo « concreto » indagetur.

Possibile est enim de hac quaestione « conceptualiter » agere, iuxtaponendo duo verba generalia, nempe « *plenitudinem* potestatis in Successore Petri » et « *plenitudinem* potestatis in collegio episcopali », sicut fecit in Vaticano I relator officialis Zinelli. En eius verba: « Concedimus libenter et nos in concilio oecumenico sive episcopis coniunctim cum suo capite supremam inesse et *plenam* ecclesiasticam potestatem in fideles omnes: utique Ecclesiae cum suo capite coniunctae optime haec congruit. Igitur episcopi congregati cum capite in concilio oecumenico, quo in casu totam Ecclesiam repraesentant, aut dispersi, sed cum suo capite, quo casu sunt ipsa Ecclesia, vere *plenam* potestatem habent » (cf. nota 29 huius cap. II nostri schematis). Si quasi deductivo modo conceptum plenitudinis enucleare volumus, in vanum laboramus, quia unum est necessarium, nempe scire quid Christus de facto et concreto modo voluerit.

Oportet ergo considerare « concreto » modo quid significent pro Christo et pro Ecclesia haec duo: primum, collegium episcopale quod succedit duodecim atque eius auctoritas; secundum, Petrus et munera quae Christus ei commisit dicendo « confirma fratres tuos » et reliqua.

Ex Scriptura enim patet: *et* duodecim apostolos coniunctim, *et* inter eos Petrum, *specificum munus* recepisse. Quae munera harmonice uniri debent in sapientia et caritate, quin necesse sit evacuare unum propter alterum, quod certe non est iuxta Domini voluntatem. Proponere Eccle-

siologiam qua aut ex Concilio totum derivatur in Papam, aut qua totum a Summo Pontifice derivatur in collegium est opus eorum qui sat abstractis lucubrationibus indulgent, et attrahuntur simplificationibus lucidis certe sed infaustis, qua veritas integra non accurate servatur.

Clarus theologus orthodoxus russicus Boulgakof scripsit: « Verbum prae ceteris orthodoxum ne dicam catholicum est verbum *et* ». Abundant exempla: Deus unus *et* trinus, Christus Deus *et* homo, gratia *et* libertas, fides *et* opera, scriptura *et* traditio. Eodem modo semper sunt simul ponendi: Papa *et* episcopi. Qui unum ex membris huius dualitatis, theoretice vel practice, valore suo pleno privat, a genuino sensu catholico recedit. In nostro casu: si « plenitudo potestatis » collegio tribuatur, ne auferatur a Romano Pontifice; et si Romano Pontifici datur, ne auferatur a collegio episcoporum. Sed quomodo tunc illa omnia harmonisari possunt?

Videtur ipsa revelatio divina, quando describit utriusque partis missionem et munus, nobis praebere quamdam normam obiectivam, qua quaedam « determinatio », non autem diminutio, illarum potestatum adumbratur. Collegium, Petro semper incluso, in mundum mittitur quem evangelizet, in quo cum auctoritate Ecclesiam aedificet, *breviter,*[4] ut ab aliis iam ostensum est, cum supremi ministerii suprema potestate. Ponit tamen divina Sapientia in medio huius collegii, quod decurrente tempore crescere et evolvi debet, arbitrum quemdam ultimum fidei apostolicae, centrum necessarium totius communionis ecclesiasticae, principium cohaesionis totius episcopatus, supremam cautionem stabilitatis Ecclesiae, unitatisque atque diversitatis vigilantem custodem. Quae sunt, concreto modo loquendo, quaedam ex praecipuis praerogativis seu *officia*[5] Petri.

Proinde, cum de relationibus inter Successorem Petri et reliquum collegium sermo est, principium quoddam generale, immo iuridicum invocari potest: ex *fine* muneris et auctoritatis *determinatur* eorum ratio et *ambitus*. In nostro casu, ex significatione et fine muneris et missionis, tum totius collegii cum Petro, tum ipsius Petri, utriusque partis plena potestas, quoad contentum et ambitum, melius intelligitur; et exinde possibilitas harmonisandi alterutriusque potestatem pro parte melius intelligitur, immo pro magna parte, si secundum caritatem et sapientiam christianam concipitur.

Concludo. Relationes Petri cum aliis apostolis in collegio et postea relationes successoris Petri cum aliis membris collegii episcopalis, optime exprimuntur unica expressione: « in communione cum Petro ». Conceptus enim communionis implicat agnitionem omnium praerogativarum Petri, quod minus fauste, ne plus dicam, exprimitur in « cum et sub ».

Supprimantur ergo istae expressiones, vel similes, in nostro schemate; et dicatur, ubi necessarium sit ex ratione dogmatica, « in communione cum Petri Successore ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Collegialitatem episcoporum attente consideranti duae quaestiones, et quidem distinctae, in mentem veniunt: prima, quid sit collegialitas in seipsa; secunda, quomodo concipi debeant relationes intra collegium exsistentes inter unum ex eius membris, specialibus praerogativis praeditum, et reliqua membra.

Ad primam quaestionem: quid sit collegialitas in seipsa, quod attinet, cap. II de constitutione hierarchica Ecclesiae et in specie de episcopatu, ita elaboratum est ut sit complementum definitionis de primatu et infallibilitate Romani Pontificis in Vaticano I promulgatae. Mihi videtur disceptationem de essentia collegii episcopalis separatim faciendam esse et non de relationibus inter hoc collegium et successorem Petri.

Duae rationes adduci possunt ad firmandam assertionem meam. Prima ratio: Hic modus tractandi aptior esset quia distinctius enuclearetur quae sit ipsa essentia collegii episcopalis. [2] Estne. [3] Secunda ratio: Hic loquendi modus non offendit specialibus praerogativis Romani Pontificis. Sufficit enim dicere ubi necessarium sit: « salvis iuribus successoris Petri », quae formula omnes praerogativas Summi Pontificis in tuto ponit. Haec autem, prouti iacet, redactio cap. II nostri schematis, etsi speciatim elaboratum est ad tractandum de collegio episcopali, videtur modo nimis prolixo loqui de Romano Pontifice. Quae impressio evanescit si in textu definitivo schematis de propositione nostra, nempe de solo collegio episcopali seorsim sumpto, ratio habeatur. Quod ad secundam quaestionem attinet, haec videntur notanda. [4] brevi. [5] officiis.

Moderator: Faveant Patres nunc finire votationes suas de cap. II constitutionis *de sacra Liturgia,* et postea colligant assignatores schedas expletas cum votis.

7

Exc.mus P. D. HENRICUS VION

Episcopus Pictaviensis

Venerabiles Patres,

Missio episcopi sub imagine pastoris in Scripturis et traditione firmissime fundatur. Affirmatio huius muneris in duobus locis schematis *de Ecclesia* speciatim effulget: in cap. I, de imaginibus Ecclesiae, et in cap. II, ad attentionem et studium nostrum nunc proposito: « Haec sacrosancta Synodus, Concilii Vaticani I vestigia premens, solemniter cum eo docet Iesum Christum pastorem aeternum, sanctam aedificasse

Ecclesiam, missis Apostolis ...[1] quorum successores in Ecclesia sua pastores et doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit ».

Ingenti cum gaudio hanc declarationem accepimus. Nonne primo et radicaliter a sacramento episcopatus defluit gratia et sollicitudo pastoralis?

Eo maior producitur deceptio et, in quodam sensu, timor, cum toto decursu schematis et praesertim in hoc cap. II quamdam confusionem inter munus regendi et munus pascendi perspicimus.

In prooemio ipso, pag. 22, lin. 24, legimus quod episcopi « domum Dei viventis regunt ». Certe regunt. Cur tamen imago pastoris, in declaratione incepta, usque ad finem paragraphi non servatur? Valde timendum est ne sub textu adsit conceptus nimis restrictivus de munere pastorali, quasi idem sonaret pascere et gubernare.

Pag. 24, par. 12, lin. 3, adhuc crescit timor. Textus etenim dicit Christum apostolos « suae potestatis summi prophetae, sacerdotis et pastoris participes » fecisse. Nunc autem: aut summa potestas pastoris idem est ac potestas regis, aut redactio aequivoca aestimanda est, cum in eadem enumeratione discursus de uno ordine ad alium, de particulari ad universale efficitur.

Plures textus, qui eodem defectu gravantur, afferre possem: quos autem, brevitatis causa, omittere volo, eo magis quod intentio mea sic sufficienter clara et fundata videtur: missio episcopalis, in tota sua extensione, est pastoralis; ideoque episcopus est pastor, non solum quando regit, sed etiam quando docet, et quando munus pontificale exercet. De hoc autem schema fere tacet, immo quasi ad nihilum redigit.

Ne dicatur quaestionem hanc esse minoris momenti. Etenim non solum agitur de perfectione redactionis, vel de fidelitate in minimis, sed de mente ipsius Concilii, de missione episcopali et de exigentiis apostolatus.

Mens ipsius Concilii? Saepe saepius dictum fuit, quod Vaticanum II notam pastoralem prae se ferre debet. Quomodo autem id efficitur, si in schemate fundamentali figura pastoris in umbra et caligine remanet?

Missio episcopalis? Suum fontem sumit per sacramentum episcopatus in ipso Christo Domino, qui semper tamquam pastor exhibetur et de ipso quasi solemni modo dixit: « Ego sum Pastor bonus ». Est ergo missio pastoralis in toto suo ambitu; et hoc affirmandum est.

Apostolatus exigentiae? Quotidie episcopi, presbyteri, religiosi et laici complexitate activitatis apostolicae quasi premuntur, et non sine anxietate vinculum unitatis quaerunt. Ubi autem unitas invenienda est, nisi in Christo et in signo Christi, i. e. in episcopo? Episcopus autem

nonnisi ponatur in visione plene pastorali et spiritum et vim et orientationem dare potest.

Sicut bonus pastor, cum corde patris ...[2], ovile nutrit per verbum et gratiam, et in viis Christi ducit. Simul etiam, eodem cordis motu, vult respondere ad clamorem Christi: « Alias oves habeo » ... « ut fiat unum ovile et unus pastor ».

Conclusio erit sub forma voti: textus schematis ad lucem maiorem missionem pastoralem episcopi adducat, in suo nexu cum episcopatus *schemate.*[3] Ideoque, ex eo eliminentur omnia verba quae pascere et regere vel regere et pascere indifferenter assumerent. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (sicut ipse missus erat a Patre - *Io.* 20, 21). [2] ponens animam pro ovibus. [3] sacramento.

8

Exc.mus P. D. IOSEPH SCHNEIDER
Archiepiscopus Bambergensis

Venerabiles Patres,

Quae ad articulos *priores tres huius capitis*[1] animadvertenda putavi, scripta iam tradidi secretariae generali. Ex eis dicam verbo tantum, *et brevissime,*[2] quae art. 13 respiciunt, *et praesertim in prima alinea.*[3]

In art. 13 factum successionis episcoporum in locum apostolorum enuntiatur uti debitum quoddam, quod ex perpetuitate Ecclesiae et ab apostolis et a nobis per conclusionem adstruendum fuit et est. Talis modus loquendi, *meo humili iudicio,*[4] minus conveniens videtur, *praesertim*[5] schemati Concilii.

Rectius et aptius, uti puto, hoc factum vel potius haec veritas fidei enuntianda est uti veritas, quae in Ecclesia tamquam simpliciter certa ex Scriptura et traditione adest, quin insinuetur Ecclesiam primaevam de ea *veritate*[6] nonnisi per conclusionem quamdam ex immediate a Domino dictis instructam fuisse.

Emendationem textus articuli *huius*[7] hoc sensu fortasse perficiendam tradidi secretario generali. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] 11, 12, 13. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] 13.

Animadversiones additae:

Ad art. 11-13 (pag. 23 s.) schematis *de Ecclesia* proponere mihi liceat aliquas mutationes, cum textus, uti iacet, mihi in nonnullis non placeat. Non placet v. g.

dictio scholaris, inter verba fere biblica dure sonans « praesertim stabiles » (pag. 23, lin. 3). Non placet item in pag. 23, lin. 31 et pag. 24 lin. 1 propositionis pars « ad instar instituit cuiusdam collegii », cum tali expressione vera socialis communitas apostolorum aliquatenus debilitari videatur. Non placet praesertim, quod in art. 13 factum successionis episcoporum potius uti debitum quoddam enuntiatur, quod ex perpetuitate Ecclesiae a nobis per conclusionem adstruendum est, quam uti veritas, de qua ex Scriptura et traditione immediate certi sumus.

Inde tentamen quoddam textus paululum mutati propono, nempe:

« 11. [Prooemium]. Christus Dominus, ad populum Dei augendum et Corpus suum exaedificandum et nutriendum, *Ecclesiam suam variis ministrationibus instrui voluit* (cf. *1 Cor.* 12, 5; *Eph.* 4, 11 ss.), *inter quas eminent munera et officia, quibus institutis missionem suam in saeculi usque finem perpetuat* (*perpetuare decrevit*). *Quae munera sicuti omnia ministeria* ad bonum totius corporis tendunt. Quicumque e populo Dei sunt, eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent; qui vero ut ministri potestate pollent, fratribus suis inserviunt; cuncti autem in eundem finem libere et ordinatim conspirantes, ad salutem perducuntur. Ipse Dominus Iesus Ecclesiam suam, variis charismatibus ditatam, super Petrum rupem et super ceteros apostolos fundavit.

Haec Sacrosancta Synodus... profiteri et declarare constituit.

12. [De institutione duodecim apostolorum]. Dominus Iesus, precibus ad Patrem fusis, vocans...; quos et apostolos nominavit (cf. *Lc.* 6, 13) *coetuique apostolorum Petrum, ex eo peculiariter electum, praefecit. Apostolos suos* imprimis ad filios Israel, ... ipso summo angulari lapide Christo Iesu (*Eph.* 2, 20; cf. *Apoc.* 21, 14).

13. [De episcopis successoribus apostolorum]. *Ministerium illud sanctissimum concreditum apostolis, cum quibus ipse usque ad consummationem saeculi se fore praedixit et promisit* (cf. *Mt.* 28, 20), *ab ipsis in successores transmissum est, qui eadem divina potestate sustentandi et pascendi gregem Christi praediti non quidem iam Ecclesiam fundarent, sed annuntiando Evangelium et manifestando mysterium Christi, sanctificando et regendo plebem Dei eam continua protectione custodirent. Apostoli enim de instituendis successoribus curam agentes viris electis commendarunt, ut attenderent seipsis et universo gregi, in quo* Spiritus Sanctus eos posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28; *1 Tim.* 4, 14-16). *Ipsi* ut fidelium patres et pastores gregum suorum *mandatum suum exsequendum habuerunt,* memores semper moniti S. Petri: " Pascite... gregis ex animo " (*1 Pt.* 5, 2-4).

Unde traditum est, quod apostoli ab ipso Domino instructi et acceptis mandatis constituerunt *episcopos et diaconos* eorum, qui credituri erant, et *ordinationem dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent; indeque fuerunt et sunt in Ecclesia, qui ab apostolis instituti sunt episcopi. et successores eorum usque ad nos.*[8]

Sicut *ergo* permanet potestas a Domino singulariter Petro... ».

9

EXC.MUS P. D. PATRITIUS CLEARY
Episcopus Nancemensis

Em.mi Patres et venerabiles Fratres,

Volo brevissime proponere emendationem schematis paragraphi quae, pag. 30, lin. 23, incipit verbis: « Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur... etc. ».

Formula quae in schemate invenitur admittit, ut mihi videtur, interpretationem quae conscientias perturbare potest. Cum, ex hypothesi, magisterium non ex cathedra loquatur, fieri potest, saltem theoretice, ut iudicium erroneum pronunciet. Valde quidem improbabile est, sed possibilitas excludi non potest. Quod, si fieret, ex verbis schematis orietur obligatio assensum intellectus falso praestandi. Quod totaliter irrationabile videtur.

Praesumptio fortissima semper aderit magisterium non errasse, et donec aliter magisterium indicet, obsequium religiosum eius iudicio debetur; dubiis igitur etiam bene fundatis exortis, non licebit magisterium penitus reicere, nec alios sententiam contrariam docere, nec proprio iudicio dubia ultimo solvere.

Sed numquid periti catholici prohibentur quominus rem plenius investigent? Ipsa Sacra Congregatio Sancti Officii responsum clarum et indubium in favorem libertatis iam adhibuit die 2 iunii, a. 1927. Quaestio orta erat de interpretatione antiquioris decreti circa Comma Ioanneum. En responsum Sacrae Congregationis: « Minime vero impedire voluit (decretum), quominus scriptores catholici rem plenius investigarent atque, argumentis hinc inde accurate perpensis, cum ea, quam rei gravitas requirit, moderatione et temperantia, in sententiam genuinitati contrariam inclinarent, modo profiterentur, se paratos esse stare iudicio Ecclesiae »...[1]

Declaratio S. Congregationis pro casu particulari enunciata est, sed videtur digna quae ab hoc Concilio oecumenico in principium generale erigatur.

Ergo propono emendationem: « Romani Pontificis authentico magisterio, cum non ex cathedra loquitur, religiosum obsequium iuxta normas prudentiae praestandum est; sed nihil impedit quominus periti, omni qua par est moderatione et temperantia, argumentis hinc inde

accurate perpensis, rem plenius investigent, dummodo sincere profiteantur se paratos esse stare iudicio Ecclesiae »...[2] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (Denz. 2198). [2] (cf. Denz. 2198).

10

EXC.MUS P. D. IOANNES SAUVAGE

Episcopus Anneciensis

Venerandi Patres et carissimi Fratres,

Quae mihi dicenda de successione apostolica in episcopis, etsi non nova, tamen noviter proponere vellem relate ad ordinem et redactionem n. 13, pag. 24. Momentum huius numeri est magnum, tam dogmatice quam oecumenice. Asserta quae continet sunt fundamentum totius ecclesiologiae catholicae et quasi vinculum huius capitis de episcopatu, et respondent huic quaestioni: Utrum et quo modo munus apostolicum et gratia apostolatus continuatur in hodierno episcopatu?

Exspectatur a Concilio oecumenico, ut clare exponat veritatem catholicae doctrinae. Haec tria mihi liceat adnotare, quo aptius textus noster hunc suum finem attingat:

1. De modo exponendi et fundandi fidem catholicam in duabus primis paragraphis.

2. De modo declarandi rationem successionis apostolicae.

3. Tandem, speciatim, de praerogativis quae ex apostolis in episcopos transierunt per successionem apostolicam.

1. Data revelationis divinae exponenda sunt non tam argumentis convenientiae quam testimoniis fidei Ecclesiae. Exprimendum est primum non tam quid facere debuerint apostoli quam quid de facto fecerint ut dispensatores totius oeconomiae a Christo fundatae. A. v., institutio episcoporum referenda est ordinationi ab apostolis factae.

Ceterum necesse est ut expositio veritatis catholicae innitatur in illis locis perpetuo in decursu saeculorum adhibitis quando quis tractatur de successione apostolica, scil. Clementis Papae et Irenaei Episcopi. Quibus invocatis meliorem in lucem ponuntur textus ipsius Scripturae.

Quid de his exigentiis in nostro textu?

Assentio plene his quae, viginti hisce momentis ante me, dixit exc.mus Schneider, ep. Bambergensis.[1]

2. De modo quo declaratur ratio successionis apostolicae.

Revocemus in memoriam historiam Vaticani I, de hac re. Omnino vitanda est formula quae praesentat rationem seu naturam successionis apostolicae consistere tantum in quadam collatione potestatis duabus lineis sibi invicem parallelibus et extrinsece subordinatis: Petri scil. et Romani Pontificis, ex una parte; apostolorum et episcoporum, ex altera parte.

Ratio essentialis successionis apostolicae haec est: traditio vivens et actualis veritatis revelatae et missionis a Christo concredita et a toto collegio apostolico, cuius Petrus fuit primus et dux, in totum collegium episcopale transmissa, cuius Romanus Pontifex est primus et caput.

Fons cohaesionis et unitatis collegii episcopalis consistit in professione unanimi divinae veritatis et in cura communi Ecclesiae Dei secundum traditionem vivam, cum gratia divinitus collata.

Quid de his exigentiis in nostro textu? Sat evidenter incidit in illam formulam comparativam, et *apparenter*[2] antinomicam, quae omnino vitanda esset, pag. 24, lin. 40: « sicut Petro ... ita collegio apostolico... ».

Novam propono redactionem, quae testimonio Irenaei fulta ostendit traditionem apostolorum in Ecclesia manifestatam per *successionem apostolicam* et accessibilem iis omnibus qui vera velint videre. In hac redactione, illa exponitur ratio seu essentia successionis apostolicae quam supra *dixi*.[3]

3. De iis praerogativis quae ex apostolis in episcopos transierunt per successionem apostolicam.

Plura de iis passim dicta sunt in hac aula:

a) Clarum est quod nonnullae praerogativae apostolorum sunt absolute intransmissibiles, et quaedam tam successori Petri quam successoribus apostolorum: ut puta quae concernunt funditus cognitionem et transmissionem veritatis revelatae et structurationem Ecclesiae.

b) Quaedam transmissae sunt soli Petro utpote principi apostolorum, scil.: primatus et infallibilitas personalis.

c) Dubia exposita sunt in hac aula de transmissione iure divino in collegium episcopale curae universalis Ecclesiae. Haec praerogativa, uti dictum est, esset solius Petri et successorum eius. Si tamen fuit in apostolis, hoc, modo extraordinario tantum et intransmissibili, quae assertio non mihi videtur fundata in Scriptura, et non video cur, ex solo textu evangelico, distinctio posset introduci inter Petrum et alios apostolos sub hoc respectu.

Quid de his difficillimis in nostro textu?

Optarem aliquid explicitius quo loqueretur, hic aut alibi, de diver-

sis respectibus sub quibus Petri et apostolorum praerogativae, Papae et episcoporum praerogativae inter se conferuntur, scil.:

De primatu iurisdictionis, qui est stricte proprius Petro et Romano Pontifici, et omnes alias praerogativas in ambitu suo tenet;

De infallibilitate, quae est personalis pro Papa, collegialis pro episcopis unitis cum Papa;

De cura universalis Ecclesiae, quae est universalis, et cum iurisdictione universali iuncta, pro Papa, et *tantum*[4] moralis et sine ordinaria iurisdictione pro episcopis, nisi aliter decidat Papa vi suae missionis.

Textum noviter emendatum trado secretariatui generali. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] Prima paragraphus innititur in argumento convenientiae quod sic resumi posset: Apostoli erant morti destinati, et Ecclesia in aevum duratura debebat permanere. Ergo debuerunt Ecclesiae (sic dicit noster textus, sed expectaretur « apostoli ») consulere successioni apostolicae per episcopos. Hoc argumentum convenientiae confirmatur a par. 2 in qua textus afferuntur Scripturae et insinuatur textus Clementis Papae. Plures emendationes scripto traditae innuunt illam difficultatem, quaerentes eam diversimodo solvere: sic archiepiscopi et episcopi regionis parisiensis, qui omittendas censent linn. 15-21; sic exc.mus D. Carli, qui in nova sua redactione proposita, introducit mentionem de implicita voluntate Christi; sic Patres Germaniae et Scandinaviae, qui lin. 19 proponunt « consuluerunt » (assertionem facti) loco « consulere debuerunt » (assertionem convenientiae). Novam propono par. 1 quae asserit factum ordinationis apostolicae de episcopis secundum illa dicta Clementis: Christus igitur a Deo, et apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Christi. Ergo ordinatio totius hierarchiae est ab apostolis. In hoc traditionali contextu meliorem in lucem adducuntur textus Scripturae de consiliis ab apostolis datis iis quos Spiritus posuit episcopos ad regendum Ecclesiam Dei. Denique per modum confirmationis argumenti, textus primae actualis paragraphi de Ecclesia in aevum duratura, apostolis morti destinatis et de modo quo huic necessitati consuluerunt (non consulere debuerunt) apostoli. [2] quasi. [3] exposui. [4] tantummodo.

Animadversiones additae:

Nova proposita redactio n. 13.

« Christus igitur a Deo et apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque, acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia, egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum Dei praedicantes, primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant » (*1 Clem.* 42, 1-4). Iis vero quos Ecclesiis praeposuerunt apostoli commendarunt ut attenderent seipsis « et universo gregi in quo eos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act.* 20, 28) (hic resumeretur nota 7 textus), memores semper moniti S. Petri: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, ... neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis

ex animo » (*1 Pt.* 5, 2-4) (hic resumeretur nota 8 textus). Et insuper ordinem successionis eorum praecaverunt pro doctrinae, sacri cultus et gubernationis ministerio. Ita ergo, etiam cum gratia apostolis ipsis divinitus collata (cf. *1 Tim.* 1, 14; *2 Tim.* 1, 6) in unaquaque Ecclesia cum plenitudine muneris pastoralis successerunt episcopi.

Ministerium enim sanctissimum a Domino Iesu apostolis concreditum pro Ecclesia usque ad finem saeculi duratura, morte eorum temporali non erat terminandum, ideo providerunt etiam per successores eodem divino munere, non quidem Ecclesiam fundandi, sed aedificandi et augendi praeditos. Nemo vero ministerium apostolorum fidem salutarem praedicandi assumere potest nisi mittatur (cf. *Rom.* 10, 15), sicut Christus a Patre missus apostolos suos misit (cf. *Io.* 20, 21) ut Evangelium annuntiarent, mysteriumque Christi omnibus manifestarent, quo Ecclesia continenter et in omne tempus totius vitae principium habeat.

« Traditionem ergo apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre et annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos. In hac ordinatione et successione, ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis proclamatio usque ad nos pervenit. Et est plenissima haec ostensio unam et eandem vivificatricem fidem esse quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate. Quapropter eis qui in Ecclesia sunt episcopis obaudire oportet, qui successionem habent ab apostolis... qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt » (*Adv. Haer.* III, 3, 1; 3, 3; IV, 26, 2).

Sic permanent in Ecclesia munus et gratia quae primum Christus Dominus toto apostolorum collegio concessit ac deinde, assistente Spiritu Sancto, toto collegio episcoporum, cum Romano Pontifice unito, per successionem apostolicam tradita sunt.

Proinde declarat et docet Sacrosancta Synodus: episcopos ex divina institutione fideles edocere et pascere, quos qui audit non tantum homines sed ipsum Christum audit, iuxta verba ipsius dicentis: « Qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me » (*Lc.* 10, 16).

11

Exc.mus P. D. SECUNDUS GARCIA DE SIERRA Y MENDEZ

Archiepiscopus tit. Parianus, coad. c.i.s. Ovetensis

Em.mi Praesides, venerabiles Patres conciliares,

In cap. II de episcopatu, vel maxime placet quod n. 11 cavetur his verbis: « Haec sacrosancta Synodus, Concilii Vaticani I vestigia premens ... doctrinam eius de institutione, perpetuitate, vi ac ratione sacri apostolici primatus, necnon de Romani Pontificis magisterio infallibili, suam facit ». Hoc ipsum nobis inculcavit Summus Pater Paulus VI in sua inaugurali oratione, ab omnibus gratissimo animo audita.

Ideo comparavi huius cap. II doctrinam cum definitionibus Vati-

cani I et vobis significare intendo ea quae mihi videntur non bene consonare cum praecedenti Concilio.

Non videtur consonum cum Vaticano I quod legitur in pag. 23, lin. 10: « Iesus Ecclesiam suam super Petrum rupem ac super apostolos... » ...[1]. Verbis ab exc.mo D. Dino Staffa, *et nuperrime ab exc.mo D. Petro Parente,*[2] in hac aula prolatis, ex toto corde adhaereo: Praerogativam fundamenti *uni* ac *soli* prae ceteris apostolis *competere Petro...*[3]

Lin. 24 lego: « Qui (episcopi) cum successore Petri ... et capite suo, ac totius Ecclesiae capite ». *Insinuatur capitalitatem totius Ecclesiae*[4] esse veluti sequelam ex capitalitate coetus episcoporum. Hoc autem consonat cum tendentia totius cap. II, in quo auctoritas, quae attribuitur Petro et successoribus eius super universam Ecclesiam, videtur eis tribui tantum *qua et quatenus* sunt caput coetus episcoporum. In Conciliis Florentino et Vaticano sermo est tantum de « Christi Vicario totiusque Ecclesiae capite »; *unde necessario consequitur*[5] etiam eum esse caput coetus episcoporum...[6] Mens schematis proditur in nota 5, in qua lego: « Petrus et duodecim eamdem habent missionem auctoritativam, qua Ecclesia fundatur ». Hoc non videtur esse verum. *Clare et distincte proponatur.*[7]

Quaestiones fundamentales de collegio episcoporum sincere et aperte iam enuntiatae fuerunt: Estne *iuris divini* collegialitas episcoporum? Sub qua notione collegii loquimur? *Etc. ...*[8] Haec tantum exponam: plura quae asseruntur, videntur supponere coetum episcoporum succedere in locum *duodecim* apostolorum. Iamvero, finalitas *duodecim qua duodecim* erat testificari de vita, passione, morte et resurrectione Iesu inde a praedicatione Baptistae usque ad Ascensionem, prout aperte patet ex dictis Petri in electione Matthiae, in concione diei Pentecostes, in domo Cornelii. Ad hoc electus est Matthias ut compleretur numerus duodenarius testium ocularium de Iesu inde ab initio vitae eius publicae usque ad ascensionem. De hoc solemne testimonium dedit Petrus *cum undecim* die Pentecostes et in Concilio iudaeorum. Hac finalitate impleta, iam nulla cura fuit eligendi alium post mortem Iacobi et aliorum ex duodecim. Inde videtur patere *duodecim ut duodecim* non habere successionem quia talis functio non ut munus ordinarium, sed solum extraordinarium ipsorum personaliter apostolorum a Christo instituta est. Deficiente autem hoc fundamento, videtur deficere plane ratio sufficiens ad asserendum ius divinum collegii episcoporum...[9]

In apostolis igitur officium extraordinarium attestandi ut *testes oculati* vitam et resurrectionem Christi, probe et accurate distinguendum est ab eorum munere ordinario docendi, sanctificandi et regendi omnes gentes. Officium testium ocularium Domini solummodo ipsi adimplere

poterant et adimpleverunt ex Christi mandato ut collegium duodecim. Apostolicum autem munus ordinarium praedicandi Evangelium omni creaturae usque ad consummationem saeculi, ab apostolis impleri debebat in primis per mundum universum dispersis et ab eorum successoribus usque in finem. Hoc autem ordinarium munus ac mandatum potuerunt apostoli eorumque successores exercere etiam collegialiter, sed iure ecclesiastico, manante ex mandato vel consensu, sive explicito sive implicito, illius qui iure divino est « verus Christi Vicarius totiusque Ecclesiae caput, et omnium christianorum Pater et Doctor », prout illum Concilium Florentinum et Vaticanum aperte definiverunt. Hoc autem mandatum vel consensus tacitus vel explicitus Pontificis non est ad conferendas episcopis potestates delegatas quibus agant in Concilio vel collegialiter, sed solum ad hoc ut adimpleatur conditio necessaria inclusionis capitis Concilii vel collegii, quod est iure proprio successor Petri. Episcopi autem semper agunt, tam in singulis eorum dioecesibus quam coadunati in Concilio vel formantes collegium; agunt semper, dicimus, potestatibus quas *iure divino* possident, ut apostolorum successores, ipsis ordinarias et proprias. Illas autem exercere hoc modo vel alio, conciliariter, nempe, collegialiter, vel singulariter in dioecesibus singulis, hoc non est ex iure divino neque ex delegatione Papae. *Non negamus ergo collegialitatem; dicimus tantum collegialitatem episcoporum ex iure divino satis probatam non esse.*[10]

In concreto, doctrina nec ut clara nec ut certa lucet. Progrediatur igitur summa cum prudentia. Apparet in aula quasi calidus tranquillitatis ventus, uti *dicerem*:[11] Patres, aequo laetoque procedant pede, timores absolvant...[12] *Nequaquam.*[13] Doctrina de qua agimus valde periculosa est atque gravissima. Stadium probabilitatis theologicae, ni fallor, non superavit. Iudicium ergo certum, absque errandi formidine Patres efformare — saltem pro me loquor — non possunt. ...[14] Confiteor humillime fratribus, mihi non licere in conscientia, prout nunc stat quaestio in Concilio, tam pro una quam pro alia, votum praestare sententia. Demum, pluries auditum est — etsi mihi ex toto non placeat — hac in aula conciliari quaestiones disputatas adduci in schemate non debere: *manifestum est quaestionem*[15] collegialitatis episcoporum *esse valde controversam*[16] tum inter theologos tum inter Patres ...[17]. Ergo quaestio de collegialitate episcoporum *trahi*[18] ad disceptationem conciliarem non debet. Unde vel denuo commissioni remittatur, vel periti vocentur, *loquantur in aula,*[19] si placeat.

In genere *diaconatus* ut gradus permanens hierarchiae, quin obstringatur lege caelibatus, non placet, saltem in occidentalibus regionibus. *Tamen*[20] in particularibus dioecesibus aut regionibus, ipsa institutio per-

manens diaconatus, ipsaque a lege caelibatus dispensatio, non conferentiis episcopalibus sed uno Summo Pontifici reserventur, quia tota res « ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae » pertinet, ut dicitur in Vaticano I, sess. IV, cap. III. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Notio fundandi de Petro et de apostolis reliquis univoce praedicari non potest. [2] deest. [3] Addam rationem fundandi quae reliquis apostolis tribuenda est, in Scriptura non nisi voce *Zemelion* exprimi, et tantum significare videtur effectus vel fructus praedicationis apostolicae Evangelii. [4] Videtur asseri duplex capitalitas, atque capitalitas totius Ecclesiae insinuatur. [5] atque inde consequitur, necessario debere. [6] Ideo iuxta haec duo Concilia, ratio praecipua praerogativarum Petri est missio quam a Christo accepit *relate ad Ecclesiam universam,* quae missio directe et immediate *personae* eius data est. Haec non leve momentum habent ad salvandam doctrinam Vaticani I de plena ac suprema potestate Papae etiam supra Concilium. [7] deest. [8] Concilium ipsum oecumenicum, in quo suprema et patens expressio collegialitatis esse videtur, estne iuris divini? [9] Igitur corporativismus vel collegialismus probandus est. [10] deest. [11] diceret. [12] despiciant scrupula... [13] deest. [14] Ergo. [15] Atqui quaestio. [16] est valde controversa. [17] ut manifestum est. [18] trahere. [19] deest. [20] Quod si rationes de curae animarum necessitate animos Patrum in medio laedunt tunc.

12

Exc.mus P. D. PETRUS ČULE
Episcopus Mandetriensis

Quia ep. Petrus Čule aegrotus est, ex licentia rev.mae secretariae lego eius interventum [*exc.mus P. D. Franciscus Franić, ep. Spalatensis et Macarscensis*].

Venerabiles Patres,

Multa et praeclara dicta sunt in hac aula pro et contra institutionem stabilem diaconatus in Ecclesia latina. Praecipuum motivum dissensionis est caelibatus. Utrum scilicet diaconatui restituto obligatio caelibatus imponenda est an non? Quaestio haec non unilateraliter consideranda est, sed attente et omni ex parte. Ad rationes hic a multis Patribus iam expositas, cur diaconatus sine caelibatu res maxime periculosa videatur, aliquas rationes ex propria experientia addam.

a) Ante aliquot annos per longius tempus in eodem loco et sub eodem tecto, *scil. in carcere,*[1] cum quodam episcopo seiuncto Ecclesiae orthodoxae Serborum commoratus sum. In familiari conversa-

tione quotidiana iste episcopus mihi difficultates enarrabat quas episcopi suae Ecclesiae cum viduis parochorum experiuntur. Quando episcopi ad visitandam paroeciam adveniunt, viduae sacerdotum ad illos convolant eosque formaliter obsident quaerendo subsidia pro alenda familia sacerdotali, ita ut aliquando episcopis nullum aliud remedium se liberandi ab istis viduis remaneat nisi ut se abscondant vel ut e paroecia aufugiant.

Timeo ne etiam nos in similem prorsus situationem deveniamus si diaconos uxoratos admittamus. Bellum cum illorum viduis sustinere debebimus...[2]

c) Noti sunt mihi casus sacerdotum non tantum dissidentium, sed etiam unitorum, quorum filii athei militantes sunt et quorum filiae in matrimonio civili vivunt. Utique cum maximo scandalo fidelium. Nonne idem casus erit etiam cum filiis diaconorum? Optimi parentes habent quandoque pessimam prolem.

d) Sacerdos catholicus visitavit diaconum Ecclesiae non unitae qui erat professor theologiae. Iste diaconus ostendit sacerdoti catholico domicilium ubi habitabat eius uxor, vivendo cum alio viro in civili connubio. Nonne poterit uxor deserere etiam diaconum catholicum et adhaerere alii viro? Qualem auctoritatem talis diaconus haberet apud populum?

e) Anno praeterito, Athenis et Thessalonicae, theologi orthodoxi noluerunt accedere ad ordinationem, etiamsi in Ecclesia graeca caelibatus non exsistit, postulando ut tamquam laici religionem in scholis tradant. Mille ducenti maluerunt remanere sine ullo officio quam ut ordines sacros susciperent.

f) Si deficiunt sacerdotes, forsitan ratio est quia nos episcopi non omnia facimus quae ex lege divina et ecclesiastica deberemus, et quia in aliquibus seminariis moderatores spirituales non sunt suo muneri idonei.

2. Cum multis Patribus, ego quoque timeo si diaconis matrimonium permittatur, ne caelibatui sacerdotum grave vulnus infligatur. Quando in bello externa propugnacula alicuius arcis deseruntur, ipsa interna pars arcis, vulgo cittadella dicta, difficillime defenditur. Caelibatus diaconorum est veluti quoddam propugnaculum, seu antemurale, pro caelibatu sacerdotum. Nam diaconatus est sacer Ordo et verum sacramentum sicut et presbyteratus...[3]

Quantum caelibatus sacerdotem catholicum iuvat uno eventu ex propria experientia illustrabo. Ante decem circiter annos, presbyter quidam Theodorus Ecclesiae dissidentis Serborum in carcere *mecum*[4] detinebatur. Una die, post visitationem propriae uxoris ipsi factam, valde

indispositus in cellam reversus est *ad me*.[5] Ad quaestionem cur ita indispositus sit, suspirando respondit: « Quam beati estis vos sacerdotes catholici qui uxorem non habetis! Uxor mea hodie me lacrimando obsecrabat ut compromissionem cum propria conscientia inirem, omnia faciendo et pollicendo quae a me postulabuntur, ut per fas vel per nefas quanto citius libertatem obtinerem et ad propriam familiam redirem, quia ipsa familiae amplius providere nequeat ». Et conclusit Theodorus: « Nescitis quanto felices estis uxorem non habentes, quae vos impellat ut contra conscientiam *et fidem*[6] agatis. Ego quando e carcere liberatus ero, caelibatum intra nostram Ecclesiam propagabo ».

Sacer itaque caelibatus praesertim nostris temporibus, quando Ecclesia et ipsa fides periclitantur et quando sacerdotes acerrimae pugnae manent, fortiter ac firmiter sustinendus est, *caelibatus*.[7] Ideo si diaconatus stabilis restituatur, id non fiat sine obligatione ad caelibatum.

3. Illis quae a multis Patribus in hac aula sapienter de collegialitate *moderata*[8] episcoporum et de episcopatu ut vere et proprie dicto Sacramento iam dicta sunt, plenissime adhaereo atque subscribo, ita non est necesse idem repetere. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] *b*) Diaconi instituendi praevidentur imprimis pro Ecclesiis diasporae et missionum. Sed istae Ecclesiae regulariter pauperes sunt. Quomodo poterunt sustentare familias etiam defunctorum diaconorum, si istae familiae prolem numerosam quoque habent. [3] Ad vivendum pro tota vita in caelibatu heroismus requiritur. A candidatis sacerdotii omnia removere debemus quae istam heroicam dispositionem minuere possent. Sed permissio matrimonii diaconis istam dispositionem heroicam facile imminuere poterit. Iulius Caesar, quando ante decisivam pugnam cum Pompeio ante Pharsalum, a quo viribus superabatur, militibus heroismum inspirare voluit, ante oculos ipsorum castra propria destruxit significando illis aut vincendum aut moriendum esse. Idem fecit Cortes in expugnando Mexico. Combussit ante oculos militum omnes naves quibus mare traiecerunt. In utroque casu milites videntes sibi unice in victoria sperandum esse ut leones pugnaverunt et vicerunt. Simili modo etiam adspirantes ad sacerdotium qui ex amore Domini et Ecclesiae sponte caelibatum amplectuntur, persuasi esse debent sibi sperandum esse tantum in heroica ac constanti pugna et resistentia contra carnis illecebras. Talem heroicam persuasionem non omnes concipient vel saltem non illam semper retinebunt cernendo diaconos a caelibatu iam solutos esse. Intra se cogitabunt: quod hodie cum diaconis evenit, cras evenire poterit etiam cum presbyteris. Suspicio etiam tenuis de possibilitate relaxationis caelibatus aliquos saltem sacerdotes inducere poterit cedendi gravissimis tentationibus carnis, qui secus non cederent. Vera autem catastrophe pro caelibatu sacerdotali esset, si sacerdotes lapsi postea indiscriminatim ad statum diaconorum uxoratorum reducantur, et ita illorum concubinatus sacrilegus in facie Ecclesiae legalisetur. In tali suppositione omnino actum esset de caelibatu sacerdotum. [4] deest. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] deest.

Moderator: Communicabit nunc exc.mus secretarius generalis exitum votationis de cap. II constitutionis *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis:

Votum dederunt Patres	2.242
Maioritas requisita	1.495
Dixerunt *placet*	1.417
non placet	36
placet iuxta modum	781
Vota nulla	8

Cum igitur non sit habita maioritas requisita, pro nunc cap. II non est approbatum. Commissio examinabit omnes modos, et iuxta *Ordinem* fiet suo tempore suffragatio circa modos. Dixi.

13

Exc.mus P. D. MARIANUS OBLAK
Episcopus tit. Flaviensis, aux. Iadrensis

Liceat mihi, venerabiles Patres, breviter de presbyteris tantum agere.[1]

...[2] In pag. 26, linn. 2-3, asseritur quod episcopi in presbyteros « gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt »...[3]

Sacramenta enim agunt ex opere operato, et per ea non confertur gratia ministri, sed gratia Christi, independenter a statu gratiae ministri. *Ideo haec dogmatice certe vera non sunt.*[4]

Dubium autem est id quod dicitur in pag. 26, linn. 13-14: « ... cuius in pascendo grege eique inserviendo vices agunt ». Certe, presbyteri nullam in animas potestatem, quam dicunt *regiminis,* sine deputatione ex parte Papae aut episcopi competentis exercere possunt. Attamen non videtur certum eos in hac potestate exercenda puros et meros vicarios episcopi esse, qui nullam ad hoc radicalem missionem ex ipsa ordinatione presbyterali haberent. Speciali autem modo id dicendum est si munus huiusmodi presbyterorum non concipiatur sub aspectu regiminis, sed praecise sub aspectu *servitii*; quapropter haec verba e schemate delenda sunt.

Terminus *cura animarum* habet quidem in lingua hodierna iuridica sensum technicum determinatum, quem redactores schematis prae oculis habuerunt in conscribendo hoc loco ubi agitur de presbyteris. Sed nos

nunc in hoc Concilio proferre volumus constitutionem *dogmaticam.* Quapropter in locum hunc de presbyteris praecisior distinctio introducenda est inter *sollicitudinem apostolicam,* quae tamquam obligatio generalis et officium fundamentale ex ipsa ordinatione presbyterali unicuique presbytero provenit, et *missionem canonicam,* vel *deputationem legitimam* ad certum munus in concreto explendum sive ad munus pastoris in certam portionem gregis Domini exercendum.

Dicebat enim fel. rec. PP. Ioannes XXIII in allocutione, die 3 in Romana Synodo I habita: « La caratteristica singolare del sacerdote cattolico è l'esercizio del ministero pastorale. Ogni prete è cristiano per sè ma è sacerdote per gli altri: christianus sibi, sacerdos aliis »...[5]

Integrum hunc locum de presbyteris in nostro schemate proprie ad mentem praelaudatae allocutionis Ioannis XXIII reformari velim, ut ita etiam presbyteratus eiusque locus in vita et activitate Ecclesiae peregrinantis in clariorem lucem ponatur. Sicut pro laicis in cap. III obligatio in opere Ecclesiae partem sumendi extollitur, quae ex baptismo et confirmatione provenit, ita procul dubio hoc loco apponenda est obligatio fundamentalis, quae presbyteris ex Ordine recepto profluit, ut in opere pastorali et apostolico Ecclesiae modo legitimo vires et facultates suas sedulo impendant. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] Schema hoc nobis propositum certe laudandum est eam ob causam, quod in eo admittitur ut partes omnium Ecclesiae membrorum in vita et actione totius corporis quam praecisius determinentur atque describantur. De laicis agit cap. III, religiosos respicit cap. IV, hoc vero cap. II modo speciali occupatur circa episcopos, quamvis modo generali consideret hierarchiam in genere. Iamvero, meo humili iudicio, in schemate nostro locus nimis restrictus dedicatus est presbyteris, qui autem procul dubio in opere Ecclesiae — quatenus est labor et sudor in vinea Domini — partes praecipuas exercent et ad eas exercendas nati sunt. In delineando munere et in enucleanda potestate nostra, episcoporum scil., multi sumus. Presbyteros vero quod attinet, schema duas lineas n. 15 habet, ubi quaedam dicuntur quae claritate quidem non eminent, quaedam summe dubia videntur, quaedam autem non recta sunt. [2] Sic. [3] Poetice quidem etiam haec dici forsan possint, at dogmatice certe vera non sunt. [4] deest. [5] (*Prima Romana Synodus* a. d. 1960, pag. 417).

14

EXC.MUS P. D. IOSEPH HÖFFNER

Episcopus Monasteriensis

Venerabiles Patres,

...[1] Duo animadvertere velim ...[2]

Primo.[3] In cap. II, de triplici episcoporum *munere* docendi, sanctificandi et regendi agitur, quod munus, etsi raro, tamen nonnullis in locis huius capitis, etiam *triplex potestas* vocatur. Qui modus loquendi, mea opinione, quadam emendatione vel accommodatione indiget, et quidem tribus ex rationibus.

Prima ratio: traditio theologica non triplicem, sed *duplicem* tantum potestatem distinguit: potestatem nempe Ordinis et potestatem iurisdictionis. Quae distinctio in eo fundatur, quod hierarchia a Christo Domino instituta, *ratione Ordinis,* ex episcopis, presbyteris et diaconis constat; *ratione vero iurisdictionis* in supremum Pontificatum et episcopatum distinguitur. Etiam Codex Iuris Canonici tantummodo duplicem hanc potestatem novit. Ansam confusionis daret si in decreto *de Ecclesia* non iam de duplici sed de *triplici potestate* sermo fieret.

Secunda ratio: tripartitio in *potestatem* docendi, sanctificandi et regendi apud theologos catholicos satis recentis originis est, cum ante saec. XIX nemo hoc modo loquendi usus sit...[4]

Addere velim etiam distinctionem trium *munerum* Christi et Ecclesiae apud theologos catholicos satis recenter in usum venisse. Historia enim docet theologos catholicos hanc distinctionem saec. XVIII vergente a theologis lutheranis recepisse...[5]

Attamen haec distinctio *omnino*[6] utilis et accommodata est, quamvis textus biblici, qui pag. 16, nota 10 allegantur, non probent Christum Dominum *nonnisi* his tribus muneribus praeditum fuisse; nam Christus Dominus non tantum magister, sacerdos et rex a S. Scriptura appellatur, sed etiam mediator ...[7], salvator ...[8], filius hominis ...[9], messias ...[10], *etc.,*[11] ita ut theologi Medii Aevi de decem muneribus Christi et Ecclesiae locuti sint.

Tertia ratio: distinguendum est, *mea opinione,*[12] inter *duplicem potestatem* scil. Ordinis et iurisdictionis ex una parte, et *tria munera* Christi et Ecclesiae ...[13] ex altera parte. *Munus* enim est officium vel ministerium in quo potestas tradita — sit venia verbi — « concretizatur » et exercetur. Sic e. g., minister sacramenti poenitentiae munus sanctificandi exercens *tum* potestate Ordinis, *tum* potestate iurisdictionis in-

diget, ut sacramentum validum sit. De triplici igitur *munere* Ecclesiae legitime loqui licet, non autem de triplici potestate.

...[14] Ex his dictis concludo sequentes emendationes in schemate faciendas esse:

Pag. 24, lin. 2, loco « suae potestatis », dicatur: « suorum munerum »; ...[15] et pag. 25, linn. 9 et 11, *pari modo,*[16] loco « potestatem » et « potestati », dicatur: « munus » et « muneri »; et pag. 25, lin. 39: *dicitur*: « *Hierarchia, divina ordinatione instituta, constat ex episcopis, presbyteris et ministris* ». *Papa hic non nominatur ac si ad hierarchiam non pertineret. Quapropter,*[17] post « constat », inseratur: « ratione Ordinis », nam, ratione iurisdictionis, hierarchia iure divino distinguitur in Supremum Pontificatum et episcopatum...[18]

Altera[19] *mea animadversio* spectat ad clausulam condicionis, sub qua actus collegialis collegii episcoporum extra Concilium oecumenicum in schemate possibilis esse dicitur, nempe pag. 27, linn. 36-39.

Cum, omnibus fatentibus, collegium episcoporum necessario et semper includat Romanum Pontificem tamquam suum caput, explicita mentio necessariae interventionis Romani Pontificis quasi ab extrinseco accedentis ad actionem collegii non satis ad unitatem capitis et membrorum attendere videtur.

Clausula insuper innuere videtur « initiativam » ad ponendum actum collegialem nonnisi in casu rarissimo ex ipso medio collegio provenire posse. Quod vix dici potest.

Quapropter propono quod pag. 27, linn. 36-39, loco « dummodo ... efficiatur », dicatur: « dummodo vere sit actus totius collegii una cum capite suo ». Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ad cap. II de Ecclesia. [2] et addo me etiam nomine 69 episcoporum germanicae linguae loqui. [3] I. Animadversio. [4] (De triplici potestate primus locutus est Ferdinand Walter, *Lehrbuch des Kirchenrechtes aller Confessionen,* 4 Aufl., Bonn. 1829, § 22, nota 3). [5] (Cf. Ioseph Fuchs, *Magisterium, Ministerium, Regimen. Vom Ursprung einer ekklesiologischen Trilogie,* Bonn 1941. [6] deest. [7] (*1 Tim.* 2, 5). [8] (*2 Tim.* 1, 10). [9] (*Mt.* 16, 13; *Mc.* 9, 8). [10] (*Io.* 1, 41). [11] deest. [12] deest. [13] scil. docendi, sanctificandi et regendi. [14] *Conclusio.* [15] pag. 24, lin. 29: loco « regere » dicatur « pascere ». Ratio: *a*) ita sonat textus graecus; *b*) secus aegre intelligitur tripartitionem sequentem (« docere, sanctificare et regere ») textum antea citatum (*Act.* 20, 28) explicare. - pag. 25, lin. 5: deleatur « docere ». Ratio: *a*) voce « pascendi » omnis functio episcoporum complectitur (cf. pag. 24, lin. 29; pag. 25, lin. 3); *b*) secus omitti videtur munus sanctificandi, quo tamen iuxta pag. 25, linn. 24 s. episcopi prae presbyteris simpliciter praecellunt. [16] deest. [17] deest. [18] pag. 27, lin. 14: loco « in magisterio et regimine pastorali » di-

catur: « in grege fidelium pascendo ». Ratio: episcopus *triplici* munere fungitur, non duobus tantum muneribus docendi et regendi. [19] II. Secunda.

Nomina Patrum conciliarium linguae germanicae, qui interfuerunt Conventui die 7 m. octobris 1963 habito.

Angerhausen, ep. aux. Essendien.; Aufderbeck, ep. aux. Fulden.; Baaken, ep. aux. Monasterien.; archiep. Bengsch, ep. Berolinen.; Bliestle, sup. gen. M.S.F.; Bolte, ep. Fulden.; Buchkremer, ep. aux. Aquisgranen.; Cleven, ep. aux. Colonien.; Cobben, ep. Helsinkien.; Duschak, vic. ap. Calapanen.; Emanuel, ep. Spiren.; Esser, ep. Keimoesan.; Etspüler, prael. null. Bangueden.; card. Frings, arch. Colonien.; Frotz, ep. aux. Colonien.; Fürstenberg, ep. Abercornen.; Gnädinger, ep. aux. Friburgen.; Graber, ep. Ratisbonen.; Haene, ep. Guelen.; Hengsbach, ep. Essendien.; Hoeck, abbas praeses Congr. Bavaricae O.S.B.; Höhne, vic. ap. Rabaulen.; Hiltl, ep. aux. Ratisbonen.; Jaeger, arch. Paderbornen.; Janssen, ep. Hildesheien.; Kampe, ep. aux. Limburgen.; König, arch. Vindobonen.; Koestner, ep. Gurcen.; Kühner, prael. null. Tarmen.; Landersdorfer, ep. Passavien.; Lenhardt, ep. aux. Bambergen.; Macheiner, ep. aux. Salisburgen.; Niederberger, abbas praes. Congr. Helveticae O.S.B.; Nordhues, ep. aux. Paderbornen.; Olbert, ep. Zimtaoven.; Pachowiak, ep. aux. Hildesheien.; Pohlschneider, ep. Aquisgranen.; Reiterer, ep. Lybenburgen.; Reuss, ep. aux. Moguntia; Riha, abbas praes. Congr. Austriacae O.S.B.; Rintelen, ep. aux. Paderbornen.; Rohracher, arch. Salisburgen.; von Rudloff, ep. aux. Osnabrugen.; Rüth, vic. ap. Norvegiae centralis; Schick, ep. aux. Fulden.; Schilling, vic. ap. Gorkaen.; Schneider, arch. Bambergen.; Schräder, ep. aux. Osnabrugen.; Schröffer, ep. Eystetten.; Schütte, sup. gen. S.V.D.; Sedlmeier, ep. aux. Rottenburgen.; Splett, ep. Gedanen.; Stein, ep. aux. Treviren.; von Streng, ep. Basileen. et Luganen.; Tenhumberg, ep. aux. Monasterien.; Theissing, ep. aux. Berolinen.; Thijssen, ep. Larantukan.; de Vet, ep. Bredan.; Volk, ep. Moguntin.; Wechner, ep. aux. Oenipontan.; Weigl, ep. Ikelaën.; Weber, ep. Iceuven.; Weinbacher, ep. aux. Vindobonen.; Westermann, ep. Sambalpuren.; Wittler, ep. Osnabrugen.; Wemberg, vic. ap. Norvegiae septemtr.; Zak, ep. S. Hippolyti; Zauner, ep. Lincien.; Zimmermann, ep. aux. Augustan. Vindel.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH CARRARO
Episcopus Veronensis

De diaconatu permanente, iam campanae magni ponderis hinc inde diversimode sonuerunt; nunc autem, venerandi Patres, velit patientia vestra campanulam, immo tintinnabulum, audire!

Duabus ultimis lineis pag. 26, introducitur propositio quae mihi videtur satis ambigua in verbis, maxime periculosa in effectu; respicit quidem disciplinam potius quam doctrinam, sed stricte connectitur vitae Ecclesiae.

Haec *imprimis* [1] praemittenda censeo.

1. Volo equidem loqui tantum pro Ecclesia latina, et maximam

profiteor reverentiam erga disciplinam quae viget in Ecclesiis orientalibus, quae tamen et ipsae extollunt caelibatum ecclesiasticum.

2. Libentissime paratus sum ad *placet* pro restauratione diaconatus stabilis, cum caelibatu tamen, non vero praecipue propter rationes pastorales, sed potissimum propter rationes theologicas, spirituales et, ut ita dicam, constitutionales Ecclesiae, sicut iam illustravit em.mus card. Suenens. Si novi diaconi similes Francisco Assisiensi, qui fuit stabilis diaconus, surgent in Ecclesia, benedicta sit ista restauratio!

3. Puto *peculiarem*[2] rationem habendam esse circa fratres iam seiunctos, qui fuerint ministri aut pastores in propria confessione et velint ministerium continuare in Ecclesia catholica. Pro his speciales normas et exceptiones, sicut Apostolica Sedes, praeteritis temporibus, iam concessit, et maiores, si opus fuerit, favente immo impellente quoque Concilio, concedere poterit; quin tamen lex generalis mutetur.

Et nunc ad examen textus et consequentiarum.

1. Noster textus sic sonat: « ad praepositos Ecclesiae spectat », etc.

Qui sunt isti « praepositi Ecclesiae »? ...[3] Quiqui sint, singuli aut conferentiae episcoporum, alii alia decernent, quod certo admirationem ...[4] in toto orbe excitabit. Nostra enim aetate, mundus parvus factus est et intervalla quasi aboleta, et in eadem regione una habitant homines differentem religionem profitentes.

Videturne utile pro affirmanda unitate Ecclesiae, novam in re tanti momenti introducere disciplinam quae potius diversitatem manifestaret?

2. Dixi « novam disciplinam » quia traditio caelibatus diaconalis maxima pollet antiquitate inter venerabiles traditiones catholicae Ecclesiae, uti probare potest longa series documentorum, quorum elenchum, non exhaustivum, secretariae scripto tradam. *Et quia nolo assumere poenas alienas dico:*[5] in hac conficienda nota historica, auxilium petii a perito conciliari peritissimo, qui non enchiridion aut manualia, sed fontes diligenter investigavit.

Lex clara exstat in Concilio Eliberitano ...[6], initio saec. IV; sed Concilium Carthaginense, a. 390 celebratum, explicite refert diaconorum caelibatum ad doctrinam apostolorum et observantiam antiquitatis. Etiam Sancti Patres et doctores Ecclesiae caelibatum diaconorum firmiter defenderunt, uti S. Ambrosius, S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Isidorus.

Quando autem iniuria temporum et lacrimabilis ipsa ecclesiasticorum morum laxitudo visae sunt huius sanctae legis vim minuere, tunc Summi Pontifices et Concilia acriter et constanter eam vindicarunt, et omni nisu in pristinum reducere laboraverunt, pro tribus gradibus Ordinis et non tantum pro episcopis et presbyteris.

Agitur ergo de traditione perantiqua et valde venerabili.

Sanctus Pater Paulus VI in allocutione diei 29 mensis septembris haec dixit, quae humiliter censeo posse referri ad nostrum argumentum: « Renovatio, ad quam Concilium spectat, neque praesentem vitam Ecclesiae subvertere ducenda est, neque eius traditiones interscindere, in iis quae sunt potissima et venerabilia, sed potius his ipsis traditionibus honorem habere ».

3. Aliud argumentum dicere possumus ex rationibus spiritualibus. Caelibatus enim lex ad hoc tendit ut Dei minister totum se Deo devoveat et totus ei inserviat in suis fratribus. Caelibatus lex favet ergo unitati vitae cuiuscumque ministri Christi; coniungit enim vitam spiritualem cum vita apostolica; et haec unitas maximae fecunditatis apostolicae et pignus et causa est.

Caelibatus lex favet libertati vitae: « Qui sine uxore est sollicitus est quae Domini sunt, quomodo placeat Deo »...[7]

Et simul caelibatus lex favet paupertati spiritui — *paupertati spiritui.*[8] Nonne luculenter et pluries hic dictum est spiritum paupertatis, maxime in nostris temporibus, esse debere quasi notam sanctae Ecclesiae? ...[9] imprimis eius ministrorum? Et quomodo paupertas ...[10] poterit imponi non uni diacono sed toti eius familiae? Et quomodo ex altera parte satisfiet legitimis et sanctis exigentiis iustitiae socialis? Libertas et paupertas ad invicem nectuntur: ministri Christi ideo pauperes quia liberi (utique a curis familiae); ideo liberi quia pauperes.

4. Etiam consectaria novae propositae disciplinae in ordine, ut ita dicam, psychologico et paedagogico, mihi non spernenda videntur.

Quid dicant sodales institutorum saecularium, qui in mundo ad Deum plenius serviendum et apostolatum perfectius complendum vota emiserunt? Quid dicant laici conversi vel fratres coadiutores qui in religione eadem vota emiserunt? Nonne isti et illi aegre ferent superioritatem hierarchicam coniugatorum? Nonne et fideles laici in minorem aestimationem induci poterunt vel castitatis Deo dicatae, vel ipsius sacerdotii, vel illarum regionum ubi lex introducta esset?

Quomodo practice seligentur et separabuntur et formabuntur vocationes seu seminaristae ad diaconatum sine caelibatu et alii ad diaconatum et sacerdotium cum caelibatu?

Sunt qui dicant novam disciplinam fovere ecclesiasticas vocationes quia facilius invenirentur candidati pro hoc ministerio, quod exigeret minores dotes spirituales, minorem praeparationem theologicam et minus vinculum castitatis. Prophetizare in hac re est valde difficile; at certe scio quod « minimismus » nunquam excitat sanas vires et minime placet iuvenibus nostrae aetatis.

Ne putent episcopi fratres carissimi qui in magna angustia versantur

propter carentes ecclesiasticas vocationes, nos qui ita loquimur ignaros esse aut ...[11] incapaces ut eorum necessitates vere intelligamus. Deus scit quanta admiratione et affectu eos prosequamur et quomodo eos adiuvare desideremus! At firmiter nobis persuasum est non per diaconatum uxoratum sed per plures alios modos id fieri posse quorum duos, *si tempus sufficit,*[12] potissime hic memorare iuvabit:

a) Imprimis per magis aequam distributionem et coordinationem omnium virium apostolicarum, quae non desunt in Ecclesia catholica, sicut non deest in mundo copia sufficiens mediorum sustentationis pro tota familia humana. Multa iam in hoc sensu facta sunt et fiunt; sed multa plura facienda remanent et fieri possunt.

Loquimur in nostra constitutione de collegialitate in sensu verticali *et* [13] in sensu horizontali ...[14]: doctrina in praxim est deducenda. Si nos omnes episcopi totius Ecclesiae Christi clarius nostrorum fratrum aerumnas agnoscemus et fortius solidarietatem nostram probabimus, nostras vires uniendo, nostrorum sacerdotum et fidelium omnium zelum inflammando, et eos in auxilium mittendo, secundum mensuram quae non pertinet ad superfluum tantum...[15]

Concludo, et reliqua remitto ad secretariam.[16]

Caelibatus diaconorum traditione bimillenaria fulcitur et contra omnia tentamina abrogationis per saecula repetita, semper et strenue vindicatus est...[17]

Restauretur ergo, si placet et si utile ...[18] videtur, diaconatus stabilis, sed restauretur in toto, cum omnibus praerogativis et exigentiis et notis, quibus iam a primis saeculis decorabatur et semper in Ecclesia latina decoratus est.

Tunc vere vultus renovatus Sanctae Matris nostrae Ecclesiae magis in luce clarescet; quod faxit per suas preces Regina Virginum et Mater nostra, Sancta Dei Genetrix.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] particularem. [3] Forsitan singuli episcopi pro suis dioecesibus? vel conferentiae nationales aut regionales aut continentales? [4] saltem. [5] deest. [6] (Elvira). [7] (*1 Cor.* 7, 32). [8] deest. [9] ergo. [10] (v. g. nostrorum parochorum qui 30 aut 40 libellis italicis vivunt in mense). [11] insensibiles aut. [12] deest. [13] scil. relate ad Summum Pontificem, tum. [14] scil. episcoporum inter se. At. [15] sed, sicut iam dictum est et Summi Pontifices nunquam urgere destiterunt, etiam sacrificium et privationem quandam importat, tunc sermo de collegialitate episcoporum, saltem horizontaliter fiet magis concretus et forsitan magis clarus, et spectaculum mundo praebebimus unitatis et fraternitatis, iustitiae et caritatis; et alius poterit esse etiam sermo de diaconatu; *b*) alter modus per idoneam promotionem laicorum. Si laici, opportune selecti, accuratius praeparentur in scholis apostolatus, quae ordinandae

essent quasi ut « seminaria laicorum », experientia docet hos laicos vere auxiliares fieri et in non paucis muneribus optime sacerdotum vices gerere, et quid prohibet ut his laicis assignentur mansiones evangelizandi et catechizandi, immo ut eis dentur facultates ampliores, v. g. baptizandi, mortuos sepeliendi et alia officia absolvendi, quae non necessario requirunt Ordinem sacrum? Tali modo non retrocessio clericorum, sed vera obtinebitur promotio laicorum. [16] Conclusio. [17] Abrogatio vel facultas abrogationis a Concilio Vaticano II concessa, everteret hanc sacrosanctam traditionem, rimam aperiret et vulnus inferret generali legi caelibatus clericorum, quae maxime in mundo hodierno signum est levatum antinomiae Evangelii Christi adversus materialismum et edonismum saeculi. [18] hic aut illic.

Animadversiones additae:

Documenta traditionis circa caelibatum diaconorum.

Observantia caelibatus pro clericis in ordinibus sacris constitutis pertingit usque ad tempora apostolorum.

In Ecclesia orientali praxis mitior quoad diaconos et sacerdotes tolerabatur. De hac tolerantia qua tali testimonium perhibet Socrates, *Hist. Eccl.* I, 11; immo ipse episcopus Paphnutius, qui in Concilio Nicaeno a lege caelibatus universali ferenda dissuasit propter difficultatem applicationis in oriente, ubi a multis non observabatur, caelibatum clericorum tamquam vetus Ecclesiae traditionem recognovit (cf. etiam S. Epiphanium, *Haereses* II, 59, 4).

In Ecclesia autem occidentali et romana consuetudo caelibatus pro episcopis, sacerdotibus, ministris magis in dies normis scriptis, quae tamen omnes non innovationes sed vindicationes perantiquae traditionis apparent, firmabatur:

Prima lex huiusmodi exstat in c. 33 Concilii Eliberitani (a. 305), quem sequuntur Concilia Africae: Carthaginense II a. 390 (can. 2) explicite caelibatum etiam diaconorum refert ad doctrinam apostolorum et observantiam antiquitatis: « Aurelius episcopus dixit: ... episcopos, presbyteros et diaconos ita placuit ut condecet sacrosanctos antistites et Dei sacerdotes nec non Levitas vel qui sacramentis divinis inserviunt continentes esse in omnibus, quo possint simpliciter quod a Deo postulant impetrare; ut *quod apostoli docuerunt* et *ipsa servavit antiquitas* nos quoque custodiamus. Ab universis episcopis dictum est: omnibus placet ut episcopi, presbyteri et diaconi vel qui sacramenta contrectant pudicitiae custodes etiam ab uxoribus se abstineant. Ab omnibus dictum est: placet ut in omnibus et ab omnibus pudicitia custodiatur, qui altari deserviunt ».

In Hispania sequuntur Concilium Eliberitanum: Concilium Toletanum I a. 398 (can. 1 pro diaconis!), Gerundense a. 517 (can. 6); Toletanum II a. 531 (can. 3): « illud vero praeterea speciali ordinatione decrevimus *quod nec antiqua concilia in universis paene canonibus siluerunt,* ut nullus clericorum a gradu subdiaconatus et supra in consortii familiaritate habeat mulierem ». Item Concilia sequentia.

In Gallia: Concilio Arelatensi I, a. 314, can. adiunctus 29; Taurinense a. 398 (can. 8), Arausicanum I a. 441 (can. 21, 22) et concilia sequentia. Speciali mentione dignum est Conc. Turonense a. 461 quia in eo (can. 2) expresse dicitur: « Et licet *a patribus nostris* emissa auctoritate fuerit constitutum, ut quicumque sacerdos et levita filiorum procreationi operam dare fuisset convictus, a communione dominica abstinetur, nos tamen huic districtioni moderationem adhibentes et iustam constitutionem emollientes id decrevimus ut sacerdos vel levita

coniugali concupiscentia inhaerens vel a filiorum procreatione non desinens, ad altiorem gradum non conscendat *neque sacrificium Deo offerre vel plebi ministrari praesumat* ».

RR. Pontifices inde ab initio caelibatum sacerdotum et etiam diaconorum contra omnem huius disciplinae imminutionem et corruptelam strenue vindicabant: Siricius Papa a. 385 in epistola ad Himerium Tarraconensem pro tota Hispania; idem, a. 386, ad episcopos Africae; Innocentius I, a. 404, ad Victricium Rothomagensem et, a. 405, ad Exsuperium Tolosanum. Leo Magnus, a. 448, ad Rusticum Narbonensem et, iam a. 446, ad Anastasium Thessal.

Dubium et haesitatio erat tantum de subdiaconorum caelibatu; quod tamen eo explicatur quod isti non ab initio neque ubique ordinibus sacris adnumerabantur. Eo tamen modo quo inter sacris ordinibus ornatos computabantur, etiam caelibatus ad subdiaconos communiter extendebatur; quod definitive sancitum est a Gregorio Magno in epistulis ad episcopos Siciliae.

Etiam SS. Patres et Ecclesiae doctores caelibatum diaconorum absque dubitationis scrupulo defendunt ut S. Ambrosius (*De officiis* I, 50), S. Hieronymus (*Adv. Jovin.* I, 34; *ad Pamachium* ep. 48, 21); S. Augustinus (*De coniug. et adult.* II, 22); S. Isidorus Hisp. (*De Offic. Eccles.* II, 10).

Quamvis multae adfuissent difficultates hanc obligationem observandi, sive propter parvum clericorum numerum pro populis noviter conversis sive, postea, propter connexionem cum bonis temporalibus, Ecclesia numquam emollivit ipsam doctrinam; immo, ingravescentibus transgressionibus, hac quoque in re, iterata tentamina facta sunt reformationis, praesertim a RR. Pontificibus; et a sic dicta reformatione Gregoriana caelibatus clericorum in sacris ordinibus constitutorum restitutus est: Benedictus VIII, Gregorius VI, Leo IX, Stephanus IX, Nicolaus II, Alexander II et denique Gregorius VII strenue luctabant contra Nicolaismum; Gregorius VII etiam contra investituram laicorum caelibatum clericorum urgebat dicens: « Non liberari potest ecclesia a servitute laicorum, nisi liberantur clerici ab uxoribus ».

A RR. Pontificibus sequentibus matrimonia clericorum inde a subdiaconatu irrita declarata sunt, quinimmo Alexander III prohibuit, ne in minoribus quidem ordinibus constitutis, si coniugati essent, beneficia ecclesiastica conferantur et iussit eos beneficiis renuntiare debere post matrimonium initum (cf. X, III, 3, 1-3). Innocentius III hac occasione etiam rationes caelibatus commemorat. Iam Eusebius, initio saec. IV in Demonstr. Evangel. I, 9, dixerat eos qui sacrati sint atque in ministerio cultuque occupati continere seipsos a commercio uxoris decere ut doctores et praedicatores divini verbi omnibus vitae vinculis et sollicitudinibus liberati possint sufficere et melioribus studiis vacent liberius et non unius neque duorum liberorum sed acervatim innumerabilis multitudinis educationem sanctamque disciplinam ac reliquae instituendae vitae curam possint suscipere. Ab Innocentio III, Norvicensi episcopo a. 1203 scribenti rationes valde actuales edicuntur, cur ne coniugatis minoristis quidem stipendia ecclesiastica una cum officio et munere ecclesiastico concredenda sint: « Cum vir cogitet, quomodo placere possit uxori et ideo minus quae Dei sunt valeat cogitare, quum quasi divisus in duo plenam sui non habeat potestatem ut ei a quo stipendium recipit plenius famuletur, mandamus quatenus huiusmodi clericos beneficiis ecclesiasticis quae in tua dioecesi sunt adepti prives, appellatione remota, praesertim cum rerum ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire » (X. III, 3, 5). Magister huius R. Pon-

tificis, Huguccio Ferrariensis episcopus, aliique traditionis huius temporis et rei testes eminentissimi iterum atque iterum dixerunt caelibatum clericorum in sacris ordinibus constitutorum ab ipsis apostolis originem trahere.

Sed, per se, caelibatus pro clericis in minoribus ordinibus constitutis in Ecclesia occidentali neque in sequentibus saeculis impositus est. Concilium Tridentinum, renovans constitutionem Bonifatii Papae VIII, admisit explicite coniugatos clericos ad ordines minores, praesertim cum « ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis caelibes praesto non sint » idque in eo canone in quo functiones eorum in usum revocavit (cf. Sess. XXIII, *de reform.* c. 6 et 17). Sed eo fortius iterum inculcavit caelibatum pro ordinibus sacris (Sess. XXIV, can. 9 *de matrimonio*).

Omnia huiusmodi vindiciae caelibatus ministrorum sacrorum effectus sunt impugnationis vel tentaminum imminutionis vel abrogationis, quae iterum atque iterum contra caelibatum movebantur quaeque neque post Concilium Tridentinum cessabant.

His quoque recentioribus temporibus S. Sedes omnibus conaminibus relaxandi huiusmodi caelibatum strenue se opposuit. Saeculo elapso e. g. Gregorius XVI, Litt. Encycl. *Mirari vos,* diei 15 aug. 1832, novam societatem contra caelibatum clericorum in Germaniae partibus ortam foedissimam appellavit coniurationem; Pius IX in Ep. Encycl. *Qui pluribus,* 9 nov. 1846, et, hoc saeculo iterum Pius XI, Litt. Encycl. *Ad catholici sacerdotii,* 20 dec. 1935, caelibatum clericorum Ordinum maiorum sollemniter affirmavit.

In Codice Iuris Canonici nedum caelibatus clericorum relaxatur sed potius etiam ad Ordines minores extenditur (can. 132 § 2).

Ex his summis lineamentis vicissitudinum caelibatus clericorum maiorum clare patet agi de traditione primaeva ecclesiastica, decursu saeculorum numquam intermissa sed potius adaucta, ab auctoritate ecclesiastica et praesertim a RR. Pontificibus contra omnem imminutionem et corruptelam semper et strenue vindicata.

16

Exc.mus P. D. ARMANDUS FARES

Archiepiscopus Catacensis-episcopus Squillacensis

Venerandi Patres conciliares,

...[1] Quaedam dicam de diaconatu, de collegialitate episcoporum et de ministeriis episcoporum.

De diaconatu. In quaestione de diaconatu duo sunt iudicia proferenda in casu nostro: i. e. iudicium doctrinale et iudicium prudentiale.

a) *De iudicio doctrinali*: nemo dubitare potest, saltem ex definitione quam habemus in Concilio Tridentino ...[2] — in quo edicitur: « Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris » — in illa voce « ministris », certocertius *diaconos* designari, et ex plurimorum auctorum sententia « *unice diaconos* ». Consequenter, in constitutione

hac dogmatica, locum opportunum habent quae ad declarandam hanc doctrinam de diaconatu conferunt, etiam circa sacramentalitatem seu rationem sacramenti quae inest diaconatui: et sic completo modo apparere potest ratio hierarchiae Ordinis quae est in Ecclesia.

b) *De iudicio prudentiali,* quod respicit opportunitatem denuo instaurandi in Ecclesia latina diaconatum stabilem seu permanentem, multi multa dixerunt. Ex eo quod *multa* dicta sint, ideoque multae rationes prolatae sint sive *pro,* sive *contra,* iam evidens est maiori prudentia procedendum esse in hac parte.

Rationes convenientiae, psychologicae, disciplinares, morales, oeconomicae, sociales, pastorales, oecumenicae, missionariae plures allatae sunt. At animum ancipitem in multis Patribus conciliaribus reliquerunt, videlicet utrum procedendum sit an non in hac instauratione, quae a quibusdam saltem ad experimentum propugnata est. Mea quidem sententia, etiam hoc experimentum, si peragetur, maxima prudentia peragi deberet. Non possunt fieri experimenta in hac re sicut (*est proverbium quod cito* [3]) in corpore vili: Ecclesia autem est semper Corpus Christi, licet mysticum.

Ideoque maxima reverentia propono ut moderatores Concilii, una cum em.mis cardd. Praesidentiae, considerare velint an opportunum sit *per suffragationem peculiarem* a Patribus conciliaribus exquirere *an diaconatus instaurandus sit?* ita ut aperte et clare pateat mens Patrum. Etiam in casu quo maioritas suffragiorum non haberetur in favorem instaurationis, elementa tamen praesto erunt ex quibus Apostolica Sedes de quaestione in concreto iudicare et in sua sapientia disponere etiam poterit, prae oculis habitis multiplicibus rationibus a Patribus conciliaribus in hac aula prolatis.

De collegialitate episcoporum. Etiam de collegio in hac aula plura dicta sunt, et in specie sermones facti sunt de collegio apostolico et de collegio episcoporum.

In constitutione quae *dogmatica* inscribitur, nemo est qui non videat ad *terminos* et ad *usum terminorum* maxime esse attendendum ne confusiones oriantur et aequivocationes multiplicentur. Hinc rogarem ut in examine emendationum quae propositae sunt et proponentur, termini technico modo adhibeantur ut doctrina in tuto semper ponatur. Non erit forsitan in casu nostro exquirendum vel proponendum aliquid quod comparari poterit terminis quibusdam qui in Conciliis maximis Ecclesiae catholicae classici facti sunt: uti *homoousios* in Nicaeno I, *Theotocos* in Ephesino, *ex opere operato* et *transsubstantiatio* in Tridentino et demum *loqui ex cathedra* in Vaticano I, qui omnino et ab omnibus satis perspiciuntur et accipiuntur, et facti sunt in subiecta

materia tessera catholicitatis. Sed in quaestione de collegialitate, saltem declaretur vox *collegium* accipi modo communi seu vulgari, et *nunquam,* per se, *in sensu iuridico.*

Ita quaestio de collegio apostolico an fuerit verum collegium etc. relinquatur explicationi traditionali, exegesi Sacrae Scripturae et doctoribus theologiae et historiae ecclesiasticae tradendae. Item quaestio de collegialitate episcoporum ponatur sicuti nunc posita est, abstrahendo a ratione iuridica, videlicet an collegium episcoporum sit aliquod ens iuridicum, qua tale persona moralis cum peculiaribus iuribus et officiis praesertim in ordine iurisdictionali.

Nemo negat episcopos esse doctores Ecclesiae, iudices fidei, vera auctoritate iurisdictionali praeditos in sua ratione agendi erga ecclesias particulares quibus praepositi sunt et in Concilio oecumenico in ratione boni universae Ecclesiae: sed ad definitionem vel etiam ad sollemnem declarationem doctrinae de collegio, quae hoc Concilium Vaticanum II deceat, *nisi omnimoda certitudine innixi,* procedere *non* possumus *nec* debemus. Quis enim *demonstrare* valeat collegium episcoporum iure divino *in se* et *per se* uti collegium stare? Et posito etiam quod agatur de collegio iure divino statuto, quid sequeretur? Nonnisi cum capite, a Christo Domino specialiter posito, hoc collegium et *concipi* et *esse* et *stare* posset. Semper ergo ius collegialitatis a Papa pendet. Collegium nunquam limitare aut elidere potest iura primatus, nam haec iura sunt a Christo Domino Petro et Successoribus eius data ad bonum unitatis in tota Ecclesia conservandae, statuendae et perficiendae. At Papa potest semper agere *sine* collegio, quia est *supra* collegium in iurisdictione quam obtinet supra omnes, agnos et oves, gregis Christi.

Ergo incerta ne edicamus, certa non abhorreamus, confusiones vitemus, sed ad quaestiones non dogmaticas sed canonicas reliqua remittamus.

De ministeriis sacrae hierarchiae. Circa ministeria hierarchiae Ecclesiae, duo dicam:

a) Ne confundatur potestas a Deo accepta cum dispositionibus moralibus quibus ea uti debemus.

S. Thomas dicit quod episcopi sunt [4] « vicarii Dei quantum ad regimen Ecclesiae constitutae per fidem et fidei sacramenta ». Nulla sit difficultas denominandi terminis traditionalibus hanc potestatem Ecclesiae quae est ipsum ius divinum et, in pastoribus Ecclesiae, a summo ad minimum, *gravissimum officium* ponit in adlaborando totis viribus in Ecclesia et pro Ecclesia, ad finem supremum sanctificationis et salutis animarum. Insistitur *in schemate* [5] in denominatione *servitii, ministerii,* etc.: sed quis hoc negat? « Qui maior est vestrum fiat sicut minor,

et qui praecessor est, fiat sicut ministrator », ait Dominus ...[6]. Sed quid ex hoc? Extenuare debemus potestatem Domini? Ne confundamus ergo *dona divina,* charismata gratiae, nobis licet indignis collata, cum *dispositionibus moralibus* humilitatis et caritatis maximaeque patientiae, quibus semper nos *Christo servire* debemus in humillimis fratribus nostris. Nota ergo pastoralis, quae vult includi in schemate dogmatico, non inficiat doctrinam de potestate vera et propria a Christo Ecclesiae docenti et regenti data.

Ultima observatio.[7] Aptius distinguatur inter modum docendi authenticum et infallibilem (cf. *n. 19* [8]). Modus docendi est vel authenticus tantum, vel authenticus simul et infallibilis. *Ergo dicatur de iis modo convenienti. Reliqua comprehendo his vocibus.*[9]

Ad rationem pastoralem — *et concludo* [10] — pertinere mihi videtur ut dicatur etiam in schemate: « Debito credendi » omnes omnino affici, a Papa usque ad ultimum fidelem, nam si deficeret fides (subiectiva), nulla nulli esset spes salutis, dicente Domino: « Quo non crediderit, condemnabitur! »...[11]

Hoc conferet etiam ad finem oecumenicum et missionarium: oecumenicum quidem, cum fratres separati experientur nos agere tantum amore Veritatis; missionarium demum, cum omnis homo — etiam non fidelis — et lege ipsa divina *naturali* [12] teneatur subdi Veritati quae Deus est et quae — sufficienter proposita — Christus est. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] Circa hoc cap. II schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* Christi, de quo iam multi multa scite protulerunt, quasdam animadversiones et mihi fas sit promere. Ordinem secutus materiae in hoc capite contentae. [2] sess. XXIII, cap. IV, can. 6 (Denz. 966). [3] deest. [4] Potestas quam Christus Dominus Ecclesiae dedit, tales efficit pastores ipsius Ecclesiae, qui iure vocari possunt cum S. Thoma (III, q. 64, a. 2, ad 3). [5] deest. [6] (*Lc.* 22, 26). [7] *b*). [8] n. 19 schematis, pag. 29 s. [9] Hierarchia Ecclesiae semper quidem docet *authentice* religionem Christi, cum potestatem hanc docendi omnes agnoscimus divinae originis et permanentiae in Ecclesia; per seipsam ergo *fidem facit* (en authentia). Sed non semper hierarchia docet *infallibiliter*. Infallibilitatis charisma competit personae Summi Pontificis « ex cathedra » loquentis: ideoque est praerogativa personalis connexa cum primatu. Competit etiam episcopis universae Ecclesiae cum Summo Pontifice coniunctis, et quidem duplici forma: quando per orbem *dispersi* in magisterio *ordinario* docent veritates uti revelatas et de fide tenendas; et quando legitime *convocati* in Concilium Oecumenicum, magisterio *extraordinario* edicunt definitionem de fide. Episcopi tamen, personaliter authentici doctores semper sunt, sed non infallibiles. [10] deest. [11] (*Mc.* 16, 16). [12] deest.

Moderator: Loquetur nunc exc.mus secretarius generalis ad quamdam communicationem.

Secretarius generalis: Velint Patres audire! Quamvis rite et recte, ut puto, conclusionem dixerim circa suffragationem peractam, non tamen defuerunt qui forsan non rite perpenderint mea verba.

Textus cap. II non est reiectus; nunquam dictum est hoc. Textus habuit plures modos; et, iuxta art. 36 *Ordinis,* hae partes schematis quae « a Congregatione generali non fuerunt approbatae, ad subsequentes inserendas emendationes — igitur debent inseri emendationes — eadem ratio ac pro praecedentibus adhibetur ad normam art. 33-35 ».

Ergo omnes modi rite perpendentur a commissione competenti; modi reducentur ad quamdam unitatem praesertim praecipui: deinde modi offerentur congregationi generali ut suffragatio fiat et tunc habebitur definitiva schematis, vel partis schematis, approbatio.

Hoc clarissimum est, ni fallor! Gratias!

17

Exc.mus P. D. GEORGIUS KÉMÉRER

Episcopus Posadensis

Venerabiles Patres,

In nomine 20 episcoporum Americae Latinae, propono restaurationem diaconatus ut gradus permanentis in hierarchia ordinis et quidem absque caelibatus obligatione.

Non obstantibus quae hodie in hac aula dicta sunt — videtur quod diaconatus est hodie punctum saliens — et quia quaedam de caelibatu dicta sunt, etiam ego aliqua volo addere, et cetera tradam secretario generali.[1]

Caelibatus est, *ni fallor,*[2] charisma pro quibusdam tantummodo, et eius praxis (vel « exercitatio ») exigit non solum gratias supernaturales, sed etiam conditiones naturales, et quidem biologicas et psychicas, quae in quibusdam locis, et certis temporibus, non tam facile inveniuntur.

Ideo posita penuria cleri, *et tremebunda penuria in America Latina,*[3] estne necessarium nexum absolutum statuere inter ministerium diaconale et obligationem caelibatus, quando hoc ministerium, haec diaconia, multis in locis indispensabilis videtur?

Omnes ad sanctitatem et apostolatum vocati sunt; non omnes tamen ad continentiam. Lex caelibatus nequit esse impedimentum ita ut apostoli *hodierni*[4] minuantur, praesertim hac in nostra aetate, in qua apo-

stoli-duces multiplicari debent. Et apostoli-duces erunt praesertim diaconi.

Alia tradam secretario et concludo ad extollendam nostram ingentem et urgentem necessitatem propter maximam penuriam sacerdotum.

Quando dicitur quod in genere pro sex millia animarum adest unus sacerdos in America Latina, hoc theoretice sumendum est; nam dantur permultae paroeciae, fere in omnibus dioecesibus, in quibus unicus sacerdos curam animarum exercet pro decem, viginti, immo pro triginta millia animarum. Et aliquando non datur sacerdos nec pro iis. Et hae animae sunt salvandae, sunt animae christianorum, iam baptizati,[5] qui in sinu matris Ecclesiae nati sunt et indigent cibo, egent pane verbi, pane eucharistico, et non est qui frangat eis. Sed diaconi *saltem*[6] possunt fragmenta colligere, animas alere et roborare, ne deficiant in via *et fame pereant.*[7]

Restauratio diaconatus *pro regionibus Americae Latinae*[8] apparet ut magna spes nostra. *Propter hoc,*[9] exprimo desiderium multorum episcoporum ...[10] ut vos, Patres venerabiles, in suffragio ferendo de hac re, spem nobis non tollatis. Porta iam aperta est. Si, inter vos sunt qui nolunt intrare, nos non vos compellimus intrare, sed suppliciter exoramus ne vos nobis portam claudatis, nam volumus intrare! Sinite nos introire! Gratias!

In textu scripto tradito: [1] Nomine plurimorum episcoporum Americae Latinae propono ut restauretur diaconatus ut gradus permanens in hierarchia ordinis sine caelibatus obligatione, propter has rationes.

1. Convenientia ipsa restaurandi in Ecclesia, effective et in seipso, gradum hierarchiae, qui divinae institutionis est, sed practice remansit ut conditio, vel « passus » ad presbyteratum.

Haec ratio valeret pro tota Ecclesia inclusive ubi superabundantia cleri habetur.

2. Necessitas contribuendi modo efficaci, ut ingens problema penuriae sacerdotum aliquomodo solvatur, penuria quae datur in multis regionibus Ecclesiae, et de hoc testes sumus speciali modo episcopi Americae Latinae.

Brevitatis causa loquar tantum de secunda ratione, quae ut mihi saltem videtur, habet vim fere irrefutabilem.

Multa scripta sunt in hoc sensu, et praecise de America Latina, ubi patet maxima inaequalitas (« disproportio ») inter numerum sacerdotum, 37.000, et numerum incolarum, fere 200.000.000. i. e. pro uno dantur fere sex millia (6.000) animarum, qui numerus theorice sumendus est nam dantur permultae paroeciae in fere omnibus dioecesibus ubi unicus sacerdos curam animarum exercet pro 10, 20 et etiam 30 millia animarum.

Evidens est quod haec inaequalitas superari non potest etsi multi sumuntur sacerdotes ex aliis nationibus, nam magis semper in dies crescit numerus incolarum, ita ut fine huius saeculi numerus hodiernus habitantium Am. Lat. duplicabitur;

nec convenit ut sacerdotes aliunde « forma massiva » veniant, nam alias difficultates secum ferret.

Verum est quod solutio problematis quaeri possit instaurando diaconatum « functionalem », i. e. tradendo functiones diaconales sine sacramenti susceptione. Sed sunt theologi notabiles qui in hoc non consentiunt, et tota traditio Ecclesiae videtur non admittere ut modo habituali diaconales functiones tradantur illis qui sacramentum ordinis i. e. diaconatum non susceperunt.

Hoc forte non impedit quin laici determinati, occasionaliter certas functiones diaconales exerceant, quod aliquando accidit in Ecclesia.

Locus proprius ad normas statuendas secundum quas deberet restaurari diaconatus, ut « ordo » vel « functio » est schema de episcopis, ita ut quivis episcopus, vel potius conferentiae episcopales suas leges habeant.

Quoad difficultatem: Diaconatus absque obligatione caelibatus imminutionem numero aspirantium ad sacerdotium affert, respondeo:

1. Aliquid quod est utile, immo necessarium, reici non potest propter suppositionem hypotheticam et ideo discutibilem; eodem iure contrarium affirmari potest.

2. Admittendo obiectionem: quod reapse decrescet numerus aspirantium ad sacerdotium, quaero: estne causa de hoc lugendi? Nonne potius bonum, immo melius erit? Forte ita ad sacerdotium tantummodo pervenient qui revera vocati et capaces sunt ad onus presbyteratus suscipiendum.

Insuper, nonne dantur diversae formae dedicationis in servitium Ecclesiae? Num hoc servitium solummodo a presbyteris praestari potest, et non a diaconibus, utique suo proprio ministerio?

Ex altera parte, penuria sacerdotum non esset tam urgens — saltem quibusdam in regionibus — si adesset numerus sufficiens diaconorum qui possent assumere labores qui hisce temporibus sunt onus nimis grave pro nostris sacerdotibus. 3. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] 4. Advertendum est: diaconi non coguntur matrimonium inire, forte quibusdam in locis melius erit ut caelibes maneant, et in aliis regionibus optandum erit ut nuptias contrahant, vel potius: ex viris iam nuptis capaces et praeparati seligantur. De omnibus his statuent episcopi vel conferentiae episcopales.

Altera obiectio: Diaconatus obstaculum praebet promotioni laicorum. Respondeo:

1. Est difficultas nimis hypotetica, et potius dicendum est quod hic « gradus intermedius » inter sacerdotium et laicatum inserviet ut nexus statuatur inter unum et alium, et ducet clerum ut propius accedat ad massam populi christiani; ne obliviscamur diaconos, canonice et theologice, pertinere ad clerum, sed psychologice et culturaliter ad laicatum.

2. Omne corpus quod est in evolutione suas functiones determinat, et ita, ut exercitium unius functionis aliam functionem non difficultat. Ita in Ecclesia quae est corpus vivum: una est functio (vel ministerium) diaconi — sacramento ordinis, baptismo insuper et confirmatione consecrati — altera est functio laici consecrati tantum baptismo et confirmatione. Cur deberet haberi interferentia inter unam et aliam functionem?

Evidens est quod semper erunt pericula seu discrimina in hac re, ut in aliis; sed etiam evidens est quod metus propter discrimina non potest determinare nostras actiones vel optiones.

3. Promotio laicatus est factum irreversibile in Ecclesiae historia, et nullo

modo detrimentum patietur propter diaconatus restaurationem quam multi theologi et pastores desiderant, eodem modo ac desiderant promotionem laicatus.

Tempus venturum certe nobis ostendet vinculum reale ac profundum inter aestimationem (« valorizationem ») laicatus et restaurationem Diaconatus quem videre cupimus ut pulchram realitatem.

Concludo: Ingens et urgens est necessitas nostra in America Latina propter maximam penuriam sacerdotum. Animae sunt salvandae et quidem eorum qui iam baptizati sunt. [6] deest. [7] deest. [8] deest. [9] ideo. [10] in America Latina.

[*Subsignaverunt etiam:*] Antonio M. Aguirre, ob. de San Isidro (Argent.); Albert Devoto, ob. de Goya; A. Quarracino, ob. de 9 de Julio; Anibal Maricevich Fl., ob. coad. Villarica Paraguay; Roberto Cáceres, ob. de Melo; Marcelo Mendiharat, ob. coad. de Salto in Uruguay; Luis Baccino, ob. de San José de Mayo; Miguel Balaguer, ob. tit. de Castel Minore; Orestes S. Nuti, ob. de Canelones; Ildefonso M. Sansierra, aux. de San Juan (de Cuyo); Carlos Parteli, ob. de Tacuarembó; Vicente Zazpe, ob. de Rafaela; Ramón Bogarin A,. ob. de San Juan Bta Misiones; F. Simons, ep. Indorensis; Juan Wiesen, prel. nul. de Encarnación y A. Paraná; Manuel Tato, ob. Santiago del Estero.

18

EXC.MUS P. D. PAULUS ZOUNGRANA
Archiepiscopus Uagaduguensis

Venerabiles Patres conciliares, carissimi Fratres,

Necessitas diaconatus qua gradus permanentis repristinandi multis argumentis iam a meis praedecessoribus allatis mihi videtur sat suffulta. Nunc vero tantum loquor de lege caelibatus in tali diaconatu.

Quod dicam de diaconatu in mente est nonnullorum episcoporum Africae occidentalis, praesertim indigenarum episcoporum, circa legem caelibatus retinendam.

Principium diaconatus, permanentis institutionis, recipimus, sed cum caelibatu, sive diaconi religiosi sint, sive non sint. Non velimus « ianuam aperiri » ex sic dicta libertate episcopalibus conferentiis plene data. Ista plena libertas ordinandi diaconos cum caelibatu aut sine caelibatu, pro humili nostro iudicio, Ecclesiae, et praesertim Ecclesiae in Africa noceret in mundo hodierno, ex sequentibus causis.

1. Diaconatus cum matrimonio, etsi candidati accurate formarentur, quaedam oeconomica vel moralia mala sine dubio daret. Non decet videre in Ecclesia divisionem sociologicam quae olim fuit inter « maiorem clerum » et « minorem clerum » (haut clergé et bas clergé).

2. Diaconatus cum matrimonio non solum, ut quidam dicunt, remedium contra vocationum sacerdotalium penuriam non est, sed potius

vocationum harum fontem tollit. Antequam faciliorem solutionem diaconatus uxorati eligimus, nonne magis salutare si Ecclesia in mundo hodierno, apud sacerdotes et viros in Actione Catholica, instantiam facit pro christiana familiarum iuvenumque educatione, vocationum sacerdotalium maiore fonte? Melius est sacerdotes multiplicare!

3. Mundus modernus christianae castitatis irrefragabili testimonio indiget. Adhuc, Ecclesia latina, per religiosos et clericos in ordinibus maioribus constitutos, hoc fulgens testimonium semper dedit. Hoc testimonium si frangere coepimus in diaconatu, aut saltem si frangere sinimus, responsum non damus nostro mundo hodierno petenti ab Ecclesia christianae virtutis affirmationem. Mundus autem hodiernus ab Ecclesia verba non quaerit, sed integram morum et cordium renovationem quando castitatem in Ordinibus maioribus suaviter et clare profitemur. Nisi id faceremus, ipsa castitas coniugalis graviter laberetur, quia caelibatus in Ordinibus et ipsa castitas coniugalis in re pastorali inter se connectuntur.

Propter omnes istas causas, post em.mos cardd. Ruffini, Spellman, Bacci et Cento, *et exc.mum D. Carraro,*[1] qui iam locuti sunt, opinamur caelibatum in Ecclesia latina pro diaconis iam obligatorium, in Ordinibus sacris, tamquam Ecclesiae honorem servandum esse.

Quapropter, in par. 15 schematis, deleantur linn. 39 et 40, et dicatur: « Quo in casu tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur ». In Ecclesia latina *lex* igitur remaneat *universalis* diaconatus sacro caelibatu munitus.

Attamen, quo melius servetur quaedam libertas innocua, si in aliqua regione pastoralis sentitur necessitas diaconos uxoratos ordinandi, tunc conferentiae episcopali huius regionis possibilitas sit *facultatem* habitualem petendi a Sancta Sede. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] deest.

In nomine nonnullorum episcoporum Africae occidentalis, nempe:

Exc.morum DD. Ioseph Strebler, A. T. Nicopoli; Adeodati Yougbare, E. R. Koupela; Hyacinthi Thiandoum, A. R. Dakar; Roberti Dosseh, A. R. Lomé, Otinga, E. R. Kissi; Raimundus Tchidimbo, A. R. Conakry; Prosperi Dodds, E. R. Ziguinchor; Bernardini Gantin, A. R. Cotonou; Guillelmi Porter, A. T. Lemno; Gilberti Ramanantoanina, A. R. Fianarantsoa.

19

EXC.MUS P. D. ALOISIUS CARLI
Episcopus Signinus

Venerabiles Patres,

In foliis quae secretariae generali trado rationes fuse expono ob quas censeo vocem « collegii » neque pro apostolis neque pro episcopis esse adhibendam, utpote quae sit inadaequata, ad casum nostrum nonnisi valde imperfecte et non sine periculo aequivocationum applicabilis, ansam denique praebens non paucis dubiis exegeticis, historicis atque theologicis et ideo nondum matura.

Item rationes expono ob quas praeferendam puto vocem « corporis episcopalis » vel « communionis episcopalis ».

Quaedam nunc mihi addere liceat, quae in hac nostra copiosa disceptatione non satis perpensa mihi videntur.

1. *Quoad redactionem n. 16.* Pag. 27, lin. 2, auferantur verba « statuente Domino », quia neque ex Evangelio neque ex alia Scriptura clare patet de tali dominico statuto *seu praecepto* [1] circa collegialitatem; in eadem pagina supprimenda censeo quae dicuntur in linn. 5-8, nam mos conferendi episcopatum nonnisi per tres aut plures episcopos non necessario demonstrat collegialitatem; potest optime indicare plenitudinem sacerdotii.

2. *Quoad collegialitatem.* Qui negant « familiae *christianae* »[2] characterem collegii — nemo sane familiam collegium vocare auderet! — non eo ipso eidem abiudicant arctissimam illam unitatem quae ex sanguinis vinculo oritur.

Qui negant « Ecclesiae » naturam collegialem, non eo ipso negant Corporis Christi mystici mirabilem illam unitatem quae ex communione fidei, sacramentorum et regiminis per Spiritum Sanctum vivificantem contexitur.

Ita a pari illi — inter quos et ego — qui negamus coetui apostolorum et coetui episcoporum totius mundi notam verae ac propriae collegialitatis, nullo modo intendimus negare, immo apertissime profitemur, eorum coetuum unitatem exsurgentem non tantum ex vinculo iuridico subiectionis legitimae auctoritati, non tantum (ut S. Cyprianus aiebat) ex concordiae mutuae inter episcopos glutino et ex vinculo communis fidei, sed etiam et praecipue ex vinculo quodam ontologico et indestructibili, scil. ex communi et legitima participatione unius eiusdemque plenitudinis sacerdotii Christi, atque unius eiusdemque missionis

apostolicae a Domino acceptae. Unde, si liceat hac in re verba S. Pauli adaptando usurpare, non dubitamus affirmare: « Quoniam unus episcopatus et apostolatus, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno episcopatu et apostolatu participamus ».

Neque veluti « novatores » arguendi sumus eo quod petamus a Patribus iam ab initio tractationis, claram absolutamque conceptus « collegii » definitionem. Patres enim huius Concilii, tamquam doctores fidei, non vero Turrecremata, non Bellarminus, non Paleottus aut alii huiusmodi, *nos*[3] responsabiles sumus de clare definiendo conceptu « collegii episcopalis », qui conceptus hodie prima vice petit ius civitatis in textu conciliari dogmatico!

Utcumque, sive nomen « collegii » retineatur sive non, ad vitandas omnes aequivocationes quae ex male intellecta, quia insufficienter explicata, collegialitate in posterum oriri possunt, id omnino necessarium censeo, ut schema nostrum explicitis verbis edicat collegialitatem illam ad actum deduci non posse neque debere nisi quando Romano Pontifici expedire in Domino visum fuerit, et illis modis quos Ipse seligendos esse iudicaverit. Etenim:

a) Non sufficit affirmare cum schemate nostro, pag. 27, lin. 10, collegium episcopale nullam habere auctoritatem nisi simul cum Romano Pontifice; oportet explicite addere Romanum Pontificem, ex se, nullimode cogi ad illam auctoritatem collegialem ad exercitium actuale vocandam.

b) Non sufficit affirmare cum schemate, pag. 27, linn. 30-34, esse praerogativam unius Romani Pontificis convocare et approbare Concilia oecumenica: oportet simul affirmare nullum in Romano Pontifice inesse officium, *seu*[4] nullam obligationem convocandi Concilia, ne collegialitatis quidem vi.

c) Non sufficit affirmare cum schemate, pag. 27, linn. 34-39, potestatem collegialem exerceri posse modis etiam diversis a Concilio oecumenico, nisi simul explicite affirmetur hanc collegialem potestatem legitime ad actum deduci non posse neque debere nisi quando et quomodo Romanus Pontifex in Domino censuerit.

Sine istis explicitis limitationibus, affirmatio collegialitatis, licet cum Petro et sub Petro, portam apertam relinqueret, immo magis quam antea patentem faceret, affirmationi *iuris cogubernationis*: quo iure admisso, primatus ad nudum vacuumque nomen reduceretur.

3 et ultimo. *De episcoporum munere docendi.* Dolendum mihi videtur quod in pag. 29, ultima linea, et pag. 30, linn 1-10, doctrina de infallibilitate Romani Pontificis modo minus claro ac minus logico exponatur quam definita est in Vaticano I. Etenim:

a) Vaticanum I infallibilitatem Papae comprehensam affirmat in eius primatu ...[5], illamque Papae recognoscit tamquam « omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungenti » ...[6]; ergo (ut recte aiebat relator Gasser, citatus in notula 51) tamquam Capiti universalis Ecclesiae. Tam hoc est verum, quod Vaticanum I citat verba *Lucae, 22,*[7] « confirma fratres tuos », intelligendo illos « fratres » non apostolos solos, sed et omnes discipulos Domini...[8]

E contra schema nostrum silet de nexu inter infallibilitatem et primatum. Immo videtur recognoscere infallibilitatem Romano Pontifici tamquam « collegii episcoporum capiti » (pag. 30, lin. 1), seu supremo pastori et doctori « qui fratres suos in fide confirmat », intelligendo verba Lucana, ut videtur, de solis apostolis aut episcopis. Si vera esset haec interpretatio schematis, ipso facto convalidaretur thesis a quibusdam recentioribus theologis propugnata sed a ceteris impugnata, iuxta quam auctoritas Pontificis, etiam quando solus definit, semper esset naturae collegialis; qua thesi accepta, facilis esset gressus ad identificandam et exhauriendam notionem primatus in notione capitis collegii episcopalis.

Ad amputandas itaque omnes aequivocationes propono ut propositio sic corrigatur: « Qua ipse quoque per se gaudet Romanus Pontifex quando, ut supremus ac universalis pastor et doctor qui oves et agnos gregis Christi pascit ...[9] et fratres suos in fide confirmat ...[10] doctrinam de fide vel moribus etc. ».

b) Vaticanum I irreformabilitatem definitionum Pontificis deducit ex eius infallibilitate ...[11], derivante ex assistentia divina qua Romanus Pontifex singulariter sumptus pollet cum ex cathedra loquitur.

E contra schema nostrum (pag. 30, lin. 7), « Quando *enim,* etc. », videtur irreformabilitatem deducere ex eo quod Romanus Pontifex non loquitur ut persona privata sed ut pastor et doctor Ecclesiae universalis. Logicam hic aliquantisper deficere puto. Adhuc infeliciorem censeo notulam 52 iuxta quam infallibilitatem Pontificis quis inferre posset ex eo quod Pontifex loquens ex cathedra universalem Ecclesiam repraesentaret: quae si vera essent, per fenestram intraret ille « consensus Ecclesiae » quem Vaticanum I exclusum voluit e rationibus irreformabilitatis definitionum Pontificis. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] (DB 1832). [6] (DB 1839). [7] *Lc.* 22, 32. [8] (DB 1836). [9] (cf. *Io.* 21, 16 s.). [10] (cf. *Lc.* 22, 32). [11] (DB 1839).

Animadversiones additae:

Meae orationis medulla sic brevi contrahi potest: « Quando sermo fit de duodecim apostolis dicatur *Corpus apostolicum* seu *Communio apostolica,* potius quam

" collegium " apostolicum; quando vero de episcopis, dicatur *Corpus episcopale* seu *Communio episcopalis,* potius quam " collegium " episcopale ».

Ita censeo multas posse vitari quaestiones exegeticas, historicas et dogmaticas, et concordiam inter nos inveniri non solum quoad substantiam sed etiam quoad eiusmet formulationem. Omnia enim elementa positiva quae in vocabulo « collegium » continentur, per vocabula « corpus » seu « communionem » servantur; dum, e contra, elementa negativa et litigiosa e constitutione dogmatica seponuntur.

1. *Molestae vitantur quaestiones,* quas innuere tantum liceat, interrogando. *a*) Ex quibusnam locis biblicis certo probari potest Christum non solum collegisse specialem duodecim apostolorum coetum — quod nemo sane dubitat — sed illi coetui dedisse, et quidem tamquam elementum necessarium ac immutabile, naturam veri collegii? *b*) Et quatenus affirmative, quamnam ideam habuit Christus de ista collegialitate? Exemplum sumpsit ex instituto hebraico « synedrii », an ex instituto romano « collegii », an aliunde? *c*) Quibusnam legibus, in hypothesi, voluit Christus ut illud collegium suos poneret actus? *d*) De facto, numquid semper οἱ Δώδεκα collegialiter egerunt? Solliciti quidem fuerunt de dando successore Iudae proditori; cur vero eos pariter sollicitos fuisse non constat de dando successore Iacobo occiso c. a. 42, et aliis deinde apostolis, simulatque unusquisque moreretur, licet adhuc viverent qui testes fuissent « in omni tempore, quo introivit et exivit inter nos Dominus Iesus » (*Act.* 1, 21), quique proinde digne apostolis vita functis suffici possent? *e*) Illi οἱ 'Απόστολοι qui manent Ierosolymis tempore persecutionis (*Act.* 8, 1), qui mittunt Petrum et Ioannem in Samariam (*Act.* 8, 14), ad quos adducitur per Barnabam Paulus (*Act.* 9, 26), qui a Petro audiunt « quoniam et Gentes receperunt verbum Dei » (*Act.* 11, 1), qui cum senioribus et omni Ecclesia Ierosolymis conveniunt ad videndam quaestionem circumcisionis (*Act.* 15, 41), suntne omnes duodecim apostoli per modum collegii agentes, an aliqui tantum ex eis, et praecise illi « qui erant Ierosolymis » (*Act.* 16, 4)? *f*) Nonne est mirum de collegialitate episcopali silentium apud S. Clementem et maxime apud S. Ignatium Martyrem, qui tam frequenter atque ardenter exaltat collegialitatem presbyteralem et simul characterem monarchicum episcopatus? *g*) Et ad Patres latinos illos quod attinet, qui vocem « collegium episcopale » adhibent, nonne apparet eos loqui de relationibus episcoporum inter se, non autem episcoporum ad caput Ecclesiae, et numquam in hac re appellare ad statutum Domini, sed potius ad factum communionis eiusdem fidei et caritatis, seu etiam eiusdem episcopalis muneris? *h*) Denique, si episcopalis collegialitas supponitur aut explicite affirmatur esse veluti nota essentialis ecclesiae, quomodo fieri potuit ut per saecula tota activitas episcoporum exclusive extracollegialis fuerit, quin laesum evaserit elementum quoddam constitutivum ipsius Ecclesiae?

Hae et aliae molestae quaestiones vim suam, meo quidem iudicio, amittunt si affirmamus episcopos efformare quidem, ex voluntate Christi, corpus seu communionem quandam, cuius tamen vita neque necessario neque semper debeat exprimi per actus vere ac proprie collegiales.

2. *Elementa negativa et litigiosa seponuntur.* Cum enim notio « collegii » ex iure romano proveniat, nisi in schemate nostro iam ab initio tractationis diversa collegii definitio realis detur, secumfert elementa quae nullo pacto convenire possunt coetui apostolorum et episcoporum. Nam:

a) Collegium intelligitur tamquam sodalitas parium, vinculis mere externis

in unum convenientium, in qua collegati sibi statutum dant, non autem ab extra recipiunt; « magistrum » seu praesidem sibi eligunt, qui fit primus inter pares, et nullam veram auctoritatem habet propriam et independentem, sed tantam quantam ei collegae tribuunt.

b) Actus personales membrorum vitam collegii, qua talis, non attingunt.

c) In collegio numerus membrorum potest esse clausus, eorumque mutatio non fit per successionem unius ab alio, sed solummodo per cooptationem.

d) Potest collegium extingui per unanimem membrorum voluntatem.

e) Modus denique quo collegium, uti tale, suos actus ponit determinatur a peculiaribus statutis. Legantur v. g. quae CIC habet in can. 101 de actibus personarum moralium collegialium in Ecclesia.

Iamvero haec omnia, evidenter, neque de duodecim apostolis neque de episcoporum coetu affirmari possunt, quin eorum peculiarissima conditio substantialiter tangatur ac pessumdetur.

Ergo, seponenda mihi videtur notio « collegii » quae in nostro schemate prius adhibetur analogice — « ad instar cuiusdam collegii », legitur in pag. 23, linea ultima — deinde, omni transmissa analogia, sensu univoco adhibetur. Seponenda, dico, utpote quae sit inadaequata, et ad casum nostrum nonnisi valde imperfecte et non sine periculo aequivocationum applicabilis.

3. *Elementa positiva servantur,* immo in veriore et pleniore luce ponuntur, adhibendo vocem et figuram « corporis » seu « communionis ». Etenim:

a) Mira analogia deprehenditur inter « corpus episcopale » et « corpus Christi mysticum ». Patres saec. IV et V iisdem fere vocabulis de sacrato episcoporum corpore loquuntur, quae adhibent in elaboranda doctrina de corpore mystico.

b) « Corpus » necessario exigit « caput, a quo influxum et impulsionem vitalem accipiat, dirigatur, coordinetur quin tamen membra supplantet aut extinguat. Sic primatus Romani Pontificis simulque praerogativae iuris divini Episcoporum recte concipiuntur et componuntur inter se. Vicissim « caput » separatum a corpore ne intelligi quidem potest; distinctum vero, utique, et quidem qualitative quoque distinctum intelligitur, aiente Conc. Chalcedonensi ad Leonem Papam (iuxta graecum): ... « quorum (episcoporum) tu, *tamquam caput membrorum,* es dux... » (DB 149). Idea « corporis » bene explicat naturam atque subordinationem potestatis episcoporum ad Caput, iuxta pulcherrimos textus S. Leonis Papae quos, prae temporis angustia, citare nequeo: Petrus caput episcopatus, Petrus initium episcopatus. Unde Petrus, tamquam apostolus, a ceteris distinguitur sicut caput a corpore; sed tamquam vicarius Christi superexcedit corpus et manet fundamentum visibile totius Ecclesiae, apostolis non exceptis.

c) Etsi certo demonstrari nequeat Christum Dominum directe et explicite coetui apostolico, et proinde episcopali, indidisse formam « collegii », reduplicative ut talis, nihilominus notio « corporis » seu « communionis » sponte sua exsurgit ex aliquo facto certissimae institutionis divinae: factum, dico, quod prius apostoli et deinde episcopi efformant unum corpus inter se, unam communionem intimam, non solum « ... concordiae mutuae glutino atque unitatis vinculo copulatam » (ita S. Cyprianus), sed praecipue quia omnes apostoli et omnes episcopi de uno eodemque summo sacerdotio Christi participant atque unam eandemque missionem apostolicam a Domino accipiunt. Sicut participatio eiusdem baptismi et eiusdem Eucharistiae, iuxta S. Paulum, unum efficit corpus Christi mysticum,

ita possumus dicere: « Quoniam unus episcopatus et apostolatus, unum corpus multi sumus, omnes qui de uno episcopatu et apostolatu participamus ».

Haec est vera « koinonia » seu « unitas sacerdotalis » (lege: episcopalis) quae exoritur, iuxta S. Cyprianum, ex « ecclesia principali » idest « ex Cathedra Petri ». Quae unitas numquam rumpitur, etiamsi membra vivant dispersa in mundo. Remanent membra in corpore episcopali quoadusque cum capite, Romano Pontifice, sint ligata; separata vero ab isto capite, « collegae » amplius dici non possunt, « fratres » quidem semper dici possunt ob communem illam atque indestructibilem « navitatem spiritualem » (cf. S. Optatum Mil.) quam per sacramentum episcopale receperunt.

Itaque vinculum, unitatem efficiens, in hoc sacrato corpore non solum est iuridicum, sed praesertim intimum et ontologicum. Hinc solvi posse censeo, et quidem positive, quaestionem utrum episcopi titulares pertineant ad corpus episcopale. In ista « koinonia » episcopali, caput membra vocat ad legitime ingrediendum, modis non necessario identicis, et membris utitur in bonum totius Ecclesiae, ea ratione quae sibi in Domino videtur utilior, iuxta temporum locorumve circumstantias, sed salvis semper praerogativis iure divino statutis tam pro Petro quam pro ceteris apostolis. Hac in luce clarius videri et proponi potest illa decentralisatio et internationalisatio gubernii centralis de qua tam nobiliter loquentem nuper audivimus exc.mum De Smet.

d) Denique ex figura « corporis » melius, meo quidem iudicio, explicatur cur ex primordiali numero duodenario apostolorum perventum sit ad numerum fere 2.500 membrorum corporis episcopalis. Corpus enim, natura sua (non ita, e contra « collegium ») est aliquid vivum et vitale; potest igitur se dilatare aut constringere, et sic in suo esse remanere etiamsi ad duos vel ad unum Episcopum reducatur.

Moderator: Proxima congregatio generalis erit crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XLVIII
15 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLVIII

15 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Moderatur hanc 48 congregationem generalem em.mus ac rev.mus D. card. Leo Ioseph Suenens, arch. Mechliniensis-Bruxellensis.

Velint Patres audire! Cum plures Patres id petierint, notum hoc omnibus facio: duodecim poenitentiarii apostolici adsunt quotidie in hac Basilica et praesto sunt Patribus ab hora octava usque ad horam nonam cum dimidio in sedibus confessionis quae sunt in ala sinistra huius Basilicae, ubi est Sanctissimum Sacramentum; recipere possunt confessiones linguis italica, anglica, gallica, germanica, hispanica, lusitana, polona, hungarica et flandrica, id est fiamminga.

Hodie incipit suffragatio super emendationes de cap. III schematis sacrae Liturgiae, quod inscribitur *de ceteris sacramentis et de sacramentalibus*.

Initio huius congregationis fiet relatio ab exc.mo D. Paulo Hallinan, arch. Atlantensi. Deinde, ut iam factum est, legentur singulae emendationes, et fiet suffragatio super iisdem.

Suffragatio, uti iam notum est, fiet quoad emendationes per *placet* et *non placet* tantum.

Nunc lego nomina eorum, qui petierunt verba facere adhuc super cap. II schematis *de Ecclesia*: em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ioseph Siri, arch. Ianuensis in Italia, Stephanus Wyszyński, arch. Gnesnensis et Varsaviensis in Polonia; beat.mus D. Paulus Meouchi, patriarcha Maronitarum in Libano; exc.mi DD. Narcissus Jubany, aux. Barcinonensis in Hispania, Thomas Cooray, arch. Columbensis in Ceylon, Iesus Enciso, ep. Maioricen. in Hispania, Aloisius Romoli, ep. Pisciensis in Italia, Ioannes Mazur, aux. Lublinensis in Polonia, Petrus Rougé, coad. Nemausensis in Gallia, Raimundus Tchidimbo, arch. Konakriensis in Guinea, Aurelius Del Pino, ep. Illerdensis in Hispania, Ioannes Schütte, sup. gen. S.V.D., Ioseph Reuss, aux. Moguntinus in Germania, Vido Riobé, ep. Aurelianensis in Gallia, Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracensis in Venezuela, Eugenius D'Souza, arch. Nagpurensis in India, Michaël Gonzi, arch. Melitensis, Eduardus Swanstrom, aux. Neo-Eboracen-

sis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Ioseph López, ep. Tudensis in Hispania, Petrus Carretto, vic. ap. Raiaburiensis in Thailandia, Leonardus Ioseph Raymond, ep. Allahabadensis in India, Antonius de Castro, ep. Camposinus in Brasilia, Elias Zoghby, vic. patr. Graeco-Melchita in Aegypto, Raphaël González, aux. Valentinus in Hispania, Antonius Vuccino, arch. tit. Aprensis, Ioseph Khoury, arch. Tyrensis in Libano, Franciscus Marty, arch. Remensis in Gallia, Orlandus Chaves, arch. Cuiabensis in Brasilia, Ioseph Evangelisti, arch.-ep. Meerutensis in India.

[5] 1 – SCHEMA CONSTITUTIONIS DE SACRA LITURGIA

EMENDATIONES

A PATRIBUS CONCILIARIBUS POSTULATAE
A COMMISSIONE CONCILIARI DE SACRA LITURGIA
EXAMINATAE ET PROPOSITAE

Caput III Schematis

AD PROOEMIUM

1 — Pag. 179, post lineam 10, addatur: « SACRAMENTALIA PRAETEREA SANCTA MATER ECCLESIA INSTITUIT. QUAE SACRA SUNT SIGNA QUIBUS, IN ALIQUAM SACRAMENTORUM IMITATIONEM, EFFECTUS PRAESERTIM SPIRITUALES SIGNIFICANTUR ET EX ECCLESIAE IMPETRATIONE OBTINENTUR. PER EA HOMINES AD PRAECIPUUM SACRAMENTORUM EFFECTUM SUSCIPIENDUM DISPONUNTUR ET VARIA VITAE ADIUNCTA SANCTIFICANTUR ».

AD ART. 47

2 — Pag. 179, lineis 26-28, textus ita mutetur: « CUM HAUD RARO IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM VALDE UTILIS ESSE POSSIT APUD POPULUM LINGUAE VERNACULAE USURPATIO, AMPLIOR LOCUS HUIC TRIBUATUR, IUXTA NORMAS QUAE SEQUUNTUR:

a) IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM LINGUA VERNACULA ADHIBERI POTEST, SED QUOAD FORMAM SACRAMENTORUM, EXCEPTIS MATRIMONIO ET ALIIS CASIBUS EXPRESSE PROBATIS, LINGUA LATINA GENERATIM SERVETUR ».

AD ART. 52 [5]

3 — Pag. 180, linea 23, initio art. 52 addatur: « IN RITU BAPTISMI NE DESINT ACCOMMODATIONES, DE IUDICIO ORDINARII LOCI ADHIBENDAE, PRO MAGNO BAPTIZANDORUM CONCURSU ».

AD ART. 57 [6]

4 — Pag. 181, lineis 12-15, textus ita mutetur: « " EXTREMA UNCTIO ", QUAE ETIAM ET MELIUS " UNCTIO INFIRMORUM " VOCARI POTEST, NON EST SACRAMENTUM EORUM TANTUM QUI IN EXTREMO VITAE DISCRIMINE VERSANTUR ».

5 — Pag. 181, lineis 15-17, textus ita mutetur: « PROINDE TEMPUS OPPORTUNUM ID RECIPIENDI IAM CERTE HABETUR CUM FIDELIS INCIPIT ESSE IN PERICULO MORTIS PROPTER INFIRMITATEM VEL SENIUM ».

AD ART. 60

6 — Pag. 181, lineis 25-26, omittatur art. 60: « *Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest* ».

AD ART. 61

7 — Pag. 182, post lineam 4, addatur nova paragraphus: « IN CONSECRATIONE EPISCOPALI IMPOSITIONEM MANUUM FIERI LICET AB OMNIBUS EPISCOPIS PRAESENTIBUS ».

AD ART. 63

8 — Pag. 182, linea 22, post verba: « *in initio ritus* », addatur: « ET BENEDICTIO SPONSIS SEMPER IMPERTIATUR ».

AD ART. 64

9 — Pag. 182, post lineam 29, addatur: « PROVIDEATUR UT QUAEDAM SACRAMENTALIA, SALTEM IN SPECIALIBUS RERUM ADIUNCTIS ET DE IUDICIO ORDINARII, A LAICIS CONGRUIS QUALITATIBUS PRAEDITIS ADMINISTRARI POSSINT ».

AD ART. 65

10 — Pag. 183, lineis 4-5, textus ita mutetur: « AB IIS QUI PROFESSIONEM VEL VOTORUM RENOVATIONEM INTRA MISSAM PERAGUNT, SALVO IURE PARTICULARI, ASSUMENDUS ».

[19]

2 – TEXTUS SCHEMATIS

Caput III Schematis

Textus in Schemate propositus

CAPUT III

DE SACRAMENTIS ET SACRAMENTALIBUS

Sacramenta et Sacramentalia ordinantur ad cultum debite Deo reddendum et ad hominem sanctificandum; [1] utpote vero signa « ad instructionem pertinent ».[2] Unde fidem non solum supponunt, sed « verbis ac rebus » alunt; et ita eorum celebratio liturgica fideles ad cultum Deo debite reddendum et ad gratiam fructuose recipiendam etiam proxime disponit. Ideo « sacramenta fidei » dicuntur.

Maxime proinde interest ut qui ad fidem vocantur, Baptismum verum signum fidei inveniant, et fideles, ad propriam vitam christianam alendam, Sacramenta impensissime frequentent.

[20]

Per liturgiam enim Sacramentorum et Sacramentalium, fidelibus bene dispositis nullus iam

Textus a Commissione emendatus *.

CAPUT III

DE CETERIS SACRAMENTIS ET DE SACRAMENTALIBUS

59. Sacramenta ordinantur *ad sanctificationem hominum, ad aedificationem Corporis Christi,* ad cultum *denique* Deo reddendum; *ut* signa vero *etiam* ad instructionem pertinent.[1] Fidem non solum supponunt, sed verbis et rebus *etiam* alunt, *roborant, exprimunt; quare* fidei sacramenta dicuntur. *Gratiam quidem conferunt, sed* eorum celebratio fideles *optime* etiam disponit ad *eandem* gratiam fructuose recipiendam, *ad Deum rite colendum et ad caritatem exercendam.*

Maxime proinde interest ut *fideles signa Sacramentorum facile intellegant et ea* Sacramenta impensissime frequentent, *quae ad vitam christianam alendam sunt instituta.*

60. SACRAMENTALIA PRAETEREA SANCTA MATER ECCLESIA INSTITUIT. QUAE SACRA SUNT SIGNA QUIBUS, IN ALIQUAM SACRAMENTORUM IMITATIONEM, EFFECTUS PRAESERTIM SPIRITUALES SIGNIFICANTUR ET EX ECCLESIAE IMPETRATIONE OBTINENTUR. PER EA HOMINES AD PRAECIPUUM SACRAMENTORUM EFFECTUM SUSCIPIENDUM DISPONUNTUR ET VARIA VITAE ADIUNCTA SANCTIFICANTUR.

61. *Itaque liturgia Sacramentorum et Sacramentalium id efficit ut fidelibus bene dispo-*

* Litteris italicis seu *cursivis* indicantur additiones aut emendationes formales vel minoris momenti; litteris autem grandioribus seu MAIUSCULIS emendationes exhibentur maioris momenti, Patrum suffragationi proponendae.

fere eventus vitae gratia divina non sanctificatur, ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque etiam rerum materialium usus, per se honestus, ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi non dirigitur. *Quod sane facilius fit, si ipsa, quoad eorum liturgicam structuram, quoad textus et ritus, ita ordinantur, ut res divinas, quas significant et suo cuiusque modo efficiunt, sic exprimant ut a fidelibus possint facile percipi et actuosa atque communitaria participatione celebrari.*

sitis omnis fere eventus vitae sanctificetur gratia divina manante ex mysterio paschali Passionis, Mortis et Resurrectionis Christi, a quo omnia Sacramenta et Sacramentalia suam virtutem derivant; nullusque *paene* rerum materialium usus honestus ad finem hominem sanctificandi Deumque laudandi *dirigi non possit.* [20]

Cum autem, decursu temporum, non sine fidelium detrimento, quaedam in ea irrepserint quae praedictae eorum naturae minus bene respondeant, Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur decernit.

62. Cum autem, *successu* temporum, quaedam in *Sacramentorum et Sacramentalium ritus* irrepserint, *quibus eorum natura et finis nostris temporibus minus eluceant, atque adeo opus sit quaedam in eis ad nostrae aetatis necessitates accommodare,*[2] Sacrosanctum Concilium ea quae sequuntur *de eorum recognitione* decernit.

63. CUM HAUD RARO IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM VALDE UTILIS ESSE POSSIT APUD POPULUM LINGUAE VERNACULAE USURPATIO, AMPLIOR LOCUS HUIC TRIBUATUR, IUXTA NORMAS QUAE SEQUUNTUR:

a) IN ADMINISTRATIONE SACRAMENTORUM ET SACRAMENTALIUM LINGUA VERNACULA ADHIBERI POTEST, SED QUOAD FORMAM SACRAMENTORUM, EXCEPTIS MATRIMONIO ET ALIIS CASIBUS EXPRESSE PROBATIS, LINGUA LATINA GENERATIM SERVETUR;

I – DE RITUALIBUS REVISENDIS [21]

47. [*Ritualia particularia*]. In nova editione « typica » Ritualis romani paranda, clare indicentur partes, quae, in Ritualibus particularibus, lingua vulgari dici possunt. Super huiusmodi autem Ritualis romani editione, Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus aptata (cf. art. 21 huius Constitutionis), a

b) *Iuxta novam Ritualis romani editionem,* Ritualia particularia, singularum regionum necessitatibus, *etiam quoad linguam, accommodata, a competenti ecclesiastica auctoritate territoriali de qua in art. 22 § 2 huius Constitutionis* quam primum parentur, et, actis *ab Apostolica* Sede recognitis, in regionibus

[21] Conferentiis Episcopalibus quam primum parentur, et, actis a Sancta Sede recognitis (cf. can. 291), in respectivis regionibus adhibeantur.[3] In his autem Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones pastorales et rubricales, quae in Rituali romano singulis ritibus praemittuntur.

ad quas pertinet adhibeantur.[3] In *iis autem* Ritualibus vel peculiaribus Collectionibus rituum conficiendis, ne omittantur instructiones, in Rituali romano singulis ritibus *praepositae, sive* pastorales et rubricales, *sive quae peculiare momentum sociale habent.*

II – De Sacramentis initiationis christianae

48. [*Restauratio catechumenatus*]. Instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, ita ut tempus catechumenatus, instructioni destinatum, de iudicio Ordinarii loci, sacris quoque ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit.[4]

64. Instauretur catechumenatus adultorum pluribus gradibus distinctus, de iudicio Ordinarii loci *in usum deducendus; quo fiat* ut tempus catechumenatus, *aptae institutioni* destinatum, sacris ritibus successivis temporibus celebrandis, sanctificari possit.[4]

49. [*Elementa initiationis a traditione populorum derivata*]. In terris Missionum, praeter ea quae in traditione christiana habentur, illa etiam elementa initiationis admittantur, quae apud unumquemque populum in usu reperiuntur, quatenus ritui christiano aptari possunt.

65. In terris Missionum, praeter ea quae in traditione christiana habentur, illa etiam elementa initiationis *admitti liceat,* quae apud unumquemque populum in usu *esse* reperiuntur, quatenus ritui christiano *accommodari* possunt, *ad normam art. 37-40 huius Constitutionis.*

50. [*Ordo Baptismi adultorum*]. Ritus ad baptizandos adultos recognoscatur,[5] ratione habita catechumenatus instaurati; et Missali romano Missa propria in collatione Baptismi inseratur.

66. *Uterque ritus baptizandi adultos,*[5] *tum simplicior, tum,* ratione habita catechumenatus instaurati, *solemnior,* recognoscatur; et Missali romano Missa propria « In collatione Baptismi » inseratur.

51. [*Ordo Baptismi parvulorum*]. Ritus ad baptizandos parvulos condicioni reali in-
[22] fantis rationis nondum compotis aptetur;[6] partes etiam parentum et patrinorum in ipso ritu melius in luce ponantur.

67. *Ritus baptizandi* parvulos *recognoscatur et verae infantium* condicioni *accommodetur*;[6] partes etiam parentum et patrinorum *eorumque officia,* in ipso ritu, *magis pateant.*

52. [*Ordo brevior Baptismi*]. Conficiatur Ordo brevior Baptismi, qui, in terris Missionum, a catechistis, et generatim, in periculo mortis, a fidelibus, absente sacerdote vel diacono, adhiberi possit.

68. In ritu Baptismi ne desint accommodationes, de iudicio Ordinarii loci adhibendae, pro magno baptizandorum concursu.[7] Conficiatur *item* Ordo brevior *quo, praesertim* in terris Missionum, *catechistae,* et

generatim, in periculo mortis, *fideles,* absente sacerdote vel diacono, *uti possint.* [22]

53. [*Ordo supplendi omissa in Baptismo*]. Loco « Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum », novus ritus conficiatur ad significandam receptionem infantis in Ecclesiam, qui ritu brevi fuerit baptizatus.[7] Item similis ritus conficiatur pro neoconversis iam valide baptizatis.

69. Loco *ritus qui* « Ordo supplendi omissa super infantem baptizatum » *appellatur,* novus *conficiatur quo apertius et congruentius indicetur infantem,* qui ritu brevi baptizatus fuerit,[8] *iam receptum esse* in Ecclesiam.

Item *novus* ritus conficiatur pro valide iam baptizatis, *ad sacra catholica conversis, quo significetur eos in Ecclesiae communionem admitti.*

54. [*Benedictio aquae baptismalis*]. Aqua baptismalis, extra tempus paschale, in ipso ritu Baptismi, ex iusta et rationabili causa, formula breviore et apta, benedici potest.

70. Aqua baptismalis, extra tempus paschale, in ipso ritu Baptismi *probata* formula breviore benedici potest.

55. [*Ritus Confirmationis*]. Ritus Confirmationis ita recognoscatur,[8] ut clarius eluceat huius Sacramenti intrinseca connexio cum tota initiatione christiana; et ideo, pro opportunitate, Confirmatio etiam intra Missam conferri possit;[9] eamque praecedat renovatio promissionum Baptismi.[10] Ipsa administratio Sacramenti aptioribus liturgicis formulis introducatur.

71. Ritus Confirmationis recognoscatur[9] *etiam* ut huius Sacramenti *intima* connexio cum tota initiatione christiana clarius eluceat; *quapropter* renovatio promissionum Baptismi[10] *convenienter ipsam Sacramenti susceptionem praecedet.*

Confirmatio, pro opportunitate, intra Missam conferri *potest;*[11] *ad ritum autem extra Missam quod attinet, paretur formula ad modum introductionis adhibenda.*

III – De Poenitentia

56. [*Ordo Poenitentiae*]. Ritus et formulae Poenitentiae ita recognoscantur, ut effectum Sacramenti clarius exprimant.

72. Ritus et formulae Poenitentiae ita recognoscantur, ut *naturam et* effectum Sacramenti clarius exprimant.

IV – De Unctione infirmorum [23]

57. [*Nomen et natura Sacramenti*]. Sacramentum, quod communiter « Extrema Unctio » nuncupatur, deinceps « Unctio infirmorum » vocabitur; nam non est per se Sacramentum morientium, sed graviter aegrotantium,[11] ac proinde tempus opportunum illud recipiendi est statim ac fidelis in gravem morbum inciderit.

73. « Extrema Unctio », quae etiam et melius « Unctio infirmorum » vocari potest, non est Sacramentum eorum tantum qui in extremo vitae discrimine versantur. Proinde tempus opportunum id recipiendi iam certe habetur cum fidelis incipit esse in periculo mortis propter infirmitatem vel senium.[12]

[23] 58. [*Collatio Sacramenti*]. Unctio infirmi regulariter locum habeat post Confessionem et ante receptionem Eucharistiae.[12]

74. *Praeter ritus seiunctos Unctionis infirmorum et Viatici, conficiatur Ordo continuus secundum quem Unctio aegroto conferatur* post confessionem et ante receptionem *Viatici.*[13]

59. [*Ritus Sacramenti*]. Unctionum numerus pro opportunitate aptetur (cf. art. 21 huius Constitutionis), et orationes quae ritum Unctionis infirmorum comitantur, ita recognoscantur,[13] ut respondeant diversis condicionibus infirmorum, qui Sacramentum recipiunt.

75. Unctionum numerus pro opportunitate *accommodetur,* et orationes *ad* ritum unctionis infirmorum *pertinentes* ita recognoscantur,[14] ut respondeant *variis* condicionibus infirmorum, qui Sacramentum *suscipiunt.*

60. [*Iteratio Sacramenti*]. *Unctio sacra in diuturna infirmitate aliquando iterari potest.*[14]

V – De Ordine

61. [*Ritus Ordinationum recognoscendi*]. Ritus Ordinationum a peritis, sive quoad caerimonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio cuiusque Ordinis, fiant lingua fidelibus nota.

76. Ritus Ordinationum sive quoad caeremonias sive quoad textus, recognoscantur. Allocutiones Episcopi, initio cuiusque *Ordinationis aut Consecrationis, fieri possunt lingua vernacula.*

In Consecratione Episcopali impositionem manuum fieri licet ab omnibus Episcopis praesentibus.

VI – De Matrimonio

62. [*Ritus Matrimonii*]. Ritus celebrandi Matrimonium, qui exstat in Rituali romano, funditus recognoscatur et ditior fiat, ita ut gratia Sacramenti clarius significetur.[15]

77. Ritus celebrandi Matrimonium, qui exstat in Rituali romano, recognoscatur et ditior fiat, *quo* clarius gratia Sacramenti significetur[15] *et munera coniugum inculcentur.*

[24] « Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ».[16]

« Si quae provinciae aliis laudabilibus consuetudinibus et caeremoniis in celebrando Matrimonii Sacramento utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat ».[16]

Insuper Conferentiis Episcopalibus relinquitur facultas exarandi ritum proprium (cf. art. 48 huius Constitutionis),[17] usibus locorum et populorum congruum, firma tamen lege ut

Insuper *competenti auctoritati ecclesiasticae territoriali, de qua in art. 22 § 2 huius Constitutionis,* relinquitur facultas, *ad normam art. 63,* exarandi ritum proprium[17] usibus lo-

sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.[18]

corum et populorum *congruentem,* firma tamen lege ut sacerdos assistens requirat excipiatque contrahentium consensum.[18] [24

63. [*Celebratio Matrimonii*]. Matrimonium ordinarie infra Missam celebretur, post lectionem Evangelii et homiliam, ante orationem fidelium.[19] Oratio super sponsam, ita opportune emendata ut supra utrumque coniugem recitari valeat, dicatur lingua vernacula.

78. Matrimonium *ex more intra* Missam celebretur, post lectionem Evangelii et homiliam, ante « orationem fidelium ».[19] Oratio super sponsam, ita opportune emendata ut *aequalia officia mutuae fidelitatis utriusque sponsi inculcet, dici potest* lingua vernacula.

Si vero Sacramentum Matrimonii extra Missam, sed in ecclesia, celebratur, lectiones de Epistola et Evangelio Missae pro Sponsis legantur in initio ritus.[20]

Si vero Sacramentum Matrimonii *sine Missa* celebratur, Epistola et Evangeli*um* Missae pro sponsis legantur in initio ritus ET BENEDICTIO SPONSIS SEMPER IMPERTIATUR.[20]

VII – De Sacramentalibus

64. [*Recognitio Sacramentalium*]. Sacramentalia funditus recognoscantur, prae oculis habito principio de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis hodiernis necessitatibus. In Ritualibus recognoscendis, etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt.

79. Sacramentalia recognoscantur, *ratione habita normae primariae* de conscia, actuosa et facili participatione fidelium, et attentis *nostrorum temporum* necessitatibus. In Ritualibus recognoscendis *ad normam art. 63,* etiam nova Sacramentalia, prout necessitas expostulat, addi possunt.

Benedictiones reservatae, perpaucae, et in favorem tantum Episcoporum, habeantur.

Benedictiones reservatae perpaucae *sint,* et in favorem tantum Episcoporum *vel Ordinariorum.*

PROVIDEATUR UT QUAEDAM SACRAMENTALIA, SALTEM IN SPECIALIBUS RERUM ADIUNCTIS ET DE IUDICIO ORDINARII, A LAICIS CONGRUIS QUALITATIBUS PRAEDITIS, ADMINISTRARI POSSINT.

80. *Ritus Consecrationis Virginum, qui in Pontificali romano habetur, recognitioni subiciatur.* [25

65. [*Ritus vestitionis et professionis religiosae*]. Conficiatur ritus vestitionis et professionis religiosae et renovationis votorum, qui valde optatam unitatem,[21] sobrietatem et digni-

Conficiatur *praeterea* ritus professionis religiosae et renovationis votorum, qui *ad maiorem* unitatem, sobrietatem et dignitatem *conferat,*[21] AB IIS QUI PROFESSIONEM VEL VOTO-

[25] tatem inducat, ita tamen ut quidam ritus particulares non excludantur.

Professio religiosa infra Missam fieri potest.

RUM RENOVATIONEM INTRA MISSAM PERAGUNT, SALVO IURE PARTICULARI, ASSUMENDUS.

Professio religiosa *laudabiliter intra* Missam *fiet.*

VIII – DE EXSEQUIIS

66. [*Ordo exsequiarum*]. Ritus exsequiarum sensum paschalem mortis christianae clarius exprimat, et condicionibus ac traditionibus singularum regionum melius aptetur.[22]

81. Ritus exsequiarum paschalem mortis christianae *indolem manifestius* exprimat, *atque* condicionibus et traditionibus singularum regionum, *etiam quoad colorem liturgicum,* melius *respondeat.*[22]

67. [*Exsequiae parvulorum*]. Ex integro recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur.

82. Recognoscatur ritus sepeliendi parvulos, ac propria Missa donetur.

[26] NOTAE

[1] S. THOMAS, *Summa Theol.*, III, 62, a. 5 et 63, a. 6.

[2] S. THOMAS, *De veritate,* 27, a. 4.

[3] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 384-385, nn. 10-12.

[4] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 12-13, nn. 1-9.

[5] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 12-15.

[6] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 16-17, nn. 9-18.

[7] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 19, nn. 35-36 et p. 22, n. 6.

[8] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 25-27.

[9] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 27, nn. 15-18.

[10] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 26 nn. 12-14.

[11] Nomen « Extrema Unctio » solummodo tardioribus saeculis (XII-XIII) invectum est; antea « Oleum infirmorum », « Oleum benedictum » appellabatur. Merito in Concilio Tridentino petitum est ut nomen primitivum restitueretur. Melius proinde nomen Sacramenti esset « Unctio infirmorum », quoniam agitur non de re sed de actione.

Dilatio ad ultima momenta in usum venit a saeculo fere X, quando Unctio insolubiliter coniuncta erat cum concessione poenitentiae sollemnis, qua tamen ei qui convaluerat onera gravissima ad dies vitae imponebantur. Vota Episcoporum de hac re cf. in *Acta et Documenta,* l. c. p. 95 nn. 1-6; pp. 96-97 nn. 7-13.

[12] Ex verbis Apostoli Iacobi: « Et (infirmus) si in peccatis sit, remittentur ei » (Iac. 5, 15), clare eruitur quod Unctio infirmorum spiritualiter pertinet

NOTAE

[1] Cf. S. THOMAS, *Summa Theol.* III q. 62 a. 5 c.; q. 63 a. 6 c; *De veritate,* q. 27 a. 4 c.

[2] Cf. *Acta et Documenta,* cit., III, pp. 277-279; *ibid.,* Appendix vol. II, pars II, p. 358.

[3] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 384-385 nn. 10-12.

[4] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 12-13 nn. 1-9; S. RITUUM C., *Decretum Generale. Ordo Baptismi adultorum in varios gradus distribuitur per quos catechumeni, progrediente instructione, usque ad Baptismum perducuntur,* 16 apr. 1962: AAS 54 (1962) pp. 310-338.

[5] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 12-14.

[6] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 14-21.

[7] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 15 n. 6, p. 16 n. 13, p. 18 nn. 27, 31.

[8] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, p. 19 nn. 35-36, p. 22 n. 6.

[9] Cf. *Acta et Documenta,* cit., III, p. 277; *ibid.,* Appendix vol. II, pars II, pp. 25-27.

[10] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 26 nn. 13-14.

[11] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 27 nn. 15-18.

[12] Cf. CIC, can. 940 § 1; *Acta et Documenta,* cit., III, p. 278; *ibid.,* Appendix vol II, pars II, pp. 95-101.

ad poenitentiam. « Consummativum poenitentiae » hoc Sacramentum declarat Concilium Tridentinum (Sessio 14. Doctr. de Sacram. Extr. Unctionis. Prooemium); ideoque administrandum videtur post confessionem sacramentalem infirmi et antequam ille sacram Communionem recipiat. Nam Eucharistia est Sacramentum consummativum omnium aliorum Sacramentorum. « Sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta... nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem... per poenitentiam etiam et *extremam unctionem* praeparatur homo ad digne sumendum Corpus Christi » (S. THOMAS, *Summa Theol.* III, 65 n. 3). Vota Episcoporum de hac re, cf. in *Acta et Documenta,* l. c. pp. 98-99, nn. 26-28.

[13] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 99-101, nn. 29-46.

[14] Praxis hodierna (can. 940, § 2), post monitum Concilii Tridentini (Sessio XIV, Doctr. *de Sacr. Extr. Unctionis,* c. 3), vetat in eodem vitae discrimine hoc Sacramentum iterare. Sed Unctionis iteratio, etiam in eadem infirmitate, fuit consuetudo Ecclesiarum usque ad saec. XIII. Nam aegrotus, maxime in diuturna infirmitate, saepius indiget solatio spirituali. Vota Episcoporum de hac re, cf. in *Acta et Documenta,* l. c. p. 97, nn. 14-17.

[15] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 175, nn. 2-4.

[16] CONC. TRID., Sess. XXIV, *De reformatione,* c. 1: DENZ. 990. Cf. *Rituale romanum*, tit. VIII, cap. 2, n. 6.

[17] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 177, n. 19.

[18] Can. 1095, § 1, 3°.

[19] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 175, nn. 5-7.

[20] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 175, n. 8.

[21] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. p. 369, nn. 1-3.

[22] Cf. *Acta et Documenta,* l. c. pp. 366-367, nn. 1-4.

Nomen « Extrema Unctio » solummodo tardioribus saeculis (XII-XIII) invectum est; antea « Oleum infirmorum », « Oleum benedictum » appellabatur. Merito in Concilio Tridentino petitum est ut nomen primitivum restitueretur. Melius proinde nomen Sacramenti esset « Unctio infirmorum », quoniam agitur non de re sed de actione. [26

Dilatio ad ultima momenta in usum venit a saeculo fere X, quando Unctio insolubiliter coniuncta erat cum concessione poenitentiae sollemnis, qua tamen ei qui convaluerat onera gravissima ad dies vitae imponebantur.

[13] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 98-99 nn. 26-28.

Ex verbis Apostoli Iacobi: « Et (infirmus) si in peccatis sit, remittentur ei » (Iac. 5, 15), clare eruitur quod Unctio infirmorum spiritualiter pertinet ad poenitentiam. « Poenitentiae consummativum » hoc Sacramentum declarat Concilium Tridentinum (Sessio XIV, 25 nov. 1551, *Doctrina de sacramento extremae unctionis,* prooemium: CONCILIUM TRIDENTINUM, cit., t. VII, Friburgi in Br. 1961, p. 355); ideoque administrandum videtur post confessionem sacramentalem infirmi et antequam ille sacram Communionem recipiat. Nam Eucharistia est sacramentum consummativum omnium aliorum sacramentorum. « Sacramentum Eucharistiae est potissimum inter alia sacramenta... nam omnia alia sacramenta ordinari videntur ad hoc sacramentum, sicut ad finem... per poenitentiam etiam et *extremam unctionem* praeparatur homo ad digne sumendum Corpus Christi » (S. THOMAS, *Summa Theol.* III, q. 65 n. 3). [27

[14] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 99-101 nn. 29-46.

[15] Cf. *Acta et Documenta,* cit., III, p. 278; *ibid.,* Appendix vol. II, pars II, p. 715 nn. 2-4.

[16] Concilium Tridentinum, Sessio XXIV, 11 nov. 1563, *De reformatione*, cap. 1: CONCILIUM TRIDENTINUM, cit., t. IX, Friburgi in Br. 1924, p. 969. Cf. *Rituale Romanum,* tit. VIII, c. II, n. 6, editio prima post typicam, Typis Polyglottis Vaticanis 1954, p. 383.

[17] Cf. *Acta et Documenta,* Appendix vol. II, pars II, p. 177 nn. 18-19.

[18] Cf. CIC, can. 1095, § 1, 3°.

[19] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 175 nn. 5-7.

[20] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 175 n. 8.

[21] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, p. 369 nn. 1-3.

[22] Cf. *Acta et Documenta,* cit., Appendix vol. II, pars II, pp. 366-367 nn. 1-4.

[28]

APPENDIX

EXCERPTA *ex* « Declarationibus » *additis Schemati a Commissione Praeparatoria parato, quae afferuntur ad meliorem intellegentiam quorundam articulorum*

AD ART. 51 [nunc 67] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Ordo Baptismi parvulorum in Rituali romano (Tit. II, cap. 2) exhibitus, etsi ut ritus pro parvulis indicatur, talibus formulis et caeremoniis constat, ut revera congruat adulto, qui sit suae intelligentiae et voluntatis compos. Hoc non obstante, ritus ille retinendus videtur, cum quibusdam tamen emendationibus, scilicet:

1) Omittantur: *a*) orationes quibus memoratur catechumeni progressus usque ad recipiendum Baptismum (ex. gr. *Preces nostras...*: n. 4 b); *b*) eorundem rituum repetitiones, sicut diversi exorcismi, quorum multiplicitas a prisca eorum distributione per successiva tempora originem ducit; *c*) aliqui ritus minus apti.

2) Restituatur unctio Olei catechumenorum in pristinum locum, ante renuntiationem Satanae: nam, symbolice, unctio praeparat ad extremam luctam contra diabolum, quae fit in renuntiatione.

3) Clarius appareat distinctio inter traditionem et redditionem symboli necnon orationis dominicae. Instauretur quoque aliqua traditio Evangelii per lectionem cuiusdam pericopae evangelicae.

4) Partes parentum et patrinorum melius in luce ponantur. Deest in praesenti Ordine admonitio de eorum gravibus officiis coram Deo et Ecclesia contractis, atque assensus eorum viva voce factus.

5) Forsan opportunum foret inserere brevem et aptam orationem litanicam cui praesentes respondeant.

AD ART. 53 [nunc 69] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. In « Ordo supplendi omissa in Baptismo » (*Rituale romanum,* tit. II, cap. V et VI) quaedam partes, sicut exorcismi, iam non videntur esse ad rem.

Immo totus ritus supplendi omissa in Baptismo apte substituendus esset per novum « Ordo ad recipiendum neobaptizatum in ecclesiam paroecialem », cuius partes esse possent:

a) receptio infantis a sacerdote ad ianuam ecclesiae;

b) redditio symboli et orationis dominicae a parentibus seu patrinis facta;

c) sponsiones ab ipsis datae de christiana pueri educatione;

d) lectio evangelica (ex. gr. Matth. 5, 1-12);

e) unctio chrismatis, nisi iam facta fuerit;

f) traditio vestis albae et candelae accensae;

g) benedictio sacerdotis.

AD ART. 54 [nunc 70] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Omnibus profecto nota est condicio miserrima, immo indecens, aquae baptismalis, saepissime in vasculis Baptisterii putrescentis, praecipue in regionibus calidioribus. Ut hoc incommodum vitetur, proponitur ut aqua baptismalis non reservetur per integrum annum, sed, tempore paschali secluso, benedicatur cum Baptismus administratur.

Insuper, per hanc benedictionem aquae in actu Baptismi, instauratur integritas catecheseos et ritus. Ritus enim Baptismi obscurus aliquomodo evadit, cum numquam, praeterquam in Vigilia paschali, compleatur per splendidam expositionem mysterii aquae, quae legitur in praefatione ab benedicendum fontem. Sic optatur ut, pluries in anno, benedici possit aqua, ex. gr. pro Baptismis collectivis.

Ceterum, mos benedicendi aquam baptismalem una tantum vice quolibet anno non invaluit nisi in fine medii aevi.

AD ART. 56 [nunc 72] SCHEMATIS: [DECLARATIO]. Inter ritus recognoscendos, praecipuus videtur impositio manus, quae, secundum S. Cyprianum, signum erat reconciliationis et communionis cum Ecclesia in poenitentia restitutae, quae necessaria erat, quia per peccatum vinculum vivum cum Ecclesia destructum erat. Significabat

3] reconciliationem per Spiritum Sanctum, sicut hucusque retinet Pontificale romanum in ritu reconciliationis apostatae. Impositio manus praescribitur quidem a Rituali, sed forma alterata: « Deinde dextera versus poenitentem elevata, dicit... », dum Rituale ambrosianum adhuc clare dicit: « manu dextera super caput poenitentis elevata et extenta... ». Instauretur proinde dispositio Ritualis, ita ut cognoscatur ritum esse impositionem manus, etiamsi sine contactu physico.

9] Inter alia, sunt recognoscenda verba « ab omni vinculo excommunicationis »: sensu enim canonistico explicata, pro absolutione a censuris sufficientia non reputantur, ceterum fere semper superflua. Primitus erant quidem formula sacramentalis, qua poenitens « communioni » Corporis Christi restituebatur, ideo vere absolvebatur.

Ad art. 59 [nunc 75] Schematis: [Declaratio]. In orationibus, quas exhibet Rituale romanum, petitur unice sanatio infirmi: quod non semper congruit, scilicet quando Sacramentum administratur aut moribundo iam in extremis, aut infirmo gravi absque prudenti spe sanationis. Item formulae magis aptae desiderantur cum Sacramentum confertur homini aetate iam provecto, vel iuveni.

Ad art. 61 [nunc 76] Schematis: [Declaratio]. Suggestiones quamplurimae factae sunt etiam circa aptationem huius Sacramenti, ut eius sensus apertior fiat ad captum et ad sensum diversarum gentium. Aspectibus iuridicis huius quaestionis competentibus Commissionibus relictis, inter quos, v. gr. recognitio numeri Ordinum minorum et restitutio Ordinum minorum aut Diaconatus ad pristina officia, aliqua tantum indicantur naturae stricte liturgicae:

a) Desideratur reductio plurium caeremoniarum, una cum suis formulis, praesertim in ordinatione sacerdotali et in consecratione episcopali.

b) Recognoscatur tota traditio instrumentorum et indumentorum.

c) Allocutiones Episcopi ad Ordinandos revisioni subiciantur, ita ut conceptus qui in ipsis continentur magis respondeant officiis et obligationibus nostra aetate in iure praevisis.

d) Item nonnullae formulae passim in ritibus occurrentes, quae disciplinam aut rerum condicionem obsoletam sapiunt, novis rerum adiunctis accommodentur.

e) Usus linguae fidelibus notae in allocutionibus Episcopi ad Ordinandos necessarius videtur ad fidelium instructionem, ut ita magis directe adducantur ad intellegendam naturam et effectus singulorum Ordinum.

Ad art. 65 [nunc 80] Schematis: [Declaratio]. Inter Communitates religiosas, praesertim mulierum, exstat varietas fere immensa quoad caeremoniale vestitionis et professionis religiosae. Fere cotidie perveniunt ad S. Rituum Congregationem nova caeremonialia Religiosorum approbanda. Ex his autem, nonnulla commune schema sequuntur, quod aliquando sapit ritum Consecrationis Virginum in Pontificali romano exstantem; alia vero, quavis similitudine cum ritibus liturgicis neglecta, proprium sequuntur iter a sensu liturgico omnino aberrans, et unice super elementis devotionalibus fundatum.

Plurimi vota prompserunt ut tandem ordo quidam ponatur in hac congerie caeremonialium et eorum dignitati atque unitati provideatur. Optimum videretur consilium si schema commune conficeretur, cui, in singulis casibus, addi possent elementa particularia, quae indolem propriam cuiusque Instituti in luce ponat.

Optatur pariter ut professio religiosa intra Missam fiat, sicuti Consecratio Virginum, et sicut fere omnes alii ritus consecratorii personarum.

Ad art. 66 [nunc 81] Schematis: [Declaratio]. Exsequiae, quae ritus funerarii partem notabilem efformant, et quibus populus numerosior adest, indigent revisione.

In ritu hodierno, hi defectus notantur:

a) conceptus mortis, qui ex formulariis eruitur, non exhibet doctrinam spe plenam, quam Ecclesia tenet de morte christiana;

b) quaedam, praesertim responsoria et lectiones Officii defunctorum, sunt nimis tetra et angustiis referta;

c) adstantes fideles quasi absentes sunt ab oratione Ecclesiae pro defunctis.

Haec proinde *desiderata* proponuntur:

a) locum ampliorem in ritu funerario obtineant textus qui sensum paschalem mortis chri-

[29] stianae exprimunt (ex. gr. pss. 113 et 117), ut efficacius proclametur fides Ecclesiae in resurrectione;

b) ad incrementum pietatis, maior varietas habeatur in formulariis Missarum, praesertim in lectionibus;

c) foveatur actuosa participatio fidelium mediis aptioribus;

d) usus funerarii gentium, praesertim in terris Missionum, dummodo nihil superstitionis prae se ferant, agnoscantur et in ritum christianum admitti possint.

3 – RELATIO EXC.MI P. D. PAULI J. HALLINAN
Archiepiscopi Atlantensis

Venerabiles Patres,

Commissio Conciliaris de Sacra Liturgia, probe expensis animadversionibus quas in prima periodo Concilii fecistis circa caput III Schematis de Sacra Liturgia, de Sacramentis et Sacramentalibus, mihi commisit officium Vobis explicandi mentem suam de eisdem et illustrandi quasnam ex illis putet recipi non posse et quasnam e contra putet suffragationi vestrae proponendas.

A) IN GENERE

De emendationibus non receptis

Commissio censuit longe maiorem animadversionum partem esse omnino bonam et magnae utilitatis. Quapropter Patribus qui eas animadversiones fecerunt plurimas de eis gratias agit. Non paucae tamen ex eis non potuerunt in textum Schematis recipi, non quia bonae non sunt sed quia

a) aut pertinent ad alias Commissiones Conciliares;

b) aut, utpote nimis particularia tangentes, remittendae sunt ad Commissionem Postconciliarem quae curabit de Sacra Liturgia reformanda vel ad directoria pastoralia vel ad Ritualia particularia, quibus utilissimae esse poterunt;

c) aut tandem, attentius textum Schematis legenti patet eis iam satis provisum esse vel in Capite I de Principiis generalibus vel in ipso Capite III huius Constitutionis.

Hic possibile non est recensere omnes animadversiones quae in textum recipi non potuerunt. Quia tamen de eis deinceps ulterior explicatio non erit, sufficiat mihi quaedam exempla per quinque capita ordinata vobis proponere ut appareat quanta cum cura Commissio omnes animadversiones Patrum expenderit.

1. Exempla emendationum quae recipi non potuerunt quia ad alias

Commissiones Conciliares pertinent. Verbi gratia: quaestiones multae de aetate subiecti Sacramenti Confirmationis ad Commissionem de Sacramentorum disciplina pertinent; extensio facultatis Sacramentum Confirmationis administrandi iis qui in periculo mortis constituti sunt ad eandem Commissionem spectat; stipendia Missarum et taxa: ad Commissionem de disciplina Cleri et populi christiani; definitio materiae et formae Sacramenti Confirmationis: ad Commissionem de doctrina fidei et morum, etc.

2. Exempla animadversionum quae pertinent ad Commissiones postconciliares de quibus in decreto die 6 Decembris 1962 a Summo Pontifice approbato, aut ad Commissionem de Codice Iuris Canonici recognoscendo. Ex his multae revera pertinent ad Commissionem liturgicam sed ad illam postconciliarem de instauratione, quia descendunt ad nimis particularia de quibus Concilium non iudicat, cum ei sufficiat principia statuere. Exempla huiusmodi sunt multa: suppressio alapae in ritu Sacramenti Confirmationis; recognitio ultimae partis ritus Ordinationis; mentio actionis personalis Christi in ipso ritu administrationis Sacramentorum; praevisio Sacramentalium pro adulescentibus et iuvenibus; expressio sensus diei natalis in exsequiis, etc.

3. Exempla animadversionum quae pertinent ad Ritualia particularia, de quibus in articulo 63, olim 47, de Ritualibus revisendis, vel ad directoria pastoralia: exhortatio ut patrini ante Baptismum et Confirmationem ad Sacramenta Poenitentiae et s. Communionis accedant; animadversiones circa vestes confirmandarum; multae difficultates quae a Patribus notantur circa hunc vel illum articulum sed quae proveniunt ex adiunctis particularibus in determinatis regionibus occurrentibus. Auctoritatis episcopalis territorialis erit has speciales circumstantias prae oculis habere quando, ad normam articuli 63, olim 47, paranda erunt Ritualia particularia in quibus ea quae habebuntur in Rituali romano, intra limites ibidem statutos, aptari debebunt necessitatibus proprii territorii.

4. Exempla emendationum in Aula propositarum quibus tamen iam sufficienter provisum est, iudicio Commissionis, aut in Capite I de Principiis generalibus aut in ipso Capite III. Ita animadversionibus Patrum de sobrietate et simplicitate rituum necnon de limitibus aptationum provisum est art. 34, 37-39 Capitis I huius Constitutionis, iam a Patribus approbati. Unus Pater recte petit ut praeparatio pastoralis a rubricis indicetur, sed Commissio censuit hoc iam provisum esse articulo olim 47 (« *ne omittantur instructiones... pastorales et rubricales* »). Aliqui Patres dixerunt celebrationem Sacramentorum Confirmationis et Matrimonii intra Missam impossibilem esse propter practicas difficultates locorum vel temporum, sed Commissio respondet iam provisum esse articulis respec-

tivis per verba « *pro opportunitate* » (de Confirmatione intra Missam) et « *ex more* » (de Matrimonio intra Missam), sine impositione ullius strictae obligationis.

5. Paucas solum emendationes propositas Commissio censuit non esse rectas aut opportunas et ideo recipi non posse. Quaedam sunt contra explicitas petitiones aliorum Patrum, aliae non concordant cum principiis instaurationis Capitis I iam approbatis.

De emendationibus receptis quae tamen sunt minoris momenti

Ex emendationibus quae a Commissione de Sacra Liturgia receptae sunt, multae sunt minoris momenti et suffragationi Patrum non subiciuntur. Istae in fasciculo Emendationum ad hoc Caput III *litteris italicis* imprimuntur, id est, in textu emendato iuxta emendationes receptas et nunc Patribus propositas.

Huiusmodi emendationes minores pertinent ad latinitatem, ad stylum vel verborum ordinem, ad clariorem expressionem eiusdem rei, etc., uti patet in textu emendato. Quaedam expressiones huius Capitis III Schematis ablatae sunt quia non sunt necessariae, ex. gr., « funditus » recognoscantur, « ex integro » recognoscantur, cum ad normam art. 25 huius Constitutionis, mense Decembri approbati, omnes libri liturgici recognosci debent.

B) EXPLICATIO SINGULORUM ARTICULORUM IN SPECIE

In sequentibus explicamus in specie quoad singulos articulos huius capitis praecipua puncta quae notatu digna videntur, praesertim ut de iis de quibus suffragium ferendum erit modo accuratiori ratio reddatur.

Titulus Capitis III

Quia Caput II agit « De Sacrosancto Eucharistiae Mysterio » simul inquantum est sacrificium et inquantum est sacramentum, emendatio tituli huius Capitis III in « *De ceteris Sacramentis et de Sacramentalibus* » a Commissione nostra recepta est.

Prooemium Capitis III, nunc numeri 59-62

Emendatio votanda 1ª

Plures Patres petierunt ut distinctio inter Sacramenta et Sacramentalia clarius exprimatur. Commissio proponit additionem novae paragraphi de Sacramentalibus, omissis in paragrapho prima huius prooemii verbis « et Sacramentalia ». Novus textus sic se habet:

« *Sacramentalia praeterea sancta Mater Ecclesia instituit. Quae sacra sunt signa quibus, in aliquam Sacramentorum imitationem, effectus praesertim spirituales significantur et ex Ecclesiae impetratione obtinentur. Per ea homines ad praecipuum Sacramentorum effectum suscipiendum disponuntur et varia vitae adiuncta sanctificantur* ».

Aliae animadversiones

Ad satisfaciendum animadversionibus Patrum qui petierunt ut rationes et fructus sociales omnium Sacramentorum fusius explicarentur, Commissio censuit verba « *ad aedificationem Corporis Christi* » (Eph. 4, 12) et « *ad caritatem exercendam* » addenda esse primae paragrapho huius prooemii.

In Schemate inveniuntur verba de necessitate instaurationis: « Quod sane facilius fit, si ipsa, quoad eorum liturgicam structuram, quoad textus et ritus, ita ordinantur, ut res divinas, quas significant et suo cuiusque modo efficiunt, sic exprimant ut a fidelibus possint facile percipi et actuosa atque communitaria participatione celebrari ». Cum rationi instaurationis liturgicae in Capite I huius Constitutionis iam sufficienter provisum sit, Commissio de Sacra Liturgia censuit haec verba esse omittenda.

Simili modo, Commissio recepit proposita Patrum qui petierunt ut ratio instaurationis Sacramentorum et Sacramentalium (in ultima paragrapho huius prooemii) melius ponatur, praecipue per omissionem verborum « non sine fidelium detrimento » et additionem verborum « *atque adeo opus sit quaedam in eis ad nostrae aetatis necessitates accommodare* ».

I - De lingua vernacula et de Ritualibus revisendis

Numerus olim 47 qui nunc 63 fit

Emendatio votanda 2ª

Multi Patres petierunt ut usus linguae vernaculae in celebratione Sacramentorum et Sacramentalium accuratius definiatur. Talis definitio exigitur a nova redactione art. 36 § 2 huius Constitutionis ubi affirmatur principium generale linguae vernaculae sive in Missa sive in Sacramentorum administratione sive in aliis Liturgiae partibus ampliorem locum esse tribuendum « iuxta normas quae de hac re in sequentibus capitibus singillatim statuuntur ».

Quoad ipsam extensionem usus linguae vernaculae in Sacramentis

et Sacramentalibus Patres tres sententias proposuerunt: nullus vel rarus sit usus linguae vernaculae; omnia, ipsis formis Sacramentorum inclusis, lingua vernacula dicantur; via media: omnia dicantur lingua vernacula excepta stricte dicta forma Sacramentorum.

Commissioni placuit hanc viam mediam esse tenendam quia optime respondet desideriis duarum ex tribus partibus Patrum et maxime accedit ad concessiones ab Apostolica Sede pluries iam factas in Ritualibus bilinguibus. Proponit ergo, post nova verba introductionis ad mentem art. 36 § 2 (« *Cum haud raro in administratione Sacramentorum et Sacramentalium valde utilis esse possit apud populum linguae vernaculae usurpatio, amplior locus huic tribuatur, iuxta normas quae sequuntur* »), formulam sequentem suffragationi Patrum:

« *In administratione Sacramentorum et Sacramentalium lingua vernacula adhiberi potest, sed quoad formam Sacramentorum, exceptis Matrimonio et aliis casibus expresse probatis, lingua latina generatim servetur* ».

Aliae animadversiones

In Commissione disceptatum est de formula adhibenda in articulo olim 47, nunc 63, circa approbationem Ritualium. Post disceptationem, Membra Commissionis unanimiter censuerunt retinendam esse formulam textus Schematis: *Actis ab Apostolica Sede recognitis,* hoc tamen sensu intellectam sicut dictum est in Relatione capitis primi, a Patribus iam approbati. Etiam hic habetur interventus duplicis auctoritatis, nempe, auctoritatis territorialis ad Rituale legitime condendum, et auctoritatis supremae Apostolicae Sedis ad Rituale recognoscendum. Ad mentem igitur Relationis capitis primi « ostenditur ius quod ab auctoritate inferiore legitime statuitur et ab auctoritate superiore agnoscitur et completur. Inde via media obtinetur, cum auctoritas inferior ius condat et auctoritas superior novam vim iuridicam addat » (cf. *Emendationes* Capitis I, fasc. IV, p. 15).

Commissio praeterea censuit quaedam verba addenda esse circa instructiones Ritualis romani, cum aliqui Patres petierint ut natura socialis et ecclesialis Sacramentorum melius exprimatur. Necessitas harum additionum in Rituali romano, quae postea in Ritualibus particularibus includentur, hoc modo expressa fuit: « *ne omittantur instructiones, in Rituali romano singulis ritibus praepositae, sive pastorales et rubricales, sive quae peculiare momentum sociale habent* ».

II - De Sacramentis initiationis christianae

Numerus olim 48 qui nunc 64 fit

Cum Commissio censuerit nullam emendationem maiorem esse necessariam in hoc articulo de instauratione catechumenatus liturgici, ratione claritatis adduntur expressiones: *a*) « *de iudicio Ordinarii loci in usum deducendus* », et *b*) « *aptae institutioni* » loco « instructioni ».

Aliqui Patres suggerunt ut deleatur articulus iste de catechumenatu, cum censeant novum Ordinem Baptismi adultorum per gradus dispositum iam sufficere, sed alii dicunt Ordinem iterum recognoscendum esse propter complexitatem et difficultatem applicationis. Commissio nostra censuit articulum retinendum esse cum novus Ordo instauratus nullas emendationes textus includat.

Numerus olim 49 qui nunc 65 fit

In hoc articulo, de aptationibus ritus Baptismi in terris Missionum admittendis, Commissio posuit verba « *admitti liceat* », loco « admittantur », uti in pluribus aliis articulis huius Capitis, ne nimis urgeatur obligatio.

Numerus olim 50 qui nunc 66 fit

Cum nulla emendatio maioris momenti sit necessaria in hoc articulo circa recognitionem ritus ad baptizandos adultos, tamen ad clarius significandam naturam huius recognitionis Commissio mentionem fecit de ritu ampliori ad modum catechumenatus priorum saeculorum (« *solemnior* ») et de ritu breviori quando catechumenatus liturgicus Baptismum non praecedit (« *simplicior* »).

Numerus olim 51 qui nunc 67 fit

Commissioni videbatur nullam emendationem maioris momenti in hoc articulo circa ritum Baptismi infantium admittendam esse, sed verba « *recognoscatur et* » esse addenda, ne instauratio huius ritus coarctetur ad ea, quae ex condicione infantis rationis nondum compotis postulantur.

Ad satisfaciendum tamen animadversionibus plurium Patrum qui desideraverunt mentionem explicitam obligationum parentum et patrinorum, verba « *eorumque officia* » addita sunt.

Plures Patres petierunt ut ritus Baptismi parvulorum simplificetur omittendo vel reducendo varias caeremonias. Quae omnia, uti iam dictum est, sunt materia nimis particularis et pertinent ad Commissionem Postconciliarem quae curabit de Sacra Liturgia reformanda.

Numerus olim 52 qui nunc 68 fit

Emendatio votanda 3[a]

Iuxta petitiones plurium Patrum, Commissio proponit hanc additionem articulo de Ordine breviori Baptismi:

« *In ritu Baptismi ne desint accommodationes, de iudicio Ordinarii loci adhibendae, pro magno baptizandorum concursu* ».

Alioquin, iuxta animadversionem unius Patris, periculum habetur in his casibus « ut in Sacramenti administratione minister nimia fatigatione machinarum modo se gerat ».

Aliae animadversiones

De cetero verbum « *praesertim* » additum est ante « in terris Missionum » quia in multis regionibus « circumstantiae eaedem sunt ac in Missionibus, quin canonice vel geographice vel etiam theologice agatur de Missionibus ».

Duo Patres petierunt ut mentio ritus brevioris a catechistis et aliis fidelibus adhibendi deleatur, quia sufficit ut omnes instruantur de modo administrandi Baptismum in casu necessitatis. Commissio censuit talem suppressionem non esse admittendam, praesertim cum Episcopi ex terris Missionum ritum huiusmodi desiderent. In textu non agitur de casu in quo aliquis invenitur in articulo mortis quando unusquisque potest eum baptizare, adhibita sola forma Sacramenti et applicata materia, sed agitur solum de periculo mortis absente sacerdote et diacono.

Numerus olim 53 qui nunc 69 fit

Emendationes minores huius articuli circa ritum conficiendum loco « Ordo supplendi omissa » et novum ritum pro neoconversis sunt tantum ad clarius exprimendam naturam huius instaurationis.

In primo casu, ritus debet significare infantem, qui ritu brevi baptizatus fuerit, iam receptum esse in Ecclesiam.

In casu neoconversorum iam valide baptizatorum, textus emendatus est ut melius significetur natura receptionis neoconversorum (« *quo significetur eos in Ecclesiae communionem admitti* »).

Numerus olim 54 qui nunc 70 fit

Sola emendatio huius articuli circa benedictionem aquae baptismalis in ipso ritu Baptismi est suppressio verborum « ex iusta et rationabili causa ». Finis huius numeri est: *a*) ut evitetur inconveniens de aqua putrescenti, et *b*) maxime, ut instauretur « integritas catecheseos et ritus ».

Numerus olim 55 qui nunc 71 fit

Nulla est emendatio maioris momenti huius articuli de ritu Sacramenti Confirmationis et mutationes textuales sunt tantum ad clarius significandam naturam recognitionis:

a) per additionem facultativam renovationis promissionum Baptismi ante Confirmationem;

b) per administrationem eiusdem Sacramenti, pro opportunitate, intra Missam; et

c) per uberiores formulas ad modum introductionis ritus Confirmationis extra Missam.

Uti iam dictum est, obiectionibus et difficultatibus practicis quas aliqui Patres expresserunt contra renovationem promissionum Baptismi et contra ritum Confirmationis intra Missam sufficienter provisum est, iudicio Commissionis nostrae, per verba facultativa (« *convenienter ... praecedet* » et« *pro opportunitate* »).

Unus Pater timuit ne, si inculcetur connexio inter Confirmationem et Baptismum, confusio inter haec Sacramenta in mente fidelium oriatur. A Commissione respondetur quod in mente hodiernorum fidelium latinorum certe non est timenda confusio inter Baptismum et Confirmationem cum haec Sacramenta tempore et circumstantiis tam diversis administrentur. E contra id valde est lugendum, quod fideles connexionem Confirmationis et Baptismi (et in genere trium Sacramentorum initiationis christianae) vix percipiant.

Propositio alterius Patris qui petit ut aboleatur institutum patrinorum utpote nunc sine vera efficacia a Commissione recepta non est. Commissio censuit institutum patrinorum esse retinendum, non solum quia est antiquissimum sed praesertim quia etiam hodie potest optimos fructus dare, dummodo parentes et patrini de vero christiano sensu huius muneris probe instruantur.

III - De Poenitentia

Numerus olim 56 qui nunc 72 fit

Plures Patres petierunt ut recognitio ritus Sacramenti Poenitentiae eius naturam praesertim socialem et ecclesialem clarius exprimat. Commissio censuit hanc emendationem recipiendam esse per insertionem verborum « *naturam et* » ante verbum « effectum ».

IV - De Unctione infirmorum

Numerus olim 57 qui nunc 73 fit

Duae sunt emendationes maioris momenti huius articuli de Sacramento Unctionis: prior, de mutatione nominis; altera, de disciplina hodierna.

Emendatio votanda 4ª

Duo Patres noluerunt mutationem nominis huius Sacramenti in « Unctionem infirmorum ». Cum alii aliter senserint propter rationes pastorales, Commissio censuit nomen Extremae Unctionis retinendum esse sed Sacramentum etiam vocari posse, et quidem melius, Unctionem infirmorum, contra praxim sacerdotum et fidelium qui interpretantur verbum « extrema » quasi hoc Sacramentum recipi deberet solum in articulo mortis vel in exitu vitae.

Ad clarius significandam naturam huius Sacramenti, verbis Schematis: « non est per se Sacramentum morientium sed graviter aegrotantium » substituta sunt verba: « *non est Sacramentum eorum tantum qui in extremo vitae discrimine versantur* ».

Emendatio votanda 5ª

Secunda mutatio huius articuli confirmat praxim pastoralem Sacramentum Unctionis tempore opportuno administrandi sequentibus verbis « *Proinde tempus opportunum id recipiendi iam certe habetur cum fidelis incipit esse in periculo mortis propter infirmitatem vel senium* ».

Illud intendimus ut reprimatur abusus hoc Sacramentum administrandi nonnisi his qui in articulo mortis sunt, vel in extremo periculo vitae versantur.

Ad hoc obtinendum, abstractione facta ab his omnibus quae circa subiectum huius Sacramenti a theologis disputantur, retenta sententia magisterii, a qua recedere non licet in Constitutione disciplinari, declaratur per verbum *certe* iam omnes condiciones tam validae quam licitae susceptionis huius Sacramenti haberi quando aegrotus incipit in periculo mortis esse.

Numerus olim 58 qui nunc 74 fit

Emendatio minor huius articuli de receptione Unctionis post Confessionem et ante Eucharistiam est tantum ad clarius explicandum:

a) manere ritus distinctos trium Sacramentorum uti nunc sunt in Rituali iuxta rerum adiuncta adhibendos; et

b) inculcare administrationem Unctionis ante Viaticum, secundum traditionem antiquissimam Ecclesiae, esse meliorem et regulariter, quando fieri potest, adhibendam, novo Ordine continuo praeviso.

Numerus olim 59 qui nunc 75 fit

Nulla est emendatio huius articuli circa aptationes ritus Unctionis.

Unus Pater timuit ne orationes innumerae pro diversitate condicionum infirmorum introducantur. Commissio respondet sufficere duas vel tres orationes diversas, ad normam a Commissione Postconciliari determinandam.

Alius Pater dixit non esse sacerdotum diiudicare de statu infirmorum. Commissio respondet sacerdotem debere iudicare: primo, utrum fidelis sit subiectum aptum, secundo, utrum sit forte in articulo mortis.

Numerus olim 60

Emendatio votanda 6ª

Ex desiderio plurimorum Patrum Commissio proponit suppressionem huius articuli circa iterationem Unctionis sacrae in diuturna infirmitate, ne Concilium intret in quaestiones disputatas.

V - De Ordine

Numerus olim 61 qui nunc 76 fit

Emendatio votanda 7ª

Iuxta animadversiones unius Patris Commissio de Sacra Liturgia censuit emendationem de impositione manuum ab omnibus Episcopis praesentibus in Consecratione Episcopali addendam esse, cum correspondeat sanae traditioni Ecclesiae quae in usu erat usque ad finem Medii Aevi, per formulam sequentem:

« *In Consecratione Episcopali impositionem manuum fieri licet ab omnibus Episcopis praesentibus* ».

Aliae animadversiones

Aliae emendationes huius articuli circa ritus Ordinis sunt minoris momenti. Verba « a peritis » omissa sunt quia iam provisum est ubi de recognitione omnium librorum liturgicorum, Pontificali non excluso, facienda, peritis adhibitis, ad normam art. 25 huius Constitutionis.

VI - De Matrimonio

Numerus olim 62 qui nunc 77 fit

Ad satisfaciendum animadversionibus Patrum de inculcandis mutuis obligationibus sponsi et sponsae, Commissio censuit verba « *et munera coniugum inculcentur* » addenda esse in hoc articulo de ritu celebrandi Sacramentum Matrimonii.

Unus Pater petit ut conficiatur ritus pro Matrimoniis mixtis, praesertim in Missionibus. Commissio censuit hanc emendationem non esse recipiendam.

Numerus olim 63 qui nunc 78 fit

Emendatio votanda 8ª

Unus Pater petit ut benedictio sponsis semper impertiatur etiamsi celebratio Matrimonii fiat extra Missam. Commissio de Sacra Liturgia censuit hanc additionem esse recipiendam per verba in fine articuli: « *et benedictio sponsis semper impertiatur* ».

Aliae animadversiones

Ratio emendationis circa aptationem benedictionis super sponsam est ut, sine mutatione radicali in natura antiquissimae benedictionis solius sponsae, saltem pars huius benedictionis quae loquitur de fidelitate coniugali servanda ad utrumque sponsum referatur.

VII - De Sacramentalibus

Numerus olim 64 qui nunc 79 fit

Emendatio votanda 9ª

In recognitione Sacramentalium, ad mentem animadversionum duorum Patrum, Commissio nostra censuit quaedam Sacramentalia praevideri posse a laicis qualificatis administranda, ex. gr., a patribus vel matribusfamilias, catechistis, fratribus laicis lycea moderantibus, etc. Proponit ergo textum sequentem:

« *Provideatur ut quaedam Sacramentalia, saltem in specialibus rerum adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis congruis qualitatibus praeditis, administrari possint* ».

Aliae animadversiones

Alii Patres petierunt ut potestas Episcoporum nova Sacramentalia inducendi agnoscatur. Commissio censet huic quaestioni iam provisum esse in Capite I huius Constitutionis a Patribus approbato, art. 37-40.

Numerus olim 64 qui nunc 80 fit

Emendatio votanda 10[a]

Ad aliquomodo satisfaciendum animadversionibus Patrum qui petierunt ut ritus particulares religiosae professionis, etc., maneant, Commissio censuit versionem novam esse proponendam huius articuli:

« *Conficiatur insuper ritus professionis religiosae et renovationis votorum, qui ad maiorem unitatem, sobrietatem et dignitatem conferat, ab iis qui professionem vel votorum renovationem intra Missam peragunt, salvo iure particulari, assumendus* ».

Hoc modo explentur desideria Episcoporum ut spiritus solidus liturgicus in familiis religiosis inculcetur necnon commendatio ritus professionis et renovationis votorum intra Missam, sine turbationibus eorum qui malunt hos ritus extra Missam vel sine Missa.

Aliae animadversiones

Emendatio altera huius articuli, suffragationi non subiecta, pertinet ad optatam instaurationem ritus Consecrationis Virginis, quo usus antiquus, hodiernis circumstantiis aptatus, latius et saepius servetur.

VIII - De Exsequiis

Numerus olim 66 qui nunc 81 fit

Sola emendatio huius articuli circa ritum exsequiarum est additio minoris momenti verborum « *etiam quoad colorem liturgicum* », ut aptatio extendatur ad colorem liturgicum, ad mentem Patrum qui hoc petierunt.

Numerus olim 67 qui nunc 82 fit

In hoc articulo de exsequiis parvulorum deleantur verba « ex integro » quae, iudicio Commissionis nostrae, non sunt necessaria cum omnes ritus in libris liturgicis, ad normam art. 25 huius Constitutionis iam approbati, recognoscendi sint.

4 – PATRUM ORATIONES

De Ecclesia, cap. II (prosequuntur)

1

EM.MUS P. D. IOSEPH CARD. SIRI

Archiepiscopus Ianuensis

Venerabiles Patres,

Ne vos taedeat me iterum loqui de collegialitate episcoporum, in art. 16 huius capitis.

Quaestio tota non est in termino « conlegium episcoporum », sed in definitione seu substantia conlegii episcoporum. Hoc est videndum: in quonam consistat hoc conlegium?

Antequam breviter respondeam, recolendum est criterium theologicum: affirmare possumus tantum id quod in fontibus theologicis invenimus. Fons theologicus non est tantum Sacra Scriptura, nec tantum Patres priorum saeculorum. Ecclesia hodie vivit sicut vixit prioribus saeculis et hodie in suo consensu et in suo magisterio testificat sicuti quovis saeculo testata est.

Praeterea conclusiones a documentis ita faciendae sunt ut nihil sit in conclusionibus quod antea non sit totum in praemissis, iuxta notissima illa logicae principia: latius hos quam praemissae conclusio non vult; peiorem semper sequitur conclusio partem, etc.

Proinde si aliquid volumus deducere ex fontibus circa conlegialitatem episcoporum, vel antea habemus conceptum « conlegii », vel melius ipsam substantiam conlegii ex fontibus deducimus. Facile est probare apostolos esse quoddam corpus, habuisse potestatem et missionem, esse super alios, successores apostolorum esse episcopos, etc. Sed aliud est probare episcopos constituere conlegium.

Revera episcopi conlegium constituunt quia hoc demonstrat saltem praxis Conciliorum oecumenicorum, in quibus episcopi sine dubio fuerunt et sunt cum et sub Romano Pontifice magistri et legislatores *in Ecclesia.*[1] Per praxim Conciliorum possunt interpretari maiori claritate et certitudine cetera documenta, praesertim illa quae ex sese sufficientia non essent ad demonstrandum.

Hisce praelibatis, quid ergo eruitur de conlegio episcoporum?

a) Conlegium exsistit, quia Concilium saltem exsistit.

b) Ubicumque verificantur condiciones, quibus est verum et legitimum Concilium, conlegium exsistit.

c) Quod est aliquo momento in actu, est semper iisdem condicionibus saltem in potentia.

Tamen haec veritas componenda est cum alia, quae est certa, de vero primatu et de plenitudine potestatis in Vicario Christi.

Hic Vicarius Christi:

a) non est tantum caput sed et fundamentum Ecclesiae modo peculiari et unico, alteri non communicabili; habet claves regni caelorum et, etiam solus, potest ligare et solvere, i. e. etiam sine aliorum concursu. Est caput omnino peculiaris rationis;

b) sine eo Capite non amplius conlegium est et agit. Hoc modo non ipsum aliquid accipit a conlegio sed conlegium eo indiget ut sit et agere possit.

Quapropter ut veritates cohaereant inter se, peto ut pag. 27, n. 16, linn. 16-17, supprimantur verba *indivisum subiectum*. Etenim, post dicta, haec verba apparent evidenter aequivoca et ex his quis posset inferre, posse episcopos aliquando cogere Papam, quod esset contra rationem huius specialis Capitis et contra definitionem constitutionis *Pastor Aeternus*.

Nullus est in hac aula qui velit reformare Vaticanum I, sed omnes volumus in fidelitate veritatis certae ultra progredi in cognitione et applicatione verbi Dei.

Adhaereo praeterea his quae dixit heri exc.mus ep. Signinus de textu pag. 30, lin. 1.

Peto ut velit competens commissio, quatenus opus est, ita recognoscere textum ut veritas de episcopis pateat luculentius quin aliquid inferri unquam possit contra verum primatum et plenitudinem potestatis Romani Pontificis.

De sacramentalitate episcopatus non video iam quomodo sit ambigendi locus; manere tamen debet post definitionem tridentinam unitas sacramenti Ordinis, successive tributi per diversos gradus, et debet insuper manere — saltem uti patet ex praxi — distinctio inter radicalem potestatem per sacramentum tributam et eius exercitium datis legitimis condicionibus.

De diaconatu hoc patuit ex discussione in aula: quod quaestio non totam Ecclesiam interest, dum servare omnino caelibatum totam Ecclesiam interest. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Ecclesiae.

2

EM.MUS P. D. STEPHANUS CARD. WYSZYŃSKI
Archiepiscopus Gnesnensis et Varsaviensis

Venerabiles Fratres,

Sententiae, quas proponere intendo, referuntur ad cap. II, et quidem ab eius parte 18 usque ad finem.

Tota fere disputatio, quam in hac aula conciliari de Ecclesia hucusque egimus, respiciebat Ecclesiam *constitutam in condicionibus ordinariis,* gaudentem iuribus, privilegiis et mediis necessariis ad finem. Huiusmodi Ecclesia apparet populo Dei non solum uti *societas perfecta,* ornata plenitudine vitae interioris, sed pariter uti *societas externa,* cui praesto sunt media communia societatis et quidem societatis cultui religionis faventis, inter quae eminent opera Actionis Catholicae, *etc.*[1]

Est tamen, nostris temporibus, populus Dei qui, quamvis constituat partem Ecclesiae, iam non exhibeat signa societatis perfectae neque externae, sed potius continetur *societate interiore, absque institutionibus ordinariis,* quae in omni societate bene ordinata cultui religionis quam maximum praebent auxilium.

Signa externa visibilis Ecclesiae, aut iam non exsistunt, aut valde circumscripta apparent. In hoc casu Concilii est ostendere populo Dei Ecclesiam Christi in sua *constitutione interiore,* i. e. supranaturali, quae dici solet *Corpus Christi mysticum.*

Quae nunc exponam eo tendunt, ut prosint populo Dei, viventi in *condicionibus extraordinariis et insolitis,* quae differunt ab ordinario statu rerum.

Momentum princeps omnis de Ecclesia disputationis, de eius indole, missione, opere et intima constitutione sociali, datur in verbis Christi Domini ad discipulos: Ite et docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Hisce verbis indicantur omnia Ecclesiae elementa, ita ut recte schema nostrum notaverit: « Sic apparet universa Ecclesia sicuti de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata » (cf. cap. I, pag. 8, versus ultimus ...[2]).

Utcumque, populo Dei, qui vitam agit in conditionibus insolitis Ecclesiae, tradatur et etiam inculcetur intima eius connexio cum Sanctissima Trinitate. Etenim praeceptum Domini: « Docete omnes gentes... », generat vinculum sociale, et quidem essentiale et constitutivum interioris naturae supranaturalis Ecclesiae, quod est inhabitatio Sanc-

tissimae Trinitatis in anima christiani, qui confitetur fidem in Deum unum et Trinum, eumque colit et ex eo vivit.

Haec essentialis veritas, profluens ex baptismo, est et remanet semper essentiale vinculum unitatis Ecclesiae. Est pariter essentiale mandatum totius ordinis hierarchici: episcoporum et sacerdotum, in quo partem habet populus Dei; est insuper essentialis relatio inter ordinem hierarchicum et populum Dei; est denique essentiale vinculum unitatis inter membra Corporis mystici Christi...[3]

Inde deducuntur conclusiones indolis pastoralis, maximi momenti pro populo Dei qui vivit in Ecclesia, in conditionibus insolitis, quia hoc modo tuetur et conservat *sensum unitatis* cum Sanctissima Trinitate, deficientibus saepe saepius vinculis ordinis *canonici,* praesertim cum desint episcopi, sacerdotes, exinde desideratur consuetum servitium pastorale.

Idem dicendum de notione Ecclesiae militantis. Conceptus est quidem theologicus et indicat, absque dubio, maxima merita huius Ecclesiae in universa familia humana. Nolumus ignorare quidquid doceat theologia dogmatica, fundamentalis vel ius publicum Ecclesiae, sed non possumus omittere *statum realem,* in quo inveniuntur pluries centena millia filiorum Ecclesiae Dei.

Notio vinculi iuridici tunc evanescit, etiamsi quis sustinere voluerit principium « Ecclesia regitur suis iuribus »; quia statim obicitur quaestio, ubi et in quibusnam conditionibus haec iura appellari et urgeri possint.

Fere ignorantur leges et iura Ecclesiae, ubicumque omnia sibi vindicat Status civilis, usque « os, linguam, mentem, sensum, vigorem » uniuscuiusque civis. Tali in casu, Ecclesia apparet homini nostrorum temporum, cum nempe Status civilis omnia sibi iura vindicet, tamquam societas indolis interioris, quae non obstantibus forma et mensura materialibus, quae adhuc permanent, ab eo non attingitur, quia deest possibilitas fere omnis communicationis.

Huiusmodi notiones, uti dioecesis, paroecia, episcopus, parochus, privantur fere vi iuridica. Non remanet nisi aedes sacra, ubi quis aliquoties intrat ad orandum, sed non semper in pluribus regionibus invenit sacerdotem, quem patrem spiritualem vocare posset. In huiusmodi conditionibus, principium pastorale consuetum in Ecclesia, societate perfecta, non potest habere aliud fundamentum nisi doctrinam de Corpore mystico Christi, praesertim eius partem, quae refertur ad vitam Sanctissimae Trinitatis inhabitantis animam baptizati.

Possumusne in tali casu adhuc sermonem instituere de Ecclesia militanti, etiamsi rationes in hac aula adductae habeant suam vim et mo-

mentum psychologicum? Potius dicenda est Ecclesia vivificans et sanctificans.

Unionem cum Ecclesia, pergrandis multitudo baptizatorum conservat nonnisi in verbis « In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti », i. e. in nomine Sanctissimae Trinitatis, quae animam eorum inhabitat.

Communicatio cum ordine hierarchico reducitur ad simplicem commercium cum patre spirituali, quod tamen aliud est quam illud quod intercedit cum ministris Status, a quibus saepe saepius pendet penitus homo nostrorum temporum. Attamen homo baptizatus confidit Ecclesiae, etiamsi remotae, quia Ecclesia ipsi loquatur de eius iure ad veritatem, ad libertatem, ad exercitium iurium, ad caritatem, sicuti Papa Ioannes XXIII, felicis et piae memoriae, ipsi est locutus in Encyclica *Pacem in terris*. Quae Encyclica animos omnium movit, etiam infidelium.

Sed idem homo baptizatus et — sit venia verbo — « nationalizatus » abhorret a Statu civili a quo perplures passus est iniurias, proinde non amat, ut comparentur inter se Ecclesia societas perfecta et Status civilis. Immo huiusmodi comparatio videtur homini nostri temporis, qui ardenter desiderat quietem refectionemque spiritus, durior, deterior, et pro Ecclesia iniuriosa. Etenim Ecclesia est et remanet pro omnibus lumen populorum, et spes unica *in hisce conditionibus*.[4]

Hae sunt rationes, ob quas timemus ne notio Ecclesiae militantis, salva semper traditionali nomenclatura, ob dicta momenta psychologica, supplantet notionem magis essentialem Ecclesiae, nempe Ecclesiae vivificantis (vita - lux hominum) et Ecclesiae sanctificantis (sancti estote).

Homines nostrorum temporum, dono fidei gaudentes, abhorrent ab omni lucta, quia saepe saepius, nisi dicam ordinarie, vincuntur in hisce luctis. Ipsi tamen malunt confidere Ecclesiae, quae dat vitam et sanctitatem, quae defendit iura naturalia hominum, quae inspirat et format animos ad sustinendum et defendendum ordinem naturalem, moralem et socialem, et praesertim supranaturalem in mundo.

Conditiones insolitae, in quibus vivunt centies milia hominum baptizatorum in sinu Matris Ecclesiae, inducunt me ut coram vobis, Patres conciliares, loquar, tentans convertere sensum caritatis in favorem populi Dei vitam degentis in insolitis condicionibus, in sinu tamen Ecclesiae, quae eos spe vivificat et interne sanctificat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] opera caritatis, variae institutiones et associationes catholicae, necnon ius imprimendi et diffundendi libros de religione (vulgo « libera stampa ») et alia. [2] cf. nota 7 pag. 15. [3] cf. supra citatam notam 7 in pag. 15. « Societas unitatis Ecclesiae Dei, extra quam non fit remissio pecca-

torum, tanquam proprium est opus Spiritus Sancti, Patre sane et Filio cooperantibus, quia societas est quodammodo Patris et Filii ipse Spiritus Sanctus » (in schemate, notae in pag. 15). [4] deest.

Moderator: Legatur a secretario generali prima emendatio *de Liturgia.*

Secretarius generalis: Cap. III schematis *de sacra Liturgia*: Ad prooemium. Prima emendatio: pag. 179 (quae respondet pagg. 19 et 20, n. 60, huius fasciculi iam distributi) ... [*cf. pag. 548*]. Suffragatio fit per *placet* vel *non placet.*

3

BEAT.MUS P. D. PAULUS PETRUS MEOUCHI

Patriarcha Antiochenus Maronitarum

Venerabiles Patres,

Loquor etiam nomine episcoporum Ecclesiae Maronitarum.

Neminem fugit problema de collegialitate episcopali, et speciatim de relatione potestatis iuris divini primatus Summi Pontificis, et potestatis iuris divini collegii episcoporum, esse huius Concilii Vaticani II, principale et longe difficile. Liceat mihi aliquas de his quaestionibus animadversiones facere.

1. Apostoli a Christo electi, seu duodecim, ut collegium instituti sunt cum Petro Capite. Sunt verum Ecclesiae fundamentum, secundum voluntatem ipsius Christi, et, ab eo, qui semper manet caput Corporis Ecclesiae, receperunt missionem et potestatem.

2. Illa potestas et missio non fuerunt ad instar doni transeuntis, sed ad modum muneris stabilis in ipsa Ecclesia. Ideoque apostoli sibi elegerunt successores, ut in triplici ministerio, docendi, sanctificandi et regendi, voluntati Christi salvificae fideles inveniantur.

3. In ipso collegio episcoporum, apostolorum successorum, singularis episcopus habet potestatem suam episcopalem ut membrum huius collegii, sicut et ipsum caput, successor Petri, suam propriam potestatem habet ut caput collegii.

4. Ideoque singularis episcopus est a Christo mandatus, non a Summo Pontifice delegatus; attamen *sub* Petro stat, quia est membrum huius collegii, quod est institutum cum capite et sub capite.

5. Hoc collegium episcoporum, qua collegium, una cum capite, potestatem habet in universam Ecclesiam. Membra et caput eidem mis-

sioni inserviunt, sed unusquisque secundum proprium suum munus, sive membri, sive capitis.

6. Hoc collegium ad imaginem Corporis mystici, quod est Ecclesia, considerandum est: diversitatem et unitatem populi christiani significat.

7. Collegium episcoporum, una cum suo capite, tum in Concilio, tum extra Concilium, « suprema pollet in universam Ecclesiam potestate » ...[1]. Exercet insuper in Ecclesia supremum magisterium.

8. Summus Pontifex, successor Petri et Christi Vicarius, ut caput totius Ecclesiae et collegii episcoporum constitutus est, ut sit in Ecclesia perpetuum unitatis principium, et « *ut* episcopatus ipse, *unus* et indivisus » sit, ut dicit Concilium Vaticanum I...[2]

Ut caput collegii episcoporum, Summus Pontifex exercet suum munus doctrinale et iurisdictionale in collegio et pro collegio. Proinde, eius iurisdictio est plena et suprema, in totam Ecclesiam et in singulos episcopos.

9. Summus Pontifex, loquens *ex cathedra,* ea infallibilitate pollet, qua Christus Ecclesiam ut corpus episcoporum in definienda doctrina de fide et moribus, ut dixit Vaticanum I ...[3], instructum voluit. Si vero Summus Pontifex, ex sese, non ex consensu episcoporum vel fidelium infallibiliter docet, non potest alia Ecclesia credenda praebere nisi revelationem quae in ipsa Ecclesia iam exstat, et sive explicite, sive implicite a corpore episcoporum authentice docetur, et ab Ecclesia discente oboedienter recipitur.

10. Singularis episcopus, tamquam pastor et doctor suae Ecclesiae, habet quidem veram potestatem iurisdictionis, etsi limitatam, quatenus dependet a Romano Pontifice et toto corpore episcoporum; et est doctor authenticus, licet singularis non infallibilis; sed totam hanc suam propriam potestatem habet in quantum est membrum collegii, et eatenus dici potest participare potestatem collegii, cuius est membrum.

11. Episcopi exercent suum munus ordinarium sub Romano Pontifice, non nomine Pontificis Romani ut vicarii eius, sed ut vicarii Christi et membra collegii iuris divini, ut iam clarissime docuit ipse Pius IX etiam post Concilium Vaticanum I in sua epistola *Mirabilis illa...*[4]

12. Ideoque iurisdictio immediata Summi Pontificis in singulos episcopos et dioeceses non potest ita limitare, nec vere limitat, ius episcopi Ecclesiae particularis, ut hic episcopus suam propriam potestatem, nomine proprio, in sua dioecesi exercere iam non valeat, quamdiu talis episcopus legitime regit suam illam dioecesim.

13. Solidarietas ambarum potestatum, « quarum una principalior est altera », ut dixit Leo Papa XIII, etiam in regenda parte populi Dei, seu dioecesis, manifestari debet. Illa manifestatio consistit in hoc

vinculo supernaturali caritatis « quo et caput et corpus episcopalis collegii intime connectuntur », ut clare enuntiatur in schemate de dioecesium regimine...[5]

Una vero ex multis circumstantiis in quibus illud vinculum exprimeretur, esset ut episcopi potestatem episcopalem magis ac magis exerceant, et cum Petro et sub Petro, collegii capite, se sentiant, ut, gregem particularem regendo, universae Ecclesiae evangelizationis responsabiles.

14. Omnia haec quae dixi, in oecumenismi authentici et pastoralis doctrinae bonum cedunt, et doctrinam catholicam de primatu et infallibilitate Summi Pontificis magis pro fratribus nostris non-catholicis illustrant eisque magis accessibilem reddunt, quin reducatur dualitas illarum ambarum potestatum iuris divini, scil. primatus Summi Pontificis et collegialitatis episcoporum, sive in episcoporum bono, sive in bono Romani Pontificis, minuendo privilegia et praerogativas alterutrius et tollendo authenticam et veram illorum significationem et substantiam.

Remanent ulteriores quaestiones discutiendae a theologis, sicuti istas quaestiones libere discutiunt, ut quaestiones relationis inter Concilium et Summum Pontificem.

Sed ulteriores istae discussiones, nec debent, nec possunt ipsum factum utriusque potestatis eiusque pacificam coexistentiam obscurare.

Haec est, in omnibus quae dixi, mea humilis sententia, quam iudicio Ecclesiae submitto. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (CIC. 228). [2] (Dz. 1821). [3] (Dz. 1839). [4] (Dz. 3112). [5] (pag. 7).

Moderator: Legatur a secretario secunda emendatio *de Liturgia.*

Secretarius generalis: Ad art. 47. Emendatio secunda: pag. 179, linn. 26-28 (quae respondent pag. 20, n. 63 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 548*].

4

EXC.MUS P. D. NARCISSUS JUBANY ARNAU

Episcopus tit. Orthosiensis in Phoenicia, aux. Barcinonensis

Venerabiles Patres conciliares,

Loquor nomine duodecim episcoporum ex Hispania.

Mirandum quidem est quod n. 15 cap. II ex tredecim lineis diaconis in specie dicatis, tantum sex naturam *diaconatus* exponere intendat. Inde maxima paupertas theologica huius paragraphi. Revera:

1. In schemate nihil dicitur de charactere sacramentali ordinationis diaconalis. Hoc autem affirmandum est post solemnem promulgationem sacramentalitatis episcopatus et post denuo affirmatam sacramentalitatem presbyteratus.

2. Schema nimis ex angulo iuridico diaconatum considerat, quod minus proprium est constitutionis dogmaticae. E. g., in notula 25 tantum citantur canones C.I.C.; diaconi appellantur ministri baptismi, sed extraordinarii et quidem baptismi solemnis. Iamvero circa diaconatum fontes exsistunt pretiosissimi: Sacra Scriptura, Patres apostolici, antiquissima Ecclesiae traditio, documenta liturgica.

3. Circa restaurationem diaconatus stabilis, prae oculis habita Ecclesia universali, dici debet Concilium portam claudere non debere futurae diaconatus renovationi, in locis ubi id Ecclesia expedire censuerit. Attamen circa obligationem caelibatus, clare determinetur quinam sint praepositi Ecclesiae quorum erit dispensationem concedere, cum in n. 26 cap. III, praepositi intelligantur pastores Ecclesiae singillatim sumpti, et quidem non exclusis presbyteris, et in lin. 29 n. 19 cap. II sermo fiat de praesulibus qui sunt episcopi singillatim sumpti. Meo iudicio, tales praepositi Ecclesiae sola debet esse Apostolica Sedes. Hoc tamen retinendum: in re tanti momenti, verborum claritas est omnino indispensabilis.

4. Mirandum tandem etiam est quod schema in eodem n. 15 nihil dicat de ordinibus minoribus, qui tamquam diaconatus explicatio seu quaedam prolongatio considerandi sunt. Iam Concilium Tridentinum, ob rationes theologicas et praesertim pastorales, hanc quaestionem aggressus est. Immo et discussioni subiecit quoddam schema in quo ordinum minorum functiones necessitatibus tunc temporis accommodabantur. Patrum autem intentio haec erat, testante theologo tridentino Petro de Soto, illos ordines supprimere quorum functiones iam obsoletae dicendae erant. Tamen Tridentinum laborem in hac re completum

perficere non potuit; sed problema theologicum et pastorale adhuc manet insolutum nostris temporibus. Ergo, eo quod pertractatur et desideratur renovatio diaconatus, quaestio etiam agitetur de ordinibus minoribus, qui exigentiis nostrorum temporum, sive in eorum numero sive in eorum functionibus, aptari omnino debent.

Circa collegialitatem episcoporum de qua nn. 16 et 17 cap. II, vellem tamquam argumentum positivum desumptum ex duobus documentis dogmaticis, illa breviter exponere quae iam in doctrina de fide ab Ecclesia definita inveniuntur et a quibus recedere nefas est.

1. Concilium Vaticanum I, antequam supremam et plenam potestatem iurisdictionis magisterii Romani Pontificis in universam Ecclesiam aperte promulgaret, hoc definivit: « ... fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia sive solemni iudicio sive ordinario et universali magisterio tamquam divinitus revelata credenda proponuntur ». Ex actis autem eiusdem Concilii constat verba « universali et ordinario magisterio » designare magisterium ordinarium, quod exercet episcopatus totius Ecclesiae per orbem dispersus.

Ergo pertinet ad fidem divinam et catholicam solemniter definitam episcopatum in communione cum Romano Pontifice habere ex iure divino magisterium supremum infallibile ac proinde auctoritativum in Ecclesia, sive episcopatus doceat congregatus in Concilio, sive per orbem dispersus. Iamvero haec potestas suprema magisterii — eo quod est auctoritativa et authentica — concipi non potest sine vi obligandi. Episcopatus ergo cum et sub Romano Pontifice, habet Ecclesiae supremam potestatem hierarchicam, congregatus in Concilio vel per orbem dispersus. Hanc supremam autem potestatem hierarchicam, non habent episcopi singuli, uti singuli, sed episcopatus quatenus unum corpus efformat.

Inde deducitur episcopis non competere supremam potestatem hierarchicam Ecclesiae, nisi in quantum sunt membra corporis episcopalis, sub et cum eius capite; immo et hanc supremam potestatem eos exercere non posse, nisi in consensu omnium — moraliter universali — inter se et cum Romano Pontifice.

2. Constitutio apostolica *Munificentissimus Deus* Pii XII docet ex universali consensu episcoporum certum ac firmum sumi argumentum quocum probatur aliquam veritatem esse a Deo revelatam, a. v., consensus magisterii ordinarii totius episcopatus per orbem dispersi et cum Romano Pontifice uniti est infallibilis et auctoritativus etiam ante solemnem Romani Pontificis definitionem.

Huiusmodi autem consensus ostendit et supponit episcopos docere

et regere ut constituentes illam unitatem hierarchicam, quae est episcopatus.

Ergo concludendo: ex doctrina Vaticani I et ex constitutione apostolica *Munificentissimus Deus* circa episcopatum ut subiectum potestatis supremae Ecclesiae — cum et sub Romano Pontifice — apparet episcopos habere et exercere hierarchicam potestatem, tamquam membra corporis episcopatus. Si autem episcopi revera unum corpus hierarchicum efformant, certum est hanc realitatem recte exprimi posse per verba « collegium » et « collegialitas ». Ideo structura hierarchica Ecclesiae est et manet semper ex iure divino primatialis simul et collegialis. Dixi.

Textus scripto traditus:

N. 15 cap. II nostri schematis agit *de presbyteris et diaconis*. Et sane, aliter fieri non potuit, cum caput hoc, quid doctrina catholica de Ecclesiae hierarchia sentiat, et in specie de episcopatu exponens, oblivisci nullo modo poterat presbyteratus aut diaconatus. Revera, testante S. Ignatio martyre, sine episcopo, presbyteris et diaconis, non est Ecclesia (*Ad Trall.* 3, 1).

Attamen, n. 15, solas 13 lineas diaconis in specie dedicat. Ex his autem, 8 quaestionem aggrediuntur de diaconatu stabili in futurum instaurando, et 6 naturam diaconatus exponere intendunt. En simplex observatio, quae convenientiam innuere videtur melioris atque accuratioris redactionis textus.

Ad hoc autem, suo tempore faciendum, sequentes observationes humiliter proponere audeo.

1. Mirandum quidem est quod nihil dicatur in schemate *de charactere sacramentali ordinationis diaconalis*. Quod explicite affirmari debuerat, post solemnem promulgationem sacramentalitatis episcopatus factam in n. 14 et post denuo affirmatam sacramentalitatem presbyteratus in eodem n. 15.

Iamvero, hodie omnes theologi concorditer tenent ritum ordinationis diaconalis esse sacramentum. Idque constat, *a*) ex traditione dogmatica, in qua diaconatus apparet institutus ab apostolis ex dispositione divina, tamquam gradus hierarchicus simul cum presbyteris; *b*) ex documentis liturgicis, iuxta quae diaconatus, sicut presbyteratus, confertur impositione manuum, qua datur Spiritus Sanctus; *c*) ex Concilio Tridentino, quod in sess. XXIII, can. 2, 3, 4 et 6 saltem innuit diaconatus sacramentalitatem. De cetero haec doctrina sine dubio supponitur a Pio XII, in constitutione apostolica *Sacramentum Ordinis*.

Desiderandum ergo est, pro ipsorum diaconorum honore in Ecclesia Christi, ut diaconatus sacramentalitas in textu clare affirmetur.

2. Verba schematis nimis *ex angulo iuridico* diaconatum considerare videntur. Quod quidem minus proprium est constitutionis dogmaticae. Revera, quando de functionibus diaconorum in textu sermo fit, in notula 25 *tantum* citantur canones C.I.C.; praeterea diaconi appellantur ministri Baptismi, sed *extraordinarii* et quidem Baptismi *solemnis*; tandem alia officia memorantur a competenti auctoritate in posterum assignanda, per positivam legis determinationem. Quae omnia certe iuridica appellanda sunt.

Iamvero, circa functiones diaconorum proprias multa continentur et in Sa-

cra Scriptura et in antiquissima Ecclesiae traditione. Revera in Actibus Apostolorum diaconi apparent praedicatores (7, 2-53; 8, 5; 21, 8-14), ministri Baptismatis (8, 14) et administratores bonorum ecclesiasticorum in servitio mensae (6, 2-6). In documentis autem primitivae traditionis ecclesiasticae diaconi describuntur, e. g. ut distribuentes Eucharistiam fidelibus (cf. S. Iustin., *Apologia* I, 65-67) et tamquam activam partem agentes in Liturgia, etc. Immo et veluti testis venerabilis traditionis liturgicae, citari posset Pontificalis Romanus, qui diaconos appellat « comministros et cooperatores Corporis et Sanguinis Domini » et eorum functiones esse dicit « ministrare ad altare, baptizare et praedicare ».

Quapropter optandum est ut schematis textus definitivus ita componatur, ut diaconatus in tota sua plenitudine theologica appareat, quam secum ferunt et ordo collatus et gratia recepta et ministeria commissa. Si ita textus ditior fit, diaconi coram populo fideli apparebunt, etsi « non ad sacerdotium, sed ad ministerium » ordinati, iuxta verba documenti « Statuta Ecclesiae antiqua » (c. 4), utique tamen tamquam « sacerdotio ex officio deservientes », prouti loquitur Concilium Tridentinum (sess. XXIII, can. 2).

3. Circa *restaurationem diaconatus stabilis,* multa magni momenti, et quidem in sensu affirmativo, audita sunt in aula conciliari. Revera, una ex rationibus in favorem renovationis illa est quae allata iam fuit a Conc. Tridentino (sess. XXIII, cap. 17, *de reform.*), sc. « ut ministeria nonnisi per constitutos in ordinibus exerceantur ». Alia prostant argumenta: reales nempe exigentiae apostolatus nostrorum temporum, praesertim in illis regionibus ac dioecesibus in quibus defectus sacerdotum difficiliorem reddit curam animarum. Tenendum ergo est — si *universus orbis catholicus* prae oculis habeatur — Concilium portam claudere non debere futurae diaconatus renovationi, ubi id Ecclesiae expedire censuerit.

Attamen circa obligationem caelibatus pro talibus diaconis, solummodo notare vellem aliqua nostri schematis verba aequivocatione laborare. Asseritur enim in lin. 39: « quo in casu *ad praepositos Ecclesiae* spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ». Iamvero, quinam sunt hi *praepositi Ecclesiae?* Si linn. 39 et 8 n. 26 cap. III conferantur, *praepositi* intelleguntur pastores Ecclesiae *singillatim sumpti,* et quidem non exclusis ipsis presbyteris. Si attendatur ad lin. 29 n. 19 nostri cap. II apparebit ibi sermonem fieri de *praesulibus,* qui certe sunt episcopi, etiam *singillatim sumpti.*

Quare, ex ipsis verbis nostri schematis, clare non apparet utrum futuros diaconos stabiles dispensare a lege caelibatus relinquendum sit Apostolicae Sedi, vel singulis episcopis, vel episcopis collegialiter sumptis, ex. gr. in conferentiis nationalibus. Si *iuridice* quaestio haec consideretur vix negari potest eam constituere, *natura sua,* veram *causam maiorem,* supremae Ecclesiae auctoritati reservatam. Attamen unum certe verum manet: in re tanti momenti, verborum claritas omnino exoptanda est.[1]

---

[1] Ratio qua *quaestio de dispensabilitate legis caelibatus* pro futuris diaconis consideranda sit *vera causa maior natura sua,* haec est: quia agitur de disciplina *nova,* constanti traditioni ecclesiasticae occidentis contraria.

Revera, *a*) integra atque indefectibilis traditio Ecclesiae latinae diaconos semper habuit tamquam *homines sacros,* iisdem qualitatibus moralibus praeditos ac episcopi ac presbyteri: constat e. g. ex *1 Tim* 3, 8-13, quae easdem conditiones morales exigit pro diaconis et pro episcopis, praesertim quod sint « unius uxoris viri ».

4. Tandem forte desiderandum esset ut textus nostri schematis, in eodem n. 15, aliqua diceret *de ordinibus minoribus,* qui tamquam diaconatus explicatio seu quaedam prolongatio considerandi sunt. Sane Concilium Tridentinum iam voluit « ut sanctorum ordinum a diaconatu ad ostiariatum functiones, ab apostolorum temporibus in Ecclesia laudabiliter receptae et pluribus in locis aliquando intermissae, in usum iuxta sacros canones revocarentur, nec ab haereticis tamquam otiosae traducarentur ». Et, hac de causa, Patres decreverunt « ut in posterum huiuscemodi ministeria nonnisi per constitutos in dictis ordinibus exercerentur » (sess. XXIII, cap. 17, *de reform.*). Praeter hanc autem rationem theologicam, Concilium Tridentinum veram praeoccupationem pastoralem habuit: hac de causa Patres discussioni subiecerunt quoddam schema, in quo ordinum functiones necessitatibus tunc temporis accommodabantur. Immo et Patrum intentio ac intimum desiderium sequens erat, attestante theologo tridentino Petro de Soto: illos ordines minores, si opus esset, supprimere, quorum necessitas iam amplius non existeret.

Iamvero Concilium Tridentinum laborem in hac re completum perficere non potuit: sed problema theologicum et pastorale hodie remanet adhuc insolutum. Revera, hierarchia ecclesiastica episcopis, presbyteris et ministris constat: « consentaneum enim fuit — sunt verba Concilii Tridentini (sess. XXIII, cap. 2 *de reform.*) — ... ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent ». Ex hoc autem deducendum videtur, ex una parte, conveniens esse ut ministeria ab illis fungantur, qui gratiam ad id habeant in ordinatione collatam et, ex alia parte, ut illi ordines minores supprimantur, quorum functiones iam obsoletae dicendae sunt.

Quapropter, prae oculis habitis his principiis, perutile esset in n. 15 cap. II ordinum minorum mentionem facere, qui quidem et *renovari* et *exigentiis nostrorum temporum,* sive *in eorum numero* sive *in eorum functionibus,* aptari deberent. Hoc pacto, et pristini mores Ecclesiae restituerentur (prouti « desiderium flagrans », iam voluit Concilium Tridentinum) et in missionibus et locis dissitis,

---

b) constans ac perpetua legislatio ecclesiastica, iam a Conc. Illiberitano (a. 300), legem caelibatus semper imposuit eadem gravitate atque eadem obligatione, episcopis, presbyteris et diaconis. Siricius Papa (a. 385) hanc legem appellavit « insolubilem » et Conc. Carthaginensia saec. IV, caelibatus obligationem promulgantia, memoriam faciebant et doctrinae apostolorum et traditionum antiquitatis christianae, (e. g. Conc. Carthag. a. 390).

c) fundamentum theologicum caelibatus, pro diaconis, aliud non est nisi illa « quaedam congruentia decens », de qua loquitur S. Thomas (Suppl. III, q. 53, a. 3) et quae invenitur in functionibus sacris diaconorum propriis. Hac de causa, aiente S. Ignatio M., diaconi sunt « ministri mysteriorum Iesu Christi », « ministri Ecclesiae » (*Ad Trall.* 2, 3); quare S. Polycarpus eos appellat « diaconos Dei » et ministros non hominum sed Dei et Christi (*Ad Fil.* 5).

Ex his clare deducitur diaconorum existentiam in futurum, si hi *coniugati* creantur, constituere non simplicem restaurationem, sed veram *innovationem,* saltem in eo quod statum personalem talium diaconorum se refert.

Quapropter, quia *de causa maiori natura sua* agitur, vel Concilium oecumenicum proclamare debet, sua suprema auctoritate, legem caelibatus futuros diaconos non obligare, vel id relinquendum est futurae Romani Pontificis determinationi.

functiones ordinum minorum propriae ab illis exerceri possent qui illos ordines susceperint.

Circa *collegialitatem episcoporum,* de qua agitur in nn. 16-17 cap. II, argumentum positivum afferre vellem, ex duobus documentis dogmaticis desumptum.

1. Concilium Vaticanum I hoc definivit: « ... fide divina et catholica ea omnia credenda sunt, quae in verbo Dei scripto vel tradito continentur et ab Ecclesia, sive sollemni iudicio sive *ordinario et universali magisterio,* tamquam divinitus revelata credenda proponuntur » (sess. III, cap. III). Ex actis autem eiusdem Concilii constat verba « *ordinario et universali magisterio* » designare magisterium ordinarium, quod exercet Episcopatus totius Ecclesiae per orbem dispersus (*Coll. Lac.* VII, 87, 176).

Pertinet ergo ad fidem catholicam episcopatum in communione cum Romano Pontifice habere ex iure divino magisterium supremum infallibile et auctoritativum in Ecclesia, sive episcopatus doceat congregatus in Concilio, sive per orbem dispersus. Iamvero haec potestas suprema magisterii — eo quod est auctoritativa et *authentica* — concipi non potest sine vi obligandi. Igitur episcopatus cum et sub Romano Pontifice, habet supremam potestatem hierarchicam Ecclesiae — ἱερός ἀρχή, sacrum principatum — sive congregatus in Concilio, sive per orbem dispersus. Hanc autem supremam potestatem hierarchicam, non habent episcopi singuli, *ut singuli,* sed episcopatus quatenus est *unum corpus episcoporum.*

Hoc factum ostendit episcopos efformare verum corpus hierarchicum et eis non competere supremam potestatem hierarchicam Ecclesiae, nisi in quantum sunt membra *corporis episcopalis,* sub et cum eius capite. Immo, hanc *supremam* potestatem exercere non possunt, nisi in *consensu* omnium — moraliter universali — inter se et cum Romano Pontifice.

2. Ex alia parte, const. ap. *Munificentissimus Deus* Pii XII — qua promulgatum fuit dogma Assumptionis B. M. V. — docet *consensum* episcoporum in proponenda determinata doctrina, tamquam divinitus revelata, esse eo ipso infallibilem (*AAS* 22, 1950, pp. 756-757). Huiusmodi autem *consensus* ostendit et supponit episcopos docere et regere ut constituentes illam unitatem hierarchicam, quae est episcopatus.

Inde sequitur episcopos in exercitio pastorali suae potestatis hierarchicae agere debere tamquam membra *unius* episcopatus et proinde in mutuo consensu, tum inter se tum cum et sub Romano Pontifice. Nam eorum potestas ordinatur ad unitatem Ecclesiae in caritate, fide, sacramentis et cultu servandam: sc. habent potestatem *unius episcopatus unius Ecclesiae.* Talem autem unitatem servare non possunt, nisi curent *de sentiendo et conveniendo* cum reliquis membris unius episcopatus in docendo et regendo. Hac de causa, episcopi vere censentur et appellantur « sponsores Ecclesiae », iuxta notissima verba Pii XII.

Ergo concludendo: ex doctrina Vaticani I et ex const. ap. *Munificentissimus Deus* circa potestatem episcopatus, nempe circa episcopatum ut subiectum potestatis supremae Ecclesiae — cum et sub Romano Pontifice — apparet episcopos habere et exercere hierarchicam potestatem, *tamquam membra corporis episcopatus.* Si autem episcopi revera unum corpus hierarchicum efformant, certum est hanc realitatem recte exprimi posse per verba « collegium » et « collegialitas »: quorum conceptus theologicus — hucusque expositus — profundior atque *nullo modo confundendus* est cum conceptu iuridico.

[*Subsignaverunt etiam:*] Marcellus, ep. Asturicensis; Petrus, ep. Huelven-

sis; Vincentius, ep. Celsonensis; José M., ob. (tit.) Drusilianensis; Iosephus, ep. Segobricensis-Castellionensis; Felix, ep. Giennensis; Raymundus, ep. Vicensis; Emmanuel, ep. Cordubensis; Antonius, ep. Gadicensis et Septensis; Raphaël, ep. tit. Dardanus; Franciscus, ep. Victoriensis.

5

EXC.MUS P. D. THOMAS COORAY

Archiepiscopus Columbensis

Venerabiles Patres,

In schemate optima dicta sunt de collegialitate episcoporum in Ecclesia Christi. Cavendum tamen est ne quid erroneum incaute *inducatur* [1] in rebus fidei. Quapropter sequentia humiliter submitto.

Primo. De relatione inter collegialitatem episcoporum et infallibilitatem Romani Pontificis.

Permulta hac de re iam dicta sunt, tamen ad sensum Ecclesiae clare elucidandum iuvabit proferre non tantum opiniones diversas sed easdem opiniones sub diverso aspectu et ex dissitis mundi regionibus.

Unde ad quaedam iam dictis addenda indulgentiam Patrum postulo.[2]

I. Claritatis causa *et ut ordinatim procedam,*[3] sequentia praenotare iuvabit.

Ecclesia Christi cum sit Corpus Christi mysticum, et, dum hoc in mundo peregrinet, extensio quaedam sit seu continuatio *eiusdem* [4] Christi Salvatoris, ea infallibilitate gaudet quae ad eius ministerium salvificum adimplendum necessaria est. Quae infallibilitas diversimode in Ecclesia adesse dicendum est.

a) *Infallibilitas passiva* seu infallibilitas in credendo, nam « portae inferi non praevalebunt adversus eam » ...[5]. Haec infallibilitas in credendo indita est in tota communitate simul sumpta omnium fidelium tam ex clero quam ex laicatu in communione cum Vicario Christi degentium. (Unde praesentia legitima, *dico,*[6] suo modo, etiam fidelium laicorum ut testium fidei in Concilio oecumenico).

b) *Infallibilitas activa* seu infallibilitas in docendo, quae patet ex verbis Christi, « Euntes docete omnes gentes ... et ecce *ego vobiscum sum* omnibus diebus » ...[7]. Haec infallibilitas *in docendo* [8] adest in Ecclesia, *sicut dicimus,*[9] docenti: essentialiter quidem in episcopatu, nam ipse « Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam ...[10] », et per communicationem in sacerdotibus secundi ordinis rite designatis.

(Unde in Concilio oecumenico praesentia etiam activa sacerdotum secundi ordinis, ex mandato Summi Pontificis).

Doctrina de illa duplici infallibilitate totius Ecclesiae, nempe tam in credendo quam in docendo, est certa.

II. Nunc autem quaeritur quaenam sit relatio *in Ecclesia docenti* [11] inter Romanum Pontificem et ceteros episcopos relate ad infallibilitatem...[12]

Quidam putant Romanum Pontificem infallibilitate gaudere solum in quantum est caput collegii episcoporum; a. v., extra collegium episcopale (cuius ille est caput) non dari infallibilitas in docendo.

Humili meo sensu, res clare exponenda est ne gravibus erroribus ansa detur. Notandum ergo est quod ex una parte infallibilitas non influit in Romanum Pontificem *a* [13] collegio episcopali nec directe nec indirecte. Influxus directus haberetur si infallibilitas *esset* [14] v. g. ex delegatione collegii, indirectus vero si mediante collegio ipse Deus eam conferret. Ex altera parte, nullo alio donatur donum infallibilitatis nisi solo Romano Pontifici, qui simul est caput collegii episcopalis. Unde vere dici potest Romanum Pontificem, qui est caput collegii episcopalis, infallibilitate pollere, si simul sine ambiguitate patet ipsum eam recipere directe a Deo et nullo modo a collegio episcopali. Simul fieri debet clara declaratio de modo exercendi illam infallibilitatem. Romanus *enim* [15] Pontifex duplici modo suam infallibilitatem exercere potest: vel coniunctim cum collegio episcopali prout fit aut in Concilio oecumenico aut si Romanus Pontifex consensum episcoporum alio modo obtinet; vel seiunctim i. e. a semetipso absque consensu vel assensu episcoporum eo quod ille non derivat suam potestatem infallibilem a collegio episcopali nec est eius delegatus. Tenetur tamen Romanus Pontifex sequi sensum Ecclesiae, tam credentis quam docentis, qui sensus est idem ac depositum fidei vivum.

In primo casu, *nempe quando loquitur in collegio episcopali,*[16] Romanus Pontifex agit formaliter ut caput collegii episcopalis; in secundo autem casu tantum materialiter. Iuxta tenorem definitionis Concilii Vaticani I, talis videtur esse sensus doni infallibilitatis in Romano Pontifice.

Unde vocare infallibilitatem Summi Pontificis simpliciter infallibilitatem collegialem ansam praebere potest erroribus. Melius esset illam vocare *infallibilitatem vicariam.* Nam illam tum recipit tum exercet, semper ex directa communicatione a Christo, in suo munere Vicarii Christi; *nam Christus,*[17] qui solus *est* [18] ipsa Veritas, est absolute infallibilis.

...[19] Ne dicatur verba « Vicarius Christi » relate ad Romanum Ponti-

ficem recentioris originis *esse historice vel recentioris usus.*[20] Distinguendum est inter nomen et rem. Nomen vero potest esse recentioris originis vel usus (sicut etiam nomen « episcopus »), sed res ab initio Ecclesiae exstabat...[21]

Unde votum meum sic propono:

In genere: clarificetur ut supra doctrina de infallibilitate *in schemate.*[22]

In specie: in pag. 30, lin. 1, ad evitandas ambiguitates, omittantur verba « collegii episcoporum caput »; et in eadem linea post verbum « quando » inserantur verba: « ut Vicarius Christi Supremus et ideo... », ita ut totus textus sic sonet: « Qua ipse per se gaudet Romanus Pontifex, quando ut Vicarius Christi Supremus et ideo ut Supremus Pastor et Ecclesiae Doctor... etc. ».

Eodem modo, *puto, loquendum est*[23] de primatu Romani Pontificis.

Secundo loco. Velim perpauca addere de episcopatu in quantum est sacramentum.

Sacerdotium tam in episcopatu quam in presbyteratu est participatio Sacerdotii Christi. Distinctio autem in hoc fundari videtur, nempe episcopatus est participatio sacerdotii Christi in sua plenitudine. Unde in constitutione apostolica Pii Papae XII in forma sacramenti habentur haec verba: « Comple in sacerdote tuo ministerii tui summam ». E contra presbyteratus est participatio tantum in secundo gradu seu *inferiori*[24] gradu. Distinctio ontologica in eo poni videtur quod episcopatus confert potestatem sacerdotalem plenam tam ordinis (plena sub omni aspectu) quam regiminis (collegialiter *exercendum super totam Ecclesiam,*[25] personaliter ...[26] super suam propriam Ecclesiam), et e contra presbyteratus confert participationem non plenam tam ordinis quam regiminis...[27]

Concludo. Evitandum igitur videtur locutio secundum quam distinctio per se prima inter duos ordines ponitur in eo quod episcopatus est incorporatio in collegio episcopali, quam incorporationem non attingit presbyteratus. Incorporatio seu coniunctio directa et *per se prima et*[28] immediata in utroque casu, quamvis in diverso gradu, est cum Sacerdotio Christi et quidem in Christo et per Christum, tantum ut quaedam sequela, et quidem haud necessaria, incorporatio cum collegio episcopali. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] introducantur. [2] deest. [3] deest. [4] ipsius. [5] (*Mt.* 21, 18). [6] deest. [7] usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 19-20). [8] deest. [9] deest. [10] Dei (*Act.* 20, 28). [11] deest. [12] in docendo. [13] e. [14] sit. [15] deest. [16] deest. [17] deest. [18] ut. [19] Nota. [20] vel usus esse. [21] Neve ulterius dicatur verba « Vicarius Chri-

sti » etiam ceteros episcopos designare. Nemo est quin videat verba illa relate ad alios episcopos non eodem sensu universali praetenda esse. Forsan ad evitandas ambiguitates, Romanus Pontifex vocari potest Vicarius Christi Supremus. [22] deest. [23] loquendum esse videtur. [24] minori. [25] super Ecclesiam universalem... [26] per se. [27] (et hoc secundum, tantum potentialiter). [28] deest.

Moderator: Legatur tertia emendatio.

Secretarius generalis: Ad art. 52. Emendatio tertia: pag. 180, lin. 23 (quae respondent pag. 22, n. 68 huius fasciculi) ... [*cf. pag. 549*].

6

EXC.MUS P. D. IESUS ENCISO VIANA
Episcopus Maioricensis

Venerabiles Patres,

Adhuc de collegialitate episcopatus! Plura omittam quae sinceram in crisim revocant argumenta quae adducuntur pro collegialitate sive apostolorum sive episcoporum et quorum aliqua, humili meo iudicio, vim probandi habent, alia vero non. Pro collegialitate episcoporum unum tantum argumentum probativum audivi, exsistentia nempe Conciliorum oecumenicorum. De hoc legam:[1]

Robustior est argumentatio, quam ex Conciliis oecumenicis desumunt. Liceat de hac mentem meam fusius aperire.

Concilia oecumenica non nisi in saec. IV inceperunt celebrari. Prima concilia particularia locum habuerunt in Asia Minori cum occasione erroris montanistarum, et in illis, non tantum episcopi, sed etiam laici adunabantur. Nonne ratio adunationis erat problemata communia communem solutionem exigere ex communi fide et traditione derivatam? Quia illud problema varias finitimas ecclesias afficiebat, adunabantur episcopi illarum dioeceseon, ut solutiones communes invenirent.

Quando problemata surrexerunt, quae totam Ecclesiam afficiebant, cum difficillimum esset tunc temporis omnes episcopos omnium dioeceseon adunare, celebrabantur plura concilia, ut ita dicam, regionalia, quorum conclusiones vel decreta Ecclesiae inter se communicabant in signum unitatis. Quae conclusiones singulorum conciliorum non semper inter se convenientes erant, sicut accidit in quaestione de Paschate.

Inde evenit ut concilia, quae multo plures episcopos adunabant, maiorem auctoritatem haberent, sicut magna illa concilia, quae saec. III celebrata sunt in Antiochia. Maximam autem auctoritatem habuit con-

cilium, in quo omnes episcopi Ecclesiae praesentes erant, seu concilium oecumenicum. In eo inveniebantur testes fidei totius Ecclesiae et simul omnes doctores totius Ecclesiae, et nec fides totius Ecclesiae falli potest, nec omnes Ecclesiae doctores possunt errare.

Auctoritatem conciliorum ortam fuisse, saltem iuxta mentem illius temporis, ex numero episcoporum adunatorum, videtur probari ex epistola, quam presbyteri romani, sede vacante, scripserunt ad Ecclesias, ut concilia celebrarentur pro quaestione « de lapsis ». Dicunt enim: « Perquam enim nobis et invidiosum et onerosum videtur non per multos examinare quod per multos commissum videatur fuisse, et in unum sententiam dicere, cum tam grande crimen per multos diffusum notetur exisse, quoniam nec firmum decretum potest esse, quod non plurimorum videbitur habuisse consensum. Aspice totum orbem paene vastatum et ubique iacere deiectorum reliquias et ruinas, et idcirco tam grande expeti consilium quam late propagatum videtur esse delictum »...[2]

His praemissis, dico in collegio oecumenico dari verum collegium, *in sensu in quo nunc loquimur, verum collegium* [3] omnium episcoporum Ecclesiae sub Romano Pontifice, et hoc collegium natum esse in determinato momento historico ex natura Ecclesiae. Unde cum Christus Ecclesiam fundaverit, possumus dicere aliquo modo collegium episcoporum originem ducere a Christo; et in hoc sensu collegium episcoporum succedit collegio apostolorum.

III. Limites tamen et facultates huius collegii accurate determinari debent. Iam enim quibusdam placet auctoritatem illam collegialem, quam omnes episcopi Ecclesiae, una cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate haberent, extendere ad coetus regionales. Sic in nova redactione, quam pro nn. 16 et 17 proposuerunt quidam episcopi, et quae in libello impresso emendationum posita est sub n. 27, legitur in pag. 34 ad finem: « Cum autem plures episcopi in peculiaribus coetibus congregantur, ipsomet habitu collegiali, qui proprie episcopatui inhaeret, praediti esse dicuntur, dummodo coetus ipsi cum Romano Pontifice coniungantur et ab illo iuxta ordinem Ecclesiae sanciantur ».

Si enim collegium episcoporum consistit in adunatione *omnium* episcoporum Ecclesiae cum Romano Pontifice et sub eius auctoritate, videtur dicendum illud collegium episcoporum non verificari in coetu episcoporum cuiusdam regionis tantum. Et ideo, si episcopi illius coetus regionalis « in Christifideles eiusdem regionis modo collegiali potestatem exercere valeant », prout in eadem propositione legitur in pag. 35, mihi videtur eos talem potestatem non habere vi collegialitatis, sed ex concessione Summi Pontificis vel Concilii Oecumenici; quamvis certe participatio, quam ipsi habent, in sollicitudine omnium Ecclesiarum pro-

pria collegii episcoporum, aliquam congruentiam offert ut Romanus Pontifex vel Concilium Oecumenicum illam sollicitudinem ad talem regionem dirigat.

Propono ergo ut, antequam de his, quae collegium tangunt, a Patribus suffragetur, clare et praecise dicatur:

1. Quid intelligatur pro hoc collegio episcoporum.

2. Quaenam conditiones requirantur ut tale collegium de facto verificetur.

3. Quaenam sint iura et officia eorum qui tale collegium constituunt.

4. Quaenam relatio huius collegii ad Romanum Pontificem.

5. Quid intendimus per appellationem ad hoc collegium. Nam:

a) Si intendimus auctoritatem dare conferentiis episcoporum, inutilis nobis est doctrina de collegio, quia illae conferentiae non sunt collegium episcoporum, quod ex fontibus cognoscimus.

b) Si autem intendamus ut plures episcopi ex diversis nationibus partem habeant in Curia Romana, non est necessaria doctrina de collegio, quia Curia Romana est simpliciter instrumentum Pontificis pro regimine Ecclesiae.

c) Si intendamus ut Romanus Pontifex habeat secum consilium *consultivum* ab episcopis diversarum nationum efformatum, iterum innecessaria est doctrina de collegio, quia munus collegii non est consultivum, sed decisivum.

d) Si autem intendatur ut Romanus Pontifex secum habeat consilium variorum episcoporum, quod in nomine collegii auctoritatem aliquam exerceat in regimine ordinario Ecclesiae, evidens est hoc consilium auctoritatem Summi Pontificis imminuere, ideoque nemo nostrum potest eum admittere.

Reliqua secretariae tradam.[4] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Facile admitto in Ecclesia, iam a pluribus saeculis, existere quoddam quasi collegium episcoporum.

Sed, quia in documento sollemni Concilii Oecumenici omnia debent maxima cura perpendi, antequam affirmemus collegium episcoporum esse successorem collegii apostolorum, omnia bene ponderanda sunt.

Liceat in antecessum distinguere inter categoriam hominum et collegium. Non omnis, qui pertinet ad aliquam categoriam hominum, pertinet ad aliquod collegium. Ideoque designatio alicuius categoriae non necessario demonstrat existentiam collegii. Sic farmacopolae categoriam quamdam socialem constituunt, et possunt hoc nomine collectivo designari, quin collegium constituant. Si autem munus suum, saltem aliquando, collective exerceant, collegium efformant.

Dico ergo:

I. *Apostoli collegium efformabant.* Hoc non probatur ex terminis « duo-

decim » vel « apostoli », quibus designantur in N. T., quia sunt nomina, quae simpliciter designant aliquam categoriam, quam Iesus fundavit, quando elegit duodecim ex ipsis, quos et apostolos nominavit (*Lc.* 6, 14).

Probatur tamen ex actionibus eorum collectivis, e. g. ex missione Petri et Ioannis in Samariam. Legimus enim: in *Act.* 8, 14: Cum autem audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem ». Est evidenter actio collegialis.

II. *Non clare apparet collegium episcoporum successisse collegio apostolorum.* Quidam intendunt hanc successionem probare, dicentes:

a) Episcopi sunt successores apostolorum. Atqui id tantum intelligi potest de successione collegii apostolorum per collegium episcoporum. Ergo collegium episcoporum est successor collegii apostolorum.

Sed negatur minor. Ratio, quae adducitur ad eam probandam, solum demonstrat categoriam episcoporum successisse categoriae apostolorum; sed non probat episcopos apostolis successisse etiam in collegialitate.

b) Insistunt: Si quis diceret posse esse collegium apostolorum, quin habeat in collegio episcoporum successorem, idem etiam dici posset de Petro quoad primatum.

Sed nego paritatem. Dari in Ecclesia aliquem successorem primatus Petri, sequitur ex verbis ipsis promissionis primatus; petra enim fundamentalis Ecclesiae tamdiu necessario existere debet, quamdiu Ecclesia perduret; secus Ecclesia destrueretur. Sed non possumus idem dicere de collegio episcoporum, quamvis utique de episcopis.

c) Ex traditione adducuntur nomina quaedam a S. Cypriano et aliis adhibita, ut sunt « corpus », « collegium », « ordo ».

Sed haec nomina satis explicantur per illam realitatem, quam appellavi categoriam, nisi demonstretur agi de categoria personarum, quae munus suum exercent collective. Immo verba S. Cypriani, quae afferuntur in nota 28 schematis, loquuntur de *corpore sacerdotum*; unde si aliquid probarent, deberemus dicere existere in Ecclesia corpus sacerdotum. *d*) [2] (Cyprianus, *Ep.* XXX, 5: CSEL, 2, pag. 553, linn. 13-22). [3] deest. [4] IV. Quamvis Romanus Pontifex sit caput collegii episcoporum, non tamen negandum est eum esse etiam caput totius Ecclesiae, etsi alio modo et alio sensu ac Christus.

Utrumque enim, et Christum esse caput Ecclesiae, et Romanum Pontificem esse caput Ecclesiae, metaphorice dicitur, sed secundum duas metaphoras diversas. Christus dicitur caput Ecclesiae secundum metaphoram corporis, in quo caput determinata munera biologica exercet. Romanus autem Pontifex, secundum metaphoram domus et societatis; quod enim in domo est fundamentum, est in societate suprema auctoritas, quae vulgo appellari solet caput; sic loquimur de capite status.

Ergo *caput* de Christo et de Romano Pontifice praedicatur, non univoce, sed analogice vel etiam aequivoce.

V. *Emendationes quaedam.*

Ad n. 11. In lin. 10 iterum dicitur Christum fundasse Ecclesiam super Petrum et apostolos. Sapienter de hoc disseruit em.mus card. Ruffini et alii episcopi post eum, quorum doctrinam accipio, eorum dictis addens textum *Apoc.* 21, 14 non agere de Ecclesia militanti, sed de Ierusalem caelesti, in qua apostoli

dicuntur fundamentum, non civitatis ipsius, sed muri eius. Non potest ergo adduci in nostro casu.

Sed et in lin. 13 textus redactus est ita, ut Conc. Vaticanum I videatur dixisse missionem apostolorum fuisse primum actum in aedificatione Ecclesiae; dum reapse in constitutione *Pastor Aeternus* hae duae ideae variis aliis interiectis separentur.

Ad n. 13. Textus biblici, qui adducuntur in paragrapho secunda huius numeri, non probant successionem in apostolatu, sed potius facultates describunt, quas apostolus suis collaboratoribus transmittebat. Unde, antequam tales textus afferantur, probari debet factum successionis in apostolatu, quod clarius apparet in traditione et inniti potest documentis Clementis Romani et Irenaei. Sic ergo in prima paragrapho necessitas successionis statuatur, sicut fit in linn. 15-26. In secunda, factum successionis demonstretur ex traditione. In tertia autem ex indiciis, quae in epistolis pastoralibus S. Pauli inveniuntur, et factum successionis confirmetur, et facultates successorum describantur.

Ad n. 14. Quod in lin. 21 dicitur de charactere sacramentali, omitti debet, quia tangit quaestionem disputatam, quam Concilium sine accuratissimo studio dirimere non potest.

Pro linn. 8-25 magis mihi placet textus propositus ab arch. Baudoux, qui in foliis impressis numerum habet 222.

Ad n. 15. Hic numerus convenienter poneretur in fine totius capitis, ne tractatio de episcopis intercidatur.

In lin. 6 pag. 26 non dicatur « In sacrificio Missae *offerendo* », sed *peragendo* vel aliud simile, quia etiam fideles offerunt sacrificium Missae.

In lin. 39 « praepositos Ecclesiae » est expressio nimis vaga. Potius dicamus « ad supremam Ecclesiae auctoritatem ».

7

EXC.MUS P. D. IOANNES GAY
Episcopus Imae Telluris et Pointapitrensis

Venerabiles Patres,

1. Paene omnia vel dicta vel scripta sunt, relate ad *diaconatum,* in quantum est « proprius ac permanens gradus hierarchiae », sicut exstabat in primordiis Ecclesiae.

Hodie, tale problema non amplius recusari vel ignorari potest.

Quis enim non videt beneficia, quae ex hac renovatione antiquae disciplinae provenirent, ex restitutione illius ordinis diaconatus, qui divinitus institutus est, et qui non solum tamquam « gradus quo ad sacerdotium ascenditur » exsisteret, sed illa propria autonomia polleret, quam semper habuit in Ecclesia orientali? Quanta utilitas pro nostra hodierna Ecclesia, quae in « statu missionis » constituitur, quae multis indiget sacerdotibus, si tales diaconi in prima acie invenirentur?

Aliquae tamen difficultates huius quaestionis remanent, speciatim illa quae sequitur: Dum iam a millenario subdiaconatus in Ecclesia occidentali pro ordine castitatis habetur, numquid timendum est ne gravis difficultas ex eo proveniat, quod adsint alumni, qui sese ad diaconatum praeparant cum intentione familiam condendi? Nonne adest aliud periculum ne, ex tali coniunctione, vocationes ad sacerdotium, iam numero decrescentes, adhuc rariores evaderent?

In suo inaugurali discursu ad Congressum Apostolatus Laicorum, anno 1953, sic aiebat Papa Pius XII: « Scimus aliquos ad id tendere, ut ordo quidam diaconatus, tamquam munus ecclesiasticum a sacerdotio plene distinctum, in praxim inducatur. Talis conceptus, saltem nostris temporibus, non adhuc maturus est ».

Sed forte possibile erit, secundum votum em.mi card. Richaud, ut Concilium praesens conferat ad talem maturitatem promovendam.

2. Attamen, nonne praesens Concilium faustam occasionem praeberet ordines minores renovandi, *sicut iam hodie locutus est unus ex praecedentibus oratoribus,*[1] in sensu iam a Concilio Tridentino exoptato?

In can. enim 17, idem Concilium ratam habuit accessionem virorum desponsatorum ad ordines minores, modo valde explicito; sic ait: « Quodsi ministeriis quatuor minorum ordinum exercendis clerici caelibes praesto non erunt, suffici possint etiam *coniugati* vitae probatae, dummodo non bigami (i. e. qui alterum matrimonium non inierunt) ad ea munia obeunda idonei, et qui tonsuram et habitum clericalem in ecclesia gestent ».

Quo in casu, iam non haberetur illa difficultas quae nonnullis videtur obstare quominus homines, vinculo matrimonii adstricti, ad Ordinem diaconatus admitterentur.

Quapropter, dum conatur diaconatum in suum pristinum valorem restituere, et antequam ad universalem Ecclesiam extendatur, quaeritur utrum tempus non adsit maiorem aestimationem concedendi sic dictis Ordinibus minoribus qui, de facto, hodie, minore consideratione pollent.

Quaestio etiam sustentationis illorum minoratorum generatim facilius solveretur quam pro diaconis, quia facilius alium laborem remuneratum assumere possent, si ad servitium Ecclesiae non toto tempore adhiberentur.

Ministeria ergo coniugatis minoratis commissa, velut actio liturgica, Actio Catholica, beneficentiae opera, instructio religiosa fidelium, publicae communicationis media, etc., in hoc sensu de novo ac modo nostris temporibus accommodato, excogitanda ac determinanda videntur.

Sane, non sine praevia solida formatione ad ordines minores admit-

tendi essent, etsi minus completa et minus dispendiosa quam illa diaconorum.

Denique, si nova formula diaconatus in magnis civitatibus et in regionibus valde evolutis magna sine difficultate acceptari posset, in regionibus missionum Ordines minores facilius adoptarentur.

Et hic nobis liceat in mentem revocare, coram 50 episcopis vel praefectis apostolicis Congregationis Sancti Spiritus in hac aula praesentibus, quod iam plus a saeculo ...[2], in suo Libello ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide, venerabilis Pater Libermann, qui in tantis quaestionibus relate ad missionum regimen, tamquam praecursor considerandus est, hanc iam solutionem de admissione virorum etiam coniugatorum ad Ordines minores proponebat, quam ad perantiquam praxim Ecclesiae connectebat.

3. *Conclusio.* Aestimamus quod renovatio Ordinum minorum est alicuius momenti, et illam subicimus benevolentiae vestrae, venerabiles Fratres, atque Commissionis competentis attentioni.

Et audemus exoptare ut haec propositio respiciens Ordines minores, iam a Concilio Tridentino resoluta, locum inveniat in textu schematis, simul cum propositione relativa ad Ordinem diaconatus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (1840).

Moderator: Legatur quarta emendatio *de Liturgia.*

Secretarius generalis: Ad art. 57. Emendatio quarta: pag. 181, linn. 12-15 (quae respondet pag. 23, n. 73, parti I, huius fasciculi) ... [*cf. pag. 549*].

Moderator: Invitantur Patres, qui in aula non sunt, ut redeant, propter aliquam communicationem paucis in minutis tradendam.

8

EXC.MUS P. D. DINUS ALOISIUS ROMOLI

Episcopus Pisciensis

Venerabiles Patres,

Verba facere intendo ...[1] de diaconatu instaurando tamquam ordine sacro per se exstante et de facultate facienda Ecclesiae praepositis diaconos sic constitutos a sacra lege caelibatus dispensandi.

Animadversiones pro et contra hoc propositum prolatae sunt.

Mihi liceat dicere contra.

Argumenta ne repetam aliorum, unum quid addere volo ad sententiam meam propugnandam et hoc est quod, semel admisso coniugio pro diaconis, periculum foret ne aliqui, etiam ex iis qui iam sacerdotio aucti sunt et ministerium sacerdotale exercent, impetu passionum sollicitante et premente, velint retrorsum redire, et, accepta muliere, ad diaconatum confugere tamquam ad naturalem exitum suae ipsorum crisis spiritualis.

Unde, omnino insidiis plena esset haec relaxatio et ob hanc quoque rationem vulnus recte ipsa diceretur in sacra lege caelibatus.

Non nego vim considerationum illorum qui hanc positionem impugnant seu illi contradicunt. Equidem verum est quod diaconi, utpote qui charactere et gratia sacramentali ditati sint, aptiores per se inveniuntur, quam simplices catechistae ad certa munia infra officia sacerdotalia implenda in bonum et salutem fidelium. Nec ideo ullam habeo obiectionem contra diaconos permanentes, firma tamen pro ipsis manente lege caelibatus.

At si huic sacro tam antiquo et tam venerabili instituto quoad diaconos derogetur, timeo ne mala quae sequentur maiora sint bonis fructibus qui exspectantur.

Prudenter edicitur practicam effectionem huiusce concessionis vel licentiae circumscribendam fore illis regionibus ubi vera atque gravis urget necessitas ministrorum.

Sed quum concilium oecumenicum, solemnitate qua pollet, sententiam ediderit de re, statuendo, publico et generali decreto, ipsam possibilem, immo opportunam et utilem esse, certis conditionibus, nonne putatis, venerabiles Patres, hunc actum cassam reddere optatam limitationem et e contrario favere increbescentiae et dilatationi moris illius?

Quapropter melius foret, meo humili iudicio, controversiam submittere disciplinae Apostolicae Sedis, quatenus ipsa, singulis casibus sibi propositis, omnibus mature perpensis, decernat quicquid faciendum sit.

Quaestio non fit, nec fieri potest, de aperienda vel claudenda porta, ut hesterna die audivimus, ad providendum curae animarum, sed potius de aperienda *illa* porta qua iter arripiatur rectum, tutum, securum, etsi longius et magis arduum, ad obtinendum illum finem; de claudenda vero alia qua iter arriperetur, facilius quidem et expeditius, sed forte fictum, fallax, absonum, perducens ad exitium.

Unum verbum addendum censeo quoad argumentum partis adver-

sae desumptum ex principio oecumenismi. Optimum quidem erit rationes exquirere ad finem illum consequendum, et quidquid inservit ad hoc ut conspiremus cum fratribus seiunctis magni sane pretii faciendum est, dummodo ne afferat nobis detrimentum. Secus cum videremur construere, revera destrueremus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] de n. 15 cap. II, pag. 26, linn. 28 ss. seu.

Moderator: Audire velint Patres! Adhuc oratores de cap. II supersunt numerosi, ita ut saltem per tres ulteriores dies discussio protraheretur.

Visum est moderatoribus, ad normam art. 57 § 6, quaestionem vobis esse ponendam: « Utrum placeat Patribus hodie finem imponere discussionibus circa caput II? ». [*Plausus in aula*].

Velint Patres, quibus talis propositio placet, surgere, ita ut melius daretur indicatio.

[*Plerique Patres surgunt*].

Gratias! [*Plausus in aula*].

Nunc vero velint Patres, adhuc inscripti, emendationes in scriptis tradere, salvo iure de quo in art. 57 § 6, quod vellem legere, pag. 46 in *Ordine Concilii*: « Disceptationi diutius protractae moderator finem imponere potest, probante maioris partis Patrum praesentium suffragio, servata autem semper loquendi facultate em.mis cardinalibus necnon Patribus, qui, nedum nomine proprio, sed nomine quoque aliorum saltem quinque Patrum eamdem facultatem petierint; fine vero disceptationis decreto, minor Patrum pars, quae maiori contradixit, potest adhuc tres oratores etiam inter peritos conciliares designare, cum facultate decem quoque momenta excedendi ».

Nunc vellem aliud nuntium vobis tradere.

A perpluribus Patribus rogatum est ut in fine discussionis cap. II quaedam votatio habeatur de praecipuis argumentis cap. II, ita ut quoad maiora problemata pateat generalis mens Patrum.

Feria proxima, in aula, accipietis folium cum quatuor votis vobis propositis: quae vota intendunt dare commissioni theologicae orientationes seu normas directivas pro ulteriori elaboratione schematis, ita ut labor commissionis facilius et clarius progredi possit.

Textus votorum vobis cras dabitur, sed votatio de eis fiet tantummodo feria V. Gratias!

Legantur exitus suffragationum *de Liturgia.*

Secretarius generalis:

Emendatio I capitis III:

Praesentes votantes		2.239
Dixerunt	*placet*	2.224
	non placet	12
	placet iuxta modum	1
Suffragia nulla		2

Emendatio II:

Praesentes votantes		2.159
Dixerunt	*placet*	2.103
	non placet	49
	placet iuxta modum	3
Suffragia nulla		4

Emendatio III:

Praesentes votantes		2.100
Dixerunt	*placet*	2.058
	non placet	42

Ergo omnes tres emendationes placuerunt. Exitus quartae crastina dabitur.

9

Exc.mus P. D. IOANNES MAZUR
Episcopus tit. Bladiensis, aux. Lublinensis

Em.mi et exc.mi Patres conciliares,

Audeo humiliter proponere aliquam additionem, parvam quidem quantitate, sed non parvi momenti — ut puto — in n. 13 cap. II schematis *de Ecclesia,* in sententia a lin. 17 ad 21 pag. 24: de episcopis successoribus apostolorum.

In dicto loco scriptum est: « Quapropter Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores, eadem divina potestate, non quidem eam fundandi sed sustentandi et pascendi praeditos ».

At propono in ista assertione, in lin. 20, post verba: « ... non quidem eam fundandi sed... », addere verbum « dilatandi », et sententiam hanc ita exprimere: « Quapropter Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores, eadem divina potestate, non quidem eam fundandi sed dilatandi, sustentandi et pascendi praeditos ».

Et probo: magis consentaneum esse videtur:

1. cum Domini mandato apostolis et eorum successoribus tradito: « Euntes docete omnes gentes ... etc. » ...[1];

2. cum officio successorum collegii apostolici, cui fuit commissum officium Ecclesiae fundandae, nunc autem successoribus officium Ecclesiae dilatandae;

3. cum can. 1350 § 1 C.I.C., ubi dictum est: « Ordinarii locorum et parochi acatholicos, in suis dioecesibus et paroeciis degentes, commendatos sibi in Domino habeant »;

4. cum assertionibus huius cap. II schematis *de Ecclesia,* e. g. n. 14, linn. 26-30 pag. 25 ...[2]; et n. 17, linn. 31-37 pag. 28: « Cura Christi Evangelium annuntiandi ubique terrarum ad corpus Pastorum pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium, ut iam Papa Caelestinus Patribus Ephesini Concilii commendavit. Unde liquet, etiam si suprema ordinatio operis missionum ad Romanum Pontificem pertinet, omnes tamen episcopos, quantum eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem cum eo venire, eique adesse debere. Missionibus auxilia spiritualia, humana et materialia, tam per se directe, quam suscitando fidelium ardentem cooperationem, suppeditare omnibus viribus debent »; cum n. 21, linn. 30-39 pag. 31: « Pro animabus eorum rationem redditurus Deo ...[3] oratione, praedicatione et caritate curam habeat tum eorumdem, tum etiam illorum qui inter populum suum degentes de uno ovili nondum sunt, quos in Domino commendatos sibi habeat. Ut Paulus apostolus sapientibus et insipientibus debitor est, et promptus sit omnibus evangelizare ...[4], fidelesque suos ad operositatem apostolicam et missionalem universalem exhortari... ».

5. Est etiam aestimatio actionis episcoporum omnium, qui non solum fideles docent et sustentant, sed etiam in dioecesibus suis laborant, ut indifferentes, infideles et magis etiam impugnantes Christum ad eum convertantur et in Ecclesiae sinum ingrediantur.

6. Officio correspondere potestatem necesse videtur.

II. Super problema autem presbyteratus liceat mihi, cum multis aliis consentienti, humiliter suadere, ut hoc profundius atque latius saltem a commissione denuo redigente, in schemate *de Ecclesia* pertractetur et eo ipso sacerdotii dignitas et splendor magis refulgeat, non solum nunc, in hac sancta aula, sed etiam postea in tota Ecclesia.

Est enim et ratio pastoralis. Vocationes nempe sacerdotales fere ubique diminui vel non esse sufficientes omnibus notum est. Restauratio diaconatus has difficultates hodiernas non resolvet, nam diaconi — ut alii iam dixerunt — neque sacramentum Poenitentiae administrare, ne-

que fontem sanctificationis nempe sacrificium Missae offerre poterunt. Sacerdotes necessarii sunt ad munus Ecclesiae adimplendum et necessarii erunt. Et finem laboris Concilii etiam augmentum vocationum sacerdotalium esse debere nobis evidens est.

At actualis praesentatio presbyteratus in schemate dignitatem et splendorem eius adumbrare potius et eo ipso (in quantum sit) vim attrahentem sacerdotii debilitare videtur. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] *Mt.* 28, 19-20. [2] « In episcopis quibus presbyteri assistunt, Christus Dominus singulariter Ecclesiae suae vivificandae praesens est, ut imprimis per eorum eximium servitium verbum fidei et sacramenta fidei continuo Ecclesiae administret, eorum paterno munere nova membra Corpori mystico regeneratione spirituali incorporet... ». [3] (cf. *Hebr.* 13, 17). [4] (cf. *Rom.* 1, 14).

Moderator: Loquatur nunc, per modum conclusionis, relator, em.mus D. card. Browne.

Crastina die, discussio incipiet a cap. III prouti iacet (erit conficiendum novum, sed discussio fiet prout iacet). Et congregatio proxima erit die proxima.

RELATIO EM.MI P. D. MICHAËL CARD. BROWNE

Em.mi Praesides et Moderatores, venerabiles Patres,

In fine amplae discussionis quae in congregationibus generalibus facta est circa cap. II schematis *de Ecclesia,* liceat mihi attentionem vestram humiliter petere dum vobiscum breviter considero quaedam maioris momenti respectu eorum quae in hoc capite continentur.

Fuit anxia cura commissionis conciliaris ut, in his quae dicuntur circa collegialitatem episcoporum, nihil poneretur quod vel minime laederet doctrinam, in Concilio Vaticano I definitam, circa primatum Romani Pontificis. Haec doctrina tanti momenti est ut in prooemio constitutionis dogmaticae *Pastor Aeternus,* Concilium Vaticanum I non haesitavit declarare quod in eodem primatu Romani Pontificis totius Ecclesiae vis et soliditas consistit.

Conscii fuimus de quodam periculo latente in usu non discriminato vocis « collegii ». Haec vox, si sumatur in sensu omnino stricto, prona esset ad significandam societatem hominum eiusdem dignitatis. *Sed, ut puto, haec vox potest quoque habere sensum largiorem seu generaliorem, et*[1] secundum doctissimum Foscellini, sensus proprius eius est societas hominum eiusdem *dignitatis, muneris vel artis.* Ex magno

thesauro totius linguae latinae Academiarum Germanicarum, sensus vocis « collegii » est conventus seu societas hominum legibus probata; *et in praesenti casu, lex probans — atque hoc saltem videbatur sensus commissionis — lex probans esset lex Christi, lex divina, lex evangelica.*[2] In isto largiori seu generaliori quodam sensu vox « collegium » debet sumi in ...[3] cap. II dum sermo fit de collegio episcoporum, cuius Romanus Pontifex est caput. Sub isto sensu, nullo modo Romanus Pontifex est merus primus inter pares, sed remanet pastor et rector supremus etiam suorum fratrum, episcoporum scil., sive singulatim sive collective sumptorum.

Praedicta doctrina primatus Romani Pontificis clare servatur quoad potestatem collegialem — *ab omnibus admissam*[4] — in Concilio oecumenico. Concilium enim oecumenicum legitimum non esset nisi convocetur a Romano Pontifice; et acta eiusdem *nullum haberent*[5] valorem nisi ex eius approbatione. Attentissime curavimus *pro posse nostro,*[6] ut eadem doctrina servaretur pro casu exercitii potestatis collegialis dum episcopi sunt per orbem dispersi. Inseruimus enim in pag. 27, linn. 34-39, verba quae sequuntur: « Eadem potestas collegialis una cum Papa exerceri potest ab episcopis in orbe terrarum degentibus, *dummodo caput collegii eos ad actionem collegialem invitet, vel saltem episcoporum dispersorum unitam actionem approbet vel libere recipiat, ita ut verus actus collegialis efficiatur* ».

Attentis omnibus quae a venerabilibus Patribus in congregatione generali dicta sunt, erit *evidenter*[7] nostra attenta cura in revisione cap. II, ut ita caveatur de omnibus phrasibus quae in eo inveniuntur, ut doctrina de primatu iurisdictionis Romani Pontificis non solum servetur sed ut semper magis fulgeat. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Tamen. [2] deest. [3] nostro. [4] deest. [5] non habent. [6] deest. [7] deest.

Secretarius generalis: Audiant omnes! Possum etiam hodie dare exitum quartae suffragationis:

Praesentes votantes		2.178
Dixerunt	*placet*	2.143
	non placet	35

Placuit.

Em.mus P. D. Eugenius card. Tisserant: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

CONGREGATIO GENERALIS XLIX

16 octobris 1963

CONGREGATIO GENERALIS XLIX

16 octobris 1963

Exc.mus P. D. PERICLES FELICI, arch. tit. Samosatensis, *secretarius generalis Ss. Concilii*:

Praesidet huic congregationi generali 49 em.mus ac rev.mus D. card. Gregorius Petrus Agagianian.

Quidam Patres petierunt a Sanctissimo Domino facultatem celebrandi Missam, diebus scilicet congregationis generalis, sine acolytho, sine clerico. Sanctissimus Dominus ita accepit hanc postulationem ut Missa celebrari possit dummodo in ecclesia vel in loco, ubi Missa celebratur, aliquis sit fidelis vel alius sacerdos celebrans.

Communico Patribus pium decessum exc.mi D. Dominici Vendola, ep. Lucerini, pro quo recitabimus simul *De profundis*.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: *De profundis clamavi ad te, Domine* ... etc. (alternatim cum Patribus, cum versiculis et oratione).

Moderator: Venerabiles Patres, aliqui Patres conciliares petierunt adhuc loqui super cap. II *de Ecclesia,* non quidem nomine proprio sed nomine aliquot aliorum Patrum. Fit proinde eis facultas loquendi ad normam art. 57 § 6, ut heri nuntiatum fuit.

Propositio autem et suffragatio de quibusdam normis directivis, ut pariter heri collegium moderatorum nuntium dedit, in aliam diem differtur.

Secretarius generalis: Leguntur igitur nomina Patrum qui, ut em.mus moderator dixit, verbo uti petierunt adhuc circa cap. II schematis *de Ecclesia*: exc.mi DD. Ioachim Ammann, ep. tit. Petnelissensis, Angelus Jelmini, ep. adm. ap. Luganensis in Helvetia, Petrus Carretto, ep. vic. ap. Raiaburiensis in Thailandia, Aloisius Henriquez, ep. aux. Caracensis in Venezuela, Elias Zoghby, vic. patr. Melchitarum in Aegypto, Ioannes Van Cauwelaert, ep. Inongoënsis in Congo, Vedastus Jacquier, ep. aux. Algeriensis in Algeria, Thomas Holland, ep. coad. Portus Magni in

Anglia, Renatus Kérautret, ep. coad. Engolismensis in Gallia, Bernardinus Echeverria, ep. Ambatensis in Aequatore, Caesar Mosquera, arch. Guayaquilensis in Aequatore.

Interea prosequentur suffragationes, more solito, circa schema *de sacra Liturgia,* cap. III.

1

Exc.mus P. D. IOACHIM AMMANN

Episcopus tit. Petnelissensis

Em.me Praeses, in Christo Patres humillimi,

Patres conciliares assensum paene unanimum manifestaverunt ut disceptatio de cap. II schematis *de Ecclesia,* in quo agitur etiam de necessitudinibus quae intercedunt inter Summum Pontificem et episcopos, finiretur.

Parcite mihi, venerabiles Patres, si in hoc contextu quaedam iam non dicta mihi addenda videntur de aliqua institutione particulari *quae* [1] his necessitudinibus rite excolendis inservire deberet. Reapse iam de ea pauca locutus est exc.mus patr. Gori, agens de momento Nuntiorum et Delegatorum Apostolicorum.

Ne falso intelligar, haec praemitto:

1. Non sum alicuius conferentiae episcopalis membrum. Attamen non pauci Patres conciliares mihi ipsorum assensum manifestaverunt. Quinque eorum nomina secretariatui generali in scriptis tradidi...[2]

2. Non volo asserere aliquam thesim, sed potius ponere aliquam quaestionem, secundum adagium quod toties in Africa audivi: « Kuuliza si kosa », i. e. « quaerere non est peccatum ».

3. Alienissimum a me est aliquod iudicium de personis ferre. Scio quantae virtutis quantique meriti sint confratres in episcopatu, qui his officiis funguntur. Loquar unice de institutione qua tali.

4. Quod autem animum mihi addit huiusmodi quaestionem in contextu cum cap. II huius schematis ponere est ipsum monitum Sanctissimi Patris nostri Pauli Papae VI, feliciter regnantis. Ipse in sua allocutione diei 29 septembris edixerat: « Vult Ecclesia in Christum imaginem suam inquirere. Si quid umbrae... post hanc contemplationem in vultu suo, in sua veste nuptiali animadverterit, quid *sponte* et *strenue* ei est agendum? ». Et respondit ipse Summus Pontifex: « Ut liquet, nihil aliud spectet opus est, nisi se... corrigat, se ad congruentiam

referat cum divino archetypo suo ... ut Ecclesia vultum suum *universo* mundo ostendere poterit ... necesse est ut fidelitas erga Christum *planius* exploretur. Emendandae sunt labes quae humanitatis sunt infirmitatis ».

Minime utique praetereundum est aliud monitum Beatissimi Patris: cavendum est, ne traditiones Ecclesiae transcindantur in iis quae sunt potissima et venerabilia.

His praemissis, en ipsae quaestiones:

1. Pertinetne institutio Nuntiorum, Internuntiorum et Delegatorum Apostolicorum, quatenus sunt « repraesentantes diplomatici Sanctae Sedis », ad illas traditiones « potissimas et venerabiles » quas transcindere minime liceat?

Non paucis videtur illud institutum, prout *imitatur* instituta diplomatica potestatum saecularium, *hodie* potius pertinere ad illas « umbras », quae hominibus nostrae aetatis *veram* faciem Ecclesiae *abscondunt.* Illud institutum « repraesentantium diplomaticorum » in *plurimorum* oculis reddit Ecclesiam Christi *similem* potestatibus saecularibus, et nonobstantibus declarationibus contrariis, *permultos* (etiam christifideles) facit credere Ecclesiam catholicam esse partem in uno alterove campo disceptationum politicarum et socialium.

2. Nonne quaerere oportet, utrum advenerit tempus transferendi munera ecclesiastica-religiosa illorum « repraesentantium diplomaticorum » ad patriarchas, primates, episcopos, vel ad illos viros quos singulae conferentiae episcopales ad hoc elegerint?

Huiusmodi viri cognoscerent multo intimius traditiones, culturam, linguam, mentem singularium regionum, et melius Romae — in ipso centro ac corde *totius* [3] Ecclesiae — de conditionibus proprii territorii referre possent. Et minime negatur res *vere* extraordinarias posse requirere media extraordinaria. Quod autem pertinet ad tractandas illas *multas* [4] quaestiones, quibus Ecclesia cum *rebus saecularibus* multifariam nectitur, hierarchia localis seu territorialis talia munera utilius committere posset egregiis, nempe viris *peritis* ex laicatu, i. e. confessoribus, sed non necessario pontificibus.

3. Cogimurne ulla auctoritate biblica vel theologica (aut experientia), ut putemus maiorem fiduciam ponendam esse in formatione recepta in schola diplomatica, quam in episcopis, quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei?

Si quae conclusio proponenda est, dicendum erit, supradictas institutiones, quae sine ullo dubio suo tempore meritoriae fuerunt et quae propterea respectum et gratitudinem merentur, *funditus* esse *reconsiderandas* ac *corrigendas...*[5]

Interrogavi. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] nempe de collegio episcoporum qui sunt « repraesentantes diplomatici S. Sedis », quod collegium. [2] (loquor et quidem ad exonerandam conscientiam). [3] deest. [4] deest. [5] (et, quantum necesse est, reponendas in illa receptacula, ubi acta historica et venerabiles reliquiae conservantur).

2

EXC.MUS P. D. PETRUS CARRETTO

Episcopus tit. Zenobiensis, vic. ap. Raiaburiensis

Venerabiles Patres,

Liceat nobis, episcopis Thailandiae et Laos, haec paucissima dicere de iis quae cap. II, par. 15 de diaconis dicuntur.

Iis omnibus [1] toto corde assentio, nam fere universali experientia constat in Ecclesia catholica, praesertim in locis missionum, sacerdotes non sufficere, nedum ad septa Ecclesiae dilatanda, sed nequidem ad fideles servandos iam in Ecclesiam receptos. Cum vero hae temporum conditiones non cito meliores evasurae praevideantur, institutio alicuius ministerii, quod apte diaconatus vocabulo venire potest, utilis et immo necessaria videtur.

In hac restauratione diaconatus *vel alicuius ministerii,*[2] quaestionem de caelibatu facere inutile videtur. Diaconatum cum caelibatu qui est praeparatio ad sacerdotium iam habemus, sed non solvit problema carentiae operariorum evangelicorum. Operariis evangelicis indigemus in adiutorium sacerdotum. Illos quaerere debemus inter coniugatos. Haec spes nostra, haec multiplicatio prodigiosa virium christianarum ad regnum Patris extendendum.

Hodie, *e. g.*[3], in Laos iam habemus viros optimos qui se conferunt quo sacerdos non potest ire; baptizant, matrimoniis adsistunt, etiam de conditionibus in matrimoniis disparitatis cultus diiudicant, Sacras Species afferunt, die dominico coetum coadunant, et preces in communi dirigunt. Nonnulli ex eis, vere Stephani vel Laurentii, vitam suam pro Christo dederunt; non pauci nunc in carcere degunt. Quod hi laici, cum minima praeparatione, tempore belli et persecutionis faciunt, melius facient tempore pacis — *et belli* [4] — eo magis si gratia diaconatus corroborentur.

Ut autem huius ministerii institutio, cuius munera praecipua optime pag. 26, linn. 28-33 delineata habentur, vere utilis et efficax evadat, haec breviter suggerenda censemus:

1. Quinam apti ministri? Sat facile est ubique in christianis com-

munitatibus inveniri viros omni laude dignos, aetate provecta, sanctitate vitae coniugalis christianae elucentes, qui, spiritu apostolatus moti, aptos ministros futuros esse spem dent.

2. Optandum tamen ut ii tantum inter hos deligantur qui oeconomica, ut aiunt, independentia gaudent, ita ut habeatur puritas intentionis in ministerio, et Ecclesia ipsa eorum sustentationis onere non gravetur. Hoc facto excluditur necessitas beneficiorum, quin fas non sit communitati casibus peculiaribus, ab episcopo definiendis, aliquomodo subvenire.

3. Analogice ad ea quae S. Paulus habet (*1 Tim.*, 5, 9 ss.; *ad Titum* [5]), haec, praeterea, statuenda videntur:

a) diaconi sint aetatis provectae, e. g. quadragesimum egerint annum;

b) sinceritate christianae vitae omnibus praeluceant;

c) zeli et apostolatus exempla protulerint.

4. Quae omnia complenda erunt adaequata praeparatione proxima spirituali, liturgica et doctrinali secundum quod diversa locorum necessitates ferant.

5. Tandem, quod non parvi videtur momenti, statuendum non dari transitus a ministerio diaconatus ad ordinem presbyteratus, saltem vita coniugali durante.

His conditionibus sacer presbyteratus ordo sua dignitate et caelibatus praerogativa semper effulgebit ac bene a secundario diaconatus ministerio distinguetur.

Haec diximus quaedam in genere suggerendo de diaconatu, cuius naturam et gradum specificum in hierarchia pressius determinandum Ecclesiae relinquimus. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] Episcopus missionarius abhinc duodecim annos, in locis missionum adlaborans abhinc triginta quinque annos, nomine personali et aliorum aliquot episcoporum Thailandiae et Laos, quorum nomina in calce veniunt, iis quae cap. II, par. 15 de diaconis dicuntur. [2] deest. [3] deest. [4] deest. [5] *Tit.* 1, 5 s.

[*Subsignaverunt etiam*:] Berti Leonello OMI; E. Loosdregt OMI, vic. ap. Vientiane; Cl. Bayet, vic. ap. Ubon in Tailandia; G. Mongeau OMI, Cotabatensis P. N.

Animadversiones additae:

Adhuc mihi liceat haec addere. Quae nuper dixi, valde melius et efficaciter dixissem lingua mea italica in qua natus sum. Et utinam hic esset tantum casus meus! Quotidie auditur: « Tempus terimus! optima a Patribus (post laboriosissimam praeparationem) dicuntur, sed quis ea intelligit? ». Humiliter peto, etiam minimus in collegio successorum apostolorum, ut suffragium feratur de his propositionibus:

1. An melius sit nos plene intelligere omnia quae dicuntur medio traductionis simultaneae?

2. An convenienter Patres suum nomen, cognomen, nomen dioecesis, linguae quas noscunt, super pectus gerant ut inter nos dignoscamus?

Veniam peto et paratus sum paenitentiam agere pro audacitate.

Moderator: Exc.mus secretarius generalis nunc leget emendationem circa schema *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Emendatio quinta: pag. 181, linn. 15-17 (quae respondent pag. 23, n. 72, partis alterae) ... [*cf. pag. 549*].

3

Exc.mus P. D. ALOISIUS EDUARDUS HENRIQUEZ JIMENEZ

Episcopus tit. Lamdiensis, aux. Caracensis

Venerabiles Patres, Observatores, Auditores,

Loquor nomine episcoporum conferentiae episcopalis de Venezuela.

Fide tenemur, et iam edocti sumus a prioribus Conciliis,[1] institutione divina structuram essentialem Ecclesiae Christi et Petrinam et apostolicam simul esse. Omnis enim potestas in Ecclesia a Christo tamquam ab unico fonte oritur; ab ipso tamen, per Petrum nempe eiusque successores ac per apostolos ac eorum successores episcopos, ad Ecclesiam dimanat eamque fecundat, ipsam in unitate fidei ac communionis conservando.

Attamen, in Concilio Vaticano II hanc doctrinam enucleando nos ultra progredi debemus, ut adhuc obscura clarius elucescant et cognita « ea ratione pervestigentur et exponantur, quam tempora postulant nostra ».

Ideoque sive de sacramentalitate episcopatus, sive de eius collegialitate, et praecipue de munere episcopatus ac eius relatione cum capite corporis episcoporum, Romano Pontifice.

Certe enim non pauca sub umbra remanent. Sic adhuc non satis clarescit quomodo potestas ordinaria, immediata, universalis et episcopalis Romani Pontificis cum potestate et ipsa immediata et ordinaria episcoporum in suis propriis dioecesibus componi possit. Nam si ad praxim vel ad sententias aliquorum theologorum ac fere omnium canonistarum, vel etiam ad ius canonicum prout nunc stat, attendimus, non clare apparet quomodo episcopi non sint mere vicarii Romani Pontificis si ipsa eorum potestas non vi sacramenti sed immediate a Romano Pontifice

donetur; ac proinde non immediate ab unico fonte Christo, sed a Petrina scaturigine dimanet. Et si praxim aliquam meminisse iuvat, parum patet quomodo potestas immediata et ordinaria pascendi episcoporum conveniat cum praesentia obligatoria delegati Sanctae Sedis in aliquibus conferentiis episcopalibus, et cum praevia et necessaria recognitione actorum et decretorum antequam singuli episcopi in propriis dioecesibus ea applicare possint.

Proinde in hoc Concilio non tantum repetere debemus ea quae iam firmiter tenemus et quae antea definita sunt; sed obscuriora clarescendo ultra progredi in doctrinae expositione, cum doctrina fundamentum sit omnis verae et efficacis actionis pastoralis.

Sic proponimus:

1. *Ut clare et aperte definiatur sacramentalitas episcopatus.*

Sic ponetur fundamentum sacramentale et non mere iuridicum totius structurae Ecclesiae eiusque hierarchiae, nempe in baptismo et in sacramento Ordinis. *Rationes scriptas, tradimus secretariae.*[2]

En emendatio *quam proponimus*: *duabus prioribus paragraphis immutatis, sic a lin. 16 emendamus*[3]: « Immo quia ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum orientis tum occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis episcopalis consecrationis episcopum ordinatum charactere sacramentali ornari ac ipsi Spiritus Sancti gratiam conferri; Sancta Synodus declarat atque definit episcopatum esse vere et proprie gradum supremum sacramenti Ordinis, ac proinde episcopos etiam vi sacramenti presbyteris esse superiores ita ut ipsos denuo nunquam simplices sacerdotes vel laicos fieri posse ».

Sequentia a linn. 26 usque ad 37 supprimantur. Eorum loco ponatur emendatio episcoporum Galliae occidentalis, sic tamen immutata: « Episcopus vi sacramenti potestatem sui Ordinis accipit nempe capacitatem spiritualem ad munus apostolicum " pascendi gregem Dei " ...[4]; ad exercitium tamen validum potestatis iurisdictionis in Ecclesia particulari requiritur missio canonica a Romano Pontifice expresse vel tacite collata, ac in communione collegii episcoporum et in primis Romani Pontificis, cui competit plenitudo potestatis, perfici debet ».

Sic plena luce patescit structuram ipsam Ecclesiae visibilis non mere iuridicam sed sacramentalem esse. Sicut Ecclesia ut populus Dei sacramentaliter baptismo constituitur, sic etiam in structura sua hierarchica per sacramentum Ordinis; nempe consecratione episcopo confertur potestas sanctificandi simul et docendi ac gubernandi; sed exercitium validum potestatis docendi ac gubernandi, quae subditos requirit, nonnisi missione canonica a Romano Pontifice accepta, haberi potest.

Nec dicatur ante consecrationem, vi nominationis Romani Pontificis, electum iurisdictionem exercere posse. Nam haec habetur *a*) conditionata voluntati consecrationem recipiendi; *b*) ante consecrationem iurisdictio exerceri ut potestas vicaria potestatis supremae Romani Pontificis, post vero consecrationem vi propria, vi capacitatis spiritualis sacramento receptae, quae cum missione canonica a Summo Pontifice collata ad actum, nempe ad exercitium validum, perducitur.

2. *De collegialitate.*

Contra collegialitatem multae difficultates oriri videntur ex missione nimis iuridica corporis episcopalis, quae tamen dissipari possunt si corpus episcoporum, sicut et Ecclesiam, organice et tantum theologice consideremus.[5] Iis quae dicuntur *in schemate*[6] de collegialitate et episcoporum muneribus ac eorum relationibus cum Romano Pontifice, in genere, assentimur; nam progressus doctrinalis, quamvis timidus, in ipsis invenitur.

Attamen, cum Patribus Brasiliae consentientes, nimiam insistentiam in affirmando primatum Summi Pontificis, vicies et simul in hoc capite, invenimus. Videretur timor esse laedendi primatum affirmatione iurium episcopatus. Successores apostolorum Petri successorem amamus eique submittimur; namque aperte profitemur ipsum institutione divina caput nostri corporis episcopalis, vinculum nostrae communionis et firmamentum fidei nostrae esse constitutum.

2) Item petimus, ut in n. 21, doctrina de munere regendi episcoporum, eiusque communione cum Romano Pontifice ita aperte proponatur, ut clare appareat paragraphum primam esse vere doctrinalem, et non tantum pareneticam aut pastoralem, ut paragraphus secunda, eamque ut rei cardinem proponi; *sic*[7]: « Docet Sancta Synodus hanc potestatem quae, nomine Christi, personaliter funguntur, esse propriam, ordinariam, et immediatam, licet eius exercitium, intuitu utilitatis Ecclesiae vel fidelium, certis limitibus, ultimatim a Summo Pontifice regi ac circumscribi possit ».

Nam, ut pro nunc in schemate stat: « licet a supremo Ecclesiae regimine exercitium eiusdem ultimatim regatur », difficile intelligeretur quomodo episcopi in suo munere regendi « vicarii Romanorum Pontificum putandi non sint », atque ipsorum potestas non elidatur, sed asseratur, roboretur ac vindicetur.

3. *De presbyteris et diaconis.*

...[8] Toto corde assentimur iis quae dicuntur de diaconatu, nempe ut exerceri possit tamquam proprius et permanens gradus hierarchiae. Nullam portam clausam, sed apertam necessitatibus Ecclesiae, relinquere volumus.

Attamen, levem emendationem textus proponimus. Loco « Ubi Ecclesia id pro necessitate curae animarum ... expedire censuerit », ponatur « ubi Apostolica Sedes, proponentibus Ordinariis locorum, id pro utilitate curae animarum ... expedire censuerit ».

Quoad caelibatum, si coniugati « sobrii, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, in patientia » ...[9] et in apostolatu bene probati ad diaconatum ascendere desiderant, ipsis aditum claudere non oportet.

Aliae emendationes minoris momenti scripto mittimus secretariae.[10]
Dixi. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] Fide firmiter tenemus ut iam a prioribus Conciliis definitum:

1. Episcopatum esse institutionis divinae (episcopos « positos a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei » (Trid. sess. XXIII - D. 960).

2) Episcopos successores apostolorum esse (Trid., *ib.*), qui « tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt » (Vat. I, *Pastor Aeternus,* D. 1828).

3. Greges pascere et regere « potestate ordinaria et immediata » (*ib.*).

4. Etiam firmiter credimus ac tenemus « Romanum Pontificem habere plenam ac supremam, ordinariam et immediatam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam sive in omnes et singulas Ecclesias sive in omnes et singulos pastores et fideles, tam in rebus fidei et morum quam in his quae ad regimen et disciplinam Ecclesiae pertinent (Vat. I, *ib.*).

5. Vaticanum I etiam aperte docuit hanc supremam et immediatam potestatem Romani Pontificis non officere ordinariae et immediatae potestati episcoporum in suos greges. Proinde edocti sumus. [2] Nam omnes firmiter tenemus:

1. In consecratione episcopali, quae manuum impositione et verbis consecratoriis perficitur, munus recipi quo participes efficimur Summi Sacerdotii Christi, et in Ecclesia Dei pastores ac pontifices constituimur.

2. Item credimus, a Concilio Tridentino edocti (sess. XXIII), in ipsa consecratione recipi potestatem, cum presbyteris non communem, ordinandi (episcopos, presbyteros et diaconos) et confirmandi (can. 7, D. 967); et ipsam accipi ut effectum indelebilem, qui « nec deleri nec auferri potest », sed semper valide exerceri, etiam si episcopus in schisma vel haeresim lapsus aut excommunicatus sit.

3. Item credimus cum potestate indelebili recipi gratiam Spiritus Sancti (Conc. Trid., *ib.* can. 4, D. 964) ad ipsam potestatem fructuose exercendam.

4. A Concilio Florentino ac Tridentino edocemur characterem sacramentalem esse « spirituale quoddam signum a ceteris distinctivum... in anima indelebile » (D. 965), unde sacramenta quae characterem imprimunt iterari nunquam posse (Trid. sess. VII, can. 9; D. 852). Valida consecratio episcopalis, etiam in schismate vel haeresi recepta, nunquam iterari potest.

5. Scimus denique, decem primis saeculis Ecclesiae, non presbyteros ad episcopatum assumptos fuisse, qui simul cum episcopatu et potestatem consecrandi Eucharistiam ac remittendi peccata receperunt; immo et adsunt formulae consecratoriae pro non presbyteris ad episcopatum assumptis.

6. Denique tenemus constitutionem Pii Papae XII *Sacramentum Ordinis* omne

dubium circa materiam et formam consecrationis episcopalis abstulisse. [3] n. 14 de sacramentalitate episcopatus proponenda: « Dominus Iesus, Pastor Aeternus et episcopus animarum nostrarum (*1 Petr.* 2, 25), potestatem authentice docendi et gubernandi in Ecclesia ita instituit, ut arcto vinculo coniungeretur potestati sanctificandi quae in sacramento Ordinis confertur. Ita episcopalis consecratio, procul dubio, ad sacramentum Ordinis pertinet atque plenitudinem confert sacerdotii. Episcopatus enim et voce sanctorum Patrum et liturgica Ecclesiae consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur. [4] (*1 Petr.* 5, 2). [5] deest. [6] deest. [7] pag. 31, linn. 9 ss., post citationem lucanam, sic emendetur. [8] 1. N. 15 ut ultimus, nempe 21, ponatur, postquam doctrina tota de episcopatu tradita fuisset. 2. [9] (*Tit.* 2, 2). [10] 4. *Aliae emendationes minoris momenti.*

Ad n. 11, pag. 23: deleantur, ne quid nimis, ea quae in linn. 9-10 nunc exstant; lin. 21, post « infallibili magisterio » addatur: « haec sancta Synodus suam facit... »; lin. 24 omittatur « coryphaeo ».

Ad n. 12, pag. 24: linn. 4-5: loco « eosque sanctificarent et regerent », ponatur « eosque sanctificarent et pascerent »; lin. 6: loco « sub tutela ipsius Domini » ponatur: « cum assistentia ipsius Domini ». Ut evitetur verbum ius nimis redolens.

Ad n. 15, pag. 26: linn. 2-3 omittatur « in quos gratiam de suae paternae plenitudinis transfundunt ». Nam reapse non episcopi, sed Christus de sua plenitudine gratiam nobis transfundit.

Ad n. 16, pag. 27: lin. 2: loco « S. Petrus et alii apostoli » ponatur « S. Petrus ceterique apostoli ». Nam et Petrus apostolus est; linn. 9-11: omittantur « collegium autem seu corpus episcoporum auctoritatem non habet nisi simul cum Romano Pontifice, successore Petri, ut capite eius intelligatur ». Nam statim eadem, in paragrapho sequenti, latius repetuntur; linn. 28-39: ordo invertatur, ut primum de collegii episcoporum potestate ordinaria dicatur, postea de eiusdem in Concilio potestate extraordinaria.

Ad n. 18, pag. 29, lin. 13, omittatur « seu diaconia ».

Ad n. 18, pag. 30, linn. 3-10: omittantur, quia mera est repetitio definitionis dogmaticae Concilii Vaticani I de infallibilitate Romani Pontificis. Hinc redundari videtur; linn. 23-29: omittantur. Rationes non videntur ut hic repetantur ea quae iam abunde scimus de magisterio ordinario Romani Pontificis cum non ex cathedra loquitur.

Ad n. 21, pag. 31, lin. 18, omittantur: « ut docuit Concilium Vaticanum I ».

[*Subsignaverunt etiam*:] J. Humbertus card. Quintero, arch. Caracensis; Petrus Paulus Tenreiro, ep. Guanarensis; Felicianus Gonzales, ep. Maracayensis; Joseph Pulido M., arch. tit. Cyrrhensis, coad. Emeritensis; Alejandro Fernandez; M. Salas, ob. de Calabozo; Crispulo, ob. de Barquisimeto; Miguel Aurrecoechea; Angel Perez C., ob. de Barcelona; Ioseph Leo, ep. Truxillensis; Ioannes Ioseph Bernal, arch. Bolivarensis; José Alí Lebrún, ob. de Valencia; Francisco José Iturriza, ob. de Coro; Chrysanthus Mata Cova, ep. Cumanensis; A. Ramirez S., ob. Maturin; Luis E. Henriquez, aux. de Caracas

4

EXC.MUS P. D. ELIAS ZOGHBY
Archiepiscopus tit. Nubiensis

Venerabiles Patres conciliares,

Haec interventio, heri remissa, hodie proponitur quia vox orientis, ut mihi dixerunt plures, non sufficienter audita est in hac aula. Sed hoc facio brevius quam in primo textu, secretariatui transmittendo.

Schema generale *de Ecclesia* forsitan utilius omnibus fuisset, si ad traditiones utriusque Ecclesiae, tum occidentalis tum orientalis, quarum ecclesiologiae complementariae sunt, ex aequo extenderetur. Ditissimum est enim patrimonium Ecclesiae orientalis, ac maiorem partem constituit patrimonii totius Ecclesiae. Istae duae partes Ecclesiae, oriens nempe et occidens, sat in pace vixerunt per primum millennarium, cum propria constitutione, propria disciplina, propria theologia, propriis usibus, linguis, indole et spiritualitate. Status separationis est status abnormalis in Ecclesia.

Bonum esset si paragraphus quaedam de Ecclesiis particularibus, tum latina tum orientalibus, hic adfuisset. Ego textum huius propositionis secretariatui tradam.

Ad doctrinam primatus romani, v. g., quod attinet, Ecclesiae orientales nunquam hunc adesse negaverunt, neque illum principium catholicitatis fuisse; sed, de facto post tot saecula separationis adeo est evoluta in sensu unilaterali apud catholicos haec doctrina, ut a fratribus orthodoxis vix hodie recognosci possit. Primatum olim raro exercebat Ecclesia Romana, tum super cunctas Ecclesias *locales* orientales, tum super illas Ecclesias maiores quandoque vere apostolicas sive patriarchales, quae tempore immemoriali principatum super vicinas exercebant, et quae, adhuc nunc *in Oriente,*[2] fundant structuram ecclesialem. Quae ultima consideratio maximi momenti est et necessaria, ad ...[3] dialogum cum Ecclesiis orientalibus a nobis separatis.

Propterea, sub forma hodierna, etiam in nostro schemate insinuata, doctrina primatus, quae in multis paragraphis nimis diffusa est, modo nimis unilaterali proponitur, ita ut quasi inacceptabilis reddatur pro orthodoxis. Praebet enim aspectum theologicum ab occidente solo, sine concursu traditionis orientalis, elaboratum.

Quae utique tales proportiones inadaequatas respectu ad episcopatum impedisset haberi orientalis traditio si fuisset cum occidentali coniuncta. Et illud maxime dicendum est in nostro tempore, quo oecume-

nismus grassatur, et conatus catholicorum versus unitatem, ab omnibus, hodie, serio considerantur. *Magnam responsabilitatem habemus, ut Patres conciliares Vaticani II, Vaticanum I non inflare sed complere.*

Illud tribus animadversionibus illustrabo:

1. Quotiescumque in schemate agitur de auctoritate episcoporum, haec subordinari dicitur potestati Romani Pontificis. Quae affirmatio nimis repetita mox taedet, ac suggerit potestatem illius Pontificis nihil aliud esse *quam* [4] limitationem quamdam potestatis episcopalis. *Quod est falsum.*[5]

Iamvero primatus Petri in eius successoribus donum eximium est Ecclesiae collatum, quod ad statum iugi violenter impositi numquam reduci potest. Romani Pontificis auctoritas non est ad potestatem episcoporum restringendam, sed ad eam tuendam et sustentandam...[6]

Sufficiat ergo semel pro omnibus affirmare dependentiam corporis episcopalis relate ad papam, quin incessanter eadem affirmatio iteretur. Attendamus hic ad monitum ipsius Petri: « Sobrii estote et vigilate ». *Vigilate, utique, propter fratres separatos.*[7] Secus, curnam logice *non recurreretur semper ad Christum, Summum Pastorem,*[8] toties quoties, non recurreretur *semper* [9] ad Christum, Summum Pastorem, a quo tamquam a fonte, potestatem et sacerdotium accipiunt et Romanus Pontifex et alii episcopi? Iuxta verba S. Augustini, Paulum citantis: « Fundamentum aliud nemo potest ponere, ac id quod positum est, Iesus Christus ...[10] super quod fundamentum etiam ipse aedificatus est Petrus » ...[11]. *Sicut auctoritas Petri, ita auctoritas Romani Pontificis non intelligitur neque explicatur nisi relate ad collegium cui praesidet.*[12]

De cetero, auctores schematis, obsessione quadam circa primatum, neglexisse videntur aliquantulum punctum essentiale. Etenim, doctrina de Christo sacerdote non satis enuntiatur in hoc capite, necnon de sacramentis ab ipso defluentibus et a Spiritu Sancto profusis, praesertim de Eucharistia, quae est vinculum unitatis in quacumque et in tota Ecclesia.

2. Saepe enuntiatur ergo exercitium potestatis episcopalis et collegialis, sub dependentia a Romano Pontifice. Estne alia veritas enuntianda et in schemate magis inserenda ut iuste res se habeant, nempe auctoritatem Romani Pontificis non esse rem absolutam, isolatam, independentem ab existentia collegii episcoporum? Sicut auctoritas Petri, ita auctoritas Romani Pontificis non intelligitur neque explicatur nisi relate ad collegium cui praesidet, quod sub eius primatu responsabilitatem totius Ecclesiae vere et efficaciter assumit. Quae mutua interdependentia capitis collegii et collegii ipsius non solum veritati conformis est, sed necessaria apparet ad quemcumque dialogum cum Orthodoxis instituendum...[13]

Tandem, antequam concludam, quantum ad collegialitatem episcoporum, de qua hic multum dixerunt Patres, miror etiam tot inter vos dubitare, dum manifestum sit, ex primis saeculis vitae Ecclesiae, hanc validam fuisse et deinceps usque in hodiernum diem in orientalibus Ecclesiis semper remansisse. Etenim, in regimine patriarchali, maximum est munus synodi, ita quidem ut praecipuae decisiones numquam extra synodum vel sine synodo habeantur. Insuper, metropolitae et postea patriarchae, conscii obligationis unitatem inter Ecclesias servandi, inter se litteras synodales mandare consueverunt, ut ad solutiones communes devenirent. Quod faciendo, traditionem apostolicam continuari sibi persuasum habebant. *Et hanc traditionem continuari conditio sine qua non est cuiuscumque spei unionis.*[14] Gratias. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] deest. [3] quemcumque. [4] nisi. [5] quod praesertim pag. 27, lin. 9, rudius apparet. [6] sicut in familia potestas patris auctoritatem matris confirmat ac sustentat, et nullo modo minuit, etsi ad matrem et pueros extendatur. [7] deest. [8] deest. [9] deest. [10] (*1 Cor.* 3, 11). [11] (*In Io. tract.* 124, 5). [12] deest. [13] 3. Liceat mihi subnotare par. 16, pag. 27, lin. 4, in qua opponuntur « Successor Petri Romanus Pontifex et episcopi successores apostolorum ». Romanus Pontifex, successor Petri, etiam apostolorum successor est, utpote ipsemet episcopus, sicut ceteri episcopi, successores apostolorum, quodammodo successores Petri sunt, in quantum Petrus apostolus est. Ergo emendationem sequentem propono: « Romanus Pontifex, successor Petri ut capitis, et alii episcopi successores apostolorum ». Tendentia iam pluries in Concilio enuntiata, Romanum Pontificem separandi a collegio episcoporum nocere videtur plus quam adiuvare. Hoc faciendo, maximum donum, maximamque gratiam in Romano Pontifice, id est gratiam episcopalem, aliquomodo obliteramus. Maxima enim gratia quam Petrus accepit a Christo fuit eius electio ut sit apostolus et membrum collegii apostolici, in quo munus ceteros confirmandi non est nisi quoddam particulare superadditum super eminentem vocationem apostolicam proprie dictam.

Unde successor eius, scil. Romanus Pontifex, ante omnia est episcopus; quae gratia episcopalis, etiam post electionem ad Summum Pontificatum, praecipua remanet pro vita. Ex munere confirmandi fratres, Romanus Pontifex de collegio episcoporum non evanescit, neque fit universalis episcopus, in illo sensu quo substitueretur ceteris, uti optime declaraverunt Germaniae episcopi ad Bismarck, a. 1875, in epistola a Pio IX solemniter approbata, quae epistola utilissime recoleretur in schemate.

Etenim, iuxta traditionem, non directe ad supremum Pontificatum a Conclavo Papa eligitur, sed ad sedem episcopalem Romae, quae Petri fuit. In sede Petri electus, ipso facto Petro in primatum succedit. Propterea electores Romani Pontificis, cuiuscumque fuerint nationis, sunt titulares ecclesiarum urbis Romae vel suburbicarum sedium. Qua de causa, grati sumus valde erga Papam nostrum Paulum VI, qui, uti iam fecerat praedecessor eius Ioannes XXIII, sanctae memoriae, hanc romanam sedem ut suam et propriam tam solemniter declaravit in initio

huius sessionis: « Purpuratorum, aiebat, Patrum collegium... ad romanam episcopalem sedem atque adeo ad Summum universae Ecclesiae Pontificatum me eligere voluisse ». Temporibus praecedentibus, haec veritas iam satis obnubilata erat in mente fidelium. [14] deest.

Animadversiones additae:

De Ecclesiis particularibus.

(Suggestio inserenda loco propitiori in schemate *de Ecclesia*).

Divina dispositione factum est ut singulae ab apostolis eorumque successoribus variis in locis institutae Ecclesiae decursu temporum in plures coaluerunt coetus hierarchia iunctos, qui, salva fidei unitate, certis differebant et differunt proprietatibus, sive in constitutione et disciplina sive in theologia, liturgia, usibus, lingua, indole spiritualique patrimonio. Quae Ecclesiarum particularium varietas nedum unitati Ecclesiae Christi noceat, eius potius catholicitatem demonstrat. Quare haec sacrosancta synodus, priorum sequens exempla et documenta confirmans, sicut agnoscit omnia iura Ecclesiae latinae, quae a Sede romana romanoque pontifice specialiter proveniunt, ita iura Ecclesiarum orientalium omnium, ex antiquis legibus et Conciliis provenientia, iterum proclamat. Quod Patres Concilii Florentini, ratione unionis tum promulgatae ita enuntiaverunt, incipientes serie ordinata patriarcharum istarum Ecclesiarum: « Renovantes insuper ordinem traditum in canonibus ceterorum venerabilium patriarcharum — praeter romanum pontificem — ut patriarcha constantinopolitanus secundus sit post sanctissimum romanum pontificem, tertius vero alexandrinus, quartus antiochenus, et quintus hierosolymitanus, salvis videlicet omnibus iuribus et privilegiis ». Qui ordo retinendus est pro tempore quo unio tam desiderata ad effectum ducatur. Privilegia et iura, de quibus quaestio est, certe non intelligantur de illis quae respiciunt patriarchas latinos eorumque sedium quae tempore cruciatarum creata sunt, et de quibus agebatur in Concilio Lateranensi IV, sed ea quae ipsis sedibus orientalibus proprie dictis, a temporibus antiquioribus recognita sunt a Conciliis oecumenicis. Haec omnia Sacrosancta haec Synodus, agnoscit et sancte et integre declarat esse conservandas, tuendas atque fovendas.

Moderator: Legatur nunc emendatio de schemate *de sacra Liturgia*.

Secretarius generalis: Emendatio sexta: ad art. 60: pag. 181, linn. 25-26 (quae respondet pag. 23, n. 60) ... [*cf. pag. 549*].

Ut suffragium rite et recte feratur, opportunum est ut Patres conferant pag. 16, i. e. quod Patres commissionis voluerunt adnotare circa hanc emendationem: pag. 16, ubi dicitur: « Emendatio votanda sexta: Ex desiderio plurimorum Patrum commissio proponit suppressionem huius articuli circa iterationem Unctionis sacrae in diuturna infirmitate, ne Concilium intret in quaestiones disputatas ». Gratias!

5

EXC.MUS P. D. VEDASTUS M. JACQUIER
Episcopus tit. Sufasaritanus, aux. Algeriensis

Venerabiles Patres, Observatores et Auditores,

Loquor nomine episcoporum Africae septemtrionalis, de aspectu spirituali collegialitatis episcopalis.

Textus schematis nn. 16 et 17 de collegialitate episcopatus in lucem ponit aspectum iuridicum huius collegialitatis. Sed non sufficienter exponit aspectum spiritualem.

Sicut in Ecclesia est elementum visibile et elementum invisibile, ita ratio collegialitatis duplex elementum essentialiter includit:

Elementum externum est unitas regiminis. Sine auctoritate successoris Petri collegium episcoporum non datur, ut plures Patres dixerunt.

Elementum internum est unio per eamdem fidem et per eamdem caritatem, sicut Pius XI scripsit in Encyclica *Ecclesiam Dei*...[1]

1. Unionem in fide seu in veritate Christus Dominus a Patre postulavit pro apostolis et eorum successoribus: « Sanctifica eos in veritate » ...[2]. Quae unitas vitalis est, profunda est, parens inter episcopos, ut ait Tertullianus, « consanguinitatem doctrinae » ...[3]. Secundum ipsum Tertullianum haec consanguinitas doctrinae est fundamentum apostolicitatis pro Ecclesiis post apostolos fundatis.

2. Christus a Patre postulavit etiam pro apostolis unionem caritatis: « Ut sint unum sicut et nos »...[4]

Apostolos in prima eorum missione binos ante se Dominus misit, significans evangelizationem, quae est manifestatio amoris divini, nonnisi per amorem inter evangelistas fieri posse.

S. Ioannes, in tertia sua epistola, increpat Diotrephen, qui « amans primatum gerere » ipsum apostolum non recipiebat, neque « fratres » eius et « eos qui suscipiebant » prohibebat et de ecclesia eiciebat...[5]

S. Ignatius ad Polycarpum haec aiebat: « Unitatis curam habe, qua nihil melius »...[6]

Praeclarum exemplum huius caritatis episcopalis praebet S. Optatus Milevitanus, qui ad Parmenianum episcopum donatistam haec scribebat, loquens de episcopis donatistis: « Et quia collegium episcopale nolunt nobiscum habere commune, non sint collegae, si nolunt; tamen (ut supra diximus) fratres sunt. Frater meus, igitur, Parmenianus »...[7]

Pius XI ad episcopos Italiae haec scribebat: « Fratres nostri estis in episcopatu et in apostolatu »...[8]

Fundamentum huius unionis fidei et caritatis inter episcopos est participatio sacerdotii Christi. Episcopi intimius quam fideles, intimius quam presbyteri, uniuntur Christo summo sacerdoti.

Signum efficax huius unionis est Eucharistia. Olim recitabantur ad altare ab episcopo nomina aliorum episcoporum, sicut hodie omnes episcopi nomen pronuntiant Romani Pontificis et Deum adprecantur pro « fidei catholicae cultoribus », i. e. praesertim episcopis.

Aspectus pastoralis huius collegialitatis est mutuum adiutorium, quod sibi praestare debent episcopi in munere suo exercendo et in evangelizatione mundi, et de quo multi Patres praeclara dixerunt. Ipsi Summi Pontifices in pluribus epistolis encyclicis, praesertim *Fidei donum,* clare manifestaverunt suam, in hac re, voluntatem. Sed anima huius mutui adiutorii est caritas qua episcopi per universum mundum dispersi, unum sunt tum fraterno amore inter se, tum filiali affectu erga successorem Petri. Sine caritate collegium apostolicum nihil est et nihil potest facere. Unio caritatis est res eminenter episcopalis, eminenter apostolica.

Ceterum omnes novimus quam efficax testimonium sit unitas membrorum Ecclesiae ad attrahendos infideles ad gratiam Christi; sed unitas membrorum Ecclesiae fundatur in unitate episcopali.

Conclusio. Re quidem vera, in textu schematis agitur pluries de caritate inter episcopos, sed per modum exhortationis. Melius esset si, breviter saltem, affirmaretur, modo indicativo, quod haec unio caritatis, sicut unio in veritate, est res, seu gratia collegialitatis, postulata a Christo et nobis data a Spiritu Sancto...[9] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] (12 novembris 1923). [2] (*Io.* 17, 17). [3] (*De praescriptione haereticorum,* n. 32). [4] (*Io.* 17, 11). [5] (*3 Io.* 10). [6] (*Ad Polycarpum,* 1, 2). [7] (*De schismate Donatistarum,* lib. I, 4). [8] (Enc. *Non abbiamo bisogno,* 29 giugno 1931). [9] Aliquas mutationes minoris momenti proponimus: pag. 24, lin. 24, loco « coryphaeo et capite suo » dicatur: « visibili capite ». Pag. 25, lin. 1, loco « Petro, ut primo apostolorum et duci collegii » dicatur: « Petro, ut principi totius collegii apostolorum ». Nempe vocabulum « primo » est nimis vagum (potest enim indicare primatum honoris tantum) et vocabulum « duci » non convenit. Pag. 28, lin. 15, deleantur verba: « licet actus iurisdictionis non sit », quae verba sunt inutilia et aequivoca. Pag. 30, lin. 31, loco « summus sacerdos » dicatur « habens plenitudinem sacerdotii »; nam locutio « summus sacerdos » reservari convenit Christo. Pag. 31, lin. 5, deleantur verba « et legati ».

[*Approbaverunt etiam*:] M. Perrin, arch. Carthaginensis; A. Lefèvre, arch. Rabatensis; L. Duval, arch. Algeriensis; B. Lacaste, ep. Oranensis; P. Pinier, ep. Constantinianus; G. Mercier, ep. Laghouatensis.

6

Exc.mus P. D. THOMAS HOLLAND
Episcopus tit. Etennensis, coad. Portus magni

Venerabiles Fratres,

Episcopi Angliae et Cambriae, *quorum nomine loquor,*[1] submittere vellent Patribus ea quae sequuntur tamquam consectarium practicum *nostrae disceptationis de collegialitate*[2] episcoporum.

Fatemur enim quod[3] apud nos *vix*[4] erit satis theoretice proclamare quod episcopi ratione consecrationis, vocati sunt ad *aliquomodo*[5] sustentandam sollicitudinem omnium Ecclesiarum, nisi revera ob oculos omnium ponatur visibilis *quaedam*[6] cooperatio omnium episcoporum in regimine *totius*[7] Ecclesiae. *Est enim solemne adagium*[8] apud legisperitos *nostros quod*[9] non sufficit ut fiat iustitia, requiritur ut iustitia *oculis omnium*[10] fieri appareat.

In re nostra, data hodierna sensitivitate hominum in aetate democratica viventium, non *videtur sufficere*[11] ut fiat *qualiscumque cooperatio*[12] episcoporum *cum*[13] Summo Pontifice; requiritur ut coram oculis mundi cooperatio clare videatur fieri.

Ut pars ergo non minima processus, qui vulgo « aggiornamento » nuncupatur, a nobis commendatur creatio alicuius organi totius episcopatus, compositi ex episcopis a conferentiis suis episcopalibus nominatis; quod organum integrari oporteret in regimine Ecclesiae ut sit quasi continuatio spiritus quo imbuitur hoc nostrum Concilium Vaticanum II.

Bene scimus omnia in constitutione Ecclesiae pendere a voluntate Christi ...[14]. Attamen, ut voluntas Christi melius appareat mundo hodierno, requiritur practica et perspicua demonstratio actionis qua ipse, qui fundavit Ecclesiam super Petrum et apostolos, indesinenter pergit docendo, sanctificando et regendo totam Ecclesiam per Petrum et apostolos; quod usque adhuc forsan mundo non adeo videtur.

Hoc ipso tempore Concilii oecumenici totus mundus miratus est hoc spectaculum, *spectaculum — dico — omnium Episcoporum coadunatorum*[15] sub Petro. *Vel*[16] ipsi non credentes commoventur, ut bene sciunt qui, v. g., ephemerides legunt his diebus.

Ut non semel dictum est in hac aula, Concilium oecumenicum pollet suprema auctoritate in universam Ecclesiam. *Et hic*[17] non tantum exercetur suprema haec auctoritas, sed ab omnibus evidenter videtur exerceri.

Si ex sapientibus decretis in hac materia, hoc nostrum Concilium providere posset ut reapse, etiam post Concilium, Ecclesia videretur *quodammodo* [18] gubernari a Pontifice cum collegio episcoporum, validum haberetur argumentum de seria nostra voluntate exhibendi Ecclesiam in evangelica sua simplicitate. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] collegialitatis. [3] deest. [4] non. [5] deest. [6] deest. [7] deest. [8] Ut fertur. [9] Angliae. [10] deest. [11] sufficit. [12] consultatio. [13] a. [14] Scimus Ecclesiam esse communionem quae Christi auctoritate sola regitur, Christi vita alitur, Christi gratia iuvenescit. [15] Omnes episcopi coadunati. [16] Etiam. [17] Insuper. [18] deest.

7

Exc.mus P. D. BERNARDINUS ECHEVERRIA RUIZ
Episcopus Ambatensis

Em.mi Patres, exc.mi Fratres,

Iam in longum et latus circa cap. II et praesertim de collegio episcoporum et de relatione episcoporum in collegio, locuti sunt *Fratres,*[1] ita ut hac de re nihil addendum videatur. Licitum tamen nobis sit quamdam confirmationem istius collegialitatis ex consequentiis inde profluentibus breviter loqui.

Verum enim vero, collegialitas episcoporum cum Romano Pontifice, si quemdam quasi novum aspectum auctoritatis et dignitatis prae se fert, quod sine dubio exigentiis modernae theologiae valde consonum est, ex alia parte, onera et quidem gravia quae pro episcopis exinde resultant, etiam hodiernae humanitatis necessitatibus respondent et cum indole pastorali istius Concilii melius sese accommodant.

Etenim, ut in schemate pag. 28, a lin. 14 asseritur, episcopus « ut membrum collegii, pro universa Ecclesia ea sollicitudine ex officio tenetur, quae, licet actus iurisdictionis non sit, summopere tamen confert ad Ecclesiae universalis emolumentum ». Ex quo clare patet, ratione conceptus collegialitatis, episcopis novam et quidem exigentiis hodiernis consentaneam ...[2] obligationem imponi. Usque nunc episcopus, ratione officii curam pastoralem pro sua dioecesi solummodo exercere tenebatur; immo nihil aliud exigebatur nisi ut tam de spiritualibus quam de materialibus propriae dioecesis sese occupet. Vi tamen collegialitatis, iam amplius res ita non sunt; episcopus, ut membrum collegii, ratione officii etiam de aliis dioecesibus curare debet.

Consequentiae practicae exinde promanantes evidentes sunt. Si quidam episcopus maiorem qua propriis necessitatibus sacerdotum abundantiam habeat, ex officio, et non simpliciter quasi ex ...[3] gratiosa concessione, proprios sacerdotes illic collocare deberet, ubi necessitates urgentiores sunt, positus de facto in loco apostolorum quorum summum interesse non erat nuntium evangelicum intra limites cuiusdam iurisdictionis circumscribere, sed universum mundum praedicare, iuxta mandatum dominicum: « Euntes in mundum universum evangelium praedicate ». Et quod dicimus de spirituali adiutorio, etiam de materiali dicendum esset; episcopus enim, melius quam philosophus dicere deberet: episcopus sum, et nihil Ecclesiae alienum a me puto.

Isto modo, collegialitas, si commune facit munus regendi, etiam commune facit munus pascendi gregem Christi quod, de cetero, nemo est qui non videat, talem agendi formam oecumenismo nostri Concilii valde aptari.

De cetero, talis collegialitas in regendo et in pascendo grege iam amplius non simplex theoria est; nova ista conscientia multi sunt episcopi qui dioecesibus sive spiritualiter sive materialiter indigentibus generose et pastoraliter adiuvant, immo nonnumquam aliqua sacrificia, et non quidem parva, sibimetipsis imponunt, ut efficaciori modo pro bono Ecclesiae provideant. Hac de causa, licitum mihi sit, *proprio quidem et multorum aliorum nomine,*[4] hac nactus opportunitate publice et ex imo corde gratias agere nostris fratribus in episcopatu qui modo tam *exemplari,*[5] generoso et humanissimo in pascendis nostris indigentibus gregibus adiuvant. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Patres. [2] novam. [3] supererogatione et. [4] deest. [5] supernaturali.

8

EXC.MUS P. D. CAESAR ANTONIUS MOSQUERA CORRAL
Archiepiscopus Guayaquilensis

Venerabiles Patres,

Venia Patrum loquor nomine plurium praesulum Reipublicae Aequatoris astantium ad hoc Sacrum Concilium Vaticanum II.

Et sat breviter, ne optimas rationes usque nunc a nonnullis Patribus expositas circa necessitatem reponendi diaconatum uti institutionem permanentem, iterum absque ulla ratione audiantur.

Nemo est qui non videat quam opportune in schemate affirmetur

necessitas diaconatum in futuro restituendi tamquam proprium ac permanentem gradum ecclesiasticae hierarchiae, saltem ubi Ecclesia id postulet ad curam animarum. Rationes pastorales praesertim illud suadent, illis speciatim in locis ubi vel sacerdotes desunt, ut in missionibus, vel ubi propter incuriam temporum vocationes ad sacerdotium, proh dolor!, imminutae sunt.

Toto corde adhaeremus ad vota eorum Patrum conciliarium qui repositionem diaconatus proponunt; sed simul praecise propter rationes pastorales abunde ab em.mo card. Ferdinando Cento, eodemque modo ab aliis Patribus conciliaribus pulcherrimis ac solidissimis argumentis expositas, nostram mentem ...[1] aperimus hoc sensu ut diaconatus reponatur sed sanctissima lege caelibatus exornatus ac munitus. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] humiliter.

9

EXC.MUS P. D. IOSEPH DRZAZGA

Episcopus tit. Siniandensis, aux. Gnesnensis

Rev.mi Patres,

Loquor nomine episcoporum Poloniae. Ad animadversiones, quae relate ad propositionem de restauratione diaconatus tamquam permanentis gradus hierarchici iam dictae sunt, videntur nobis quaedam adhuc addenda, maxime sub aspectu consequentiarum, quae per huiusmodi restaurationem in tota Ecclesia et specialiter in aliquibus eius regionibus sequerentur.

1. Verum est, quod vocationes sacerdotales et religiosae ultimis annis, in multis regionibus, diminuuntur. Unde unusquisque sacerdos nunc officiis et laboribus ultra suas vires oneratur. Iuste ergo quaeritur, quomodo numerus bonorum sacerdotum augeri possit. Certum videtur, quod opportunum esset invenire viros, qui ex professo sacerdotes adiuvare possint, sive in religiosa instructione, et maxime in praeparatione puerorum ad sacramentum Poenitentiae, Eucharistiae et Confirmationis, sive etiam in administratione Baptismi et sacrae Communionis, sive in visitatione fidelium corpore et spiritu aegrotantium et in aliis huiusmodi.

Utique diaconi permanentes tale subsidium afferre possint. Minime tamen restauratio diaconatus ut status permanentis necessitatem augmenti vocationum sacerdotalium solvit. Diaconi enim non possunt

supplere presbyteros in rebus maioris momenti, ut celebratio Missae vel administratio sacramenti Poenitentiae. Opportunum ergo esset, ut hoc Sacrum Concilium in constitutione hierarchica Ecclesiae quaedam addat verba, quibus sacer ordo presbyteratus maiori splendore fulgeat et magis attractivus iuvenibus reddatur.

2. *Deinde*[1] in praesenti rerum conditione restauratio diaconatus tamquam status permanentis in multis regionibus impossibilis est non solum propter enormes difficultates oeconomicas et sociales in eorum praeparatione et sustentatione, sed insuper propter periculum, ne huiusmodi diaconi in regionibus ubi tota vita oeconomica a beneplacito atheistarum dependet, instrumentum eorum in oppugnatione Ecclesiae fierent, quia frequenter cogerentur magis ipsis atheis, quam Deo servire, maxime si essent uxorati.

Adest etiam periculum, quod huiusmodi diaconi, quibus propter matrimonium assecutio presbyteratus in Ecclesia impossibilis est, nimia ambitione ducti faciliter tentationi cederent, ut ad sic dictam ecclesiam nationalem transirent, in qua sine difficultate sacerdotium acceperint.

Pariter certum est, quod etiam in multis regionibus, propter restitutionem diaconatus, ut status permanentis, lege caelibatus non ligati numerus vocationum sacerdotalium potius diminueretur quam augeretur et ita diaconatus magis in detrimentum, quam in commodum Ecclesiae evaderet.

3. Ideo magis opportunum videtur secundum intentionem felicis memoriae Papae Pii XII instituta saecularia introducere, quae sacerdotibus in muneribus pastoralibus rite adimplendis subsidio sint. Huiusmodi viri et mulieres, licet sacro ordine non ornati, ab Ecclesia missi, « quaecumque sunt vera, ... quaecumque iusta, quaecumque sancta » ...[2] promovere possint et suam collaborationem cum sacerdotibus ad opus sanctificationis et evangelizationis in humilitate cordis afferent. Instauratio huiusmodi institutorum saecularium traditioni apostolicae omnino conformis esset, ut patet ex his, quae S. Paulus de vocatione viduarum scripsit...[3]

Conclusio. Etiamsi restrictiones supra enucleatae videntur nobis verae et reales ...[4], nihilominus propter speciales conditiones pastorales in aliquibus regionibus vigentes, propositio de restauratione diaconatus admitti possit, facta tamen in textu sequenti modificatione: loco verbi « Ecclesia » in versu 37, pag. 26, ponatur « conferentia episcoporum, consensu Sanctae Sedis obtento ». Consequenter textus a versu 36, pag. 26, sonaret: « Immo diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri poterit, ubi conferentia episcoporum, consensu Sanctae Sedis obtento, id pro necessitate curae anima-

rum in suo territorio expedire censuerit » (finis citationis). Linn. vero 39 ad 41 omittendae sunt. Dixi. Gratias!

In textu scripto tradito: [1] deest. [2] (*Philip.* 4, 9). [3] His breviter expositis, liceat etiam in memoriam revocare verba nominati Papae Pii XII, a. 1957 in allocutione de apostolatu laicorum prolata: « Scimus — en verba Papae — quosdam de restauratione diaconatus tanquam functionis ecclesiasticae, a sacerdotio independentis cogitare. Idea tamen haec, saltem hodie, nondum matura est » (*AAS,* 1957, p. 925). [4] et verba piae memoriae Papae Pii XII suam actualitatem non amisisse.

Moderator: Nunc exc.mus secretarius generalis leget aliam emendationem *de sacra Liturgia* et deinde, transitum faciendo ad cap. III de schemate *de Ecclesia,* leget nomina Patrum qui petierunt verbum facere.

Secretarius generalis: Emendatio septima: ad art. 61: pag. 182, post lin. 4 (cf. pag. 23, n. 76, partem alteram, huius fasciculi) ... [*cf. pag. 549*].

Nunc fit transitus ad disceptationem circa cap. III schematis *de Ecclesia,* nempe de populo Dei et praesertim de laicis.

Verbum petierunt em.mi ac rev.mi DD. cardd. Ernestus Ruffini, arch. Panormitanus in Italia, Ferdinandus Cento, Ioseph Bueno y Monreal, arch. Hispalensis in Hispania, Antonius Bacci; exc.mi DD. Ioseph D'Avack, arch. Camerinensis in Italia, Ludovicus Rastouil, ep. Lemovicensis in Gallia, Stanislaus Lokuang, ep. Tainanensis in Sinis, Franciscus Hengsbach, ep. Essendiensis in Germania, Ioannes Wright, ep. Pittsburgensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Petrus Fiordelli, ep. Pratensis in Italia, Marcellus Dubois, arch. Bisuntinus in Gallia, Candidus Padin, ep. tit. Tremithusius in Brasilia, Ioseph Marcus Gopu, arch. Hyderabaden. in India, Leo Elchinger, ep. coad. Argentinensis in Gallia, Philippus Hannan, ep. aux. Vashingtonensis in Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis, Aloisius Civardi, ep. tit. Thespiensis in Italia, Marius Castellano, arch. Senensis in Italia, Aloisius Mathias, arch. Madrapolitanus in India, Herbertus Bednorz, ep. aux. Katovicensis in Polonia, Henricus Compagnone, ep. Anagninus in Italia, Fridericus Melendro, arch. Nganchimensis in Sinis, Villelmus Philbin, ep. Dunensis in Hibernia, Paulus Sani, ep. Denpasarensis in Indonesia, Laurentius Picachy, ep. Iamshedpurensis in India, Godefridus Dayez, praeses congregationis benedictinae in Belgio.

10

EM.MUS P. D. ERNESTUS CARD. RUFFINI
Archiepiscopus Panormitanus

Venerabiles Patres conciliares,

Laicorum, qui in Christum *baptismate* inserti sunt, et per sacramentum confirmationis in Christi exercitum cooptati sunt, et pane Angelorum seu Sanctissima Eucharistia, in dies roborantur, munus ac officium esse cooperandi ut regnum Dei magis magisque propagetur et contra hostes defendatur, nemo dubitare potest; immo hodie, plus quam temporibus anteactis, sacra hierarchia laicorum fidelium auxilio indiget omnino, ut ministerium suum in animarum salutem, quam divinus Redemptor pro omnibus meruit, large efficaciterque, ut oportet, expleat.

Propterea finis, quem huius tertii capitis redactores sibi proposuerunt ac prosecuti sunt, summopere laudandus est.

Liceat tamen mihi aliquas emendationes sapienti iudicio vestro subicere, unum cupiens ut sermo de re tanti momenti sit accuratus idemque, quantum fieri potest, perfectus.

1. Pluries in schemate, ubi agitur de laicis (fidelibus sane!), adhibetur nomen *missio* vel verbum *mitti*: e. g. in pag. 5, lin. 3 legimus: « missionem totius populi Dei ». Apertius in linn. 5-8: « Populus Dei ... ab eo (scil.: a Divino Redemptore) etiam ut instrumentum redemptionis sumitur et ad universum mundum mittitur ». Deinde in pag. 6, linn. 33 s.: « Fideles pro parte sua missionem totius populi christiani in mundo exercent ». Similiter in pag. 11, linn. 16 s.: « Sacrosancta Synodus ... omnes utriusque sexus fideles amanter et instanter hortatur, ut collatis viribus cum hierarchia divinitus instituta, sub Christo capite eiusque Spiritu veritatis et amoris animati, *missionem suam apostolicam* ad gloriam Dei Patris per Filium in Spiritu Sancto indesinenter expleant ».

Elocutiones istae mihi non placent, quia fere idem valent ac praeceptum a Christo datum apostolis, quod invenitur scriptum in Evangelio secundum Matthaeum ...[1]: « Euntes docete omnes gentes »; et in Evangelio secundum Marcum ...[2]: « Euntes in mundum universum praedicate Evangelium omni creaturae ». Nedum talis laicorum missio agnosci posset, quia populus Dei dicitur mitti ad universum mundum, et quidem directe a Divino Redemptore et non per sacram hierarchiam, cum qua — quasi ex aequo — tantum teneatur vires in unum conferre.

2. Item iura quae christifidelibus adiudicantur prudentiam et ipsam veritatem egredi mihi videntur.

Etenim legimus pag. 6, linn. 33 s.: « Christifideles pro parte sua missionem totius populi christiani in mundo exercent, etiam per actionem religiosam »; quin adiungatur in missione exercenda laicos subiectos esse praepositis hierarchicis, maxime si agatur de actione religiosa. Porro in pag. 9, linn. 8 s.: « Omnes fideles *ius habent,* ut pro suis viribus opus salutare Ecclesiae etiam operose suo modo participent »; pag. 10, linn. 27-29: « Laici pro scientia, competentia in rebus, et auctoritate qua pollent facultatem habent (proinde *ius*), immo aliquando officium, suam sententiam declarandi, de iis quae ad Ecclesiae vel communitatis bonum pertinent ».

Si haec omnia certis finibus terminisque non circumscribantur, timendum est ne episcopi — et sub episcopis parochi — in ministerio suo pastorali non parum impediri possint; nam quamvis sacra Synodus exhortetur laicos fideles, in universum, ut oboediant praepositis, tamen cum praepositi populo inservire debeant, eisdem non semper facile esset laicorum opinioni vel actioni repugnare, si alterutram, nimirum opinionem vel actionem, laici iure fulcirent quo pollere dicuntur.

3. Pag. 6, linn. 21-24, legimus: « Fideles autem sicut ex dignatione divina fratrem habent Christum, qui cum sit Dominus omnium, venit tamen non ministrari sed ministrare, ita etiam fratres habent eos qui, *in sacro ministerio positi,* etc. ». In schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* munus episcoporum satis superque appellatur ac definitur « servitium », quod quidem non infitior etsi nomine « servitii » fratres separati haud raro abutantur, omnia in Ecclesia ad servitium reducentes. Etenim Ecclesiae pastores ovibus suis omnibus praesto semper esse debent et animarum bono assidue consulere tenentur; sed cavendum est ne officium praepositorum proprium — quod est iustis opportunisque normis ac praeceptis subditos fortiter suaviterque ad salutem aeternam dirigere — imminuatur. Credimus esse de fide divina catholica Christum intituisse Ecclesiam in societatem perfectam; in qua auctoritas praecipiens praepositorum non est minus necessaria quam oboedientia eorum qui sunt subiecti. Proinde si verum est quod legimus in pag. 5, lin. 21: nullam in Ecclesia haberi inaequalitatem, spectata natione, condicione sociali, sexu, cum omnes unum sint in Christo Iesu; non recte — in pag. 6, a linn. 15-17 — asseritur in Ecclesia inter pastores et christifideles veram vigere aequalitatem, *quoad dignitatem et actionem,* cum pastores, saltem ratione muneris, certo digniores sint superioresque fidelibus.

4. Pag. 8, linn. 13-23: Quae ibi scripta inveniuntur aut non sunt

vera aut ea non intellego. Quid est — quaeso — iste supernaturalis sensus fidei universi populi christiani, quo omnes docentur infallibiliter a Deo ...[3], sensus fidei — inquam — a Spiritu veritatis excitatus, verbo Dei scripto et tradito sub eius assistentia inhaerens, quem magisterium ducit (solummodo) et sustentat?

Infallibilitas dupliciter accipi potest: active et passive; infallibilitas activa residet in Ecclesia docente seu in magisterio authentico et vivo, quod unice pertinet ad Romanum Pontificem et ad episcopos sub Romano Pontifice et una cum illo, doctrinam divinitus revelatam proponentes ac definientes; infallibilitas autem passiva, seu in credendo, stat in Ecclesia discente, quae doctrinam revelatam a magisterio authentico et vivo submisse accipit. Haec altera infallibilitas, secundum doctrinam catholicam, oritur, tamquam effectus a causa, ab infallibilitate activa, cuius finis est, ut affirmatur in schemate Concilii Oecumenici Vaticani I, « fidelium societatis in doctrina fidei et morum intemerata veritas ». Itaque sensus fidelium magni faciendus est — et *re* in definitionibus dogmaticis magni fit — non quia in fidelibus a Deo directe efficiatur vel a Spiritu Sancto excitetur, sed quia talis sensus doctrinam, a magisterio infallibili Ecclesiae fidelibus per saecula traditam et peculiari Dei providentia immunem ab errore servatam, patefacit.

5. Charismata in hoc quoque cap. III magnum occupant locum.

In introductione, pag. 6, sub n. 22, lin. 11, laudantur verba S. Pauli ad Ephesios ...[4], quibus apostolus aliquot charismata recenset; eadem apostolica verba memorantur in pag. 7, lin. 1. De charismatibus fit etiam sermo in pag. 8 inde a lin. 24 usque ad lin. 36; et hic mihi liceat parumper insistere. Ibi legimus: « Spiritus dat fidelibus varia dona et munera ad servitium seu " diakoniam "»...; quae charismata sive clarissima sive etiam simpliciora et latius diffusa, *cum*[5] sint necessitatibus Ecclesiae apprime accommodata et proficua, cum gratiarum actione ac consolatione accipienda sunt etc. ... ». Inde plane colligitur haec sententia: haberi aetate quoque nostra plures fideles multis donis charismatibus donatos; quod historiae et usui quotidiano aperte contradicit. Charismata enim, quorum frequens mentio fit in scriptis apostolicis, copiosa erant initio Ecclesiae; sed postea paullatim ita decreverunt ut fere cessaverint.

Velitis audire praeclarissimum Ecclesiae Patrem S. Ioannem Chrysostomum, qui in commentario Actuum Apostolorum haec profert: « Optimus agricola in novellam arborem ... dum adhuc tenera est, multam curam impendit, undique illam circumvallat, et lapidibus ac spinis munit, ne a ventis evellatur, ne a pecoribus labefactetur, neve alio *modo*[6] laedatur; postquam autem radices egisse, et in sublime crevisse illam viderit, tum amovet munimenta: sufficit enim sibi ipsi arbor ad iniurias

tales repellendas. Ita quoque in fide accidit. Quando nuper erat plantata, quando tenera erat, quando nuper in humanis animis erat fundata, omni ex parte multa in eam cura impendebatur: postquam autem coaluit, et radices egit, et in sublimitatem ascendit, Christus munimenta removit et tutamina sustulit. Propterea initio quidem etiam indignis dabantur charismata, quoniam hoc auxilio, fidei fovendae causa, indigebat antiquitas: nunc autem neque dignis conceduntur; fidei quippe robur et firmitas hoc subsidio non egent »...[7]

Eadem, fere iisdem verbis, inveniuntur apud S. Gregorium Magnum in Homilia quam habuit ad populum in Basilica B. Petri in Ascensione Domini ut explicaret lectionem Evangelii secundum Marcum cap. XVI, a versiculo 14 ad 20...[8]

Ergo nec stabiliter nec firmiter, *pro Ecclesiae atque apostolatus incremento* confidere possumus laicis charismaticis, quia charismata — contra opinionem plurium fratrum separatorum qui de servitio charismaticorum in Ecclesia libenter loquuntur — hodie rarissima sint et prorsus singularia.

6. Pag. 9, linn. 16-18: « Quod si quidam eorum (laicorum), deficientibus sacris ministris, vel iisdem in regimine persecutionis impeditis, *officia sacra* pro facultate supplent etc. ... ». Expediret, ut opinor, explicare *quae* officia sacra laicis — equidem ex Actione catholica vel ex piis Institutis diligenter selectis — concredi possint exercenda; sic forsan — maxime si hi laici ordinibus minoribus ornentur — evanesceret quaevis diaconorum stabilium necessitas, et via penitus praecluderetur diaconis uxoratis. Procul dubio nunquam laicis, etiam optimis, esset facultas conficiendi Eucharistiam vel absolvendi a peccatis, quam facultatem progredientibus aetatibus, concedi posse probabiliter asseverat peritus huius Concilii *in volumine*[9] recenter typis edito, cum approbatione ecclesiastica...[10]

7. Nunc venio ad testimonia biblica, quae in cap. III schematis, sicut in capitibus praecedentibus, non afferuntur accurate, ut oporteret.

Verba S. Pauli ad Ephesios ...[11], quae tum pag. 5 ...[12] tum pag. 7...[13] proferuntur, cum quaestione de qua utrobique tractatur — ut supra innui — minime concinunt.

In pag. 8, linn. 13 s.: Cur adhortatio epistolae ad Hebraeos (cap. 13, vers. 15) non affertur integra? In schemate scriptum invenimus: « Ecclesia tota, quae Deo offert fructum labiorum confitentium nomini eius ». Cui enuntiatio — loco laudato — praeponuntur verba « per ipsum », scil. per Iesum; ita ut dicendum sit: « Ecclesia tota quae Deo per Iesum offert fructum labiorum confitentium nomini eius ».

Pag. 8, lin. 17: « Hic sensus fidei, quo omnes sunt docibiles

Dei etc. ». Quae verba, ex Evangelio secundum Ioannem ...[14] excerpta, cum contexta oratione non congruunt; nam Ioannes — loco laudato — mentionem inicit de vaticiniis Isaiae ...[15] et Ieremiae ...[16]; qui prophetae, regnum messianum describentes, asserunt fore ut omnes homines doceri possint a Deo; si qui vero a Deo doceri nolint eo ipso a regno messianico excluduntur.

Eadem pag. 8, lin. 35: « ... monente Apostolo: " Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant " ...[17] ». Sed ibi S. Paulus plura praecepta (quae ad rem nostram non pertinent) in memoriam fidelium Corinthiorum revocare sane vult, quae antea eis tradiderat, nempe: de coetibus sacris, de mulierum habitu, de decore in agapis servando, de usu charismatum quae, tunc temporis, perturbationibus frequentes ansas praebebant.

Pag. 10, lin. 35: « Pastores vero, sua facientes verba Scripturae: " Probate spiritus si ex Deo sint " ...[18] etc. ». Hoc testimonium biblicum non omnino concordat cum argumento de quo agitur in schemate. Nam S. Ioannes monitione illa *id* [19] tantum vult, ut discernatur spiritus Dei, qui confitetur Iesum Christum in carne venisse — et est spiritus veritatis — ab omni spiritu mendaci, qui solvit Iesum — seu negat Iesum esse Verbum Incarnatum.

Pag. 11, linn. 1-4: Non apte christifidelibus inculcatur oboedientia verbis quibus S. Paulus, scribens ad Ephesios (cap. 6, vers. 5-6) cohortatur servos ut dominis *carnalibus* pareant cum *timore et tremore*. Longe melius esset repetere quae habentur in epistola ad Hebraeos, integrando versiculum memoratum in schemate: « Oboedite praepositis vestris et subiacete eis. Ipsi enim pervigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri etc. ... ». Deinde optime subici potest commendatio ut laici fideles pro praepositis suis, debitam meritamque gratiam eis referentes, fervidas preces ad Deum fundant.

8. Demum nonnulla propono corrigenda ne in schemate accuratio sermonis et perspicuitas desint, quibus necesse est constitutio dogmatica exornetur.

Pag. 6, lin. 13: « omnes tamen ad eamdem vocantur sanctitatem »: rectior fieret sententia si locutio ad *eamdem* omitteretur; omnes quidem ad sanctitatem vocantur, sed sanctitas non est eadem pro omnibus, quia gradus diversos complectitur.

Linn. 31-33: « Sacrosancta Synodus nomine laicorum intendit fideles, qui baptismate in populum Dei cooptati in communi christifidelium statu Deo serviunt ». Ni fallor laici de quibus fit sermo, non bene definiuntur, quia non sufficit eis baptismus; nec satis perspicuum est ser-

vitium quod ipsi Deo exhibent in communi christifidelium statu. Idem enim affirmari posset — aliquo modo — etiam de fratribus acatholicis.

Pag. 8, linn. 1 s.: « Parentes, quasi munus episcopale, ut ait Augustinus, exercent ». Verum S. Augustinus in testimonio allato utitur nomine « episcopi » sensum eius etymologicum respiciens; nam verbum graecum *ἐπισκοπέω* significat superintendo vel vigilo supra; sed munus episcoporum multo ampliora comprehendit, etiam ex doctrina S. Augustini.

Lin. 14: « Ecclesia tota... et in credendo indefectibilis est ». Indefectibilitas non est infallibilitas: haec pertinet ad veritatem, illa (« indefectibilitas ») ad perpetuitatem. Propterea dicendum esse existimo non « indefectibilis in credendo », sed « in credendo infallibilis ».

Pag. 10, linn. 23 s.: « Christifideles omnes, laicis non exceptis »; profecto in christifidelium numero sunt etiam laici, immo maiorem partem constituunt.

Deinde, linn. 39 s.: « ... in praepositis suis, in illis praesertim, quorum auctoritas nomine Christi exercetur ». Ad quosnam — quaeso — ex praepositis, refertur illud praesertim? Nonne praepositi omnes auctoritatem nomine Christi exercent?

Satis! Venerabiles Patres, aperui vobis quae sentio; si quid imperite vel audacter dixi, precor ut mihi veniam concedatis.

In textu scripto tradito: [1] (28, 19). [2] (16, 15). [3] (haec est significatio locutionis « docibiles Dei » graece διδακτοὶ Θεοῦ.) [4] (4, 11-16). [5] nunc. [6] quodam incommodo. [7] (S. Ioannes Chrysostomus, *In Inscript. Actorum Ap.*, 2, 2: MG 51, col. 79). [8] (S. Gregorius M., *In Evang. Homil.* 29, 4: ML 76, col. 1215). [9] deest. [10] (sac. Hans Küng, *Strukturen der Kirche,* Herder 1962, pp. 194-195; cf. Charles H. Henkey, in *Theological Studies,* 1963, p. 493). [11] (4, 11-16). [12] lin. 11. [13] lin. 1. [14] (6, 45). [15] (54, 13). [16] (31, 33). [17] (*1 Cor.* 14, 4). [18] (*1 Io.* 4, 1). [19] deest.

Moderator: Legatur nunc alia, et quidem ultima pro ista suffragatione hodierna, emendatio de schemate *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis: Emendatio octava: pag. 182, lin. 22, post verba: « in initio ritus », addatur ... (consulatis pag. 24, n. 78 partis alterius huius fasciculi) ... [*cf. pag.*].

11

Em.mus P. D. FERDINANDUS card. CENTO

Venerabiles Fratres, humanissimi Observatores et Auditores,

Commissio conciliaris de apostolatu laicorum, cuius praeses sum, grato animo recipit a commissione theologica quae continentur in schemate constitutionis dogmaticae *de Ecclesia,* parte II, cap. III, sub titulo de populo Dei et speciatim de laicis, quae se offerunt quasi principium et fundamentum nostri schematis *de apostolatu laicorum.*

Plena insuper satisfactione *edocemur,*[1] ex nota quae habetur in pag. 6, materiam citati cap. III, sic proponente em.mo card. Suenens, divisum iri in duobus distinctis capitibus, unum scil. de populo Dei, alterum de laicis in genere, quod evidentes rationes iure exigebant.

Prae oculis etiam habuimus emendationes a Concilii Patribus iam scripto exhibitas, super secundam partem schematis, de qua in praesenti disceptamus, (*et animadversiones em.mi Ruffini verbo prolatas*[2]) cuius pondus rite existimavimus *et aestimabimus*[3] et circa quas Sacrosanctum Concilium suam proferet sententiam.

Multa quae in secunda hac parte schematis continentur pretiosa documenta sunt, digna prorsus ut sive sacerdotes sive laici ea meditentur et de ipsis spiritualiter nutriantur, v. g. quae ad coniuges diriguntur, quasi episcopalem vicem agant in suis domibus, et praesertim quae dicuntur de sacerdotio universali *fidelium.*[4]

Reor tamen, humili meo iudicio, ampliorem certam extensionem merere tractatum de fundamentis dogmaticis circa statum laicorum ...[5] et eorum apostolatum, istum considerando, e. g., in functionem sive oeconomiae generalis Providentiae, sive divinae Paternitatis, sive salvificae missionis Christi, demonstrando *tamen*[6] quemdam apostolicum afflatum *post receptionem*[7] baptismatis, et *specialiter*[8] Confirmationis, unum facere cum professione fidei christianae, quando fides haec non superficiem tantum, sed totam funditus animam permeet et penetret. Dixi.

In textu scripto tradito: [1] nostra commissio edocetur. [2] deest. [3] deest. [4] analogice certo, christifidelium. [5] in Ecclesia. [6] tandem. [7] ipsa vi. [8] praesertim.

12

EM.MUS P. D. IOSEPH M. CARD. BUENO Y MONREAL
Archiepiscopus Hispalensis

Venerabiles Fratres,

Plura quidem placent in hoc capite; quaedam vero adhuc perficienda videntur.

Placet imprimis quod prima vice ratio habeatur in solemni Ecclesiae declaratione illius motus, faciem Ecclesiae veluti renovantis quo dignitas et actuosa praesentia christifidelium, quos laicos vocamus, in Ecclesiae vita extollitur. Equidem huic motui viam pararunt non pauca et praeclara pontificia documenta, necnon viri docti qui de theologia sic dicta laicatus plura et pulcherrima recentissimis temporibus scripserunt, *in quo* [1] etiam insigni merito et laudi Actionis Catholicae *multum* [2] vertendum est.

Adhuc tamen apud non paucos exstat laicorum aestimatio veluti Ecclesiae membra passiva, seu mere receptiva, quibus tantum onus incumbit oboediendi, tacendi et largitiones praestandi. Fortasse nimis serviliter et ad litteram nonnulli premunt metaphoram orientalem poesim redolentem de « grege ovium ». Et nimis frequenter, quando de Ecclesia loquuntur aut de statu ecclesiastico, intelligunt tantum hierarchiam aut statum clericalem.

Providentissimus vero Deus iam Ecclesiam suam nostro tempore illustravit nova illa veluti epiphania, qua omnes laetamur et gloriamur, quum christifideles in dies ecclesialem conscientiam adepti se sentiunt Christo vitali modo incorporatos, missionis salvatricis Ecclesiae solidarios atque propriis et praestantissimis muneribus in mundi consecrationem et regnum Dei aedificandum cumulatos. Ita Sponsa Christi, iuventute semper florens, de thesauro suo nova proferens et vetera hodierni mundi necessitatibus apta remedia praefert. Et siquidem extensive ad omnes mundi plagas crescit, non minus intensive seu ad intra semetipsam quotidie nova perfectione coagmentat. Valde ergo praesens caput laudem bene meretur *et ab eo optimum pastorale bonum exspectandum.* [3]

Nonnulla tamen mihi observanda occurrunt:

1. De ipsa inscriptione de populo Dei. Aliqualis miratio exsurgit, eo quod, licet non novus, tamen minus usitatus, de quo solum in theologia recenti actum est, nec, ut aestimo, fundamenta theologica huius notionis Ecclesiae attributae adhuc plene elaborata sunt. Certe, in cap. I

huius schematis, *ter saltem Ecclesia exhibetur ut populus Dei,*[4] a Christo *coadunatus de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti,*[5] antiquo populo electo *succedens,*[6] et ab eo tamquam a typo *praeparatus, eumque perficiens;*[7] sed praecipue, *in eo schemate,*[8] ob oculos consideratur notio Corporis Mystici, qua Ecclesia concipitur tamquam continuatio ipsius Christi. Dixerim quod notio Corporis mystici potius attendit ad intimam naturam vitae supernaturalis Ecclesiae, notio vero populi Dei ad externam manifestationem socialem ipsius Corporis mystici, quod foris, *ut signum,*[9] apparet tamquam populus seu plebs hierarchice ordinata, iuxta easdem causas quae cuilibet societati locum dant: efficientem nempe, quae Christus est; materialem, quae est multitudo hominum *qui cum Christo iunguntur vinculis fidei, sacramentis et communionis;*[10] formalem, quae est coniunctio stabilis, *supra Petrum ceterosque apostolos;*[11] finalem vero, quae est bonum commune communibus mediis assequendum, *sanctificationem nempe et salutem in Christo.*[12] Qui populus eatenus est Ecclesia quatenus ut Corpus Christi mysticum exsistit.

Fortasse ergo abs re non esset quaedam presse indicare, *scopo pastorali,*[13] de his notis populi Dei seu societatis Ecclesiae, praesertim eius *universalitatem*: nacta est enim ex Christi voluntate omnem hominem venientem in hunc mundum comprehendere, ideoque omnes, quantumvis alieni, absentes, diversae stirpis, conditionis etc., a Christo et ab Ecclesia peramanter invitantur sese aggregare ad hunc populum. *Unitatem* in caritate *Christi et Spiritu Sancto*[14] fundatam, quae fortior est qualibet alia ratione vel motivo quo homines sese disiunctos sentire possint; et qua quaelibet divisio, ut puta *nationis,*[15] classis socialis, factionis politicae etc., superari debet. *Servitium promotionis salutis,* simpliciter dictae, quae est salus aeterna, in regno Dei fruenda, et sanctificatio totius vitae in hoc mundo in iustitia et sanctitate veritatis, honestate et pace inter omnes sive individuos sive nationes. Ex quo apparet quantum populus Dei conferat ad ipsum bonum civitatis terrenae.

2. Placet etiam, et gratias agimus commissioni de laboribus Concilii coordinandis de notula illa ad calcem prioris pagellae huius fasciculi, iuxta quam hoc cap. III dividitur in duas partes, quarum prima de populo Dei in genere, altera vero de laicis in specie. Non est cur plura argumenta indigitemus ad hanc optimam dispositionem laudandam. In populo Dei omnes, *sive de hierarchia sint vel minus,*[16] feliciter adnumeramur et prima atque fundamentali dignitate qua baptizati Christo incorporamur aequales sumus. Deinde attendenda erit diversitas munerum seu servitiorum in bonum totius Corporis, qua diversi gradus hierarchiae et communis gradus laicorum inserviunt in aedificationem Corporis Christi, seclusa qualibet specie dominii aut dominationis.

Adhaereo distributioni materiae propositae ab em.mo Suenens in fasciculo « emendationum ». Fortasse paragraphus de membrorum in Ecclesia Christi aequalitate et inaequalitate, aptiorem inveniret locum in fine cap. II de populo Dei et viam aperiret cap. III de hierarchia.

3. Verba « populus Dei » diversa significatione aliquando *in schemate* [17] adhibentur; alibi totam Ecclesiam, alibi vero tantum laicos significant; quod vitandum est.

Particulares citationes circa pagellam, lineam, etc., secretariae tradam.[18]

4. Delere etiam oportet verba passim interiecta quibus laici speciatim notantur quando agitur de populo Dei...[19]

5. In novo capite de populo Dei vitetur quaelibet contrapositio hierarchiae ad populum, quum omnes unum constituant populum...[20]

6. Minus placet descriptio laicorum in qua nota veluti specifica statuitur in duplici elemento negativo, aliud de institutione divina « neque ad ordinem hierarchicum », aliud de constitutione mere canonica « neque ad statum religiosum ab Ecclesia sancitum pertinent ». Potius nota laicorum consistit in suo specifico munere, quod viventes in saeculo temporalibus deputantur ad mundi consecrationem.

7. Participatio fidelium in muneribus sacerdotali, prophetico et regali Christi, aliquatenus confuso et insufficienti modo exponitur, *prout mihi videtur.*[21] Sacerdotium universale « ut spirituales offerant hostias » nec rationem theologicam, nec veram realitatem exprimit huius sacerdotii, quod velut simplex metaphora sic apparet. Populus Dei novus Christo Capiti incorporatur per regenerationem baptismi ...[22]; Christo inquam qui est unctus Sacerdos in aeternum, de qua unctione fideles charactere sacramentali suo quoque modo participant. Fideles cum Christo offerunt Deo sacrificium novae Legis per manus et ministerium sacerdotum, *qui personam Christi agentes potestatem habent litandi,*[23] et ipsi etiam cum Christo victima offeruntur. Missa est ergo actus Christi et totius populi Dei; integra vita fidelium, cum Christo est hostia vivens Deoque placens.

8 et ultimo. *Ex eo quod* [24] christiani membra sunt Corporis mystici triplex opus ipsis essentialiter inest: opus testimonii, vita enim Christi per ipsos mundo manifestatur; opus caritatis, vita enim corporis exigit a suis membris plenam communicationem bonorum, sive spiritualium sive materialium, *cum omnibus a Christo redemptis*;[25] opus apostolatus, missio enim divina Ecclesiae ad omnia sua membra extenditur, quae proinde, secundum propriam functionem et facultates, operam conferre debent in aedificationem Corporis *Christi.*[26] Dixi.

In textu scripto tradito: [1] Quod. [2] deest. [3] deest. [4] de novo populo Dei agitur. [5] coadunato. [6] succedente. [7] praeparato eumque perficiente. [8] deest. [9] deest. [10] deest. [11] deest. [12] deest. [13] deest. [14] deest. [15] nationalis, stirpis. [16] deest. [17] deest. [18] (cf. n. 22, lin. 4; n. 23, pag. 6, linn. 17, 18, 19, 20). [19] (n. 22, lin. 4; n. 25, pag. 9, lin. 30; pag. 10, lin. 15; n. 26, lin. 24 et 39). [20] (cf. n. 24, pag. 7, lin. 13). [21] deest. [22] et unctionem Spiritus Sancti. [23] deest. [24] Quoniam. [25] deest. [26] deest.

13

EM.MUS P. D. ANTONIUS CARD. BACCI

Venerandi Patres conciliares,

Brevissime loquar, ut semper soleo, et quidem de paragrapho IV, ubi agitur de sacerdotio *universali* christifidelium, hoc est laicorum.

Sacerdotium christifidelium vocatur universale. Atque si linguam latinam intellego, adiectivum *universale* significat « quod universa complectitur », « quod universa comprehendit », « quod ad universa spectat ». Sed profecto, ut omnes norunt, sacerdotium christifidelium non universa complectitur, non universa comprehendit, non ad universa spectat. Sacerdotium *universale* ad unum Christum pertinet qui est reapse et universaliter sacerdos et victima.

Nos autem, qui ad Ecclesiae hierarchiam pertinemus, sumus administri Christi, aeterni sacerdotis. Sed notandum est, etiam hoc sensu, christifideles non esse sacerdotes. Etenim sacerdotium ministeriale duplicem potestatem a Christo traditam amplectitur: id est potestatem in Corpus reale Christi, et potestatem in ipsius Corpus mysticum. Quam duplicem potestatem simplices christifideles non habent. Ut enim animadvertit S. Thomas (*Summa Theol.,* III, 63, ad 2) sacramentum baptismatis et cetera sacramenta christianae initiationis nullam omnino potestatem conferunt.

Nullo modo igitur dici potest sacerdotium christifidelium esse sacerdotium *universale*; quod quidem magnam, hac in re gravissima, ambiguitatem generat.

Perperam autem, ut mihi videtur, ad hanc rem illustrandam, illud affertur S. Petri (*Epist.* I, 2, vers. 4): « Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis etc. ». Hic enim S. Petrus non laicos tantum, hoc est christifideles, alloquitur, sed ut ex contextu patet, universum coetum christianorum, quem gentem sanc-

tam et regale sacerdotium idcirco appellat, quatenus coetus christianorum a sacerdotibus spiritualiter regitur (regale *enim* [1] a « regere » *derivat), regale sacerdotium* [2] ad offerendas spirituales hostias laudis, ut supra in vers. 5 scribit: « et ipsi tamquam lapides vivi superaedificamini, domus spiritualis, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum ».

Sacerdotium igitur christifidelium, h. e. laicorum, hoc loco vocatur domus spiritualis et sacerdotium sanctum, quatenus iidem christifideles per baptismum deputantur ad offerendas Deo hostias laudis et acceptabiles Deo. Quapropter hoc tantum peculiari sensu (non autem generali seu universali sensu) dici possunt sacerdotes; quod quidem sacerdotium catechismus Concilii Tridentini (pars II, cap. 7, n. 284) appellat sacerdotium *interius,* et allatis textibus Sacrae Scripturae, deputatum dicit ad offerendas spirituales hostias laudis. Non igitur agitur de vero et proprio sacerdotio, tantoque minus de sacerdotio universali.

Verum tamen est laicos etiam non tantum ad spirituales hostias laudis, per sacramenta quae susceperunt, deputari, sed etiam ex officio teneri ad sociam et adiutricem operam praestare hierarchiae Ecclesiae in christianorum apostolatu, secundum illud S. Petri ...[3]: « Unusquisque, sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiae Dei ».

Fidelibus igitur etiam honorificum onus et officium incumbunt, omni ope adlaborandi una cum ecclesiastica hierarchia *et sub ea* [4] ut divinum salutis mandatum ad universos homines propagetur, nostris praesertim diebus, quibus sacerdotes pauciores sunt, quam increscentes necessitates postulant.

Sed hoc propria significatione sacerdotium vocari non potest et tanto minus, ut dixi, sacerdotium *universale.* Propono igitur ut hoc adiectivum « universale » ex textu expungatur et in contextu, h. e. in verbis quae sequuntur, clare et sine ambiguitate dicatur hic agi de sacerdotio non vero et proprio, sed tantum generica significatione accepto, eo nempe modo eaque ratione supra expositis.

Haec habui, venerandi Patres conciliares, quae sapientiae vestrae proponerem.

In textu scripto tradito: [1] igitur. [2] deest. [3] (*epist.* I, 4, 10). [4] deest.

Moderator: Publicantur nunc exitus suffragationum hodiernarum de emendationibus circa schema *de sacra Liturgia.*

Secretarius generalis:

Emendatio V:

Votantes praesentes	2.259
Dixerunt *placet*	2.219
non placet	37
Vota nulla	3

Emendatio VI:

Praesentes votantes	2.216
Dixerunt *placet*	1.964
non placet	247
placet iuxta modum (ergo nullum)	1
Vota nulla	4

Emendatio VII:

Praesentes votantes	2.175
Dixerunt *placet*	2.124
non placet	50
Suffragium nullum	1

Denique emendatio VIII:

Praesentes votantes	2.220
Dixerunt *placet*	2.194
non placet	24
placet iuxta modum (votum nullum)	1
Suffragia nulla	1

Ergo omnes quatuor suffragationes, quae lectae sunt, Patribus placuerunt.

Moderator: Proxima congregatio generalis: crastina die, hora nona.

Em.mus P. D. EUGENIUS card. TISSERANT: Reponatur Sacrosanctum Evangelium.

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE ECCLESIA

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE

QUOAD CAP. II SCHEMATIS DE ECCLESIA *

1

EM.MUS P. D. AUGUSTINUS CARD. BEA

N. B. Praeter observationes generales circa cap. I-II in aula conciliari propositas [*cf. pp. 20-22*] haec particularia addere liceat. (Haec saltem ex parte procedunt ex principiis in dictis observationibus generalibus expositis).

Pag. 23, lin. 3: « Praesertim stabiles »: cur dicitur « praesertim »? ita datur praeferentia quaedam ministrationibus stabilibus, quae saltem hic difficilius intelligitur et non probatur. Praeterea quaeri potest quid sint « ministrationes non stabiles », quae hic supponi videntur. Proponitur: « in Ecclesia sua varias ministrationes sive charismaticas sive officia ordinis socialis... » vel etiam: « ministrationes tum ordinis charismatici tum alias, uti sunt varia munera ordinis socialis ».

Pag. 23, linn. 5-10: « Quicumque e populo... apostolos fundavit »: hae sex lineae minime clarae sunt. Primo non intelligitur nexus initii cum praecedentibus. Videtur scopus esse admonere fideles, ne ministrationes considerentur ut dignitates sed potius ut occasio et officium serviendi fratribus, veram dignitatem autem esse illam quae omnibus fidelibus communis est. Si hic est sensus, proponitur: « ... Corporis tendunt. Non debent ergo considerari ut dignitates sed ut munus serviendi propriis fratribus in Christo et Ecclesiae. Dignitas enim hominis christiani non in ministratione ipsis concredita consistit, sed in magnis illis donis, quae per baptismum accepit, quaeque omnibus Christi fidelibus aequalia et communia sunt. Qui vero ut ministri in potestate constituuntur, constituuntur hunc in finem, ut fratribus suis serviant, secundum verbum et exemplum Domini ipsius qui dixit: « Filius hominis non venit ministrari sed ministrare » (*Mt.* 20, 28; cf. *Lc.* 22, 26). Non solum autem hi ministri sed cuncta membra ad eundem finem Ecclesiae libere et ordinate conspirare et contribuere debent et ita salutem suam operari.

Pag. 23, lin. 9: « Ipse Dominus... »: quid sibi vult in hoc contextu haec affirmatio?

Pag. 23, lin. 14: « quorum successores... voluit »: haec verba non valde

---

* Huiusmodi textus lecti non sunt quia Patres vel, scripto exhibito, loqui non petierunt, vel iuri loquendi renuntiaverunt, vel disceptatio interrupta est.

clara sunt. Ex continuatione lin. 16 « episcopatus » videtur concludendum hic excidisse vel deesse vocem « Episcopos ». Si ita est, proponitur: « a Patre..., voluitque ut usque ad consummationem saeculi haberent successores, qui in Ecclesia Pastores et Doctores essent. Hi successores sunt episcopi ».

Pag. 23, lin. 17: « in ipso instituit »: adde: « *Dominus* in ipso instituit... ».

Pag. 23, lin. 18: « Unitatis fidei... principium »: ne constitutio videatur neglegere principia *interna* supernaturalia unitatis, quae sunt influxus Spiritus Sancti (cf. infra pag. 27, lin. 27!), influxus Christi, caritas etc., indicetur explicite hic agi de unitate *visibili,* uti dicitur postea « *visibile* fundamentum »; dicatur ergo: « unitatis fidei et communionis *visibile* principium ac fundamentum ».

Pag. 23, lin. 21: « suam facit »: deest subiectum, quod est « Sacrosancta Synodus ».

Pag. 23, lin. 22: « Et in eodem incepto... »: cum mentio Concilii Vaticani I nimis longe distet, melius hic iterum nominatur: « incepta *Concilii Vaticani I* prosequens, doctrinam... ».

Pag. 23, lin. 24: « Et capite suo, ac *totius Ecclesiae capite* »: non est usitatus modus loquendi, quod *Petrus* dicitur caput *totius* Ecclesiae; praeterea talis modus loquendi, qui non prostat in S. Scriptura, doctrinam de *Christo* Capite *Ecclesiae* tam clare in Novo Testamento expositam offuscare videtur. Forte ergo hoc incisum hic *simpliciter* omittendum est. Nam si Petrus iam dicitur Christi Vicarius, caput collegii apostolorum et ut talis regere domum Dei, omnino sufficienter exprimitur eius suprema auctoritas in Ecclesia. Si tamen aliquid addere placet, dicatur « ac totius Ecclesiae *Pastor* ».

Pag. 24, lin. 6: « Ecclesiam diffunderet »: est expressio minus felix; diffunditur vel spargitur nuntius evangelicus, Ecclesia vero potius *congregatur*; dicatur ergo: « homines ad Ecclesiam congregarent » vel etiam: « Ecclesiam propagarent ». « Eamque *sub tutela* »: expressio valde infelix, quia suggerit tutelam tutoris super eos, qui aetatem nondum habent, « eamque sub tutela »: haec verba videntur referri ad *Mt.* 28, 20: « et ecce ego vobiscum ... »; inde melius dicitur: « *Domino ipso eos adiuvante et dirigente* ».

Pag. 24, lin. 8: citatio *Mt.* 28, 20 *si ponenda* est, ponatur post verba « gubernarent » nam in Evangelio incisum « omnibus diebus ... saeculi » *non refertur* ad gubernationem sed ad assistentiam Domini (« ecce ego vobiscum »).

Pag. 24, lin. 11: « *Exstruunt* universalem »: forte melius « aedificant », cum haec expressio ex costanti usu Novi Testamenti clarior sit.

Pag. 24, lin. 18: « ... Ecclesiae consulere debuerunt »: repetatur subiectum claritatis causa. Dicatur ergo: « *Apostoli* Ecclesiae consulere... ».

Pag. 24, lin. 20: « Non quidem eam fundandi... »: hic textus supponit apostolos *fundasse* Ecclesiam. Iamvero etsi in Brev. Rom., Commun. Apost. Resp. 7, adhibeatur de apostolis aliqua similis expressio « *plantaverunt Ec-*

clesiam », quaeri potest num, cum agitur de Ecclesia ut tali non de Ecclesiis localibus, expressio « fundare » exacta sit et de Apostolis adhiberi possit. Nonne ordinarie dicitur *Christum* esse fundatorem Ecclesiae? Nonne insuper ipsum collegium apostolorum *initium* erat Ecclesiae *iam fundatae?*

Pag. 24, lin. 25: « Ut Evangelium... sit... *totius* vitae principium »: quid significat haec expressio? estne exacta? Nonne Christus et... Spiritus Sanctus et ultimo Deus ipse sunt tale principium? « Evangelium » autem inquantum est annuntiatio (oralis vel scripta) Christi, certe maximi momenti est, sed non est *totius* vitae Ecclesiae principium; nam praeter annuntiationem dantur etiam media sanctificationis, id est sacramenta etc.

Pag. 24, lin. 27: « De *instituendis* successoribus »: agiturne hic de successoribus edocendis et formandis vel de creandis sive constituendis? Vox « instituere » potius priori sensu intelligenda esset; iamvero in contextu prius exspectaretur sermo de successoribus deligendis et creandis (« constituendis »).

Probatio allata, solus locus *Act.* 20, 28, omnino insufficiens est. Plures loci ex Epistulis pastoralibus citandi essent.

Pag. 24, lin. 28: « Seipsis »: potius dicendum esset « sibi ipsis ».

Pag. 24, lin. 31: « regere... debent... »: hic transitus ad exhortandum minime quadrat stylo constitutionis *dogmaticae.* Hic expectatur potius ut exacte et plene describantur *potestas* et *auctoritas* episcoporum ut successorum apostolorum, ita ut appareat eos *eandem* auctoritatem possidere ac apostoli ipsi; non autem exspectantur exhortationes.

Ideo hic e textu *1 Petr.* 5, 2-4 addenda essent verba, quae sequuntur, de praemio quod pastores fideles a « Principe Pastorum » accepturi sunt. Ex his enim verbis clare apparet seniores ac pastores, de quibus hic textus loquitur, vices gerere Christi Supremi Pastoris eiusque nomine et auctoritate gregem Dominicum pascere. Patet hanc ideam dogmatice ad finem huius loci constitutionis magni momenti esse.

Pag. 24, lin. 36: « Apostoli igitur ab ipso Domino instructi et acceptis mandatis »: haec conclusio minime in praecedentibus probatur, ubi nihil de talibus mandatis vel instructionibus Domini apostolis datis dicitur. Praeterea, uti supra dictum est, haec conclusio de episcopis ab apostolis constitutis multo melius probanda esset, et distinguenda essent munera apostolis *ut* talibus data et alia quae transmittere debebant successoribus.

Pag. 24, lin. 40 ad pag. 25, linn. 1 ss.: « Sicut autem permanet... ita servatur... »: quinam est sensus harum duarum affirmationum et quinam parallelismus inter eas? Videtur esse intentio auctorum confirmare cum supremam potestatem Petro concessam tum potestatem datam toto collegio apostolico ad eorum successores transiisse; quod tamen clarius exprimendum esset. Si haec est idea auctorum, res clarior esset, si *non* incipitur novum alinea. Tunc enim melius haec affirmatio ut conclusio e praecedentibus apparebit. Praeterea notentur quae dicta sunt ad lin. 36 de distinctione munerum apostolorum.

Pag. 25, lin. 3: « A corpore sacrato »: « sacrato » forte melius omittitur, nam eo ipso quod sermo est de corpore episcoporum sufficienter res intelligitur et sufficienter reverentia erga eos exprimitur nam etiam de « collegio » non dicitur ipsum esse « sacratum ». Ergo non est necessarium dici neque de corpore.

Pag. 25, lin. 4: ut simul ratio aliqua detur pro hac conclusione forte mentio apostolorum facienda esset et quidem hoc modo: « ... docemus episcopos, *utpote successores collegii apostolorum,* ex divina institutione... ».

Pag. 25, linn. 16-21: « Immo... gradum supremum sacramenti Ordinis »: non apparet quid his verbis proprie affirmetur et quid *novi* illa afferent ad illa, quae dicuntur in lineis immediate praecedentibus. Ibi enim dicitur consecrationem episcopalem pertinere ad sacramentum ordinis, et inde evidenter etiam gratiam ex opere operato conferre. Dicitur praeterea: gradum sacerdotii, qui consecratione episcopali confertur vocari « summum sacerdotium ». Nonne in his iam omnia elementa continentur quae linn. 16-21 affirmantur? Praeterea ex eo quod traditio dicit, per consecrationem episcopalem conferri gratiam Spiritus Sancti, non sequitur episcopatum esse gradum *supremum* sacramenti ordinis.

Pag. 25, lin. 22: ne minima quidem probatio datur pro charactere sacramentali per consecrationem episcopalem impresso.

Pag. 25, lin. 29: « Paterno munere »: cf. *1 Cor.* 4, 15: « nam si decem milia paedagogorum habeatis in Christo, sed non multos Patres. Nam in Christo Iesu per evangelium ego vos genui ».

Pag. 25, lin. 35: nonne « ministerium sacerdotale verbi » et « testificatio Evangelii gratiae Dei » una eademque res sunt?

Pag. 25, lin. 37: « Ministratio Spiritus in iustitia et gloria »: ut textus melius textui S. Pauli respondeat, proponitur ita: « ministratio iustitiae et Spiritus in gloria », vel loco « in gloria » melius, magis consone ad linguam latinam « *gloriosa* ministratio... ».

Pag. 25, lin. 33: « Non sunt nisi ministri... » haec verba, quae apud apostolum S. Paulum magnam dignitatem ministrorum exprimunt melius non adhibentur ad hanc dignitatem quasi diminuendam. Proinde proponitur ordinem invertere et dicere *lin. 26*: « Episcopi sunt ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei... per eos enim Christus Dominus singulariter Ecclesiae suae vivificandae praesens est... ».

Pag. 25, lin. 39: « Hierarchia... ministris »: numquid in constitutione, quae ex professo de Ecclesia tractat, sufficit in hac re tanti momenti simpliciter citare Concilium Tridentinum? Praeterea, cum in praecedentibus (linn. 35 ss.) officium episcoporum ope vocis « ministerium », « ministratio » describitur, aliquam confusionem ingerit, si hic vox « ministri » de ministris *inferioribus* (i. e. diaconis) adhibetur sine ullo addito vel explicatione.

Pag. 26, lin. 1: collato pag. 25, linn. 24-26: fortasse in loco citato pag. 25 melius *positive* diceretur quid episcopi sint et demum hic pag. 26

comparatio fieret episcoporum cum presbyteris et dicerentur illa potius negativa ex pag. 25, linn. 24-26.

Pag. 26, lin. 3: « Veritatem... dispergant »: forte melius « spargant ».

Pag. 26, lin. 6: num essentia sacerdotii eo exhauritur quod sunt « cooperatores ordinis episcopalis »?

Pag. 26, lin. 8: « Fideles ad iugem orationem exhortantur... »: curnam praecise hoc elementum extollitur et quomodo probatur? Fortasse auctores volebant exponere munus sacerdotis orationes communitatis fidelium dirigendi (cf. sequens « dirigunt »), quod clarius dici deberet.

Pag. 26, lin. 10: quid significant verba: « ad communicandum sacrificium Christi et Ecclesiae... perducunt »?

Pag. 26, lin. 12: « A Romano Pontifice vel ab episcopo... assignatur »: si supra (lin. 1) dicitur episcopos sibi assumere presbyteros ut adiumentum, nonne hic *primo* loco poni deberet — id quod ordinarium est — i. e. sacerdoti curam animarum actu exercendam *ab episcopo* assignari? (A Romano Pontifice enim solum in casibus minus ordinariis assignatur). Primo ergo ponatur id quod est ordinarium et maxime frequens.

« Cura autem *animorum* »: secundum usum ordinarium ponatur « anim*a*rum ».

Pag. 26, lin. 13: « Cuius in pascendo... vices agunt »: si presbyteri ordinarii in cura animarum semper et simpliciter « *vices* » episcopi agunt, ergo omnia, quae faciunt *nomine* episcopi agunt? Expressio saltem male intelligi posset. Et quid de sacerdotibus qui non immediate ab episcopo dependent (religiosi etc.)?

Pag. 26, lin. 19: quid significant verba « secundum quandam impulsionem apostolicam? Forte melius « ex sincero zelo apostolico ».

Pag. 26, lin. 20: « Ad salutem... protendentem »: forte melius: « ad salutem totius mundi anhelantem ».

« Episcopi... munus participantes »: nonne haec expressio *etiam* significare potest eos *totum* munus episcopi ita participare? fortasse ita: « in episcopi munere *partem* habentes ».

Pag. 26, linn. 21 ss.: « Exigentiam... recipiunt »: quid significat « exigentiam recipere »? Praeterea tota haec sententia minime clara est. Proponitur: « Cum in episcopi munere partem habeant et ex hac participatione oriatur necessitas, ut vera et sincera caritate erga gregem instructi sint, eadem participatio secumfert etiam promissionem divinam hoc donum a Deo obtinendi et continet validum incitamentum ad omnimodam sanctitatem adipiscendam, cum perfecta illa erga gregem caritas sine ea dari non possit ».

Pag. 26, lin. 25: « Et confratribus suis »: agiturne de aliis sacerdotibus vel de christifidelibus eis commissis, qui eorum « fratres in Christo » sunt?

Pag. 26, linn. 29-40: non est certe constitutionis dogmaticae in re ab apostolis ipsis instituta, uti est gradus diaconorum, fere solum ea proponere, quae in C.I.C. hodierno habentur (et quidem in solo Codice Latino) omissis eis, quae in Actibus Apostolorum cap. 6 et in traditione habentur.

Pag. 27, lin. 9 ss.: « Collegium... ut capite eius intelligatur »: sententia difficilis; proponitur: « Collegium... auctoritatem non habet nisi cum Romano Pontifice, successore S. Petri, collegii capite, simul sumptum ».

Pag. 27, lin. 12: « *Per se* plenam et universalem potestatem »: quid significant hae expressiones? Numquid Romanus Pontifex, considerata institutione Ecclesiae, concipi potest seiunctim a collegio apostolorum? Si ergo illorum verborum sensus est, Romanum Pontificem non accipere potestatem plenam et universalem a corpore apostolorum, omnino vera est, sed est tam evidens, ut non appareat cur efferatur. Si autem intelligitur Romanum Pontificem posse pro se *seiunctim* a collegio apostolorum considerari et ita plenam potestatem in Ecclesiam habere, e supradictis non habet sensum.

Pag. 27, lin. 17 :« Ecclesiam creditur »: videtur deesse verbum; dicatur ergo « *esse* creditur ».

Pag. 27, lin. 22: « Collegium... varietatem populi Dei... repraesentat »: hoc proprie obtineri potest tantum si membra collegii considerantur ut repraesentantes singularum Ecclesiarum, quae ab ipsis reguntur; proinde dicatur: « Collegium hoc quatenus ex multis componitur, quorum unusquisque suam Ecclesiam (vel suam partem Ecclesiae) repraesentat, varietatem populi Dei exprimit; quatenus autem singula eiusdem membra et Ecclesiae ab ipsis repraesentatae sub uno capite collecta sunt, unitatem gregis Christi demonstrat ».

Pag. 27, lin. 25: « Fideliter *observantes* »: forte melius « agnoscentes ».

Pag. 27, lin. 27: « Spiritu Sancto... roborante »: nonne saltem aliqua probatio pro hac maximi momenti affirmatione dari deberet?

Pag. 27, lin. 4, nota num. 34: hic agitur de affirmatione aliqua *dogmatica.* Iamvero talis affirmatio per facta historica, — quae nominantur in nota 34 — per facta *ut talia* probari non potest, sed solum, si haec facta considerentur ut testimonia fidei et traditionis.

Pag. 28, lin. 3: « Unitatis ... principium ac visibile fundamentum »: uti iam pag. 23, lin. 18 notabatur, hac in re caute loquendum est, ne videamur Petrum principio unitatis *internae* (Christo et actioni Spiritus Sancti) substituere velle; proinde dicatur « unitatis tum episcoporum tum fidelium *visibile* principium ac fundamentum » (ita enim clare apparet hic agi tantum de principio unitatis *visibili*).

Pag. 28, lin. 11: « quando episcopus... praeficitur »: textus prout sonat tautologia esse videtur; nam clarum est eo quod aliquis Ecclesiae *particulari* praeficitur eius regimen pastorale hoc actu non extendi ad Ecclesiam universalem; quaestio videtur potius, num eo quod quis episcopus, ergo membrum collegii episcopalis, *creatur,* non acquirat aliquam auctoritatem supra Ecclesiam universalem. Proinde proponitur: « Quando aliquis episcopus creatur... » (vel etiam formula aliqua adhuc magis clara) « regimen... nonnisi super portionem... cui praeficitur... ».

« Regimen... extendit »: fortasse melius construere forma passiva: « regimen eius pastorale... nonnisi extenditur ».

Pag. 28, lin. 17: « Debent enim... »: loco enumerationis officiorum, hic expectaretur potius aliqua *probatio* illius universalis sollicitudinis de qua linn. 14 ss. Probatio autem clara habetur in illis, quae supra (maxime pag. 27, linn. 20 ss.) dicta sunt de cura praedicandi evangelium collegio Duodecim tradita. Ex hac ratione apparet quoque statim *primo omnino* loco nominandum esse officium praedicandi Evangelium, quod hic in textu solum fere ultimo loco adducitur (linn. 23 s., 28 ss.). Fortasse praeter illam rationem quae petitur ex facto, Dominum Ecclesiam collegio apostolorum tradidisse alia quoque ratio adduci potest, id est necessitas, quae a S. Paulo *1 Cor.* 12, 12-30 exponitur, scilicet ut unumquodque membrum Corporis mystici Christi semper donum totius et omnium membrorum prae oculis habeat. Maxime respiciendus esset textus *1 Cor.* 12, 26: Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra. Item potest adduci ex eodem capite illud (quod iam supra, initio huius capitis constitutionis dictum erat): unicuique autem datur manifestatio spiritus *ad utilitatem* (ibi d. v. 27). Ex contextu patet agi non de utilitate tantum, nec primo loco individui, sed Corporis Ecclesiae. Ex hac ratione, id est, mutua solidaritate omnium membrorum corporis, eo ipso pateret etiam veritas eorum, quae dicuntur pag. 28, lin. 24, scil. curam solertem propriae Ecclesiae constituere efficax contributum ad bonum totius mystici Corporis Christi. Ex eadem augmentatione etiam illa quae dicuntur supra de cura missionum non soli Romano Pontifici relinquenda optimum caperet fundamentum e S. Scriptura sumptum (et non haberetur apparentia ac si haec *solum* recentioribus documentis Summorum Pontificum probari possint) (cf. notam 44). In hac ultima nota utiliter citari possent verba Pii XI in nota 39 allata. Demum e dictis rationibus e *1 Cor.* petitis etiam illa quae de « universali charitatis societate » mutuoque « fraterno adiutorio » dicuntur (linn. 38 ss.), optimum haberent fundamentum.

Pag. 28, lin. 38 ad pag. 29, lin. 2: quae hic optime dicuntur cum illis cohaerent, quae iam supra lin. 19 ss. de amore totius Corporis mystici Christi, de cura pauperum, dolentium etc. dicta sunt. Proinde, ut expositio melius ordinetur, fortasse melius primo exponeretur cura ab episcopis habenda Evangelium ubique terrarum annuntiandi (lin. 28 ss.), dein adderentur ea, quae curam pro illis qui iam crediderunt spectant.

In tota hac expositione potius quam tonus exhortatorius adhibeatur serena expositio, quae animos episcoporum et fidelium gaudio afficiat de talibus et tantis opportunitatibus pro *toto* Corpore Christi mystico curam gerendi.

Pag. 29, lin. 3: « mediantibus apostolis »: forte melius: « in apostolis et per eos, a Domino... ».

Pag. 29, lin. 9: « Ut prophetarent... »: haec expressio, uti videtur, perperam de apostolorum officio et munere adhibetur; in loco citato *Act.* 1, 8 non invenitur, in alio autem loco *Apoc.* 10, 11 de alia re agitur, non de praedicatione apostolorum.

Pag. 29, lin. 12: « Verum est servitium... »: haec idea iam pag. 23, lin. 7 exprimitur; ac hic maxime exemplo Domini probanda esset i. e. *Mt.* 20, 28: « Filius hominis non venit ministrari sed ministrare »; cf. *Lc.* 22, 26 s.

Pag. 29, lin. 15: estne necessarium hanc quaestionem hic tractare? De quanam « missione » agitur?

Pag. 29, lin. 22: « Doctores authentici »: haec non solum ex C.I.C. sed maxime e praecedentibus, quae de collegio apostolorum dicta sunt, probanda essent.

« Vera auctoritate nomine Christi... »: obtinetne hoc etiam in presbyteris? Si ita, ubi est differentia inter auctoritatem presbyterorum et episcoporum?

Pag. 29, lin. 27: « Fideles in episcopi sententiam... »: nonne idem valet etiam de sacerdotibus? Dicatur ergo: « sacerdotes et fideles etc. ».

Pag. 29, lin. 30: quid est concrete ille « collegialis nexus »?

Pag. 29, lin. 31: quid significat: « authentice docentes »? Nonne haec expressio melius explicari et pressius definiri deberet? Praeterea hoc iterum ex praecedenti expositione probari deberet et non e documentis, *non* officialibus, Concilii Vaticani I.

Pag. 30, lin. 3: citetur textus authenticus Concilii Vaticani I non aliquae explicationes in Concilio datae.

Pag. 30, lin. 4: « *iure* statuit »: non decet Concilium Vaticanum II pro documento, quod non minus solemne est, i. e. constitutione definitoria primatus, quasi novam aliquam « approbationem » afferre.

Pag. 30, lin. 10: nonne haec iam supra lin. 2 dicta sunt?

Pag. 30, lin. 13: « Secundum ipsam revelationem »: numquid semper agitur de revelatione proprie dicta? Melius dicatur « secundum depositum fidei ». Non enim omnia quae in deposito fidei continentur necessario e « revelatione » proprie dicta provenire debent.

Pag. 30, lin. 18: nonne hic addere conveniret, Ecclesiam non esse nec agere ut dominam super deposito fidei, sed tantum ut custodem et fidelem interpretem doctrinae *a Domino per apostolos acceptae?* Ita occurreretur frequenti obiectioni quorundam fratrum seiunctorum et simul via pararetur ad illa, quae sequuntur de sollicitudine ab Ecclesia adhibenda in doctrina rite indaganda et apte enuncianda (lin. 18).

Pag. 30, lin. 21: « Novam vero revelationem... »: haec melius initio huius expositionis dicerentur, id est hac ipsa pagina linn. 27 ss. Ibi opportune statim diceretur in magisterio Ecclesiae non agi de nova revelatione publica danda, sed de doctrina a Domino per apostolos Ecclesiae concredita melius definienda et interpretanda.

Pag. 30, linn. 24-28: « Religiosum... obsequium praestandum est »: nonne aliqua ratio pro hac affirmatione afferenda esset, id est monstrandum esset, quomodo haec conclusio e doctrina supra exposita sequatur?

Pag. 30, lin. 31: « Summus sacerdos » etsi hoc verum sit (cf. pag. 25, linn. 11 s.) tamen videndum esset ne confusio fiat cum officio « Summi Pontificis »; periculum enim est, ne videatur adesse tantum differentia *vocis* (Pontifex etiam significat « sacerdos »), et non differentia in re.

Pag. 30, lin. 36: « Eorum particulari iudicio ... determinatas »: ad quem refertur vox « eorum » et ubi inveniuntur hae ulteriores determinationes? An forte ipsi episcopi debent « praecepta Domini et generales Ecclesiae leges » particulari suo iudicio ulterius determinare?

Pag. 30, lin. 37: afferatur saltem aliqua probatio.

Pag. 31, lin. 3: « Etiam regimen ... inservit »: nonne potius unum ex *primariis* muneribus episcoporum est ad « fideles sanctificandos » conferre?

Pag. 31, lin. 5: « Ut vicarii et legati Christi regunt »: recolantur unus aliusve textus vel una aliave ratio in praecedentibus allata.

Pag. 31, lin. 7: « Ad gregem suum aedificandum »: pro vera auctoritate et potestate adducatur ut confirmatio v. g. *2 Cor.* 10, 4: Nam arma militiae nostrae non carnalia sunt sed potentia Deo ad destructionem munitionum in promptu habentes ulcisci omnem inoboedientiam; de potestate ad aedificationem data: cf. *2 Cor.* 10, 8: « ... de potestate nostra, quam dedit nobis Dominus in aedificationem et non in destructionem vestram ». Item *2 Cor.* 13, 10: « ut non praesens durius agam secundum potestatem, quam Dominus dedit mihi in aedificationem et non in destructionem ».

Pag. 31, lin. 19: « Dum Spiritus Sanctus ... sustinebit »; quid haec sibi volunt? Non est enim quaestio num *Spiritus Sanctus* constitutionem Ecclesiae a Deo datam sustinebit, sed quaestio est ut homines utramque potestatem, scil. episcoporum et Romani Pontificis, ita contemperent ut uniuscuiusque potestatis natura servetur.

Pag. 31, lin. 25: « Coercendi, ante oculos teneat »: loco toni exhortatorii, dicatur fere ita: « hoc autem munus coercendi suam normam habet in exemplo Boni Pastoris ... ».

Pag. 31, lin. 34: « Ut Paulus est ... »: deesse videtur subiectum; forte melius: « ut Paulus ... ita etiam ipse episcopus debitor est ... ».

Pag. 31, lin. 38: « Fideles autem... »: uti supra (pag. 29, lin. 27) etiam hic forte etiam sacerdotes ordinarii includi possent, ut episcopus vere sit caput totius populi christiani in sua dioecesi; eo vel magis quod sacerdotes in hac « adhaesione » fidelibus exemplo praeire debeant et quia, cum ipsi quoque munus aliquod docendi habeant, facilius se ob officio subiectionis sub auctoritate *doctrinali* episcopi exemptos considerare possunt.

2

EM.MUS P. D. IACOBUS FRANCISCUS CARD. McINTYRE
Archiepiscopus Angelorum in California

Vellim dicere verbum circa cap. II, *de Ecclesia,* et signanter circa par. 12, *de diaconis.*

Propositum privandi diaconatum vetustissimo et hodierno suo decore magni momenti est et attentum animum petit ad probabilia consectaria huius radicalis innovationis.

Plura quae in hac aula conciliari audivimus talia equidem sunt quae hominem provectae aetatis meae torquent vehementer; nec torquent dumtaxat, verum et concutiunt.

Nam propositum illud tendit ad resignationem privilegiorum quibus honorifice simul ac praeclare iamiam per plura saecula diaconatus gavisus est; cui, ex adverso, tribuitur coniugii privilegium, novum et periculo plenum. Hoc est formidolosum.

Fierine potest ut officium sacerdotis et episcopi denudetur vitae ornamento quod longissimo tempore ceteris fuit in reverentiam, ipsis autem in dignitatem et sanctificationem?

Verum quidem est caelibatum sacerdotis nunc non oppugnari modo directo et proximo. Abs dubio tamen oppugnatur indirecte et remote per propositum deflectendi a recepto splendore Diaconatus.

Undeviginti saeculorum decursu multa suffecta sunt et adiecta quibus viri et mulieres, religiosi atque saeculares, illa omnia et colunt et evolvunt opera quae nunc tribuerentur diaconatui, primaevae aetatis aemulo. Gesta huiusmodi suntne oblivioni data, saltem inadvertentiae?

Cogitemus fratrum laicorum, ut vocantur, in religiosis Institutis agmen copiosissimum; viri plane dediti servitio Dei et hominum, in officiis celsis et humilibus, puta catechistarum et magistrorum, adiutorum et inservientium. Suntne hi cuncti despiciendi, quorum operam diaconi suscipiant? Ipsi tamen nuncuparunt vota quae vetant matrimonium.

Totum systema, prouti dicitur, servitii socialis, latissime nunc temporis vulgatum in institutionibus religiosorum et saecularium, virorum et mulierum — coniugatorum atque caelibum — ingens Ecclesiae operibus contributio fulget.

Opus est, ni fallor, alta atque protracta consideratione ut aequa prorsus lance pensitemus quae pro novo proposito et contra novum propositum et allata sunt et afferentur; timeo enim ne facile inducamur ad acceptandam novitatem cuius experimentum praecessit nullum.

Si quid igitur sentio, lin. 33 ad 41 par. 16 sunt omnino delendae.

3

Em.mus P. D. CLEMENS card. MICARA

Discussiones in Concilio de collegialitate episcopatus habitae ostendunt maximi momenti esse, ut clare distinguantur certa ab incertis, ne in decretum definitivum expressiones introducantur, quae erronee interpretari possint.

I. *Ea quae certa sunt.*

1. Certum est Christum Dominum instituisse collegium apostolorum, quod continuatur in collegio episcoporum; singuli enim episcopi eatenus positi sunt a Spiritu Sancto ad regendas ecclesias singulas, in quantum huic collegio adnumerantur. Ideo usus theologorum adhibendi expressionem « collegium episcoporum » ut terminum technicum ad indicandum episcopos vinculo quodam sociali quodam modo coniungi et a reliquis fidelibus quodam modo distingui, reprobari nequit.

2. Certum est constitutionem ecclesiae esse monarchicam, quatenus Romanus Pontifex habet « totam plenitudinem supremae potestatis in ecclesia ordinariam et immediatam, sive in omnes et singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles » (D. 1831), idque « ex sese », id est non ex delegatione ecclesiae vel collegii episcoporum.

3. Certum est constitutionem monarchicam ecclesiae nequaquam repugnare institutioni collegii episcoporum. Ideo primatus Pontificis Romani

a) non excludit potestatem ordinariam et immediatam episcoporum « qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt » (D. 1828);

b) non excludit collegium episcoporum in concilio sub Romano Pontifice congregatorum supremam potestatem in Ecclesia collegialiter exercere;

c) non excludit collegium episcoporum etiam in orbe dispersum functionem quamdam propriam habere: infallibilitate enim pollet, quando singuli episcopi, in propriis ecclesiis docentes, consentiunt proponendo veritatem aliquam divinitus esse revelatam (D. 1792).

II. *Ea quae dubia sunt.*

1. Inter theologos contemporaneos, proponuntur tres diversae opiniones de immediato subiecto supremae potestatis in ecclesia, quae opiniones plerumque in ordine ad magisterium infallibile exponi solent.

a) Plures defendunt duplex esse subiectum immediatum huius potestatis inadaequate distinctum: unum est Summus Pontifex solus, ut successor Petri; aliud collegium episcoporum sub Summo Pontifice.

b) Secundum alios, unum est subiectum supremae potestatis, id est,

Summus Pontifex, a quo potestas collegii episcoporum sive in concilio collectorum, sive in orbe dispersorum, provenit.

c) praeter has duas opiniones (quae iam in concilio Vaticano ut liberae consideratae sunt), recentius proposita est tertia opinio secundum quam subiectum immediatum supremae potestatis est collegium episcoporum; hoc collegium, potestatem suam supremam exercet vel collegialiter, scilicet in concilio sub suo capite, i. e. sub Romano Pontifice, qui ex sese, non ex consensu episcoporum, tamen semper in qualitate capitis collegii episcoporum, in ecclesia unicam summam potestatem exercet.

Istae tres opiniones libere in ecclesia disputantur, et nulla istarum tales habet rationes quae omne dubium tollant. Praesertim tertia opinio multas habet difficultates; dicunt quidem eius propugnatores, se nolle quidquam detrahere de plenitudine primatus Romani Pontificis, sed nuper unus ex principalibus propugnatoribus huius theoriae explicite agnovit nondum esse clarum, quo modo haec opinio conciliari possit cum iis quae de primatu Romani Pontificis in Concilio Vaticano I proposita sunt (Carolus Rahner, in Rahner-Ratzinger, *Episkopat und Primat,* Freiburg 1961, pag. 91).

2. Dubium est proinde, quo sensu episcopi positi sint, non tantum ut singuli singulas ecclesias regant, sed etiam ut collegialiter in regimine universae ecclesiae interveniant. Patet quidem, omnes christianos habere sollicitudinem omnium ecclesiarum, cum singula membra corporis ad bonum totius collaborare debeant; patet similiter, hanc cooperationem diverso modo fieri debere, secundum diversam positionem organicam cuiuscumque in structura corporis mystici: proinde episcopi episcopali modo hanc sollicitudinem exercere debent. Attamen, non est clarum, utrum, in hac sollicitudine episcopali, actus regiminis collegialis exerceatur. E. g. opus missionum exterarum non posset existere si singuli episcopi non cooperarent in propriis dioecesibus in opere missionum promovendo; sed ex hoc non immediate patet, missiones exteras collegialiter ab episcopis esse (sub directione suprema Summi Pontificis) dirigendas; et multo minus patet, episcopos novarum ecclesiarum, etsi ope totius episcopatus indigeant, magis quam alios episcopos a collegio episcoporum dependere. De facto, etiam clerus alicuius dioeceseos debet de bono totius dioeceseos sollicitus esse, et hanc curam debet sacerdotali modo, aliter quam simplices fideles, exercere, tamen, ex hoc non sequitur clerum collegialiter sub episcopo dioecesim regere.

3. Dubium est etiam, et maxime, utrum Summus Pontifex uti debeat concursu episcoporum in regimine ordinario ecclesiae universalis. Patet, una ex parte *a*) non requiri ad validitatem actuum Summi Pontificis consensum episcoporum. Similiter patet *b*) ad liceitatem horum actuum requiri, quod exigitur ad actum cuiuscumque ministerii ecclesiastici, usum illorum mediorum humanorum quae adhiberi debent ne Deus tentetur; non est dubium, inter ista media praecipuum locum obtinere consilium confratrum in episcopatu. Ideo Romani Pontifices maxime ante actus extraordinarios magisterii vel legislationis, episcopatum universum consulere solent. Attamen,

alia ex parte, saltem dubium est *c*) utrum pontifices hoc facere debeant ex iure divino, modo ordinario et stabili, ita ut ipsa constitutio ecclesiae quemdam ordinarium interventum collegii episcopalis in regimine supremo connaturaliter postulet.

III. *Conclusio.*

Rebus sic stantibus, videtur inopportunum in schemate *de Ecclesia,* de collegio episcoporum ita loqui, ut insinuetur secundum Concilium supremum subiectum potestatis ecclesiae in collegio episcoporum reponi. Vitandum etiam est, ne talis modus loquendi adhibeatur, ex quo postea conclusiones nec praevisae nec intentae deducantur, et sic veritas de primatu Romani Pontificis obnubiletur. Ad quod periculum vitandum non sufficit repetere, eatenus tantum Patres schema approbare velle, quatenus primatus Romani Pontificis integer servatur; quaestio enim est praecise utrum expressiones quaedam cum primatu (sensu Concilii Vaticani I intellecto) componi possint, necne.

Videtur proinde cap. II n. 16 ita esse retractandum, ut expressiones ambiguae eliminentur. Exempli gratia, ne dicatur quod « collegium episcoporum... una cum capite suo Romano Pontifice... indivisum subiectum plenae et supremae potestatis in universam ecclesiam creditur ». Similiter evitetur expressio secundum quam episcopi in collegio episcoporum « propria potestate in bonum fidelium suorum immo totius ecclesiae funguntur ». Nec retineatur expressio « cura Christi evangelium annuntiandi ubique terrarum ad corpus pastorum pertinet, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium ». Licet enim istae expressiones possint rectam significationem habere, tamen, in luce discussionum hodiernarum ansam dant ut auctoritas Concilii ad propagandam opinionem de primatu collegiali adhibeatur.

E contrario laudanda est et retinenda declaratio sequens: « Quando episcopus particulari ecclesiae praeficitur, regimen suum pastorale proprie dictum non nisi super portionem populi sibi commissam, non super alias ecclesias, neque super ecclesiam universalem extendit. Sed ut membrum collegii, pro universa ecclesia ea sollicitudine ex officio tenetur, quae licet actus iurisdictionis non sit, summopere tamen confert ad ecclesiae universalis emolumentum ». Desiderandum est, ut totum caput in lumine horum verborum excellentium evolvatur.

4

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS NESTOR ADAM
Episcopus Sedunensis

Liceat mihi, scriptis non ore, ad usum commissionis conciliaris de doctrina fidei et morum (*de Ecclesia,* cap. II) breviter exponere argumenta, quae definitioni sacramentalitatis episcopatus adversantur:

I. In Sacra Scriptura nihil invenitur, quo huiusmodi sacramentalitas apodictice probetur. Nec novimus, qui revera fuerint « episcopi » et « presbyteri », de quibus sermo fit in Novo Testamento.

II. Neque e traditione Ecclesiae hauriri potest solidum argumentum hanc sacramentalitatem comprobans; haec enim certe erui nequit e formulis liturgicis vel e testimoniis Patrum vel ex unanimi magisterio Ecclesiae (cf. quaestionem de reordinationibus, de chorepiscopis, praxim ecclesiae Alexandrinae, in qua sacerdos, in episcopum electus, statim, sine ulla ordinatione, in episcopali solio constitui solebat, praeterea factum historicum, ex quo constat simplici sacerdoti a Romano Pontifice facultatem factam esse diaconos, quin immo sacerdotes ordinandi, et fidelibus sacramentum confirmationis conferendi).

III. Gravissimi theologi, ut S. Thomas Aquinas, sacramentalitatem negant. Ceteroquin theologi adhuc inter se disputant de vera ratione huius sacramentalitatis, id est, quomodo episcopatus sit pars sacramenti Ordinis.

IV. Fautores sacramentalitatis obliviscuntur potestatem episcopalem esse essentialiter potestatem iurisdictionis. Manifestum est autem sacerdotem, in episcopum electum, vixdum possessionem suae dioecesis ceperit, plena frui potestate iurisdictionis independenter a consecratione. Quae consecratio haberi potest tamquam « conditio sine qua non » validae collationis sacerdotii (sicut, si licet exemplum afferre, benedictio abbatialis est conditio validae collationis Ordinum minorum, et etiam per diuturnum tempus, pro abbatibus Ordinis Cisterciensis, conditio validae collationis diaconatus).

V. Abhinc paucos annos in Catholica studiorum Universitate Friburgensi dissertatio ad lauream consequendam a quodam alumno proposita est et a professorum collegio accepta, qua sacramentalitas episcopatus validis argumentis impugnabatur. Quae quidem argumenta hic brevitatis causa non afferuntur.

VI. Non opportunum videtur sacramentalitatem in hoc Concilio definire, quod sibi proposuit oecumenismum promovere. Etenim novum dogma novas difficultates, ad heterodoxos quod attinet, sine dubio pariet.

VII. Pluries declaratum est huius Concilii non esse nova dogmata definire. Cur ergo de re adhuc incerta tam gravis sententia dogmatica fiet?

Ex his colligitur quaestionem de sacramentalitate episcopatus nondum esse maturam atque adeo liberae disceptationi theologorum relinquendam. Supervacaneum est affirmare non mihi in animo esse, ut quidquam de dignitate episcopali detrahatur. Immo *munus* episcopale in clariore luce collocatur, quatenus episcopi sunt duces et rectores populi Dei sub Petro et cum Petro.

Quamvis gaudio afficiar, si sacramentalitas episcopatus in hoc Concilio definiatur, attamen conscientiae officium me impellit, ut nonnullas difficultates vobis exponam, quae huic sacramentalitati adversantur.

Quod dicturus sum, nullo modo afficit collegialitatem episcopatus, neque ei obest neque eam minuit.

I. *Difficultas.* Praxis Ecclesiae Romanae per plura saecula protracta; etenim presbyteri, qui ab episcopis haereticis erant ordinati, post reditum ad unitatem Ecclesiae reordinabantur.

Quod certe factum esse constat inde a saec. VI; quin immo anno 769 Concilium Romanum introduxit Romae praxim huiusmodi reordinationis, quae praesertim saec. IX et X frequens erat. Quidquid sit de praxi, quae post saec. XIV invaluit, ac de disceptationibus theologicis hac de re, constat Ecclesiam Romanam usum reordinationis per plura saecula secutam esse.

Cf. Summos Pontifices Stephanum III, Gelasium, Ioannem VIII, Sergium III, Ioannem X et XII, S. Leonem IX, Urbanum II, Lucium III, Urbanum III, Bonifatium IX. Alii Summi Pontifices, quamvis praxim reordinationis ipsi non servarent, tamen ordinationes extra Ecclesiam catholicam factas, nullas esse affirmaverunt, veluti Innocentius I, S. Leo Magnus, Benedictus III, Nicolaus I, Hadrianus II, Stephanus III, Paschalis II, Alexander III, Innocentius IV.

Immo plura Concilia Oecumenica idem docuerunt, videlicet Concilium Oecumenicum VIII Constantinopoli celebratum, Lateranense I, II et III.

Quomodo iudicandum est de hac evolutione in Ecclesia, si episcopatus est sacramentum? Quodsi Ecclesia in re tam gravi, pertinente ad sacramenta, erravit, quid sentiendum de infallibilitate ipsius Ecclesiae?

Si potestas ordinis necessaria esset ad validam collationem presbyteratus, nulla mutatio substantialis fieri posset ab Ecclesia.

Contra, si agitur tantum de potestate iurisdictionis, res facile explanatur, nam Ecclesia mutavit doctrinam et praxim circa iurisdictionem.

II. *Difficultas.* Ex historia constat Summum Pontificem simplici sacerdoti potestatem fecisse diaconos, immo sacerdotes ordinandi: 1. Innocentius VIII abbati generali et abbatibus quattuor monasteriorum filialium Ordinis Cisterciensis concessit, ut subditos ipsorum diaconos ordinarent. Die 1 februarii 1400 Bonifatius PP. IX abbati S. Osythae Londinii potestatem impertiit omnes ordines maiores, etiam presbyteratum subditis eius conferendi. Die 16 novembris 1427 idem privilegium a Martino Pp. V indultum est abbati monasterii vulgo Altzelle appellati, dioecesis Misniensis, in Saxonia.

Hic agitur de facto proprie dogmatico, quod est obiectum secundarium infallibilitatis pontificiae; ipse S. Thomas docet dispensationem sacramentorum pertinere ad veritatem doctrinae.

Denuo quaeri potest quid sentiendum sit de infallibilitate Ecclesiae.

III. *Difficultas.* Si episcopatus est sacramentum, in quo consistit natura huius sacramenti?

Non videtur conferri potestas Ordinis neque iurisdictionis: non Ordinis, quia, ut vidimus, Romanus Pontifex delegavit simplici sacerdoti collationem sacramenti Ordinis; non iurisdictionis, quia secundum praxim hodiernae Ecclesiae latinae, episcopus etiam non consecratus plena fruitur iurisdictione in Concilio Oecumenico, ubi collegialiter agit tamquam iudex et doctor fidei et suffragium deliberativum habet (cf. can. 223), et in sua dioecesi, postquam

possessionem cepit, plenam exercet iurisdictionem etiam sine consecratione. Hodie ad summum affirmari potest consecrationem episcopalem esse conditionem « sine qua non » validae collationis Ordinum Maiorum.

IV. *Difficultas.* Si episcopatus est sacramentum, non liquet, in quo praecise consistat character sacramentalis.

Si agitur de aliquo complemento sacerdotii, sequitur sacerdotes esse imperfecte sacerdotes vel tantum partialiter, quod in Ecclesia inauditum est.

Theologi hac in re dissentiunt et quamvis plura egregie dicta fuerint, quaestio est adhuc melius enucleanda.

V. *Difficultas.* In Ecclesia orientali in praxi reiciuntur ordinationes factae extra Ecclesiam. Plures ibi habitae sunt reordinationes clericorum, qui ab haeresi ad Ecclesiam reversi erant. Immo haec doctrina codificata est in antiquissimis Constitutionibus sic dictis Apostolicis.

Difficultas maxima invenitur in praxi Ecclesiae alexandrinae per plura saecula, ubi electus sine ulla consecratione, in solio episcopali constituebatur et gregem suum regebat. Qua de re plura sunt documenta.

VI. *Difficultas.* Certum est in Ecclesia occidentali per plura saecula doctrinam viguisse episcopatum non esse sacramentum.

Innumeri sunt testes; unum afferam S. Thomam.

VII. Ex altera parte *difficultas* oritur, nam videntur Romae diaconi directe episcopi consecrati fuisse, sed haec praxis historice non potest probari. Sed si hoc revera contigit, quomodo explicari potest episcopatum esse complementum sacerdotii, quod revera non collatum est?

VIII. *Difficultas* oritur ex liturgia. Textus liturgici pluries immutati sunt et etiam, sicut hodie prostant, non clare ostendunt characterem sacramentalem episcopatus.

Conclusio. Fortasse naturae potestatis ordinis et iurisdictionis subtilius studendum erit meliusque distinguendum inter utramque potestatem.

Nullo modo dubitandum est, quin episcopi in hierarchia ratione consecrationis divina ordinatione sacerdotibus praecedant et antecellant, sed ex hoc non sequitur episcopatum esse sacramentum.

Fortasse opinio theologorum asserens sacerdotem radicaliter iam habere quod in consecratione episcopali quoad exercitium amplificatur, viam pandit alicui solutioni.

Quidquid sit de sacramentalitate episcopatus, valde optandum est ut, sicut in Ecclesia orientali, ita in latina, sollemnissima consecratio episcopalis sit per se publica et officialis missio episcopi, a Christo instituta, eiusque cooptatio in collegium episcoporum.

5

EXC.MUS P. D. ANTONIUS M. AGUIRRE
Episcopus S. Isidori in Argentina

Ad cap. II, n. 15: *de presbyteris et diaconis.*

In cap. II huius schematis magno decore ornatur dignitas presbyterorum singillatim perspectorum eorumque missio ut talium intra Ecclesiam. Hoc valde laudandum est, sed non videtur sufficiens. *Necessarium est ut etiam dignitas et missio sic dicti « presbyterii » admittatur et redintegretur,* i. e., « corporis presbyterorum » ad episcopum congregatorum.

Revera his temporibus « presbyterium » ad summum ut institutio meri nominis devenit.

Est periculum — quod significari oportet — ut instantia ex una parte valoris episcopatus, et laicati ex altera, de quo valde gaudendum est, novam tamen inaequationem in populo Dei gignat.

Patet presbyteros non posse in situm inferiorem deduci, cum, ut membra populi Dei, omnibus iuribus huic concessis gaudeant; adde quod communiter priores et proximiores episcopi coadiutores sunt.

Idem Pontificale Romanum « cooperatores ordinis nostri », i. e., « episcopalis » eos appellat, ut in schemate memoratur. Vera autem « cooperatio » presbyterorum ad episcopum dari nequit, nisi illi quoddam activum interventum in huius munere pastorali habeant. Contrarium nempe improprium est personarum adultarum et in illud devenit ut presbyteri simplices « executores » earum quae ab episcopo statuuntur evadant.

Renovatio « presbyterii » maximi ponderis esset ut ad opinionem populi intra ordinem dioecesanum — id est, humano, ut ita dicam modo — *adspectus collegialis necnon localis structurae Ecclesiae significaretur.*

Ceterum, « corporis presbyteralis » ope, regimen dioecesanum sensum vere familiarem adipisceretur, maioremque vim et efficaciam haberet, cum praeterea expers esset quarumdam libidum in quas facile inciditur cum nimis personale est.

Propter has rationes, *propono ut hoc Concilium Vaticanum II ita instituat ratamque habeat effectivam restaurationem « presbyterii », sive « corporis vel collegii presbyteralis », ut venerabilem, antiquam et maximi pretii traditionem Ecclesiae, tum orientalis, tum occidentalis, reficiat.*

Ut aditum haberet haec renovatio in schema *de Ecclesia,* addendam capiti II (III in nova refectione) appendicem « de corpore vel de collegio presbyterali » censeo et propono quae partem praesentem n. 15 sufficeret (de diaconis agi posset ad finem huius appendicis).

Post autem, in schemate *de episcopis ac de regimine dioecesium* leges et fundamina ad ordinationem « presbyterii » iacerentur.

[*Subsignaverunt etiam:*] Alberto Devoto, ob. de Goya; M. J. Blan-

choud, ob. de Rio Cuarto; Roberto Cáceres, ep. Melensis; Vicente Zazpe, ob. Rafaela; Miguel Balaguer, ep. tit. Castel Minore; Jorge Kemerer, ep. Posadas (Argentina); Annibal Maricevich, ob. coad. de Villarica; Marcelo Mendiharat, ob. coad. de Salto (Paraguay); Manuel Tato, ob. Santiago del Estero (Argentina); A. Quarracino, ob. de 9 de Julio (Argentina).

6

EXC.MUS P. D. ADALBERTUS ALMEIDA MERINO

Episcopus Zacatecensis

Liceat mihi duas additiones suggerere.

1. Ad cap. II, pag. 24, n. 20: post verbum « ... pascendi ... » dicatur: « ... eamque diffundendi ... ». *Ratio*: ut veritas cohaerenter cum supra dictis in hac eadem pagina n. 6, complete exprimatur et aspectus missionarius Ecclesiae essentialis melius eluceat.

2. In pag. 25, n. 28: post verba « ... verbum fidei ... » dicatur « ..., Sacrificium Missae ... ». *Ratio*: absque dubio, Christus praesens in episcopis quibus presbyteri assistunt, suam Ecclesiam praeexcellenti modo per sacrosanctum Sacrificium Missae vivificat.

7

EXC.MUS P. D. ALFREDUS ANCEL

Episcopus tit. Myrinensis, aux. Lugdunensis

Aliquo sensu unanimes omnes sumus in affirmanda collegialitate episcoporum; at quando agitur de natura huius collegialitatis, de relatione eius ad primatum, necnon de exercitio eius, non parum discrepamus.

Potest sane Concilium ea omittere quae *ad originem potestatis collegialis spectant,* scilicet utrum immediate a Christo an mediante Romano Pontifice saltem implicite approbante communicetur. Impossibile vero est Concilium de natura collegialitatis, de relatione eius ad primatum et de principio doctrinali quod regit eius exercitium tacere. Alioquin videretur suo scopo graviter deficere.

Unde vellem quasdam animadversiones, distinctiones et definitiones proponere quae, ut arbitror, ad viam unanimitatis aliquid possent afferre.

Animadversiones.

1. Ad dignoscendam naturam hierarchicam Ecclesiae, non debent adhiberi sensu univoco sed tantum analogo voces quibus utimur quando de potestate terrestri loquimur, nam regnum Christi non est de hoc mundo (*Io.* 18, 36). Significationem ergo vocabulorum unice ex Scriptura et modo agendi Ecclesiae desumere debemus. Cogitate e. g. potestatem, iurisdictionem, primatum, collegialitatem, et a fortiori monarchiam, aristocratiam, senatum et ita porro.

2. Potestas quam a Patre Christus accepit et quam apostolis communicavit non respicit primo iurisdictionem sed missionem. *Missio est absolute prior* adeo ut Christus dicere potuerit: « Non veni ut iudicem mundum sed ut salvificem mundum » (*Io.* 12, 7); *iurisdictio ei subordinatur.* Quinimmo quando agitur de evangelizatione gentium quae primo loco nominatur in missione (*Mt.* 28, 19) nulla habetur iurisdictio. Ideoque in Scriptura, vox « Potestas » duplicem sensum habet. Significat enim sive potentiam divinam quae apostolis data est ad adimpletionem missionis suae, sive potestatem iurisdictionis quae eis necessaria est ut firmentur christiani in fide et in servandis omnibus quaecumque a Christo mandata sunt (*Mt.* 28, 20).

3. Sedulo tandem distinguendum est inter potestatem iurisdictionis et exercitium eius. Potestas iurisdictionis in Ecclesia ex sese et inquantum respicit finem Ecclesiae non habet limites; sed exercitium huius potestatis totaliter differt ab exercitio potestatis terrestris. « Vos autem non sic » dicebat Christus apostolis suis (*Lc.* 22, 26; *Mc.* 10, 43). Duplici enim modo ministerialis est: priore modo et quidem absolute *relate ad Christum,* qui solus est magister, sanctificator, et pastor, sicut est unicus mediator, salvator et sacerdos. Unde qui potestatem in Ecclesia habent, iure divino tenentur ut nihil dicant vel agant proprio arbitrio sed unice tamquam Christi instrumenta; secundo modo *relate ad homines,* servi debent esse et non domini, eis verbum vitae annuntiantes et vitam divinam communicantes. Ipsa iurisdictio servitium ergo est et exercitium eius solis exigentiis missionis respondere debet.

His dictis, ecce quaedam de natura collegialitatis, de relatione eius ad primatum et de principio quo regitur eius exercitium.

1. Potestas collegialis, sive in missione sive in iurisdictione, nullo modo aequiparari potest alicui senatui qui leges ederet a capite observandas neque alicui aristocratiae quae temperaret monarchiam absolutam, neque reduci potest ad potestatem informativam, suasivam vel consultativam; sed haec potestas in se continet tum responsabilitatem universalem missionis a Christo apostolis concreditae, tum potestatem iurisdictionis supremam et universalem quae ad adimpletionem huius missionis necessaria est.

2. Ut intelligamus relationes collegialitatis cum primatu, debemus accurate distinguere inter primatum et iurisdictionem universalem et supremam. Etenim primatus soli successori Petri concreditus est, ut affirmatur in Vaticano I; suprema autem et universalis iurisdictio sive successori Petri modo personali, sive collegio episcoporum cum successore Petri tribuitur. Unde collegialitas nullo modo primatui opponitur, quia in unione cum primatu et sub primatu constituitur. Insuper, primatus Petri et successoris eius non potestati iurisdictionis restringitur sed integrae apostolicae missioni extenditur. Unde non solum in Vaticano II nihil doctrinae Vaticani I de primatu detrahetur sed aliquid addetur scilicet quod spectat ad missionem in sua totalitate.

3. Tandem quoad exercitium collegialitatis unum tantum proponam

tamquam principium doctrinale et quidem his verbis: *exercitium collegialitatis totaliter subiacet exigentiis missionis apostolicae adimplendae.* In hac autem missione tria praecipue consideranda sunt, scil., evangelizatio omnium gentium, integritas in fide et bonum unitatis, quae tria iuris divini sunt. Unde mirum non est si, secundum diversitates nationum et temporum, collegialitas sive suprema sive territorialis diversas formas et diversam extensionem induerit. Non est ergo cogitanda collegialitas secundum normas iuridicas quae temporibus praeteritis accommodabantur, sed secundum exigentias missionis apostolicae nostri temporis.

Sane, primo aspectu, ratio humana quasi vacillat circa naturam potestatis hierarchicae qualem Christus instituit, scil. cum primatu et duplici subiecto supremae et universalis potestatis; sed fides quaerens intellectum laudare debet Deum qui sic unitati et catholicitati Ecclesiae suae simul providebat necnon adaptationi eius ad omnes gentes et ad omnia tempora.

Propositionem autem emendationum schematis secretario tradam.

Emendationes in textum inserendae.

Sane melius mihi videretur recognitio textus totius, ratione habita eorum quae in oratione mea dixi, sed ne nimius labor imponatur, quasdam tantum emendationes proponam quae in n. 16 convenienter insererentur.

1. Linn. 12-18: loco: « Romanus Pontifex ... creditur », dicatur: « Romano Pontifici, eique soli primatus conceditur; sed duplex habetur subiectum plenae et supremae potestatis in Ecclesia, scil. successor Petri, modo personali, et collegium episcoporum una cum Romano Pontifice ». Dominus enim Petrum...

2. Lin. 28: post verba « continenter roborante », dicatur: « Nulla est ergo oppositio inter primatum et potestatem collegialem episcoporum cum hoc collegium una cum successore Petri et numquam sine eo, indivisum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam constituat ». Suprema in universam...

3. Lin. 38: post finem huius paragraphi dicatur: « Exercitium autem huius potestatis non arbitrio praesulum Ecclesiae remittitur sed exigentiis missionis Ecclesiae totaliter subiacet. Quando agitur de associatione episcoporum ad totius Ecclesiae regimen, res totaliter pendet a Romano Pontifice cui soli Dominus primatum dedit; quando vero agitur de collegialitate territoriali, res pendet quidem ab episcopis sive quoad institutionem potestatis collegialis sive quoad exercitium eius sed omnia fieri debent in communione cum Romano Pontifice et dependenter ab eo ».

Nomina aliquorum episcoporum nomine quorum locutus sum: exc.mi PP. DD. Garrone, arch. de Toulouse; Mazier, aux. de Lyon; Puech, év. de Carcassonne; Johan, év. de Agen; Piérard, év. de Châlons; Kervéadou, év. de Vannes; Riopel, aux. de Rennes; Caillot, év. d'Evreux.

8

EXC.MUS P. D. ABEL ISIDORUS ANTEZANA Y ROJAS

Archiepiscopus Pacensis in Bolivia

De praefato capite coniunctim sumpto suffragium meum est: *placet iuxta modum.*

Nullo enim modo approbare possum introductionem diaconatus permanentis pro universa Ecclesia latina, si tales diaconi permanentes servare non tenentur legem caelibatus.

Ut archiepiscopus de La Paz et civis Bolivianus testimonium dare possum personale et pastorale saltem de natione nostra Boliviana, sed puto idem iudicium dandum esse de aliis nationibus et regionibus Americae Latinae.

Diaconus uxoratus, in Bolivia, nulla gauderet fiducia apud christifideles nostrae regionis. Caelibatus in nostris regionibus maximo in honore habetur ita ut minister religiosus uxoratus eo ipso pastor sectae protestanticae reputaretur.

Quod si talis diaconus uxoratus etiam in moribus claudicaret, vel ipsius coniux vel eorum filii in modo vivendi non bonum testimonium mererentur, potius quam aedificationem spiritualem, magnum scandalum fidelibus praeberent. Vae illi per quem venit scandalum.

Facile quoque evenire posset ut talis uxoratus diaconiam uti professionem aliquam lucrativam exerceret, non secluso periculo simoniae et aliorum abusuum.

Hac de causa cap. II de Ecclesia solum iuxta modum probare possum.

9

EXC.MUS P. D. HYACINTHUS ARGAYA GOICOECHEA

Episcopus Mindoniensis-Ferrolensis

N. 18. Agentes de episcopis docemus, iuxta schema, episcopos esse sacerdotes primi ordinis, vices Christi gerentes, apostolorum iure divino successores, heredes potestatum apostolicarum docendi, sanctificandi et regendi, immo et participes, sub Petri successore, ipsius potestatis supremae et universalis Ecclesiae. Tamen in hoc Concilio, vel maxime pastorali, deest imago pastoris, quae episcopis in primis competere supponit S. Petrus nos admonens: « Pascite, qui in vobis est, gregem Dei, providentes non coacte, sed spontanee secundum Deum, nec turpis lucri gratia, sed voluntarie, neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo » (*1 Pt.* 5, 2-3).

Sub hac imagine Christus, ut « Princeps Pastorum » (*1 Pt.* 5, 4), annuntiatur et abunde describitur a prophetis (*Ier.* 23; *Ez.* 34). Hanc imaginem, ut sibi maxime propriam, attribuit « Pastor et Episcopus animarum nostrarum » (*1 Pt.* 2, 25), cuius vices gerere gloriamur Episcopi. Hac ergo

imagine, melius quam aliis, explicare deberet officium et ministerium nostrum secundum ipsa Domini verba. « Pastor ovium proprias oves vocat nominatim et educit eas et ante eas vadit et oves illum sequuntur, quia sciunt vocem eius » (*Io.* 10, 3-4). En optime descripta prima obligatio pastoralis Episcopi, quam sui ipsius propriam esse edixit Dominus: « Ego sum pastor bonus, et cognosco (oves) meas et cognoscunt meae me » (*Io.* 10, 14). Haec mutua cognitio pastoris et ovium, quam in primis procurare debemus, poteritne satis obtineri in dioecesibus quae ingentem numerum fidelium et hominum habent?

Sed pergit Dominus: « et alias oves habeo, quae non sunt ex hoc ovili; et illas oportet me adducere, et vocem meam audient, et fiet unus grex et unus pastor » (*Io.* 10, 16). En optime expressa sollicitudo missionaria propria etiam uniuscuiusque episcopi, qua non solum debet spectare ut veniant, sed potius ipse debet quaerere et adducere eos qui ab Ecclesia vel ab Evangelio adhuc abalienati sunt. Sed ulterius Redemptor noster ait: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis. Mercenarius autem videt lupum venientem et dimittit oves, et fugit et lupus rapit et dispergit oves » (*Io.* 10, 11-12). En obligatio gravissima, sub vitae discrimine, quae nobis incumbit defendendi gregem ab inimicis fidei et morum christianarum. Tandem concludit Dominus: « Oves meae vocem meam audiunt »: en ministerium docendi; « et ego cognosco eas et sequuntur me »; en regendi officium; « et ego vitam aeternam do eis et non peribunt in aeternum »: en sollicitudo salutis supernaturalis hominum (*Io.* 10, 27-28).

Nec haec satis sunt ad exhauriendam totam exemplaritatem officii pastoris. Messiae pastorale officium, a prophetis descriptum, ipse Iesus edixit esse in eo impletum, cum Baptista duos ex discipulis suis misit ad eum dicens: « Tu es qui venturus est, an alium spectamus? Et respondens Iesus dixit illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis: Quia caeci vident, claudi ambulant ... pauperes evangelizantur » (*Lc.* 7, 20-22). En mirifice commendata pastoribus, Christi vices gerentibus, sollicitudo pauperum et aegrotorum, de qua tam pulchra verba audivimus in hac aula. Hanc pauperum evangelizationem et aegrotorum curam suis apostolis commendavit Dominus: « Euntes praedicate dicentes, quia appropinquavit regnum caelorum. Infirmos curate, mortuos suscitate, leprosos mundate: gratis accepistis, gratis date. Nolite portare aurum neque argentum neque pecuniam » (*Mt.* 10, 7-9). In his notandum est mandatum paupertatis quod commendat evangelizatoribus pauperum, quodque etiam commendavit septuaginta et duobus discipulis quos misit in loca quibus erat ipse venturus (*Lc.* 10, 1-4). Hanc paupertatis praxim videtur Dominus exigere tanquam conditionem ut quis adnumeretur apostolis. Nam illi Scribae dicenti: « Magister, sequar te quocumque ieris. Respondit Iesus: Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem hominis non habet ubi caput reclinet » (*Mt.* 8, 20). De « Duodecim » autem Petrus dicere potuit: « Ecce nos reliquimus omnia et sequuti sumus te » (*Mt.* 19, 27). Et non solum « Duodecim », sed etiam S. Pau-

lus: « Argentum et aurum nullius concupivi, quoniam ad ea quae mihi opus erant et iis qui mecum sunt, ministraverunt manus istae » (*Act.* 20, 33-35). Hac apostolica doctrina moti Patres Concilii Carthaginensis IV, exeunte saeculo IV, statuerunt « ut clerici, quantumvis divino verbo idonei, officium honestum, quo lucrentur cibos ediscant » (can. 51-52). Non dico quod haec nostro tempore instaurentur; censeo tamen quod nostro exemplo vel maxime ostendere debemus realem nostram aestimationem pauperum et evangelicae paupertatis.

Venerabiles Patres, haec omnibus vobis valde nota, colligere volui ad humiliter postulandum, ut ex citatis sacrae Scripturae locis aliquis articulus vel numerus a commissione de doctrina praeparetur, in quo haec imago episcopi, ut pastoris animarum, depingatur. Adeoque in n. 18 ponatur titulus: « *De episcoporum pastorali ministerio* », atque post hunc titulum introducatur numerus, quem propono addendum, in quo bene appareat episcoporum ministerium, ad exemplar Christi boni pastoris, esse imprimis officium proprium veri pastoris, seu illis dotibus insignitum, quae in textibus allegatis describuntur.

10

Exc.mus P. D. IOSEPH ATTIPETTY

Archiepiscopus Verapolitanus

N. 15, pag. 26, linn. 15-25. Cum in superiore periodo (lin. 12) explicite assertum sit curam actualem animorum a presbyteris exercendam ipsis *a Romano Pontifice vel ab episcopo competente assignari,* mirum videtur nullam in hac periodo mentionem fieri de Romano Pontifice; dicitur enim « per episcopum enim missionem ab ipso Christo accipiunt... » .

Ibid., linn. 28-41 (*De diaconatu*). Si alicubi diaconatus ut ordinis gradus permanens restituatur, proponerem ut in casu talium diaconorum lex caelibatus nullatenus relaxetur. Fideles enim nostri vident quandam convenientiam moralem legis caelibatus in iis qui ad ministerium altaris prope accedunt. Nunc, isti diaconi proxime accedunt ad sacrificium Missae, immo et administrant sacram Communionem. Si sint matrimonio iuncti, adest periculum ut mentalitas fidelium paulatim mutetur, et ita via paretur ut caelibatus amittat sensum etiam pro presbyteris, quod certe gravi damno erit Ecclesiae.

N. 18. (*De episcoporum ministeriis*). Notum est duplicem esse in scholis sententiam circa originem, seu modum quo confertur iurisdictio episcopis: una affirmans illam venire immediate a Deo, aliam asserens illam venire a Deo mediante Romano Pontifice. Haec secunda fuit explicite proposita a Pio XII sive in *Mystici Corporis* (*AAS.* 35, 1943, 211) sive in *Sinarum Gentes* (*AAS.* 47, 1955, 9). In hoc ultimo documento edocemur potestatem episcoporum provenire ex divino iure « at non nisi per Petri successorem ». Paragraphus vero schematis uti iacet videtur omnino favere opinioni neganti mediationem Romani Pontificis in collatione missionis. Si doctrina Pii XII

erat vera, tunc textus ita redigatur: « Episcopi, mediantibus apostolis, a Domino, cui omnis potestas in caelo et in terra data est, per Romanum Pontificem missionem accipiunt... ».

N. 19. In fine huius numeri (lin. 29, pag. 30) addatur: « *Quod etiam valet, servata debita proportione, de organis quae, nomine R. Pontificis, magisterium authenticum in universam Ecclesiam exercent* ». *Ratio*: nostris enim diebus apparet tendentia magisterium Sacrarum Congregationum prorsus ignorandi contra explicitam affirmationem Sedis Apostolicae obedientiam etiam huic magisterio exigentis.

11

EXC.MUS P. D. SALVATOR BALDASSARRI
Archiepiscopus Ravennatensis

Mihi videtur duo praecipua esse scholia ut acceptetur collegium episcopale agere in universa Ecclesia:

Factum historicum: ineunte saec. II iam apparent episcopi qui regunt propriam et determinatam ecclesiam et postea factum fit commune. Sed ad tollendum vel saltem ad minuendum hoc scholium sufficit haec prae oculis habere: primum testimonium ecclesiarum determinatarum cum proprio episcopo est S. Ignatius. Equidem hic testis qui est episcopus ecclesiae particularis, demonstrat in suis epistulis sollicitudinem aliarum ecclesiarum. Legantur epistolae S. Ignatii et habebitur exemplum conciliationis inter episcopatum particularem et sollicitudinem ordinatam cum aliis ecclesiis.

Alterum afferam exemplum saec. II. Irenaeus est episcopus Lugdunensis et ideo ecclesiae particularis, sed quando habetur procellosa quaestio de die Paschate, quaestio quae in variis ecclesiis agitabatur, Irenaeus intervenit; quando scribit « Adversus Haereses » dicit clare omnes ecclesias (id est omnes episcopos) custodire pro universa ecclesia integritatem fidei. Non est haec custodia, collegialiter sumpta, interventio vera et propria pro universa ecclesia?

Factum historicum et dogmaticum: i. e. *primatus Romani Pontificis*. Non video quomodo opus collegii in universa Ecclesia contradicit primatui.

Primatus semper fuit et semper fuerunt Concilia Oecumenica, i. e. opus collegii episcopalis in universa Ecclesia. Primatus definitus fuit in Concilio Vaticano I et post Vaticanum I sumus hic congregati in Vaticano II. Primatus est supremus et quomodo S. Pontifex non potest, ultra Concilia, alios modos adhibere ad sociandos sibi et sub se episcopos pro universa Ecclesia?

Factum nostrorum dierum: Paulus VI nos vocat ad exquirendum melius mysterium Ecclesiae; suggerere humiliter modos exercitii collegiati nonne est pars nostrae inquisitionis in mysterium Ecclesiae?

12

EXC.MUS P. D. ALOISIUS BARBERO
Episcopus Viglevanensis

Nonnullae describuntur analogiae a Corpore Christi mystico desumptae ad corpus episcopale intimius cognoscendum.

Quia episcopi, ut ait S. Gregorius Magnus et docet Pius XII in Encyclica *Mystici Corporis,* eminentiora sunt membra Ecclesiae universalis, clare consequitur ut episcoporum collegium certe de Ecclesiae participet mysterio; attamen, quia Deus in mira varietate suorum operum mirabiliorem semper respicit unitatem, et quia partes communes habent cum toto qualitates et characteres, aliquas exquirere analogias inter Corpus mysticum et corpus episcopale legitimum esse existimo, quae analogiae ad corpus episcopale intimius cognoscendum pretiosae procul dubio esse possunt.

1. Sicut per baptismum intratur in Ecclesiam mediante charactere qui est quaedam consecratio et participatio sacerdotii Christi, ita ordinatione episcopali intratur in corpus episcopale adhuc mediante charactere qui supremam operatur consecrationem et participationem plenam sacerdotii Christi. Exinde apparet etiam sacramentalitas episcopatus.

2. Sicut in mystico Corpore membra a Capite accipiunt, nihil eidem adiungendo, ita corporis episcopalis membra, scil. episcopi, a Capite, i. e. a Petro — Papa — accipiunt et praesertim accipiunt quod ad iuridicas relationes attinet (cum corpus episcopale corpus sit sociale) imprimis iurisdictionem immediate (cf. Enc. *Mystici Corporis*).

Sicut membra nihil valent, immo prorsus inertia evadunt, si capiti non sunt coniunctae, ita episcopi si a Papa sunt separati.

Sicut Christus nullam praerogativam capitis amittendo, immo nullo modo iuri renuntiando ad directam actionem in mysticum Corpus (quod ius revera exercet in singulos fideles et in totam Ecclesiam sine hierarchiae auxilio), tamen membris indigere aliquo modo voluit ad Corporis dilatationem, opus sic redemptionis operando (cf. Enc. *Mystici Corporis*), ita Petrus, nullo modo capitis praerogativam amittendo, immo et ius ad actionem personalem et directam supra omnes et singulos episcopos et fideles conservando ut Christi vicarius, indiget, Christo sic disponente, episcopis ut sit corpus sociale completum in mandato apostolico exercendo.

3. Sicut in Corpore mystico mirabilis illa unio inter caput et membra praecipue significatur per « *mysterium fidei, signum unitatis et vinculum caritatis* » quod est sacrificium et sacramentum eucharisticum (cf. Enc. *Mystici Corporis*), ita unio et unitas in corpore episcopali creatur et manifestatur per fidem Petri capitis quae in membris diffunditur et quae nunquam deficere potest ex promissione Christi: « Ego rogavi pro te ut nunquam deficiat fides tua et tu aliquando conversus confirma fratres tuos » (*Lc.* 22).

Haec fides potissimum caritate flammescit — « Simon Ioannis diliges

me plus his? Pasce agnos meos... Pasce oves meas » — et vinculum unitatis fovet et caritatis quae « *ad ponendas animas pro fratribus* » urget, quia potestas maxime est servitium seu *diakonia.* « Non veni ministrari sed ministrare ».

Sicut in mystico Corpore singula membra, Christo capiti coniuncta, nullo modo personalitatem amittunt, pariter et libertatem, dignitatem et praerogativas, ita in corpore episcopali singuli episcopi veri pastoris praerogativas omnes conservant munera et iura gregem proprium legitime divino iure regentes.

Sicut caput unit ac roborat membra a quibus, nihil amittendo, complementum quoddam accipit et exaltationem, ita Summus Pontifex unitatis est corporis episcopalis fundamentum (cf. Vat. I) et ab episcopis robore et exaltatione ditatur.

Aliae equidem analogiae iure meritoque inveniri possunt sed ex hucusque dictis concludere licet: Sicut Corpus Christi mysticum est « Christus totus » — ut ait S. Augustinus — ita et episcopale corpus aliquo modo est « Petrus totus ».

13

Exc.mus P. D. ATTILIUS CONSTANTINUS M. BARNESCHI
Episcopus Manziniensis

1. *Circa cap. II, sect. II, comma 13.*

Persaepe sermo est de « apostolis et successoribus ». Nonne opportunum esset quaedam quoque dicere de actuali modo, quem Ecclesia retinet, in eligendis episcopis, praesertim ratione habita antiquissimarum consuetudinum?

2. *Circa cap. II, sect. II, comma 15.*

De diaconatu legimus: « Immo diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri *poterit,* ubi Ecclesia id pro necessitate curae animarum, aut in certis regionibus aut in omnibus, expedire censuerit » (linn. 36-39).

Cum vero huiusmodi opportunitas praesertim in quibusdam missionum regionibus urgeat, suggeritur quid magis concretum de hac necessaria restitutione officii Diaconatus.

3. *Circa cap. II, sect. III, comma 16.*

Non placet verbum « receptum » (lin. 34). Nam ex adnotatione trigesima quarta innuitur hoc verbum intelligendum esse de illis Oecumenicis Conciliis, quae Summus Pontifex in praeterito confirmavit, quamvis non convocaverit. Cur autem legimus in linn. 30-31: « Romani Pontificis praerogativa est Concilia Oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare »?

Quaeritur igitur: verbum « receptum » estne tantummodo intelligendum de quibusdam praeteritis Conciliis Oecumenicis?

4. *Circa cap. II, sect. IV, comma 21.*

Non videtur opportuna mentio verbi S. Pauli (*Rom.* 1, 14), quam legi-

mus inter linn. 34-35 commatis 21, scil. « Ut Paulus apostolus sapientibus et insipientibus debitor est ». Cum verba « insipientibus » aperte referantur iis « qui inter populum suum degentes de uno ovili nondum sunt » (linn. 32-33) praetermittenda videntur.

14

EXC.MUS P. D. PAULUS BARRACHINA ESTEVAN
Episcopus Oriolensis-Lucentinus

Multa dicta sunt in hac aula, et multa habet schema ipsum, de episcopis in relatione ad R. Pontificem, de eorum collegialitate, successione apostolica etc.; de his nempe quae pertinent ad Ecclesiam universalem. Sed fere nihil dictum est de ecclesia dioecesana. Fere nihil de episcopis in suo munere dioecesano adimplendo.

Caput universalis Ecclesiae et fundamentum unitatis catholicae est Petrus eiusque successores; qua de causa potestatem habet in universam Ecclesiam; et merito quidem. Sed caput ecclesiae dioecesanae et fundamentum unitatis dioecesanae est episcopus, qui indiget suis facultatibus, ut sua particularis ecclesia sit una, sancta, catholica et apostolica, suo modo, ad similitudinem Ecclesiae universalis, cuius est imago.

De his omnibus agere debet schema, modo theologico et doctrinali, quando agit de episcoporum ministeriis, a paragrapho nempe duo de vigesima, usque ad finem huius cap. II.

Ad par. 21 quod attinet, de episcoporum munere regendi, conceptam esse modo nimis elementari iudico.

Ad hanc visionem ecclesiae particularis integrandam cum Ecclesia universali, haec consideranda videntur:

A) Primum officium in munere regendi episcopi est procurare, totis viribus, *unitatem* in dioecesi; id est adunare omnia membra ecclesiae dioecesanae ad unitatem fidei, caritatis et actionis pastoralis consequendam. Quod multiplici modo probari potest:

1. *Ex Sacra Scriptura.* Paulus, praedicator infatigabilis doctrinae Corporis mystici, non doctrinam tantum exponit pro Ecclesia universali, sed in ecclesiis particularibus quas creat, curat imprimis de earum unitate practice et perfecte realizanda. Qua de causa scribit ad ecclesiam philippensem (*Phil.* 1, 27): « Tantum digne evangelio Christi conversamini, ut sive cum venero et videro vos, sive absens, audiam de vobis quia statis in uno spiritu unanimes collaborantes fidei evangelii ». Simili modo urget hanc unitatem in aedificatione ecclesiae Corinthi et ecclesiae ephesinae, sicut videre licet in *1 Cor.* 1, 10 et *Eph.* 4, 3.

2. *Ex natura ecclesiae dioecesanae.* Dioecesis est imago Ecclesiae universalis; est tamquam Corpus mysticum in illo loco realizatum. Ergo debet esse

una, sicut Ecclesia universalis; non tantum quia divisa est ab aliis, sed praecipue quia indivisa est in se; quia omnia eius membra et associationes ad eumdem finem tendunt; eadem criteria in vita spirituali dioecesana habent; caritas perfectam obtinet unionem inter pastorem, sacerdotes et fideles.

Veritas necessitatis procurandi unitatem, positive probata, magis apparebit, si negative procedamus. Nempe: dioecesis sine unitate, divisa est; dioecesis sine unitate, non est organizata; dioecesis sine unitate, non prosequitur finem ultimum collaboratione omnium. A. v.: ubi deest unitas, deest et dioecesis.

Quae doctrina de unitate alias veritates implicat, quas prae mente habere debemus: *a*) Episcopus, qui certe est caput, solus laborare non potest neque valet; *b*) Omnes et omnia — personas et institutiones — integrare debet, ut illa unitas consequatur; *c*) Inquirere debet vocationem uniuscuiusque individui et sacerdotis, ad maiorem utilitatem in dioecesi obtinendam; *d*) Omnia facere debet veritate et caritate ductus.

B) Stabilita necessitate unitatis in dioecesi, statim loqui debet schema de regimine relate ad presbyteros et per presbyteros.

Inter alias, sequentem rationem adducere possumus; historia teste, hucusque non fuit sufficiens colloquium inter superiores et subditos; quapropter relatio paternitatis-filiationis, superioris-subditi, auctoritatis-oboedientiae non bene intellecta neque, a fortiori, in praxim ducta est.

De his omnibus urget loqui. Et quidem ita ut recte stabiliatur relatio inter societatem et caritatem, quae relatio fundamentum est progressus unitatis in vita dioecesana.

Patet ex ipso fine auctoritatis. Functio propria auctoritatis est adunare et regere membra societatis ad finem consequendum. Sed finis in Ecclesia est gratia et caritas. Ideo auctoritas tendere debet ad caritatem. Haec est ratio ultima regiminis episcopi. Si haec relatio ad caritatem desit, proprius finis nullo modo obtineretur. Hoc idem asserit Leo XIII in litt. enc. *Cum multa* (*ASS.* 1882, 243). Ergo non possumus loqui simpliciter de auctoritate, praescindentes a caritate; sed ambos conceptus penitus fundere debemus.

Sed bene notandum est: ex eo quod caritas sit finis ultimus regiminis non sequitur — sicut dictum est in hac aula — suavitatem et lenitatem esse semper normam regiminis, tamquam si persuasio fortitudini opponeretur. Hoc admitti nequit. Omnia fiant ex caritate, sed alia aliis.

Superior debet cognoscere media conducentia ad finem. In nostro casu, notum debet habere characterem, modum agendi, reactiones subditi quem gubernat. His suppositis, debet adhibere media aptiora ad finem. Hoc significat in ordine regiminis: Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos (*1 Cor.* 9, 22).

C) Cum hac quaestione intime implicatur ille modus relationis inter ius et caritatem, inter auctoritatem et oboedientiam.

Auctoritas sine oboedientia concipi nequit; auctoritas enim et oboedientia sunt termini correlativi. Sicut igitur auctoritas in omnibus quaerere debet

finem obtinendum, ita et oboedientia; sicut auctoritas tenetur uti mediis aptioribus ad finem, ita et oboedientia.

Problemata haec, ex se difficilia, et nostris temporibus in crisim ducta, solutione practica indigent.

Ad hanc solutionem practicam stabiliendam, in memoriam revocare debemus rationes motrices voluntatis, quae quidem oblivioni traditae sunt.

1. *Ratio divina.* Episcopus gaudet auctoritate divina, nam omnis auctoritas a Deo venit. Auctoritas episcopalis, in specie, directe a Christo profluit. Hoc etiam docet Pius XII (*AAS.* 1954, 672).

Ex hoc sequitur auctoritatem exercendam esse modo Deo digno. Et subditi, hunc titulum divinum agnoscentes, ex ipsa ratione divina in oboedientia implicata, sese submittere tenentur.

2. *Ratio ecclesialis.* In Ecclesia, Corpore mystico, omnes partes, sive caput sive membra inferiora, ad bonum organismi tendere debent. Cum autem hoc bonum, seu finis, sit caritas, haec debet esse tota ratio non tantum regiminis, sed et oboedientiae. Unde hac caritate attenta et intenta, tam a superioribus quam ab inferioribus, suave est regimen et facilis oboedientia.

3. *Ratio socialis.* Si auctoritas vocari et esse debet socialis et, nostro casu, in ordine ad caritatem, oboedientia etiam haberi debet ut virtus socialis; vel, ut clarius dicam, numquam omittere debemus eius characterem socialem. Aliis verbis: omnis societas postulat ut membra subiciantur auctoritati. Nunc vero, finis consequi debet modo perfectissimo; ideoque oboedientia perfecta esse debet; i. e., debet curare finem societatis et intellectu et amore et totis viribus.

Ex his omnibus patet totam par. 21 revideri debere.

15

Exc.mus P. D. IOSEPH BATTAGLIA

Episcopus Faventinus

Data necessitate, et quidem gravi, consulendi necessitati sacerdotum in missionibus, in magnis hodiernis urbibus, in compluribus nationibus, instauratio diaconatus neque necessaria neque opportuna videtur.

Proponitur alia solutio.

Quaestio de instaurando diaconatu tamquam gradu permanenti, mihi adhuc peracerba videtur. Sed quia hinc inde disputatum est, mihi quoque opinionem meam dicere fas sit. Et praesumo me loqui posse nomine sexcentorum episcoporum.

Procul dubio magna est necessitas consulendi paucitati sacerdotum, praesertim in territoriis missionum, in compluribus nationibus, in magnis hodiernis urbibus. Sed instauratio diaconatus neque necessaria neque opportuna mihi videtur.

Non necessaria, quia si fiat cum lege caelibatus, iam talis diaconatus ha-

betur, cui insuper, ad presbyteratum porta patet. Si vero instauratio fiat cum dispensatione a lege caelibatus, tunc haec instauratio opportuna non videtur, ob graves rationes iam ab aliis allatas, quibus addendum est, ut utar verbis S. Pauli, quod vir uxoratus sollicitus est non quae Dei sunt, sed quomodo placeat mulieri, neque potest attendere, serio, apostolatui, cum necessitatibus familiae et filiorum educatione detineatur. Sed quomodo igitur necessitatibus quae ex paucitate sacerdotum oriuntur consulendum erit? En mea propositio: loco diaconatus ponatur acolythatus cum omnibus facultatibus quae concedi possunt, verbi gratia: non solum res materiales administrandi, baptizandi, sed et praedicandi, assistendi matrimoniis, sacram communionem ferendi et quasdam caeremonias celebrandi, etc.

In hoc casu, quamvis minus bene provideatur efficaciori apostolatui, si placet, sit etiam uxoratus! Sed merito obiicitur: acolythatus characterem non imprimit. Utique, sed quaero: num sancti diaconi quos historia celebrat, ut s. Franciscus Assisiensis, bonum operati sunt quia diaconi, an quia sancti? Parum character prodest, si sanctitas desit; et sanctitas etiam absentiam characteris — in operibus et efficacia apostolatus — supplere potest. Quod maxime nobis cordi esse debet est necessitas consulendi difficultatibus ministerii nostri ob sacerdotum paucitatem.

Salus animarum suprema lex esto! Mea propositione fines ob quas instauratio diaconatus exigitur, optime etiam acolythatu obtinetur. Et modo hoc, et sanctitas sacramenti Ordinis integra manet et venerabilis traditio Ecclesiae latinae servatur, neque ullum crimen — sit venia verbo — gloriae nostrae infertur.

16

Exc.mus P. D. GEORGIUS BÉJOT
Episcopus tit. Cassandrensis, aux. Remensis

Cap. II, n. 12, pag. 24, lin. 9: « Apostoli praedicando fidem resurrectione Christi *firmatam* »: emendatio proposita: « efformatam ». Fides enim apostolorum non est simplex fiducia Christo terrestri data, et eius resurrectione firmata tantum, sed adhaesio Christo resurgenti professa « per quam gratiam accipimus et apostolatum » (cf. *Rom.* 1, 5).

N.13, pag. 24, lin. 18: « Quapropter »; lin. 27: « Quapropter ». Quapropter det locum locutioni « de facto »: lin. 18: *De facto* Ecclesiae *consuluerunt*; lin. 27: *De facto* apostoli ... Praxis enim Ecclesiae verum est fundamentum episcopatus successionis apostolicae. Haec est vera traditio, sensu catholico concepta, fratribus seiunctis firmiter ac cum amore proponenda.

17

Exc.mus P. D. RAIMUNDUS CAESAR BERGAMIN
Episcopus Padangensis

A) Sono favorevole alla restaurazione del diaconato permanente, ma *con il celibato,* da conferirsi ai soli membri di Ordini e Congregazioni religiose per: *a*) garantirne la formazione religiosa, *b*) garantirne la necessaria istruzione specifica, *c*) garantirne la cura disciplinare, *d*) garantirne l'assistenza morale e materiale.

B) Sono contrario invece al diaconato senza celibato per queste ragioni:

1. Ogni seminarista negli anni della sua formazione avrà certamente la sua crisi, e non una sola. Tutto naturale quindi che in una di queste prenda la sua decisione (dato che la porta è aperta, ed allettante) di scegliere il più facile: possibilità di matrimonio, niente studi faticosi ed impegnativi, dietro spesso l'incitamento dei parenti, ecc. Per cui la percentuale dei seminaristi che arriveranno al sacerdozio, se ora è già così bassa, sarà molto, ma molto minore in seguito.

2. Difficoltà economiche per provvedere, ed in perpetuo, il sostentamento dignitoso delle famiglie dei diaconi, moglie, figli, alloggio, pensione, ecc.

3. Difficoltà enormi qualora questi diaconi non servano bene, non diano buon esempio, non possano più lavorare o per malattia o per vecchiaia.

4. Preclusa la via al sacerdozio, quando, venendo a scomparire le cause che ve li hanno fatto rinunciare un tempo, essi vi aspirassero.

5. I compiti cui potrebbero essere assunti questi diaconi sono: l'istruzione catechetica, distribuzione della Comunione, assistenza alle Associazioni religiose e caritative, e poche altre. Ma tutte queste mansioni possono essere compiute da laici, o gratuitamente, o anche dietro compenso (e certamente meno oneroso). Con il beneficio che, qualora fosse necessario, il laico può essere facilmente esonerato, il diacono no. Potrà essere sì trasferito, ma e la famiglia?

6. Dalla maggioranza della popolazione cattolica non potrà certo riscuotere la stima e la venerazione che si ha invece per chi si è votato a Dio con il celibato.

7. Si dice che il diacono senza il celibato sia imposto dalla penuria di sacerdoti. Ma il diacono non potrà né celebrare la S. Messa, né confessare, né amministrare i Sacramenti. Mentre sono proprio queste le necessità più urgenti per le popolazioni senza sacerdote. Di preti quindi c'è bisogno, e non di soli diaconi. Il diacono sposato per supplire alla mancanza di sacerdoti può dirsi un surrogato. Di preti santi c'è bisogno, di cui uno vale per dieci! Ciò di cui devono preoccuparsi i vescovi sarebbe piuttosto di fare più santi i loro preti. Così anche il popolo li stimerebbe di più, e con la stima

crescerebbe di pari grado la attrattiva a seguirne gli esempi da parte dei giovani, e le vocazioni aumenterebbero, ed i parenti li incoraggerebbero!

8. Aprire la porta al diacono sposato è un grave rischio. Sono troppo forti le ragioni che fanno temere. Gran parte dei vescovi non lo accetterebbero mai nella loro diocesi. Avremmo quindi la Chiesa nettamente divisa in due in questo campo. Con quale stupore dei fedeli e dei non cattolici?!

Anche se si volesse concederlo « ad experimentum », come si potrà domani fare marcia indietro, qualora l'esperimento non riuscisse? Che figura ne farà la Chiesa ed il Concilio?

C) Quanto saggi e quanto apostolici gli interventi in aula conciliare, per citarne solo due, di S. Eminenza il card. Siri di Genova e di S. Ecc. mons. G. Carraro! Mi è parso che i favorevoli al diaconato con il celibato perorassero la causa con la visione davanti agli occhi della Chiesa universale, mentre quelli contro riguardavano il campo ristretto del loro campo particolare.

Diaconi sì, quindi, ma religiosi, con il celibato. Questo è il mio umile parere.

Mi piacerebbe che questo Concilio, anche se non è necessaria la voce di un Concilio in materia, prendesse in esame e si pronunciasse in favore del diaconato senza celibato nei riguardi di pastori protestanti, diaconi o preti ortodossi già sposati che ritornano alla Chiesa Cattolica. Per essi il Concilio potrebbe mostrare la sua benevola tolleranza e la sua stima per il sacramento del matrimonio, concedendo ad essi di accedere al diaconato, o anche al sacerdozio, pur rimanendo nello stato matrimoniale.

18

Exc.mus P. D. LAURENTIUS BESSONE

Episcopus Mervensis

Hanc animadversionem dicere in aula non intendo, propter rationes quae legenti ex se patent.

Multa circa collegialitatem episcoporum dicta sunt: meo tamen humili iudicio, quidquid de hac re sentiendum sit quoad doctrinam, inopportunum videtur ad eius definitionem pervenire hoc tempore.

Ratio est quia multae nationes novae his diebus in existentiam veniunt, in quibus haud dubium est plurima gubernia ecclesiam nationalem exoptare et omnimodo fovere. Sedulo cavendum est ne, e collegialitatis definitione in Concilio, conferentiae episcopales se sentiant nimis independentes; ex hoc facilius exurgeret tentatio considerandi religiosam independentiam tamquam corollarium naturale et necessarium independentiae nationalis; hinc facile duceretur ad ecclesiam nationalem fovendam.

Accedunt huic animadversioni: rev.mus Edgardus Maranta, arch. Dares-salaamensis; rev.mus Attilius Beltramino, ep. Iringaensis.

19

EXC.MUS P. D. LAURENTIUS BIANCHI
Episcopus Sciiamchiamensis

Inter nos, qui in missionum territoriis laboramus, diaconatus quaestio, quodammodo sed vero tamen sensu, iam est soluta per adiutores illos qui iure sunt vocati « dextera manus » missionariorum, scil. per catechistas.

Hi enim, humiles et fideles cooperatores, vere vices gerunt sacerdotum in communitatibus christianis, Catechismum docendo, doctrinam catholicam praedicando, preces et servitium religiosum ducendo, in periculo mortis baptizando infantes et adultos.

Quantoties nos missionarii admirati sumus modum simplicem, aptum, clarum et exactum quo illi nostri pretiosi cooperatores exponebant doctrinam christianam fidelibus et infidelibus.

Iamvero, audiens doctas dissertationes de quaestione diaconatum instaurandi ut gradu permanente in Ecclesia, anceps maneo utrum hoc sit vere necessarium et utile quamdiu habemus catechistas quibus solidam formationem spiritualem et catecheticam dare conamur quique reapse officia diaconis committenda, explent.

Numquid licentia praecluditur rogandi S. Sedem ut illis (catechistis) facultatem faciat, in casibus ubi sacerdos est absens, S. Communionem distribuendi et matrimoniis adsistendi. Non habent quidem gratiam sacramentalis characteris, sed habent utique virtutem et dedicationem erga officia sua. Eoipso integra remaneret et sacrosancta caelibatus corona et gloria inter personas sacras, corona inquam et gloria, quibus, nonobstantibus humanis deficientiis, ipsi fratres nostri separati, invident.

Vel inter fratres separatos non desunt hodie qui caelibatum colunt. Quin immo, ipsi Buddistae et Hinduistae castitatem habent in maxima aestimatione.

Vellem ut diaconatus maneat sicuti est in Ecclesia latina, tamquam gradus ad sacerdotium et maior detur responsabilitas laicis nostris, qui magis magisque in dies conscientiam suae responsabilitatis in Ecclesia acquirunt. Et ita non multiplicarentur in Ecclesia gradus qui necessarii non videntur.

20

EXC.MUS P. D. IOSEPH BONFIGLIOLI
Episcopus Nicotriensis et Tropiensis

Velim hoc votum scripto tantummodo proferre circa quaestionem de diaconatu instaurando.

Si Concilio placuerit diaconatum forma stabili instaurare, huiusmodi diaconos ad caelibatum teneri omnino oportebit. Cum vero opportunum sit spirituali ornamento et adiumento donari coniugatos illos qui operam praestant

sacerdotibus, praesertim in missionibus, sive docendo sive altari ministrando, liceat eos admittere ad aliquem ex Ordinibus minoribus, v. g. ad Lectoratum vel ad Acolythatum.

Ceterum censeo linn. 39-41, pag. 26, esse expungendas, cum sint naturae iuridicae in hac constitutione dogmatica, et in primis ne vulnus inferatur legi sacri caelibatus.

21

Exc.mus P. D. HIERONYMUS BARTHOLOMAEUS BORTIGNON
Episcopus Patavinus

Mihi liceat sequentes praesentare — *scripto tantummodo* — animadversiones quoad collegialitatem episcoporum.

1. Iure divino, i. e. Christi institutione, episcopi cum et sub Summo Pontifice constituunt subiectum plenae, supremae, ordinariae, immediatae, vere episcopalis potestatis in omnes fideles, scilicet in universam Ecclesiam.

2. Modi, quibus huius potestatis divinitus collatae exercitium habitum fuit et habebitur, sunt iuris ecclesiastici.

3. Iure divino Romanus Pontifex (« da solo » absque episcopis) est subiectum plenae, supremae, ordinariae, immediatae et vere episcopalis potestatis in universam Ecclesiam.

4. Episcopi absque Papa non sunt collegium; cum Papa non faciunt plus quam Papa « da solo », ita ut « se il Papa da solo è cento, il Papa con i Vescovi è ancora cento ».

5. Proinde Romanus Pontifex et episcopi praedictam potestatem (nn. 1 et 3) habent, sed modo prorsus diverso: Summus Pontifex ea potestate pollet ut eam exercere possit etiam solus; episcopi vero ea pollent ut eam tantum collegialiter cum et sub Romano Pontifice exercere possint, i. e. quando Summo Pontifici placuerit, in materia quae ipsi placuerit et quin aliquid addant potestati eius, etiamsi episcopi cum sua scientia et experientia accidentaliter (non substantialiter) deliberationes prudentiores et opportuniores reddere possint.

Proinde dum episcopis vera potestas suprema cum Papa et sub Papa tribuitur, negantur autonomia episcoporum a Summo Pontifice et necessitas illam potestatem continuo et proprio arbitrio exercendi.

6. Divina igitur institutione collegium episcopale est institutum et ipsum per Summi Pontificis primatum moderatur.

7. Quae in praecedentibus numeribus dicuntur, melius eruuntur ex praxi Ecclesiae quam ex Sacra Scriptura.

Habetur enim in Ecclesia paralleliter cum exercitio supremae potestatis solius capitis seu Romani Pontificis, constans exercitium verae potestatis ordinariae et supremae (cf. can. 228) ex parte episcoporum unitorum inter se et cum Summo Pontifice; et quidem agentium ut verum corpus morale seu collegium, bene determinatum et a quolibet alio collegio distinctum.

8. Hinc sequitur, stante Spiritus Sancti assistentia in Ecclesia, Domi-

num Iesum Christum revera voluisse collegium formatum Papa et episcopis cum et sub Papa et potestatem supremam habens in universam Ecclesiam; et ipsum Christum ordinasse ut haec potestas aliquando a solo Papa et aliquando a Papa cum omnibus episcopis exerceretur.

Deductio est plene legitima quia non est possibile quod in exercitio potestatis Summus Pontifex et episcopi cum et sub Romano Pontifice et in essendo et in agendo aliter se habeant et agant ac Dominus Iesus Christus ipsos esse et agere ordinavit.

9. Sub hac consideratione praxis Ecclesiae, Christi verba *Mt.* 18, 18-19 et *Mc.* 16, 15-16 interpretanda sunt (i. e. apostoli collegialiter cum et sub Petro sunt magistri et pastores).

Conclusio: Haec dixi, salvo semper meliori iudicio et plene adhaerens iam ab isto momento Concilii decisionibus.

Animadversiones additae:

Osservazioni che vengono dallo studio dello schema *de Ecclesia* e dagli interventi uditi in aula conciliare.

1. È cosa ottima che il Concilio fissi qualche linea direttiva per una più approfondita ecclesiologia.

2. È auspicabile che sia approfondito l'aspetto soprannaturale e mistico della Chiesa affinchè sia meglio chiarita la trascendenza e l'originalità della medesima nei confronti delle altre società naturali o positive umane.

3. Però questo aspetto non deve esser valorizzato in modo da creare confusione nei riguardi dell'aspetto apologetico-giuridico.

4. Ancora si deve stare bene vigilanti che non esageri la corrente di coloro che amano prendere in considerazione gli aspetti così detti « esistenziali » della Chiesa mettendoli in opposizione a quella considerazione della Chiesa che si vuole chiamare « disincarnata » e soltanto « esistenzialista ».

Si vuole, infatti, da taluni una presentazione della Chiesa che tenga conto solamente della storia della Chiesa stessa: vale a dire che dia solamente i principi di spiegazione e di orientamento per la comprensione del suo « devenire »; che faccia la problematica della diversità nell'unità, della variazione nell'identità, delle crisi interne ed esterne, dei rapporti con le realtà profane, con le altre chiese o religioni ecc. ecc.

Se è chiaro che lo schema debba essere aperto a certe considerazioni, è altrettanto evidente che lo schema debba senza ambiguità definire precisamente la natura e la missione della Chiesa. E questo è tanto più necessario quanto più si vuole presentare la Chiesa come più sopra è detto.

5. I rapporti tra Chiesa e mistero di Cristo, tra Chiesa e regno di Dio, tra aspetto mistico e aspetto giuridico vanno esposti secondo la dottrina del magistero autentico, non secondo le considerazioni di scuole teologiche.

6. La dottrina dell'episcopato (collegialità dell'episcopato e rapporti col Primato, pienezza della funzione episcopale, episcopato e sacramento) per alcuni aspetti è ancora disputata; per altri ha raggiunto il comune consenso del magistero autentico; perciò lo schema — in vista di questa considerazione — deve essere attentamente esaminato.

7. Altrettanto si dica della origine della giurisdizione episcopale.

22

Exc.mus P. D. RENATUS BOUDON

Episcopus Mimatensis

De sacramentalitate episcopatus: origo controversiae et permanentia doctrinae traditionalis cuius testis praeclarus exsistit S. R. Bellarminus.

Cum de sacramentalitate episcopatus quaedam dubitatio in ista aula expressa fuerit, pauca vellem dicere de hac re.

Verum est quod in occidente aliqua controversia inter theologos locum habuit, dum e contra, in oriente firma semper remansit traditio.

Controversia ista orta est circa finem saec. IV. Aliqui diaconi romani oboedientiam denegabant presbyteris, fingentes se esse ipsis saltem aequales. Ad hunc errorem repellendum, duo presbyteri romani, S. Hieronymus et alter anonymus qui Ambrosiaster nuncupatur, strenue contenderunt presbyteros ita superiores esse diaconis, ut etiam episcopis quasi aequipararentur, « excepta ordinatione ». Scimus nos omnes, in aestu controversiarum, veritatis limites facile excedi.

Haec tamen opinio aliquem successum in medio aevo habuit, cum opera anonymi sub nomine SS. PP. Ambrosii et Augustini divulgarentur. Sed numquam defuit, inter exegetas, canonistas et liturgistas doctrina traditionalis, immo semper ritus vigentes fidem Ecclesiae proclamaverunt.

Progrediente vero scientia historica, speciatim post Concilium Tridentinum, etiam theologis patuit sententiam negantem defendi non posse. Audiamus tantum S. Robertum Bellarminum qui, acerrimus defensor Primatus Romani Pontificis, strenue etiam probavit sacramentalitatem episcopatus, in suo tractatu « De Sacramentis Ordinis » cap. V. En ipsius verba: « Ordinatio episcopalis sacramentum est vere et proprie dictum. Haec sententia, etiamsi a quibusdam scholasticis negetur ... et ex recentioribus a Dominico Soto ... tamen asseritur ab omnibus antiquis patribus, et ex recentioribus a Petro Soto et a Caietano ... necnon ab antiquis nonnullis scholasticis, denique ab omnibus poene canonistis ».

Mihi vero posita assertio certissima videtur. Primo: quia Scripturae quibus catholici probant ordinationem esse sacramentum, de ordinatione episcopali intelliguntur, ut patet ex epistola *1 ad Tim.,* cap. 4, et in *2 ad Tim.,* cap. 1. In his enim solis locis, diserte ponitur symbolum externum cum promissione gratiae. In his autem locis agitur de ordinatione Timothei, qui episcopus fuit a Paulo consecratus, ut omnes interpretes docent; pari ratione, in Actibus Apostolorum, cap. 13, agitur de ordinatione episcopali Pauli et Barnabae.

Quare, si ordinatio episcopalis non est sacramentum, non possumus ex scripturis probare ordinationem esse sacramentum...

Et adiungit, S. Rob. Bellarminus: « Mirabile est quod velint aliqui ad

officium diaconi et subdiaconi requiri novam gratiam — et ideo illas ordinationes esse sacramenta —, et ad officium episcopi, quod est sine ulla comparatione difficilius et excellentius, nolint gratiam requiri ».

23

REV.MUS P. D. CAROLUS BRAUNSTORFER

Abbas praeses Congregationis Austriacae S. Ord. Cist.

Pius XII fel. rec. in Encyclica *Mystici Corporis* Ecclesiam bene de corpore morali distinguit: « In hoc enim, quod morale vocant, nihil aliud est unitatis principium, nisi finis communis communisque omnium in eundem finem per socialem auctoritatem conspiratio, dum in mystico, de quo agimus, Corpore conspirationi huic internum aliud adiungitur principium, ... aliquid non naturalis, sed superni ordinis, in semetipso infinitum omnino atque increatum: Divinus nempe Spiritus, qui ut ait Angelicus « unus et idem totam Ecclesiam replet et unit ». Si de necessitudinibus intra Summum Pontificem et episcopos valentibus sermo est, eae nonnisi sub aspectu huius organismi supranaturalis inspici possunt. Termini de societate mere naturali sumpti non conveniunt.

Apostolorum intima cum Christo coniunctio. In omni corpore physico quaedam membra ad integritatem pertinent, ut eis deficientibus vita ipsa deficit. In Corpore suo mystico Christus apostolos principaliora membra constituit et sibi intime coniunxit. Dum omnem populum docet, 12 ex eo elegit: « Et ascendens in montem vocavit ad se, quos voluit ipse, et venerunt ad eum. Et fecit, ut duodecim essent cum illo et ut mitteret eos praedicare » (*Mc.* 3, 13). Iesus vitam communem cum eis instituit, testes doctrinae, factorum, exempli sui facit, eis mysteria regni caelestis revelat: « Et cum esset singularis, interrogaverunt hi, qui cum eo erant duodecim, parabolam, et dicebat eis: Vobis datum est nosse mysterium regni Dei » (*Mc.* 4, 10-11). Eos de necessitate fidei diligenter instruit: « Haec est autem voluntas Patris mei, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium et credit in eum, habeat vitam aeternam et ego suscitabo eum in novissimo die » (*Io.* 6, 40). Ab eis confessionem fidei post promissionem Sacrae Eucharistiae et Caesareae Philippi degens postulat, quam Petrus nomine omnium praestat. In oratione post Coenam ultimam dixit: « Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te, solum Deum verum, et quem misisti, Iesum Christum » (*Io.* 17, 3).

De apostolis confitetur: « ... et crediderunt, quia tu me misisti » (*Io.* 17, 18) et pro eis intercessit: « Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas est » (*Io.* 17, 17). Iesus pro ipsis oravit praedicens ceteros per eorum verbum in se credituros esse. Ioannes Evangelista in capitibus 13-17 mirabilem caritatem Christi erga suos apostolos demonstrat: « Iam non dicam vos servos, quia servus nescit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi

amicos, quia omnia, quaecumque audivi a Patre meo, nota feci vobis » (*Io.* 15, 14-15). Allegoriam vitis proxime ad eos applicat. In oratione ad finem coenae ultimae, antequam pro omnibus credituris orat, ut unum sint, pro eis intercedit, ut unum sint sicut Pater et ipse. Post resurrectionem apparitione sua in eis fidem confortat, eis scripturas aperit et commune mandatum omnes populos docendi, sanctificandi, regendi iniungit. Eius iussu post Ascensionem in Ierusalem manentes Spiritum Sanctum ab eo missum pro munere suo implendo accipiunt. Ipsis Dominus promisit: « Vos autem estis, qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et Ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis et bibatis super mensam meam in regno meo et sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël » (*Lc.* 22, 28-30).

S. Petri arcta cum ceteris apostolis coniunctio. Christus causa invisibilis suae cum apostolis unionis supranaturalis etiam post Ascensionem in caelum manet. Sed ut haec unio in terra quoque visibilis et stabilis maneret, Petrum loco suo caput eorum instituerat, ei iurisdictionem supremam in regendis animis et promissionem fidei non deficientis ad confirmandos fratres dederat. Petrus munus suum ut summus pastor ab Ascensione Christi exercere coepit. Electionem apostoli Matthiae dirigit. Ipse primus Spiritu Sancto accepto populum et peregrinos alloquitur et in Synedrio sermonem ad iudices habet. Ipse a Spiritu Sancto inducitur, ut primos fideles e gentibus in Ecclesiam admittat. Sed in praedicatione Evangelii apostoli intime cum eo coniunguntur et hoc munus palmare esse iudicant. Petrus dicit: « Non enim possumus, quae vidimus et audivimus non loqui » (*Act.* 4, 20). Quaestiones obvenientes plena unione cum eis discernit, « Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: « Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis... Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus » (*Act.* 6, 2-4). Etiam aliae ordinationes communi consilio fiunt: « Cum autem audissent apostoli, qui erant Ierosolymis, quod recepisset Samaria verbum Dei, miserunt ad eos Petrum et Ioannem » (*Act.* 8, 14). Petrus in istis rebus, quae immediate ad eum pertinent sicut admissio gentium ad baptismum et quaestio in Concilio apostolorum de obligationibus fidelium ex gentibus conversorum mota, rem Coapostolis et Senioribus proponit vel eis rationem agendi pandit. In sua epistola prima (5, 1) scribit: « Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum ». Adnotari convenit eius reverendam mentionem S. Pauli in littera sua secunda. Ex his omnibus concludi potest apostolos ita S. Petro coniunctos fuisse ut libenter iudicio eius se submitterent et ei parerent, Petrus autem partem eorum iuvaret eosque in decisionibus fidem et mores tangentibus ad consilium adscisceret.

Summi Pontificis arcta cum episcopis coniunctio. Pontifex Romanus et episcopi haereditatem S. Petri et ceterorum apostolorum susceperunt. Eorumque munus praecipuum praedicatio et integra conservatio doctrinae Christi est. Doctrina enim et recta administratio sacramentorum et regimen anima-

rum fulciuntur. Conservatio integra doctrinae et supremum regimen animarum in primis Summi Pontificis est. Concilium Vaticanum Primum eius infallibilitatem et eius Primatum iurisdictionis definivit. Sed encyclica *Mystici Corporis* Pius XII fel. rec. dicit: « Non tamen putandum est Christus Caput ... opem non requirere Corporis ... Idque primo quidem, quatenus Iesu Christi persona a Summo geritur Pontifice, qui ne pastoralis officii onere obruatur, alios non paucos in sollicitudinis suae partes vocare debet ». Episcoporum in primis est cum Summo Pontifice in conservatione doctrinae concurrere. Quod enim ex charismate, quod S. Petro a Christo donatum est resultat. Non inspiratione gaudet, sed auxilio speciali, ut fides eius non deficiat et fratres confirmet. Fides eius manet actus personalis. Quapropter oratione, meditatione Sacrae Scripturae, scrutatione traditionis eius successor indiget. Traditionis custodes praeprimis episcopi fuerunt et sunt. Eorum sententiam Summus Pontifex ergo, quando de enucleatione doctrinae, de definitione alicuius dogmatis agebat, requisivit. Quod in constitutione *de Ecclesia* in Concilio Vaticano I sic enuntiatur: « Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per synodos particulares, nunc aliis, quae divina suppeditabat Providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae Sacris Scripturis consentanea Deo adiutore cognoverunt » (Denz. ed. 16-17, n. 1836). Praxis Ecclesiae episcopos etiam in legibus universalibus condendis a Summo Pontifice consuli demonstrat, quod v. g. in codificando Iure Ecclesiastico factum est. Leges universales cum doctrina arcte coniunguntur, sunt enim applicatio eius practica pro vita christiana. Conservationi doctrinae catholicae praeter concursum supranominatum episcopi in suis dioecesibus invigilare debent et si quae pericula religiosae veritatis vel vitae christianae surgunt, quibus superandis se impares inveniunt S. Sedem ad remedia adhibenda instruere obligati sunt. Ad eos praeterea praedicatio Evangelii ita pertinet, ut non solum pro proprio territorio plenam responsabilitatem habeant, sed etiam teneantur, ut omnibus viribus ad totum mundum evangelizandum conferant suosque fideles ad cooperationem moneant et instruant. Sed etiam hoc auxilium in propagatione fidei cum et sub Romano Pontifice praestant.

Si respectu doctrinae commune mandatum Papam et episcopos obligat, Summo Pontifici in exercitio iurisdictionis potestas universalis commissa est, qua potestas episcoporum restringitur. Sed de hac materia in encyclica *Mystici Corporis* legimus: « Sacrorum antistites non solum eminentiora universalis Ecclesiae membra habendi sunt, ut qui singulari prorsus nexu iunguntur cum divino totius corporis Capite atque ideo iure vocantur partes membrorum Domini primae (Greg. M.) sed ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat, utpote veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos Christi nomine pascunt et regunt ». Summo Vicario Christi iurisdictionis primatu episcopi cum eo tanquam capite uniuntur et salus totius Ecclesiae in tuto ponitur. Episcopi in oboedientia erga Summum Pastorem leges ecclesiasticas

in suo territorio servant et fideles ad oboedientiam monent et sic partem primariam in conservanda Ecclesia universali habent.

Ecclesia respectu collegii sensu stricto. Si de apostolis vel de episcopis terminus « collegium » adhibetur, non de conceptu collegii iuxta ius ecclesiasticum agitur, sed tantum de analogia sicut em.mi cardd. Lercaro et Alfrink in disceptatione Concilii Vaticani II asseruerunt. Comparari iuvat quomodo S. Benedictus familiam religiosam videat, pro qua exemplum de Ecclesia primitiva in Ierusalem sumpsit. In eius Regula legimus: « Abbas Christi enim agere vices in monasterio creditur... Quoties aliqua praecipua agenda sunt in monasterio, convocet abbas omnem congregationem et dicat ipse unde agitur. Et audiens consilium fratrum tractet apud se et quod utilius iudicaverit, faciat... Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subiectione et non praesumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit... sed sicut discipulos convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et iuste condecet cuncta disponere ». Forsan iuxta narrationem Actuum Apostolorum praesumi licet modum agendi in electione S. Matthiae apostoli similem fuisse. Nonne talis in Concilio habendo est? S. Benedictus familiam monasticam tamquam ecclesiolam considerat.

S. Augustinus vitam communem sacerdotum inauguravit. Non dubium est, quin etiam vitam Ecclesiae Ierosolymitanae imitari voluerit. Iuxta eius exemplum communitates similes magno numero ortae sunt, quae collegia appellabantur. Decursu temporis necessarium evenit, ut ab Ecclesia normae statuerentur, quae fini horum institutorum sive abbatiarum sive Capitulorum Canonicorum vel episcopalium melius providerent. Causa huius evolutionis non tantum diminutio fidei viventis erat, sed conditio harum communitatum differens relate ad Ecclesiam universalem. Est differentia non parva. Caput Ecclesiae adiutorio speciali Sancti Spiritus gaudet, quod non eodem modo pro istis valet. Qua de causa in his collegiis pro certis casibus decisiones a maiore parte membrorum votantium dependent. Tales dispositiones maxima ex parte ex experientiis minus convenientibus quoad administrationem bonorum temporalium ortum habuisse videntur. In tali collegio membra in quibusdam agendis aequali iure gaudent. Hic status iuridicus necessitudinibus inter Summum Pontificem et episcopos vigentibus non comparari potest. Istae solum sub aspectu Ecclesiae tanquam mystici Corporis Christi recte intelliguntur.

Ordo qui a Domino pro Ecclesia universali statutus est, nempe ut a capite praeprimis vires vivificaces in totum corpus influant, etiam pro ecclesiis localibus valet. Pius XII fel. rec. in encyclica iam saepius citata scribit: « Quae autem nos heic de universali Ecclesia diximus, id de peculiaribus etiam asseverari debet Christianorum communitatibus, cum orientalibus, tum latinis, ex quibus una constat ac componitur catholica Ecclesia, quandoquidem et ipsae a Christo Iesu proprii uniuscuiusque episcopi voce potestateque reguntur ». Sed etiam ecclesia localis in se communitates minores sive paroecias, sive familias religiosas, sive associationes ad apostolatum fovendas complec-

titur, quibus ad opus redemptionis fidelibus conferendum utitur et iuvatur. In omnibus casibus fructus eo uberiores expectandi sunt, quo ii qui praesunt intimius cum Christo coniuncti sunt et exemplum S. Petri et apostolorum imitantur, qui convocaverunt fideles, ut eorum consilia audirent, et Domini Nostri Iesu Christi qui non venit ministrari sed ministrare.

24

EXC.MUS P. D. VINCENTIUS BRIZGYS

Episcopus tit. Bosanensis, aux. Samogitiensis

De collegialitate episcoporum. Non sum peritus neque in Sacra Scriptura nec in S. Theologia, ut auderem concertare cum peritioribus in subtilitatibus, eo vel magis in quaestionibus nondum definitis.

Per duas integras hebdomadas igitur cum attentione audivi venerabiles Patres loquentes tum pro, tum contra proposita in schemate de iis, quomodo sumenda sunt verba *collegialitatis episcoporum.* Post omnes disceptationes non ego solus sed maior pars Patrum remanserimus non persuasi, quomodo haec verba intelligenda, accipienda et retinenda sint in dogmatica pronuntiatione a Concilio ferenda.

Speramus commissionem ex peritis in Sacra Scriptura, Theologia et Historia Ecclesiastica successuram proponere denuo Patribus hanc quaestionem talibus verbis et talibus cum argumentis, ut nullum rationabile dubium vel possibilitas diverso modo interpretandi apud Patres remaneat. Argumenta desiderii et similia in propositionibus et disceptationibus dogmaticis locum habere non possunt. Item primo loco nobis interesse debet, sine exaggerata anxietate, quomodo hoc ab aliis christianis non catholicis acceptum erit, ponere veritatem uti in se est.

Si nec commissio capax erit quaestionem in lucem omnino claram ponere, confitendum erit quaestionem esse saltem non satis explicatam et in decretis Concilii non ponendam.

Valde dolendum est et hac vice accidisse idem, quod accidit cum schemate de fontibus fidei. Vix possibile est quantum detrimenti attulerunt duo hi casus reputationi Concilii et forsan ipsae fidei catholicae apud catholicos et non catholicos, qui cum tali attentione sequuntur hoc Concilium.

Inter cetera: optime notavit em.mus ac rev.mus Ioseph E. card. Ritter, arch. S. Ludovici, in hoc cap. II contineri elementa pertinentia ad aliud schema.

De diaconatu. Has observationes potius scripto solummodo et non viva voce in sessione generali facio praesertim propter ea, quae dicentur hic sub n. 5, quae carissimos observatores ex Ecclesia Orthodoxa Russiae offendere posset. Observationes autem meae hae sunt:

1. Omnes, qui locuti sunt pro restauratione diaconatus permanentis seu stabilis, silentio praeterierunt a quo tempore et quas ob rationes Ecclesia

latina diaconatum stabilem dereliquit. Temerarium esset iudicare nostros praedecessores in re tanti momenti superficialiter egisse. Illi habebant validas rationes.

Non est verum necessitates pastorales nostrorum temporum esse maiores et peiores, quam fuerunt praeteritis saeculis. Historia et pro nobis sit magistra vitae.

2. Nonnulli Patres loquentes sive pro sive contra propositionem declaraverunt loqui 20 vel 30, et similiter, nomine episcoporum talis vel talis nationis vel continentis. Plures autem eorum silentio praeterierunt, quot sunt episcopi in illa natione vel regione. Ceterum nostris temporibus vix considerari potest quaestio talis momenti pro una vel alia natione, regione sine connexione cum aliis nationibus vel statibus saltem eiusdem continentis (puta Europae, Americae Latinae, Africae).

3. Affirmantes necessitatem diaconatus stabilis vix aliquid invenerunt quod non posset perfici a laicis praeter administrationem S. Communionis. Tamen quid ex hac diaconi competentia, si ipse non potest nec S. Communionem conficere nec fidelium confessiones excipere. In aliquo loco praesentia diaconi sine confessario erit via assuescendi populum ad efformandam crassam vel laxam conscientiam et non rado etiam ad S. Communionem omnino indignam.

4. Quamvis de vocationibus religiosis sermo erit in alio schemate, sed cum multi Patres mentionem huius quaestionis etiam hac occasione fecerunt, liceat et mihi dicere, meam opinionem esse carentiae vocationum non esse causam absentiae stabilis diaconatus nec per diaconatum huic necessitati subveniendum esse. Omnes novimus, quot sunt vocationes hisce diebus e. g. in Irlandia, vel in archidioecesi Bostoniensi Americae Septemtrionalis. Liceat mihi testificare dari multas vocationes in Lituania etiam sub iugo atheistico, quamvis gubernium civile est obstaculum illas vocationes fovere. Ex repetita inquisitione inter iuvenes variarum regionum a me peracta apparet saltem unam ex causis gravioribus in damnum vocationum religiosarum esse mundanitatem cleri et religiosorum et praesertim spiritus familiae. Qualiscumque ulterior relaxatio disciplinae et morum cleri (in mentem habeo diaconos uxoratos et consequentia) habebit effectus nocivos.

5. Ab infantia usque ad 14 annum meae aetatis crevi inter militares Russiae ante bellum 1914-1918. Ab infantia didici ex militibus et eorum familiis orthodoxis innumera anecdota obcenissima circa familias sacerdotum et diaconorum orthodoxorum. Eorum familiae etiam nunc sunt causa principalis opportunismi erga gubernium inimicum qualiscumque religionis, ruinae bonae famae in oculis fidelium. Etiam nunc in Russia sacerdos catholicus inter orthodoxos gaudet fama longe maiori quam eorum proprii sacerdotes. De hoc possem satis multa dicere.

Repetam hic verba nuper prolata ad me ab uno ex peritis ex territorio sub iugo russo-communistico: « Melius est habere unum bonum sacerdotem pro tribus paroeciis, quam habere in unaquaque paroecia sacerdotem bona

fama carentem apud populum ». Verba ista ille pronuntiavit exprimens suam opinionem de instauratione diaconatus uxorati. Pater ille interest in Basilica sessionibus.

Et concludo me non esse in favorem diaconatus stabilis, a diaconibus vero uxoratis libera nos Domine.

25

Exc.mus P. D. GABRIEL PAULINUS BUENO COUTO

Episcopus tit. Leucenus, aux. Taubatensis

Ad §§ 14 et 16: *De episcopatu ut sacramento; de collegio episcopali eiusque capite.*

Principia tantum quaedam enunciare velim, quae commissioni generali proponam, quorum ope partes de re inter se decertantes conciliare fortasse valebit.

Imprimis, notandum est quod tota quaestio vel expositio doctrinae, quae his duabus paragraphis continetur, sub luce mysterii Ecclesiae, tanquam *Corpus Christi mystici* examinanda est. Tanquam Corpus Christi mysticum tantum, possumus aliqualiter intelligere Ecclesiam esse *societatem,* quae suam unitatem sumit non a sociis in unum finem congregatis et sub eisdem legibus viventibus, sub unica auctoritate, sed a Christo ipso, qui in seipso, per seipsum, et secumipso, socios seu membra unit, eisque suam vitam divinam infundit, eosque crescere facit usque ad mensuram aetatis suae ipsius plenitudinis. Haec est enim sublimis Ecclesiae realitas, quae tanquam Christi Corpus aptissime describitur in pluribus S. Pauli epistulis, de qua per integram Litteram Encyclicam egit S. P. Pius XII, cuius conceptum S. P. Ioannes XXIII voluit altius imprimi in mente et corde omnium filiorum Ecclesiae, tam clericorum quam laicorum, in quacumque orbis terrae parte invenirentur (cf. *Mater et Magistra,* versus finem), ut fons fieret tam personalis sanctificationis quam fructuosioris apostolatus. Hoc sane gravissimum doctrinae catholicae caput est, quod non licet omnino minoris facere, quin gravia damna inferamus organicitati et pastorali naturae doctrinae catholicae, prout eam expostulant omnes homines hodierni temporis.

Hac sub luce intelligitur Ecclesia fundari super fundamentum sacramentale, indeque apparet quod illa membra, quae a Christo eliguntur ut super ipsos suam aedificet Ecclesiam, hoc fiant seu fundamentum constituantur huius Ecclesiae vi alicuius sacramenti. Cum autem certum sit, Christum Dominum aedificasse suam Ecclesiam super fundamentum apostolorum eorumque successorum, nullum dubium esse potest de natura sacramentali huius basicae, ut ita dicam, institutionis.

Charisma apostolicum et postea, episcopale, super quod Christus Dominus suam aedificavit Ecclesiam, non potest consistere nisi in participatione sacerdotii ipsius Christi, ut patet.

Nunc autem, Christus praecise *quia est sacerdos,* est et *rex, et sanctificator et magister.* Inde cum apostoli eorumque successores episcopi, participent, *vi sacramenti,* in sacerdotio Christi, sequitur quod *vi etiam sacramenti,* sint et ipsi *reges seu pastores, sanctificatores et magistri* constituti, et quidem, *super universam Ecclesiam.*

Inde sequitur quod, *singuli* apostoli, vi participationis in sacerdotio Christi Domini, habuerunt *potestatem triplicem super universam Ecclesiam,* regendi, scil., sanctificandi et docendi.

Quatenus autem hac triplici potestate ornati, vi participationis in *unico* sacerdotio Christi, omnes *apostoli,* qui *duodecim* primo fuerunt attamen postea S. Paulus et S. Barnabas eisdem adiuncti ab ipso Christo sunt, omnes, dico, *collegium* quoddam constitui dicendi sunt, tanquam *fundamentum,* non fundament*a,* visibilis Ecclesiae Christi, ab ipso summo angulari lapide, Christo Iesu, Summo Sacerdote, suam indestructibilem unitatem seu collegialitatem mutuantes.

Episcopi, qui in regimine Ecclesiae, apostolorum sunt successores, *eadem* triplici potestate super universam Ecclesiam, *vi sacramenti,* praediti, *hac eadem ratione* ac ipsi apostoli, dicendi sunt *collegium* constituere.

Sub luce horum principiorum videntur intelligenda testimonia Scripturae Sanctae et traditionis, quae de Apostolis et eorum successoribus loquuntur et statuunt super *hoc fundamento* Christum suam Ecclesiam aedificasse. Hac ratione etiam animadversiones Patrum conciliariorum, qui pro collegio apostolico et episcopali sentiunt.

Haec est potestas, quae, virtute *sacramentali, singulis* apostolis et *singulis* apostolorum successoribus traditur, *quaque* sive *singulatim* sive *collegialiter,* dicendi sunt *fundamentum* Ecclesiae constituere.

Nunc autem distinguendum est, inter hanc potestatem et *exercitium* huius potestatis, seu, ut dicunt, iurisdictionem.

Potestas haec triplex apostolica vel episcopalis super universam Ecclesiam *vi sacramenti* conferri dicenda est *singulis* apostolis vel *singulis* successoribus eorum, *non* autem *exercitium* huius potestatis.

Iure divino, seu, electione directa et personali *ipsius* Christi Domini, *exercitium* huius triplicis potestatis *super universam* Ecclesiam collata est *uni* et *soli Petro*: « Tu es Petrus. Pasce oves meas, pasce agnos meos ».

Exercitium huius triplicis potestatis *super universam Ecclesiam* ad *solos* et quidem exclusive, successores Petri transmitti dicenda est, qui successores a ceteris episcopis distinguuntur vel « individualizantur », per *electionem* ad cathedram episcopalem *romanam.* Non ipsa cathedra episcopalis romana ipsis *confert* huius triplicis potestatis *exercitium super universam Ecclesiam,* sed est « index » seu « nota individualizationis vel identificationis » *successoris* Petri.

Reliqui omnes apostoli sive episcopi nullum permanens seu habituale *exercitium* huius potestatis super *universam* Ecclesiam habuerunt seu habent; hac *potestate* quidem omnino non carent, quae ipsis *vi sacramenti* in-

defectibiliter confertur, etsi huius potestatis *exercitio* super *universam* Ecclesiam carere dicendi sunt, usque dum quis eorum episcoporum eligatur ad cathedram episcopalem *romanam*.

Unde non videtur veritati consentaneum si affirmetur apostolos sive episcopos *collegium* constituere etiam *quoad exercitium* huius potestatis super *universam* Ecclesiam. Hac in hypothesi, ad minimum, dicendum esset entia multiplicari sine *ulla* necessitate, salvo meliori iudicio et omnimoda reverentia.

Ulterius: quoad exercitium seu iurisdictionem super universam Ecclesiam (de *hac* enim agitur) haec distinguenda sunt:

1. De *iure divino* hoc exercitium seu iurisdictio uni et soli Petro competit eiusque successoribus, Summis Pontificibus Romanis, indivise. Hic est sensus, quem habet can. 218, §§ 1 et 2, C.I.C. et can. 219.

2. Non videtur competere *reliquis* episcopis, sive singulatim, sive collegialiter consideratis, *de iure divino* ulla super *universam* Ecclesiam iurisdictio sive *exercitium* potestatis triplicis, quae ipsis, de cetero, competit *vi sacramenti* (attendatur ad distinctionem factam inter *potestatem* et *exercitium* huius potestatis seu iurisdictionem).

3. Attamen *de iure divino-ecclesiastico* seu libera Summi Pontificis collatione, *collegio,* quod vocari potest *sacramentale,* episcoporum potest competere *exercitium seu iurisdictio super universam* Ecclesiam. Quod reapse eisdem collatum est per can. 228 § 1 C.I.C.

4. Non videtur proinde admittendum *collegium* episcoporum quod iurisdictionem habeat super *universam* Ecclesiam *de iure divino,* etsi admittendum sit idem *collegium* hac iurisdictione pollens *de iure tamen divino-ecclesiastico,* subiectum proinde quoad tempus, modum, etc. absolute *Summo Pontifici Romano.*

5. In eodem proinde *Concilio Oecumenico* duplex est obiectum huius iurisdictionis: Summus Pontifex, de iure divino; episcopi convocati, de iure divino-ecclesiastico, hoc alteri omnino subiectum, cum ius ecclesiasticum ut patet iuri divino subiciatur necesse sit. Etsi distincto et diverso iure, *vera* tamen *iurisdictione* pollere collegium episcoporum dicendum est in Concilio *Oecumenico* et in aliis similibus congressibus, cum a Summo Pontifice *convocentur* et quidem vi ipsius convocationis.

Tandem aliquando, autem, gloria episcoporum, totaque eius dignitas et fons omnis eius universalis sollicitudinis de universa Ecclesia non pendet ex hoc quod iurisdictionem habeat vel non super ipsam, sed quia *vi sacramenti* participant de sacerdotio ipsius Christi Domini, super quod universa fundatur Ecclesia. Unde, sicut ipse Christus Dominus, qui, dum viveret quodammodo restrictam habebat suam activitatem, ad solas scil. oves quae perierunt e domo Israël reservatam, sic et episcopi, dum *exercent* suam episcopalem et sacramentalem potestatem in sola dioecesi cui praepositi sunt a Summi Pontificis Romani auctoritate. Attamen omnium Ecclesiarum sollicitudo eis incumbit, cum partem habeant, in sacerdotio *Christi,* super quod *universa* fundatur Ecclesia.

Unde videtur, salvo meliori iudicio, quod utilius esset et magis indoli pastorali Concilii nostri Oecumenici conveniens, si normas practicas schema nostrum proponeret circa modum multiplicem huic universali sollicitudini satisfaciendi, tum relate ad Summum Ecclesiae Pastorem, tum relate ad episcopos ipsos inter se, tum relate ad Ecclesiae universae fideles et ad non fideles.

Haec scripta sunt, unice ob veritatis amorem, renovata erga revelatam veritatem, quaecumque haec sit, plena sinceraque reverentia.

26

Exc.mus P. D. MICHAËL ANGELUS BUILES
Episcopus S. Rosae de Osos

Pag. 25, linn. 16 ss.: *Episcopatus est sacramentum.* Haec est nova definitio quae omnino sustinenda est.

Plures scholastici, inter quos S. Albertus Magnus, S. Thomas, S. Bonaventura et alii, docuerunt ordinationem episcopalem non esse sacramentum.

Sed revera, argumenta ex Sacra Scriptura et ex Patribus pro sacramentalitate ordinationis presbyteralis, eodem modo, immo fortasse magis, valent pro sacramentalitate ordinationis episcopalis.

Textus enim Sacrae Scripturae et plures textus patristici quibus probatur Ordinem esse sacramentum referuntur ad sacerdotium, nulla distinctione facta inter episcopos et presbyteros. Immo, textus aliquando potius directe referuntur ad episcopatum quam ad presbyteratum, v. g. *1 Tim.* 4, 4.

Opportune ergo definitur episcopatum esse sacramentum.

27

Rev.mus P. D. CHRISTOPHORUS BUTLER
Praeses Congregationis Anglicae O.S.B.

Subscriptus D. Christopher Butler, sup. gen. Congreg. Angliae O.S.B., emendationem subsequentem in schemate *de Ecclesia,* pars I, n. 19, pag. 30, linn. 24 et 26, proponit, sed ius loquendi de hac re non quaerit. Pag. 30, lin. 24. Omittatur phrasis: « et intellectus ». Lin. 26. Pro « sincere » legatur: « obedienter ». *Ratio.* Quia notio « obsequii intellectus » relate ad sententias reformabiles (et haud raro de facto, ut experientia docet, reformationem habituras), si legitima est, certo certius nimis obscura est pro intelligentia plurimorum qui acta Concilii ponderabunt. Nec est necessaria pro finibus in hac paragrapho promovendis.

Immo melius esset si linn. 23-29 ex toto omittantur.

28

Exc.mus P. D. RAPHAËL CALABRIA

Archiepiscopus Beneventanus

Pluries audivimus mentem Concilii esse non novas edere definitiones, sed doctrinam catholicam, quae igitur iam possidetur, pastorali modo et instantius, fidelibus et mundo universo declarare. Cf. Introductio ad schema *de Ecclesia* n. 1.

Ergo in expositione nonnisi quae a magisterio Ecclesiae iam tradita sunt vel ut tuta agnita contineri praesumuntur.

Haec praesumptio accurate et sine praeiudicio legenti schema evidentia fit, quod in laudem cedit sapientiae et prudentiae commissionum praepositarum ipsi schematis redactioni.

1. Sapientia et prudentia v. g. exhibetur in n. 14 relatio inter potestatem episcoporum authentice docendi et gubernandi in Ecclesia cum ipsorum potestate sanctificandi, quae sola tamen in sacramento ordinis dicitur conferri.

Non suam fecit schema doctrinam affirmantium consecratione episcopali et potestatem sanctificandi tradi et simul potestatem docendi et gubernandi particulares ecclesias. Et merito quidem, cum haec doctrina, si demas Gallicanos, a paucis semper theologis et canonistis et argumentis debilibus defensa, vix solidam quamdam probabilitatem retineat.

Quare, dicam cum Wernz-Vidal, mirum est quod nonnulli scriptores recentiores huius opinionis improbabilis et iam antiquatae causaeque desperate denuo susceperint patrocinium. Cf. *Ius Canonicum,* ed. 3, a. 1943, tomus 2, pag. 726.

Sed nec suam fecit sententiam Bolgenii, qui universalem quamdam iurisdictionem cum ipso charactere episcopali immediate a Deo concedi defendit, qua episcopi fiunt membra collegii episcopalis, quaeque in solidum exercenda est et in statutis concilii oecumenici actuatur. Haec sententia ortu nova, peregrina semper mansit, nec argumentis internis fulcitur, et Codici I. C. cuius auctoritas in re etiam theologica neminem fugit, aperte contradicit (cf. can. 223).

Textui non contradicit nota 10, pag. 34, in qua affirmatur: « Quod consecratio episcopalis cum munere sanctificationis munera quoque magisterii etc. ... ». Aliud enim est munus et aliud potestas. Sensus igitur litteralis textus, attenta etiam nota citata, est iste: In consecratione episcopali tria munera traduntur sanctificandi, docendi et gubernandi, et gratiae necessariae ad talia munera exercenda, insuper et potestas sanctificandi cum qua arcto vinculo coniunguntur potestas docendi et gubernandi, quae episcopo consecrato advenient modo a Christo statuto, et nondum a nobis mature cognito.

Quod si optimistica est interpretatio ista mea, et sensus intentus est

alius, clarificetur textus, ne, loco declarationis, fidelibus et mundo universo offeramus occasionem incertitudinis et dissensus.

2. Anxius mansi circa sensum eorum quae in eodem n. 14, linn. 21 et sequentibus leguntur: *Praeterea episcopus ordinatus ita charactere sacramentali ornatur ut numquam simplex sacerdos vel laicus rursus fieri possit.*

Certe hic agitur de impossibilitate amissionis internae ordinis seu de ablatione ipsius potestatis ordinis in se spectatae, cum et episcopi ad simplicem communionem laicalem reduci possint. Legantur quae in Pontificali Romano habentur in P. III « Degradatio ab ordine pontificali »; recolantur quae a Pio VII in Brevi *Gravissimas,* 29 iunii 1802, concessa fuerunt principi Tayllerant, qui ante revolutionem gallicam fuerat episcopus Augustodunensis. Argumentatur nempe ita schema: character episcopalis amitti nequit, ita ut in subiecto maneat solummodo character presbyteralis, vel nullus character. Ergo episcopus etiam vi sacramenti superior est presbyteris.

Ni fallor, vis argumentationis maneret si diceretur solummodo: *ut numquam simplex sacerdos fieri possit.*

Ita vitaretur possibilis canonizatio sententiae, certo non canonizabilis, quae vult posse episcopum ordinari etiam non presbyterum. Sententia affirmans impressionem novi characteris quasi eminenter continentis characterem sacerdotalem, quae novas asseclas in dies enumerat, quaeque tam fecunda apparet in applicatione pastorali, maxime in fovendis relationibus supernaturalibus episcopos inter et sacerdotes, ut clarissime et apostolice exposuit exc.mus et dulcissimus frater arch. Guerry, non expostulat positionem illam extremam.

Quod si exempla pauca afferuntur ad ipsam tuendam, nullius momenti sunt; quia aut obscura sunt, aut aliter explicari possunt aut ad summam probant quorundam ignorantiam.

Ceterum recolantur accusationes ab asseclis Photii saec. IX latinis factas, apud quos, dicebant, etiam diaconi fiebant episcopi, non suscepto prius presbyteratu. Praeter alia, sententia illa extrema non faveret oecumenismo.

De collegio episcopali. 1. *Terminologia* non commovet nec commovere debet, cum iam diu usitata sit in scholis. Si timor quosdam videtur tenere fratres, non a voce sed a contextu non tantum schematis sed ambientis provenit: non pauca prolata sunt, in hac ipsa aula, quae serenitati non favent.

2. *Ad rem*: certe sicut et apostoli, ita episcopi una cum Papa totam Ecclesiam repraesentant et repraesentare debent in vinculo pacis et amoris.

Ideo quae in n. 17 habentur, meo humili iudicio, anteponenda essent, tractationi de collegialitate in auctoritate, utpote evidentiora et, ut ita dicam, quasi medullam Ecclesiae attingentia. Ecclesia ut communitas amoris et gratiae, in cap. I, describitur.

Ad collegialitatem in auctoritate, de qua in n. 16:

a) Non clara mihi videtur expressio quae in lin. 3 invenitur: « *eadem ratione* ». Duo enim significare posset: a) *voluntate Christi*; b) *eodem modo.* Quorum si primum admitti potest; secundum non, attentis donis extraordi-

nariis apostolorum, quae certe in ipsas relationes collegiales influxum habuerunt. Dici posset simpliciter: *ita*.

b) Linn. 5 ss. In favorem collegialitatis praesentiam trium episcoporum in consecratione episcopali schema interpretatur. Esto! Sed ne prematur. Ratio, cur novus electus a tribus saltem episcopis ad summum sacerdotii ministerium elevandus est, in Constitutionibus Apostolicis haec sola assignatur. « Episcopum praecipimus ordinari a tribus episcopis aut ut minimum a duobus: non licere autem vobis ab uno constitui. *Nam duorum vel trium testimonium firmius est et indubium* ». Et iterum: « Episcopus a tribus vel duobus episcopis ordinetur. Si quis autem ordinatus fuerit ab uno episcopo, deponatur et ipse et qui ordinavit eum. Quodsi necessitas coincidens coegerit ab uno ordinari, eo quod propter persecutionem aut aliam similem causam plures interesse non possint afferant *auctoritatem mandati plurium episcoporum* lin. 8, c. 27. Saec. IV medii. Pesch, Tomus VII, pag. 329.

c) In lin. 12, ubi affirmatur potestas Romani Pontificis, *debet addi*: « *plenam, supremam universalemque* », ne ipsa appareat inferior potestate collegii, quod dicitur subiectum indivisum *plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam*. Gallicani docebant Romanum Pontificem *per se* plenam et universalem potestatem habere, supremam nonnisi in Concilio et cum Concilio.

d) In lin. 34: De potestate agitur collegiali episcoporum in orbe terrarum degentium. Ipsa dicitur *eadem* ac illa quae a collegio episcoporum in Concilio Oecumenico, extraordinario modo, exercetur. Potestas vero quae in Concilio exercetur, uti liquet ex lin. 14, est suprema potestas in magisterio et regimine pastorali.

Tribuitur ergo episcopis in orbe terrarum degentibus, utique ad invicem consentientibus et cum Romano Pontifice, suprema potestas magisterii et regiminis, quia, dicitur, actio ipsorum per invitationem Romani Pontificis, vel ipsius approbationem aut receptionem actus collegialis efficitur.

Iamvero: Magisterium consentiens singulorum episcoporum in proponenda veritate aliqua ut revelata per invitationem vel approbationem Pontificis immo et per solam tacitam receptionem ipsius actum collegialem fieri posse, intelligo, cum destinataria talis magisterii, ratione doctrinae quae traditur, sit Ecclesia universalis, licet ipsum magisterium episcoporum exerceatur actibus singularibus in Ecclesiis particularibus. Intelligo pariter actus regiminis ab episcopis positos ex invitatione Pontificis ad actionem collegialem ponendam actum collegialem fieri. At non valeo mihi persuadere actus particulares regiminis iam positos, quique forsan per purum accidens uniformes sunt, fieri posse actum collegialem per solam receptionem Summi Pontificis, quae cum non distinguatur in textu a receptione requisita ut magisterium collegiale dicatur, etiam si tacita, sufficere dicenda esset. Non valeo praesertim acquiescere logicae, quae sequeretur, conclusioni: actus disciplinaris particularis, mutabilis, immo prudenter mutandus pro mutatis circum-

stantiis, iam libere mutari non posset ab episcopo, utpote actus collegialis factus et ideo lex generalis.

Quare puto sapientiae et prudentiae commissionum rem iterum committendam, ut clarificetur, distinctione facta inter magisterium episcoporum in orbe degentium et regimen ipsorum, necnon inter conditiones quae requiruntur ut collegialis actus dicatur regimen singulorum episcoporum et conditiones quae requiruntur ut collegiale dicatur magisterium ipsorum.

29

Exc.mus P. D. CAROLUS IUSTINUS CALEWAERT

Episcopus Gandavensis

Quae in cap. II, n. 15, pag. 26, linn. 36 ss. dicuntur de diaconatu, nullatenus placent.

I. Nostris temporibus frequenter, et merito quidem, sermo est de sic dicta promotione laicorum et de eorum apostolatu.

Cur cogi debent laici ad diaconatum promoveri, i. e. in clerum cooptari, antequam ad aliquod ministerium deputentur?

Cur laici non possent deputari in casibus determinatis et sub certis condicionibus ad praedicandum, ad baptizandum, immo ad Eucharistiam deferendam aegrotis vel etiam aliis, in iis locis ubi deest sufficiens numerus sacerdotum?

Haec praxis viguit in ecclesia primitiva sicut illustrat exemplum S. Tharcisii, et etiam nostris temporibus uti tempore perturbationis in Hispania vel durante ultimo bello in castris concentrationis.

II. Omnino vitandum est ne diaconi iam non adstringantur caelibatus lege.

Hic esset primus gressus, et quidem valde periculosus, ad relaxationem legis caelibatus pro sacerdotibus, quod omnino praecavendum est.

Caelibatus est honor et decus Ecclesiae.

Apud omnes populos, etiam paganos, ut testantur Missionarii, caelibatus cleri catholici maxime in honore est. Est enim probatio optima et pignus praeclarum illius abnegationis quam Christus tantopere commendat iis qui ipsum sequi cupiunt ipsiusque servitio sese indiviso amore mancipare exoptant.

[*Subscripserunt etiam:*] Aemilius Ioseph De Smedt, ep. Brugensis; L. De Kesel, aux. Gandavensis.

30

Exc.mus P. D. PETRUS CANTERO CUADRADO
Episcopus Huelvensis

Votum circa n. 19, cap. II schematis *de Ecclesia. De munere docendi episcoporum.*

Omnibus patet momentum magnum materiae de magisterio, non solum in hoc schemate de Ecclesia, sed etiam in aliis pluribus nostri Concilii schematibus. Nunc intendimus statuere fundamentum dogmaticum, supra quod alia coaedificari valeant. Ad melius autem obtinendam cohaerentiam et connexionem inter opus doctrinale et opus iuridicum et pastorale Concilii Oecumenici Vaticani II, notare humiliter vellem ea quae sequuntur.

In genere, non mihi videtur plene ac complete exposita doctrina in hac gravissima materia, ita ut dici possit iam satis patere theologica principia, ex quibus necessario consequatur ratio et extensio functionis catholicae docendi.

Primo. Tota instructio et educatio catholica in missione magisterii Ecclesiae fundatur. Quare clare exprimenda et funditus probanda esset ratio cur Magisterium *et quidem auctoritativum* in Ecclesia exsistere oporteat et debeat. Meo humili iudicio, non sufficit affirmare exsistentiam et ius divinum potestatis docendi in Ecclesia. Ratio est, quia Ecclesia est unica societas exsistens in terris, quae habet et exercere debet potestatem Magisterii *auctoritative.* Id est Magisterium praeditum praerogativa exigendi a fidelibus *ipsius intellectus* assensum. Tale magisterium est essentiale, proprium et exclusivum Ecclesiae.

Ceterae humanae societates et ipse Status, exercent de facto et de iure magisterium; sed non est magisterium *auctoritativum.* Ratio est, quia societates pure humanae neque habent neque indigent habere potestatem seu auctoritatem supra ipsum humanum intellectum. Auctoritas societatis civilis versatur tantummodo circa ea quae externe ad bonum sociale obtinendum conducunt. Ipsius Status proprium solummodo est curare de iis quae homines faciunt, non de iis quae homines cogitant. Ad hoc habent potestatem plenam gubernii cum sua triplici functione, legislativa, iudiciali et coactiva, et a suis subditis tantummodo exigere possunt conformismum iuridicum — externum nempe — ordinis practici.

Super ipsum hominis intellectum directe auctoritatem nemo habet nisi solus Deus, vel ille quem Deus suae auctoritatis participem fecerit; quia intellectus hominis ad assensum moveri non potest nisi vel evidentia rerum vel auctoritate Dei, « cum homo a Deo tanquam Creatore et Domino suo totus dependeat et ratio increata increatae Veritati penitus subiecta sit », ut in Concilio Vaticano I definitum est (D. 1789).

Hoc capitale discrimen inter Magisterium *auctoritativum* Ecclesiae et alia-

rum societatum magisterium, fundatur et radices habet in ipsa natura et missione supernaturali Ecclesiae, quae tota quanta vivit de caritate et veritate a Christo revelatis; et inde Ecclesia est vere « Regnum veritatis et gratiae ». Ad hoc Filius Dei missus est a Patre « plenus gratiae et veritatis », « ut omnis qui credit in eum non pereat sed habeat vitam aeternam » (*Io.* 3, 16). Iuxta apostolum vero homines in Christo credere non possunt sine « praedicante, neque Christum praedicare nisi mittantur » (*Rom.* 10, 14). Haec autem superna missio, quippe quae usque ad consummationem saeculi est duratura (*Mt.* 28, 20), in episcopis, apostolorum successoribus, iugiter perseverare necesse est. Igitur episcopi, missione, mandato et auctoritate Christi, praecones, doctores et iudices sunt. Capacitatem autem ad hoc divinum munus exsequendum obtinent ex virtute et adiutorio perenni divini Spiritus a Domino promisso ac dato: « Ego rogabo Patrem et alium Paraclitum dabit vobis ut maneat vobiscum in aeternum, Spiritum veritatis ». « Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos, et eritis mihi testes usque ad ultimum terrae » (*Io.* 14, 16; *Act.* 1, 8).

Hac ergo ratione Christus in Ecclesia munus docendi instituit vera auctoritate doctrinali et superna virtute praeditum, perenniter duraturum in servitium totius humanitatis redemptae, ad depositum fidei et morum semper et ubique propagandum, ad eius verum sensum explicandum atque intelligentiae et vitae omnium hominum applicandum.

Secundo. Nihil dicitur in hoc n. 19 de ordinario episcoporum magisterio, quod certe est etiam *auctoritativum;* neque sufficienter de eius obiecto primario et secundario sermo est.

Re quidem vera, primarium obiectum magisterii, etiam ordinarii episcoporum, est « depositum fidei et morum », scil., dogmata fidei credenda, principia ac praecepta moralia revelata, institutiones divinae, iuridicae et sacramentales positive a Christo stabilitae. Sed obiectum secundarium huius magisterii episcoporum est etiam totum quantum et in quantum sub aspectu morali, et quidem intuitu aeternitatis, pertinet ad principia, dictamina, interpretationem et applicationem legis naturalis. In dominio doctrinae et praeceptorum legis naturalis, Ecclesiae magisterium competens est, quia lex naturalis via est, « qua homo, ex Dei ordinatione, ad finem suum supernaturalem tendere debet », prout a Pio XII proclamatum est, iuxta illud S. Thomae effatum: « fides praesupponit cognitionem naturalem, sicut gratia naturam » (Pius XII, *AAS.* 46, 671 ss.; S. Th. 1, q. 2, a. 2, ad 1).

Ecclesia ergo debet portare testimonium Evangelii et adimplere suum mandatum missionarium et salutiferum, non solum in spatio, ad totam nempe terram ubi Christus nondum satis notus est, sed etiam in tempore, id est in magnis quaestionibus quae in diversis historiae circumstantiis universam humanitatem afficiunt et eius vitam religiosam, moralem vel intellectualem torquent. Ecclesia enim suo Evangelio est et esse debet veluti conscientia moralis mundi, veluti lux quae illuminat omnes homines huius mundi (cf. *Io.* 1, 9), veluti vita qua regenerentur et de qua fruantur omnes

gentes terrae. Hac ratione Evangelium Christi in tota mentalitate, activitate et vitalitate hominum inserendum et penitus incorporandum est.

Tertio. Nihil loquitur schema de responsabilitate uniuscuiusque episcopi relate ad christianam institutionem et formationem suorum fidelium. Inculcandum est, hoc esse officium personale uniuscuiusque episcopi; quod ergo exercere debet in primis per seipsum et etiam, sub eius attenta vigilantia, adiutorio necessario et efficaci sacerdotum, religiosorum et laicorum ad hoc ministerium aptorum. Hinc maxime pendet efficacitas et universalitas institutionis, praedicationis, preli formationis et promotionis supernaturalis vitae catholicae omnibus debitae.

Conclusio. His positis postulo ut in hoc n. 19 apte inserantur haec vel similia verba:

a) Munus docendi, divina auctoritate praeditum, est essentiale Ecclesiae Christi. Salvator enim noster, qui Creator et Dominus humani intellectus est, hoc docendi munus Ecclesiae suae concredidit, immo et ipse per suum Vicarium et episcopos suae Ecclesiae perenniter exercet.

b) In pag 29, n. 19, lin. 27, post vocem « arcent », addatur: « Etiam in dominio ordinis moralis naturalis ».

c) In fine n. 19 addatur: « Quae dicuntur de ambitu exercitii muneris docendi episcoporum collegialiter sub Romano Pontifice coadunatorum, proportione servata et salva praerogativa infallibilitatis, quae solum ipsi Papae ex cathedra loquenti et corpori omnium episcoporum sub Papa concessa est, applicari possunt unicuique episcopo relate ad fideles et populos suis curis commissos, quorum evangelizatio et christiana institutio per seipsum et cum efficaci adiutorio sacerdotum, Ordinum Congregationumque religiosorum, et laicorum fidelium, ab episcopo peragi debet, utpote quae vel maxime pendet a pastorali responsabilitate proprii episcopi ».

[*Subscripserunt etiam:*] Marcellus, ep. Asturicensis; Narciso Jubany, ep. aux. Barcinonensis; Michael, ep. aux. Compostellanus.

31

Exc.mus P. D. CARMELUS CANZONIERI

Episcopus Calatayeronensis

Multi locuti sunt de collegio episcoporum, et bene egerunt, ut cogito, dummodo non stricto sensu locuti sint; sed ad quaestionem utrum Dominus Iesus collegium instituerit, vel aliquam personam iuridicam, mihi videtur respondendum esse negative.

Neque enim ex verbis Christi, neque ex modo agendi apostolorum vel Patrum primi, secundi et tertii saeculi hoc desumi potest. Et primo ex verbis Christi:

Dominus Iesus potestatem supremam, utique cum Petro et subordinate ad Petrum, omnibus apostolis dedit, quae certe non erat collegialiter exer-

cenda. Arg. I: si loquimur de verbis « quidquid solveritis in terra, erit solutum et in caelis... » (*Mt.* 16, 18), meminisse iuvabit quod haec verba saltem continent potestatem remittendi peccata, quae certe non erit collegialiter exercenda; ideoque haec verba non possunt assumi tanquam institutiva collegialitatis.

Arg. II: si loquimur de verbis missionis apostolicae (*Mt.* 16, 20) « Ite, docete omnes gentes... » in his cum evidentia loquitur de aliqua potestate, quae per universum mundum et continuo exercenda est, quod certe dici nequit de exercitio nostrae potestatis collegialis; ipsa assistentia Christi directe huic exercitio promissa est loco citato: et ecce ego ... Christus, i. e. cum apostolis erit, ut ita dicam, euntibus et docentibus, et, saltem in directo, hic est sensus verborum Christi.

Evidens tamen est, quod si Christus est cum apostolis euntibus et docentibus, pariter cum ipsis erit in unum collectis, quia unusquisque eorum semper gaudet ea potestate iam conferta; haec magis clarescunt, si cogitamus quod apostoli plena potestate personali gaudebant, ideoque illis temporibus nullomodo necessaria erat potestas collegialis; quae si tamen in Concilio Ierosolymitano in actu fuit, hoc debet dici non ex divina institutione, sed vel ex potestate Petri, vel ex desiderio efficacius pastoraliter agendi.

Certe, etenim, etiam nostris temporibus, potestatis exercitium hoc solemni modo exercitatae magis splendescit, sed non demonstratur quod ita sit ex voluntate Christi instituentis.

Secundo, ex modo agendi apostolorum: Nihil adest in Actibus Apostolorum, quod nobis indicet necessario divinam institutionem alicuius collegii.

Tertio, ex traditione: Omnis traditio Patrum circa auctoritatem et infallibilitatem Conciliorum Oecumenicorum non est retinenda eo modo, quasi si antiqui illi Patres cogitarent se in unum colligi ex divina institutione Christi, sed tantum ut et ipsi cognoscerent quaenam esset doctrina aliarum ecclesiarum, in communione cum Petro, circa aliquam partem revelationis, ut ipsa revelatio magis et coram omnibus splendesceret.

Quarto, ex ratione theologica: *a*) Institutio alicuius collegii non necessario requiritur ad optatam unitatem omnium episcoporum; ad hoc enim sufficit relatio hierarchica inter Petri successorem et apostolorum successores; ad relationem iuridicam ab ipso Christo certissime institutam, iungitur pariter certissime illa unio moralis caritatis, quae adesse debet inter eos, qui ad eamdem doctrinam credendam et praedicandam vocati sunt, cum auctoritate propria, etsi sub regimine unius Summi Pontificis.

b) Si voluisset Christus instituere collegium aliquod ad exercendam summam potestatem collegialiter, hoc explicitius dixisset, cum res sit tanti momenti, et nos in hoc Concilio fortasse de hac re non loqueremur.

c) Si Christus instituit collegium, ut qua tale operaretur, hoc collegium necessario a Romano Pontifice quandoque convocandum esset; tamen ex nullo argumento apparet, quod Summus Pontifex necessario convocare debeat Concilium; et si numquam Summus Pontifex convocaret Concilium,

inutilis evaderet institutio Christi in re tanti momenti; an etiam cogitare possemus, quod Christus instituerit collegialitatem, sine ulla obligatione collegas convocandi, etiam nunquam convocandi, ex parte Summi Pontificis?

d) Ultima ratio theologica erit, quod Dominus Iesus non instituit duo magisteria, ordinarium unum et extraordinarium alterum, sed tantum dixit: Ite, docete; tamen difficilius cognoscitur, quod ab ipsis docetur, quando episcopi in universo mundo dispersi sunt, facilius autem et splendidiori modo, quando episcopi a successore Petri convocati, ipsi quasi coram universo orbi, quid praedicent, quid velint, dicant.

Mea humillima sententia igitur est, quod in pag. 27, art. 16, titulus mutandus sit: loco scribendi « de collegio episcopali », scribi debet: « de episcopis eorumque capite », et sensu supra descripto intelligenda sunt omnia quae de collegio, et similibus, dicuntur, si adhuc volumus hoc nomen et has locutiones a naufragio salvare.

Caritatis gratia, multa quae iam ab aliis Patribus dicta sunt, neque legam neque scripto tradam. Aliqua tantum addam circa collegium apostolicum.

Mea sententia est quod Christus non instituit collegium apostolicum ut personam moralem, cum potestate etiam numerice distincta ab ea quam episcopi, in mundum universum euntes et docentes, possident.

Attentissime consideretis vellem, fratres desideratissimi, quod etiam nunc si collegialitas definiretur, nihil amplius poterimus facere, quod iam non possumus vi illius nostrae ordinariae potestatis.

Possuntne episcopi, ut collegium, aliquid amplius facere, vel quamnam aliam potestatem habent, qua iam non gaudebant in mundum euntes et docentes? Christus ergo instituisset, quod vere inutile esset.

Et etiam nunc in hoc Concilio Oecumenico unusquisque nostrum ita agit, tanquam auctoritatem habens, sicut in sua quaque dioecesi unusquisque habebat.

Neque ad fovendam aliquam moralem unionem utilis esset institutio collegialitatis; illa unio enim fundamentum iuridicum iam habet in relatione hierarchica inter Petri successorem et successores aliorum apostolorum, et unio moralis caritatis continuo esse debet inter episcopos, et hoc ex sese et non tantum ex eo quod ex praesumpta institutione Christi collegium efforment.

A posteriori vero, sicut in his rebus licet, nobis attendentibus locis Sacrae Scripturae, clare apparebit quod in *Mt.* 16, 18: « quaecumque solveritis... » et in *Mt.* 28, 16: « ite in mundum universum... » et aliis similibus locis, de potestate loquitur, quae ad apostolis exercenda est in mundum universum euntes, immo et continuo, dico continuo, exercenda est. Ad hoc addendum est quod in verbis Matthaei: « quaecumque solveritis... » iuxta communem sententiam, continetur etiam potestas remittendi peccata; ideoque nullo modo haec verba collegialem potestatem continent. Sed adhuc perpendendum est quod, iuxta plurimorum sententiam, episcopi ra-

dicaliter habent potestatem, quae universum orbem attingit; ideoque assignatio particulari Ecclesiae est potius necessaria, ratione loci, delimitatio potestatis, quam ipsius collatio; quod iterum demonstraret inutilitatem collegialis potestatis, quia in Concilio unusquisque episcopus ex sua potestate radicaliter et destinatione universali, cum et sub Petri successore, pro universo orbe legiferat, universum orbem docet et sanctificat.

Neque cogitandum est doctrinam tanti momenti a Christo Domino absconditam esse in aliquo tam obscuro loco, ut tot caterva Patrum longe lateque inquirens, nequeat tamen invenire.

Ex traditione habemus utique quod omnes Patres admittunt supremam potestatem Concilii, et ita theologi de collegio facti loquuntur; sed adhuc desideratur argumentum ad demonstrandum quod iuxta mentem Patrum de aliqua particulari institutione loquatur, et non de exercitio, splendidiori quidem modo, illius unius potestatis qua episcopi gaudent in universo mundo dispersi, in communione cum Romano Pontifice.

En conclusio: res ita se habuit: Christus dedit apostolis supremam potestatem, quam ipsi exercent in mundum euntes et docentes, et splendidiori modo quando sunt in unum cum Petro collecti; ne cogitemus ergo de positiva voluntate Christi ad eos in unum colligendos.

Unde n. 16, pag. 27 inscribatur « de episcopis eorumque capite », et modo supra descripto intelligenda sunt omnia quae de collegialitate episcoporum in hoc numero dicuntur.

32

Rev.mus P. D. ALIPRANDUS CATANI

Prior generalis Congr. Monach. Erem. Camaldulensium O.S.B.

Ad n. 14, pag. 25, linn. 16-21. Loco verborum: « Immo, quia ... sacramenti Ordinis », dicatur: « Immo dubitare nemo debet episcopatum esse vere et proprie gradum supremum sacramenti Ordinis, dum constat solum per manuum impositionem et verba consecrationis episcopalis talem plenitudinem participationis sacerdotii Christi conferri quae possit alios nondum episcopos summos sacerdotes et episcopos in Ecclesia facere eisque successionem apostolicam transmittere. Ideo ex traditione, quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum orientis tum occidentis declaratur perspicuum est in consecratione episcopali talem gratiam Spiritus Sancti conferri quae ad summi sacerdotii munera propria habilitet. Praeterea ... ».

Ratio. Videtur necessarium uti primam rationem sacramentalitatis episcopatus ponere illam de cuius vi nullum dubium esse potest et quae non tangit disputationem utrum simplici presbyteri possint alios presbyteros ordinare. Nam quidquid sit de illa disputatione certum est nullum presbyterum posse successionem apostolicam transmittere et alios summos sacerdotes in Ecclesia facere.

Insuper argumentum ex formulis liturgicis valet non praecisive ex eo quod ibi indicatur in consecratione episcopali dari Spiritum Sanctum, sed

ex eo quod ibi indicatur in ea talem gratiam Spiritus Sancti dari quae ad munera summi sacerdotii proprii habilitet.

Ad n. 16, pag. 27: *de collegialitate episcoporum.*

1. In textu collegialitas episcopatus fundatur in argumentis de quorum validitas dubitari potest et dubitatur si sumuntur uti ibidem exponuntur. Nam:

a) Ex textibus Scripturae citatis sicut fit in textu non omne dubium tollitur utrum agatur de collegialitate stricte dicta. Id est, utrum agatur de tali coetu qui praeter potestates quas singuli apostoli habebant uti personae singulares: uti privilegia Petro propria et praerogativas personales singulorum apostolorum aliis non transmittendas, puta privilegium ubique fundandi et regendi ecclesias et privilegium infallibilitatis haberet etiam *in solidum* quasdam potestates doctrinales et disciplinares in universa Ecclesia.

b) Disputari potest et disputatur utrum actus concilii oecumenici qui sunt certe actus collegiales, sint tamen formaliter actus collegii episcoporum et non potius actus alicuius collegii sui generis constantis tum ex episcopis tum etiam ex aliis quibusdam non episcopis sub capite Romano Pontifice.

Rationes ex quibus suspicari licet concilium oecumenicum non esse simpliciter collegium episcoporum localiter collectum in unum sunt sequentes:

a) Ad concilium oecumenicum possunt invitari, de facto nunc invitantur et historice saepe invitati fuerunt, cum voto deliberativo, ut iudices fidei, in solidum cum aliis gaudentes privilegio infallibilitatis, etiam non episcopi, aliquando etiam non sacerdotes immo etiam non clerici.

b) Ad concilium oecumenicum non requiritur, absolute et theologice loquendo (et quidquid statuat de facto ius canonicum aliquo determinato momento) omnium episcoporum neque universalitas convocationis, neque repraesentationis, neque praesentiae. Historice, v. g. nihil ex his omnibus habitum est in concilio constantinopolitano I, neque in II. Ut aliquod concilium oecumenicum habeatur sufficit, stricte loquendo, ut aut Romanus Pontifex solus aut ipse cum collegio episcoporum per orbem dispersorum illud habeat ut tale (etiamsi forte de se sit omnino parvum) saltem recipiendo illud post eius celebrationem. Ita factum est de Constantinopolitano I.

c) Ad decidendas res in concilio oecumenico non semel satis habitae sunt et nunc satis habentur, duae ex tribus partibus suffragiorum validorum. Ad decidendam vero rem dogmaticam per collegium episcoporum per orbem dispersorum, requiritur, secundum opinionem communem, unanimitas moralis.

Si hae rationes recipiuntur sequitur in Ecclesia dari non duo sed tria distincta (inadaequate) organa supremae potestatis: Romanus Pontifex solus; collegium episcoporum cum suo capite Romano Pontifice; concilium oecumenicum cum suo capite Romano Pontifice.

Schema de concilio oecumenico ita deberet loqui ut huiusmodi quaestio disputabilis integra remaneat.

2. *Argumentum apodicticum pro collegio episcoporum* et quidem iure

divino, potest, e contra, desumi ex doctrina fidei circa magisterium ordinarium et universale et eius infallibilitatem.

Nempe: ex fide constat, ex voluntate Christi episcopos, per orbem dispersos et Romano Pontifici unitos, quando cum morali saltem unanimitate docent aliquid uti de fide, esse infallibiles et hoc derivatur ex ipsa infallibilitate qua Christus voluit Ecclesiam suam esse munitam.

Sed hi episcopi non gaudent tali infallibilitate ut singuli. Ergo in solidum. Ergo ut collegium et quidem ex voluntate Christi.

Exinde indubitatum est episcopos, una cum Romano Pontifice, constituere collegium stricte dictum et quidem ex iure divino.

3. Si res sub hoc aspectu consideratur evidens est episcopatum esse collegium ex iure divino, fuisse doctrinam, saltem proxime implicitam, in ipsa fide iam antiquissimae Ecclesiae, aut melius aequipollentem cum ipsa.

Nam etiam historice facile probatur primaevam Ecclesiam sibi persuasum habuisse se, in suis episcopis, esse infallibilem, et tamen omnes scivisse singulos episcopos non esse infallibiles. Irenaeus, Tertullianus, Origenes v. g. hac in re abundant et non est cur textus citentur.

4. Item hoc modo clarescit collegium episcopale succedere collegio apostolorum. Ratio est quia iure divino Ecclesia post apostolos nullam praerogativam habet quam iam non habuit in ipsis apostolis. Si ergo collegium episcoporum est infallibile in solidum, hoc non potest derivare nisi ex apostolis. Non autem ex praerogativa infallibilitatis personalis singulorum apostolorum quia haec erat ex illis dotibus quas apostoli aliis transmittere non poterant (excepto Petro relate ad Romanum Pontificem). Ergo infallibilitas collegii episcoporum derivatur ex infallibilitate quam apostoli habebant etiam in solidum, hoc est ut collegium. Collegium episcoporum succedit collegio apostolorum.

5. Hoc modo etiam clarescunt textus N. T. qui iam ex se solis satis innuunt inter apostolos extitisse etiam quandam formam collegialem auctoritatis supremae in Ecclesia.

6. Quaestio ulterior est utrum haec suprema potestas collegialis in Ecclesia valeat tantum in campo doctrinali an etiam in campo disciplinari (quidquid sit de modo et de opportunitate eius exercitii practici).

Et respondetur quod valet etiam in campo disciplinari. Ratio est quia, quidquid quidam dicant hac in re, auctoritas suprema in re doctrinali et auctoritas suprema in re disciplinari separari non possunt et ideo una ex alia certe infertur. Nam praerogativa infallibilitatis datur non solum ad cognoscendam doctrinam, sed praecisive etiam ad eam imponendam auctoritative et ad exigendam a fidelibus oboedientiam fidei; iurisdictio vero ordinatur ad dirigendos fideles in fide in vita practica applicanda. Et ideo recte Concilium Vaticanum I ex suprema auctoritate iurisdictionis Romani Pontificis in Ecclesia universali, seu ex ipsius primatu, derivat probationem infallibilitatis ipsius. Item ergo ex suprema auctoritate in Ecclesia collegii episcoporum in re doctrinali recte infertur ipsius suprema auctoritas in re disciplinari etiam

sine concilio oecumenico. Et dogmatice parum refert utrum historice haec forma auctoritatis supremae disciplinaris in universa Ecclesia iam fuerit practice applicata necne.

Conclusio. Textus totius n. 16 indiget nova redactione, in qua:

a) Clara notio detur collegialitatis stricte dictae i. e. alicuius coetus cuius membra sunt *in solidum* subiectum auctoritatis supremae in Ecclesia, cum et sub potestate capitis eiusdem, i. e. Romani Pontificis.

b) Episcopos in solidum consideratos et cum eorum capite Romano Pontifice esse collegium pollens suprema auctoritate in Ecclesia demonstretur praeprimis ex fide in infallibilitate magisterii ordinarii et universalis sicut supra.

c) Dicatur tale collegium pollere in Ecclesia auctoritate suprema non solum doctrinali sed etiam disciplinari et indicentur variae formae quibus haec exerceri potest, sive ordinarie sive extraordinarie, semper simul cum Romano Pontifice.

d) Sit sermo de concilio oecumenico in aliqua paragrapho distincta, sed ita ut non praeiudicetur quaestio disputata utrum ipsum sit simpliciter conventus localis extraordinarius collegii episcoporum, an e contra alicuius collegii naturae diversae.

In ista paragrapho de concilio oecumenico corrigatur id quod dicitur pag. 27, linn. 30-32. Loco, nempe verborum: « Romani Pontificis praerogativa ... eadem confirmare », dicatur: « Romani Pontificis praerogativa est, si ita pro bono communi expedire censuerit, sibi ius reservare concilia oecumenica convocandi, eisdem praesidendi et eadem actu explicito confirmandi, nec concilium oecumenicum umquam... ».

Ratio huius correctionis est: quia textus hodiernus ambiguus est. Posset enim ita intelligi ac si concilium affirmare vellet Romanum Pontificem semper sibi reservasse *de facto* ius convocandi etc. concilia oecumenica. Hoc autem historice falsum est, nam pro antiquis conciliis haec reservatio non demonstratur.

33

EXC.MUS P. D. VICTORIUS CECCHI
Episcopus Forosemproniensis

Post auditam disceptationem capitis II schematis de constitutione hierarchica Ecclesiae, haec nobis observare liceat.

Ad n. 15, pag. 26, linn. 39-40 a contextu huius schematis dogmatici nobis expungendae videntur, et, tamquam ad locum suum proprium, ad aliud schema indolis pastoralis amandandae sunt.

Rationes: 1. Quaestio haec ordinis mere disciplinaris et pastoralis est. Si in hoc caput intrudatur evidenter dissonat cum toto contextu dogmatico.

2. Motiva a quibusdam Patribus allata ut suadeatur necessitas Diaconatus uxoratorum ordinis contingentis pastoralis pro determinatis locis et

temporibus sunt. Quaestio de re contingenti in constitutione dogmatica inserenda non est.

3. Tota quaestio ampliorem et uberiorem contextum pastoralem exigit ut melius et fusius investigetur et pertractetur. Ecclesia enim, ditissima gratiarum plenitudine a Christo Domino donata, non unum sed plura subsidia habet, efficaciora quandoque et opportuniora, quibus pastoralibus necessitatibus apte subveniat.

Quapropter proponimus ut citatae lineae inde a verbis: « Quo in casu, etc. » usque ad finem, ex hoc schemate dogmatico deleantur et ad aliud schema pastorale remittantur.

[*Subscripserunt etiam*:] Caietanus Michetti, ep. tit. Irenopolis in Cilicia; Macarius Tinti, ep. Fabrianensis et Mathelicensis.

34

Exc.mus P. D. ORLANDUS CHAVES
Archiepiscopus Cuiabensis

Quamvis iam ab aliis plura de diaconatu permanente instituendo dicta sint, mihi videtur non satis dictum esse de conatu evertendi, hac occasione, caelibatum clericorum in genere et diaconorum in specie.

Hic quidem caelibatus etiam diaconorum absque interruptione et contra omnia huiusmodi tentamina per viginti fere saecula i. e. ab initio in Ecclesia occidentali et romana sancte custoditus et vindicatus est. Liceat mihi, venerabiles Patres, summas tantum vicissitudines huius traditionis in mentem revocare:

Iam in Litteris Encyclicis Pii XI memorantur verba synodi Africanae-Carthaginensis II a. 390, quae in canone 2 sic de caelibatu etiam diaconorum loquitur: « quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas nos quoque custodiamus ». Sequentia Concilia sive Africae sive Hispaniae sive Galliae iterum atque iterum hanc obligationem caelibatus urgent.

Romani Pontifices, litteris his regionibus missis, et ipsi strenui custodes et defensores caelibatus diaconorum quoque exsurgebant, inter quos Leo Magnus et Gregorius Magnus. Etiam alii SS. Patres uti S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus idem fecerunt. Immo dicendum est quod eo tempore quo subdiaconatus inter ordines sacros connumerabatur, caelibatus ad subdiaconos quoque extendebatur.

Cum postea propter varias causas omnium horum sacrorum ministrorum caelibatus valde periclitaretur tempore investiturae in officia ecclesiastica a laicis factae, reformatores sub ductu Romanorum Pontificum surrexerunt, ut salvarent antiquam disciplinam. S. Gregorius VII, omnium strenuissimus, tunc dixit: « Non liberari potest Ecclesia a servitute laicorum, nisi liberantur clerici ab uxoribus ».

Quamvis Ecclesia caelibatum ad ordines minores non extenderet, nihilomi-

nus Romani Pontifices, uti Alexander III et Innocentius III, aliique sequentes ne voluerunt quidem, ut coniugati minoristae beneficia ecclesiastica haberent. Innocentius III enim explicat hoc non fieri debere: « cum vir cogitet quomodo placere possit uxori et ideo minus quae Dei sunt valeat cogitare, cum quasi divisus in duo plenam sui non habeat potestatem, ut ei a quo stipendium recipit plenius famuletur... et praesertim cum rerum ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire » (X, III, 3, 5).

Contra innovatores saec. XV et XVI Concilium Tridentinum, quamvis pro ordinibus minoribus coniugium permiserit, pro omnibus autem ordinibus maioribus caelibatum rigorose confirmavit (Sess. 24, can. 9 de matrimonio).

Etiam in saeculis sequentibus saepe tentamina abrogationis totalis vel partialis caelibatus agitabantur; contra omnia tamen Romani Pontifices claris et firmis verbis hanc sacrosanctam traditionem et disciplinam vindicabant; cogitemus de ultimis tantum Litteris Encyclicis Gregorii XVI, Pii IX, Pii X, Pii XI, Pii XII et de sermone quem Ioannes XXIII occasione Synodi Romanae de hac re habuit.

Solummodo qui hanc sacrosanctam traditionem aut ignorat aut contemnit abrogationi caelibatus diaconorum potest consentire et contra experientiam certam tot saeculorum pro incertis utilitatibus, immo iam certis periculis et damnis, evertere aut relaxare probatissimam disciplinam.

Nihil dico denique de textu schematis iuxta quem ad singulos praepositos Ecclesiae spectet decernere, utrum tales diaconi sacra lege caelibatus adstringantur necne: hoc enim evidenter absurdum esset propter maximam confusionem inde orituram.

Enixe ergo rogo vos, venerabiles Patres, ut, cum omnes nos omnibus viribus nova media novosque operarios in vinea Domini laborantes excitemus, eodem tempore nihil de sacrosanctis, probatis, iterum atque iterum vindicatis traditionibus perdamus vel labefactemus, inter quas eminet sacra caelibatus lex omnium ministrorum in sacris constitutorum.

Em.mus card. Câmara; Orlandus, arch. Cuiabensis; Alexander, arch. Uberabensis; Geraldus Sigaud, arch. Adamantinensis; Ioseph d'Angelo Neto, arch. Pouso Alegre; Adelmus, arch. coad. Maceió; Newton, arch. Brasiliensis; Carolus Coelho, arch. Recife; Emmanuel, arch. Curitiba; Ioseph M. de Campus, ep. Lorenensis; Daniel Baeta Neves; Iosephus, ep. Aterradensis; Gabriel Bueno Couto, aux. Taubatensis; Schmidt, ep. Xapecoensis; Candidus Bampi, ep. aux. Caxias; Antonius Castro Mayer, ep. Campensis; Zacharias, ep. Cajazeirensis; Emmanuel Cintra, ep. Petropolitanus; Ladislaus, Corumbensis; Ioannes Marchesi, ep. aux. Rio Negro; Michael d'Aversa, ep. prael. Humaitá; Iosephus Medeiros Leite, ep. Oliveiren.; Othon Motta, ep. Campaniensis; Arcangelo Cerqua; Adolfo Bossi; Cesario Minali; Alves Trindade; Adalberto Marzi; Dom Henrico Trindade, bispo de Botucatu; Dom José André Coimbra, bispo di Pató; Dom Antonius M., arc. coad. card. Carlos Motta; Dom Alano Noday, bispo Porto Nacional; Dom José Gonçalves da Costa, ep. tit. de Rhodopolis; Dom Antonio Moraes, arc. de Niteroi.

35

EXC.MUS P. D. IRENAEUS CHELUCCI

Episcopus Ilcinensis

Haud scio an quae dicturus sum de schemate quod Ecclesiam respicit, tibi videantur alicuius momenti. Utcumque erit, meo officio puto me satisfacturum, si quae conscientia dictat sincere exponam, etiamsi nihili aestimentur.

Iam primum inter varios aspectus sub quibus Ecclesia considerari potest, duo praecipue maxima digni apparent consideratione, mystici Corporis Christi et regni Dei vel caelorum, ille satis expressus n. 5, hic nescio qua ratione praetermissus, cum punctum vere centrale constituat in universa Christi praedicatione, adeo ut Bossuet non dubitaverit scribere: « Quamdiu hoc regnum mysteriosum non sit penitus intellectum, vera Christi mens manebit occulta et inaccessa. Quicumque autem error evenerit circa hoc regnum, fieri nequit quin pessima habeat consectaria utpote quae, totum nostrum christianismum pervadant ». Quam sit hoc vere dictum, animadvertit clarissimus Timotheus Zapelena S. I. in suo « De Ecclesia Christi Summarium », palam ostendit hodierna historia. Hoc quippe punctum de regno Dei est a criticis hodiernis callide selectum ad oppugnandas omnes catholicorum positiones ecclesiologicas. Perspectum illis erat perturbata vera notione evangelica Regni Dei, illico pessumdari ipsa fundamenta, quibus innititur dogma catholicum de regno Dei a Christo hisce in terris constituto.

Ad aliquot particularia veniens, quae pauca notabo, scrupuli forsan magis quam rationis aestimabuntur: de qua re nedum doleam, gaudebo meliorem sententiam libenti animo amplectens. Ut omittam ea quae mendae evidenter apparent typographicae aut morphologicae aut etiam deterioris latinitatis quae sequuntur propono:

Ad n. 13 addatur: Docemus praeterea iam inde ab aevo apostolico adfuisse in Ecclesia episcopatum monarchicum et hanc episcopatus formam esse divinae institutionis.

Ad n. 16, lin. 14 pro « continuo » adhibeatur « continenter » cum « continuo » idem significet ac « subito » « protinus » etc.

Ad n. 19, lin. 28 post « ex indole documentorum » addatur: inter quae litterae encyclicae, si quod ibi proponitur et inculcatur iam pertinet aliis de rationibus ad catholicam doctrinam.

Ib. in fine: praesertim vero si Summi Pontifices de industria in suis actis sententiam promant de re adhuc controversa (cf. litt. encycl. *Humani generis*).

Ad n. 24. Sensus fidei fidelium ut infallibile veritatis criterium sit, certus et clarus debet esse circa res fidei et morum alicuius momenti, quae in explicita fidelium cognitione vel constanti aliqua praxi continentur: si enim agitur de rebus subtilioribus, quae implicite tantum a plerisque fidelibus

creduntur non ita facile habendus. In quo genere, ait M. Canus, l. VII, p. 340, ed. Migne, si vulgarem plebis sententiam roges, perinde est ac si a caeco sensum colorum postules.

Ib. Fideles sacrificium eucharisticum participantes verius dicitur, ni fallor, ad mentem encyclicae *Mediator Dei* non solum offerre, vota sua cum votis ministri litantis iungentes, seu per manus sacerdotis, sed quodam modo, ait Pius XII, etiam simul cum eo, et hac participatione etiam oblatio a populo facta ad cultum liturgicum pertinet.

Postremo me habeas excusatum, si interpretans sensus etiam aliorum Patrum conciliarium petere audeo ut sermones qui ad microphonium leguntur peritis artis declamatoriae committantur aut eorum summa Patribus tradatur eum in finem ut recte percipiantur ac de iis scienter ab omnibus iudicari possit.

Animadversiones additae:

Iam diu disputatur de ea quae dicitur collegialitas episcoporum, ut supervacaneum videri possit aliquid addere. At cum dubia serpant in hac fundamentali quaestione censeo opportunum esse, ne dicam necessarium, non modo maiores auctoritate Patrum sententiam proferre sed etiam minores, in quorum numero ego quoque reputor.

Iam vero collegialitas duplex distingui potest: collegialitas videlicet universalis seu omnium episcoporum et collegialitas singularis seu singulorum.

Collegialitas universalis tam certa apparet quam unitas omnium episcoporum. Christus enim oravit Patrem ut unitas inter eos intercederet quae esset ad instar unitatis perfectissimae quae intercedit inter eum et Patrem ipsum eaque visibilis et manifesta qua mundus credat eum a Patre missum esse.

Si quaeras quaenam natura sit huius unitatis, haud dubitem affirmare unitatis mentium, voluntatum, cordium, in fide, in regimine, in communione quibus respondet triplex potestas docendi, regendi, sanctificandi.

Ex his omnibus liquet episcopos unum corpus, unum collegium constituere, quod nomen si non invenitur in Scriptura, invenitur res, ut patet ex dictis et ex doctrina mystici Corporis, regni Dei seu caelorum.

Ceterum quot nomina adhibentur ad significandas veritates quae continentur in deposito fidei et non inveniuntur in libris divinitus inspiratis aut inveniuntur quidem sed alio prorsus sensu ut sacramentum, character, substantia, accidentia, unitas, trinitas etc.!

Neque haec collegialitas obstat Primatui. Primatus est totum potestativum cuius est proprium totum secundum completam rationem, ut ait S. Thomas, esse in uno, in aliis autem esse aliquam participationem ipsius. Ita Primatus Petri integer communicatur Summo Pontifici qui ut totius Ecclesiae est caput ita etiam rectorum seu episcoporum qui exercent suam potestatem cum et sub Summo Pontifice eius potestatem quodammodo adiuvantes ut Paulus VI, feliciter regnans, auspicatur in mirabili allocutione quam habuit ineunte hac secunda sessione Concilii Oecumenici Vaticani II illis verbis quae altius in pectora nostra descenderunt.

« Enimvero — ait Summus Pontifex — salvis declarationibus dogmaticis Oecumenici Concilii Vaticani primi ad Romanum Pontificem attinentibus, altius investiganda erit doctrina de episcopatu, de eius muneribus deque eius cum Pe-

tro necessitudinibus. Exinde rationes Nobis exponentur, quibus ad doctrinam et usum vitae quod attinet, in apostolico munere obeundo utamur. Hoc namque universale munus, quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis, quam quidem scitis, *poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere,* si dilecti et venerabiles Fratres in episcopatu modis et opportune statuendis, *Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam* ».

Quemadmodum haec collegialitas quae ab initio per decursum saeculorum usque ad nostra tempora Ecclesiam in suo laborioso et glorioso itinere prosecuta ut omnes norunt qui historiam perspectam habent, nihil obstat integritati Primatus, ita tantum abest ut Primatus Summi Pontificis officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis iurisdictionis potestati, qua episcopi, qui positi a Spiritu Sancto in apostolorum locum successerunt, tamquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt ut eadem a supremo et universali pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud S. Gregorii Magni: « Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum cum singulis quibusque honor debitus non negatur ». Quod attinet ad collegialitatem singulorum duae sunt quaestiones:

1. Utrum singuli singulas iure divino regant Ecclesias sub Romano Pontifice, a. v. episcopatus sit monarchicus an sit collegialis.

2. Quaenam relationes sacerdotum ad episcopum.

Ad primam quaestionem divina institutio episcopatus monarchici constat tum historice, tum dogmatice: *historice* comprobant luculenta testimonia Cypriani, Irenaei, Tertulliani; *dogmatice* Concilium Tridentinum et Vaticanum asserunt episcopos positos esse a Spiritu Sancto regere Ecclesiam Dei, episcopos quidem non collegialiter sed monarchice constitutos. Clarius loquitur Leo XIII: « Romani Pontifices officii sui memores, maxime omnium volunt conservari quidquid est in Ecclesia *divinitus constitutum*: *propterea...* dedere et dabunt constanter operam ut *sua episcopis auctoritas salva sit* » (Encycl. *Satis gratum*).

Iure meritoque igitur Iuris Canonici can. 299 decrevit: « Episcopi sunt successores apostolorum atque *ex divina ordinatione* praeficiuntur peculiaribus ecclesiis quas cum potestate ordinaria regunt sub auctoritate Romani Pontificis ».

Ad secundam quaestionem: Relationes sacerdotum ad episcopum, si audiamus nonnullos oratores, non sunt ea quae maxime desiderari possint. Conquesti enim sunt quod sacerdotes parum memorantur in schemate de Ecclesia quasi nullius sint valoris, quorum conquestibus consonabant publicae ephemerides extollentes dignitatem, opera, merita sacerdotum praeter modum quasi sacerdotes opponentes episcopis. Quin etiam non defuere qui dicerent sacerdotium minime esse sacerdotium secundi ordinis, participationem episcopalis sacerdotii, et contenderent collegialitatem sacerdotum in dioecesi instaurandam esse ad instar collegialitatis Episcoporum ut sint collegium democraticum cum eis. Ne nimis progrediar, dicam haec omnia et similia parum differre ab erroribus damnatis in Bulla *Auctorem fidei* Synodi Pistoriensis quae potius dicenda est Synodus Iansenistarum italicorum, qui, favente episcopo De Riccis et urgente Magno Duce Etruriae Leopoldo II, Pistorium convenere ad contaminandam fidem integram et immaculatam tum cleri tum populi, qui ad tuenda iura propriae conscientiae rebellarunt contra impias renovationes auctoremque maximum indecoram fugam capessere coegerunt.

Excessibus omnibus vitatis, nemo neget magnam deberi aestimationem sa-

cerdotibus episcoporum adiutoribus oratione, consilio, opere, bonum certamen cum eis certantibus, fidem servantibus ut coronam iustitiae ab iusto iudice accipiant, una cum eorum episcopis, in aevum splendentem. Si de collegialitate loqui volumus, haec sit paternitatis ex una parte, et filialitatis ex altera, informata spiritu ardentis caritatis ut videntes glorificent Patrem nostrum qui in caelis est per Iesum Christum summum et aeternum sacerdotem.

36

EXC.MUS P. D. UBALDUS EVARISTUS CIBRIÁN FERNÁNDEZ

Episcopus tit. Bidensis, prael. null. Corocorensis

Ex his quae in aula conciliari circa collegium episcoporum audivimus, duo mihi videntur omnibus clare patere atque ab omnibus agnosci:

a) Collegium episcopale revera subsistere, tanquam coetum aut aggregatum, per modum unius complectens omnes eos qui, per plenitudinem sacerdotii in linea successionis apostolorum sunt positi, ad eumdem finem conspirant, iisdem mediis utuntur, sub eadem suprema auctoritate ducti.

b) Collegium hoc, sub ductu capitis, potestatem habere docendi et collegislandi pro universa Ecclesia, non tantum modo extraordinario, ut ex facto conciliari luculenter demonstratur, sed etiam modo ordinario, iuxta normas a Summo Pontifice allatas.

Circa alia duo tamen inter Patres conciliares non videtur dari consensus, scil.:

a) Estne corpus episcopale seu complexus episcoporum ad instar collegii ab ipso Christo Domino seu iure divino in Ecclesia institutum?

b) Ex mero facto collegialitatis, seu ex communione morali deque solidarietate omnium episcoporum, sequitur necessario coetum episcopale *iure divino* seu ex voluntate Christi vera auctoritate pollere collegislandi, una cum Romano Pontifice, et sub eius ductu, pro Ecclesia universali? Haec duo enim non necessario inter se connectuntur, nam collegium per se sustinetur vel sustineri potest, tamquam unio moralis episcoporum, suum munus in propriis dioecesibus exercentium sub capite, quin facultate gaudeat collegislandi pro universa Ecclesia. Talis facultas enim per se non implicatur in nuda collegialitate.

En duo circa quae argumenta pro affirmativa sententia probabilia utique videntur; cogentia vero nullo modo videntur. Res ergo valde obscura manet. De cetero, potestates episcopales certe iuris divini sunt; eas iure divino collegialiter ex officio exercere non constat; potius iure ecclesiastico.

Quid ergo? En votum nostrum:

Certum ab incerto haec sacrosancta Synodus bene separet. Formulam definitoriam exquirat qua liberae maneant disputationes theologorum catholicorum circa quaestiones praedictas de collegio et collegialitate; et de hac libertate disputandi formalis habeatur manifestatio conciliaris in nova redactione schematis.

Sed simul alte et clare proclametur id in quo omnes theologi et Patres conciliares consentiunt, nempe: collegium episcopale revera existere et eius collegialitatem duobus modis in exercitium venire posse: extraordinario seu conciliari; et ordinario, iuxta normas a Summo Pontifice definiendas.

Haec solemnis proclamatio collegialitatis peropportuna erit his temporibus, et sensus oecumenicus Concilii clare patefaceret ansam praebendo unioni christianorum, praesertim cum fratribus orientalibus, qui ita vividam conscientiam habent, et semper habuerunt, de collegialitate, ut praxis ecclesiastica et historia eorum luculenter demonstrant.

Libenter enim agnoscimus collegialitatis notionem apud nos aliquatenus, in decursu temporum, multis de causis, obnubilatam fuisse, sed tandem nunc, per hanc solemnem definitionem conciliarem in suam veram lucem prodire.

Et utinam, proprios errores et propria merita ultro agnoscentes, omnes qui in Christi nomine gloriamur, ad mutuam et veram concordiam quam primum pervenire possimus.

37

Exc.mus P. D. TELESPHORUS IOANNES CIOLI

Episcopus Arretinus

Unum adhuc argumentum in favorem diaconatus, tamquam gradum permanentem afferre liceat, quod, si bene intellexi, vix consideratum vel perpensum fuit a Patribus.

Multi sunt iuvenes qui nostra seminaria, vel domus probationis religiosorum ingrediuntur, pauci vero qui ad presbyteratum ascendunt. Dubium autem non est partem praecipuam eorum qui terga vertunt post coeptum iter, praesertim cum iam cursum philosophicum vel theologicum aggressi sunt, ideo hoc facere quia a lege sacri caelibatus terrentur, ad quam rite observandam se impares reputant.

Verum est quod aliqui eorum (fortasse etiam multi) carent vocatione, seu aptis dispositionibus non tantummodo ad statum sacerdotalem, sed etiam ad diaconatum et ad ordines minores et ad quamcumque formam apostolatus in Ecclesia exercendi; attamen verum quoque est aliqua pars (praesertim qui seminaria relinquunt post inceptum cursum vel philosophicum vel theologicum) bonis dispositionibus aptisque qualitatibus ornari pro munere diaconatus rite obeundo ob institutionem religiosam, moralem et intellectualem quam assecuti sunt, vel quam assequi possunt sine magna difficultate ob inceptam praeparationem.

Opinor ergo si possibilitas aliquando detur, secundum ea quae continentur in schemate *de Ecclesia,* cap. II, pag. 26, linn. 36 ss., adeundi Ordinem diaconatus, et quidem sine caelibatu, non pauci alumni seminariorum (vel saltem aliqui) qui ad munia et onera presbyteratus non se reputant pares,

posse ad ordinem diaconatus promoveri, si quando velint et postulent et Ordinario videbitur expedire.

Sic, *in parte saltem,* solvitur difficultas de convenienti diaconorum institutione, deque gravamine oeconomico obeundo.

38

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS COGONI
Episcopus Octeriensis

Adhaereo toto corde omnibus quae nudiusterius exposuit in hac aula conciliari rev.mus ac em.mus D. card. Alfredus Ottaviani, de non admittenda reprobanda instauratione diaconatus absque aspiratione ad sacerdotium, praesertim si concedatur cum matrimonio, putans aperitionem istius portae valde esse periculosam pro ipso caelibatu sacerdotali, immo timeo ne imminuatur ipse lilialis candor virginum sponsarum Christi qui pascitur inter lilia.

Haec trado secretariae generali, rogans dispensari a loquendo in aula.

39

EXC.MUS P. D. BERNARDINUS COLLIN
Episcopus Diniensis

Vigilantia de orthodoxa fide secundum disciplinam actualiter in Ecclesia vigentem reapse per S. Officium exercetur. Sed, data extensione Ecclesiae ad universum orbem, videtur hanc vigilantiam a Conferentiis episcopalibus melius exerceri fore in diversis nationibus.

Etenim episcopi cuiusque nationis, peramanter cupientes proprias oves a venenosis praecavere pabulis, cognitis aliunde omnibus circumstantibus, aptiores sunt ad diiudicandum de nocivitate et de periculo alicuius doctrinae.

Aliunde actualiter damnantur tantum libri in una ex praecipuis linguis exarati: italica, gallica, etc.; sed quid si in aliqua minus cognita exaratur? Immo, quid evenerit si, in futuro, libri damnandi tractantes de theologia vel de Scriptura in aliqua lingua totaliter ignota scribebuntur, v. g. aliqua lingua africana?

Conferentiae episcopales, cognitis linguis vernaculis, aptiores videntur ad praecavendum periculum librorum in tali lingua scriptorum.

Sed non sufficit periculum praecavere per condemnationem, praevidendum est etiam si talis decisio opportuna evadet et si reapse effectum bonum et non peiorem sequetur. Saepe saepius enim evenit ut, adversus voluntatem auctoritatis condemnantis, talis liber multo magis lectus fuit post condemnationem quam primum, ac si ista huius libri famam dilataverat.

Episcopi propriae nationis talem exitum evitassent.

Quapropter mihi humillime videtur vigilantiam de puritate fidei et morum ac de libris de his tractantibus, convenientius et efficacius ad Conferentias episcopales pertinere, si facultate gaudent:

1. Seu, ipsae iudicandi et, positis ponendis, id est ad normam constitutionis *Sollicita et provida* Benedicti XIV, condemnandi.

2. Seu, si causa sit tanti momenti; vel ad plures nationes pertineat; vel si auctor damnatus ad superiorem instantiam recurrerit, causam cum omnibus documentis et informationibus etiam de opportunitate condemnationis ad S. Officium deferendi, ut ex plena informatione iudicare possit, semper ad normam supradictae constitutionis.

40

Exc.mus P. D. VIRGILIUS COPAS

Episcopus tit. Bennefensis, vic. ap. Portus Moresby

Volo adiungere, breviter, suffragium fortissimum illis Patribus conciliaribus qui emphasim maiorem in consideratione presbyteratus in hoc capitulo petunt.

Numerus magnus presbyterorum, mihi videtur, spem fallantur si in hoc Concilio officium presbyteratus, ut decet tale officium, plenius non consideratur. Hodie enim presbyteri nostri in condicionibus gravibus ministrant, condicionibus saepe difficilioribus quam illis episcopi eorum; deinde Concilium Vaticanum II ut illos in laboribus et ministeriis adiuvet, graviter obligatur. Quod fiet solum in consideratione debita presbyteratus in hoc schema.

Presbyter etiam alter Christus est, particeps presbyteratus Christi ipsius, presbyterii aeterni: « Tu es sacerdos in aeternum » (*Heb.* 5, 6). In circumstantiis ordinariis, presbyter potius quam episcopus populum Dei instruit, corroborat et sanctificat. Quae cum ita sint, laici ipsi enim vellent ut in Concilio presbyteratus catholicus profundius et in singulis consideretur.

Conceptus iterum sacerdotii universalis (cap. III, n. 24) solum post claram expositionem presbyteratus ipsius intelligi potest. Episcopatui autem a consideratione debita officii presbyteratus non laeditur; e contra, talis consideratio officium episcopatus illuminat.

Unde peto ut sectionem specialem in schema addatur quae de presbyteratu et, ut decet, de eo magis explicite tractet v. g., natura presbyteratus, potestates eius in relatione ad iurisdictionem presbyteri in corpus naturale Christi, etiam Corpus mysticum Christi; relatio duplex presbyteri *a*) ad Summum Sacerdotem aeternum, *b*) ad animas presbytero commissas; obligatio (et privilegium) ad sanctitatem in presbyteratu acquirendam, speciatim per media sequentia: gratia sacramentalis presbyteratus, officium ipsum presbyteratus et officium ipsum pastoralis; vita spiritualis presbyteri speciatim in relatione ad sanctissimam Eucharistiam qua sacrificium et qua sacramentum, et ad Mariam, Reginam presbyterorum; finis presbyteri, i. e., gloria cum Christo in caelis.

41

Exc.mus P. D. IOSEPH M. ANTONIUS CORDEIRO
Archiepiscopus Karachiensis

Quasdam observationes circa diaconatum restaurandum facio *scripto tantum,* nomine quorumdam episcoporum de Pakistan.

1. Putamus quoad diaconatum ut gradum permanentem, in Ecclesia non habet sufficientem rationem, et quoad diaconatum matrimonio iunctum tempus maturum adhuc non est.

Rationes. Functiones diaconi de quibus mentio fit in schemate sunt principaliter distribuere sacram communionem, et praedicare. Distribuere sacram communionem liturgice requirit Missam; est secundum spiritum liturgiae (vide emendationem 10 heri a Concilio approbatam). Ergo distribuere extra Missam fiet solummodo in gravibus casibus. Quoad praedicationem, nemo negabit quod praedicatio consideratur ab omnibus ut maioris momenti, et ideo requiret studium et scientiam theologiae. Ergo etiamsi existunt quidam homines cum experientia qui possunt esse diaconi, valde pauci habebunt requisitam scientiam ad praedicandum, certe non in missionibus. Experientia non est substitutio pro scientia.

2. Munus diaconi ex ipsa natura valde intime connectitur cum sacerdotio. Ergo si quis loquitur de matrimonio pro diaconis, non potest oblivisci periculum pro caelibatu sacerdotis. Scimus quod sunt extra Concilium qui proponunt diaconatum matrimonio iunctum ut in futuro etiam sacerdotes tali privilegio frui possent. In territoriis Mahumetanis ubi nos sumus, in omni conversatione cum sacerdotibus, fere prima quaestio est de caelibatu; etiamsi isti Mahumetani non intelligunt prima facie causam huius observationis attamen magnam admirationem pro sacerdotio habent propter hoc. Ergo licere unum gradum sine caelibatu, et tam proximum sacerdotio, non augeret sed minueret hanc aestimationem non-catholicorum.

3. Dictum est quod in hoc capite ponitur tantum dogmaticum fundamentum de diaconatu. In meo iudicio nemo dubitat de existentia diaconatus in Ecclesia, sed restituere illum ut gradum permanentem, et relinquere episcopis utrum adstringatur caelibatu necne, est alia quaestio; est disciplinaris. Et in alio loco tractari debet, non in schemate dogmatico.

4. Dictum est etiam quod diaconatus oritur ex ipsa structura Ecclesiae et propter hoc desideratur, non propter exigentias locales. Quaeritur tunc cur libertas requiritur conferentiis episcopalibus ad restaurandum diaconatum propter necessitates regionales.

5. Asseritur etiam quod diaconatus restauratur propter valorem oecumenicum. Sed responderi potest quod oecumenismus non consistit in faciendo similiter ac fratres seiuncti, specialiter quando existit motivum (caelibatus) altius pro non faciendo simili modo.

6. Et si uni conferentiae episcopali relinquitur potestas introducendi

diaconatum, oriretur invidia, quia laici dicerent, « si iste et ille, cur non ego ». In his diebus nuntium valde velociter transmittitur ex una regione ad aliam. Et etiam si episcopi qui non volunt diaconatum propter rationes bonas darent explanationem, orirentur magnae difficultates pro ipsis.

42

Exc.mus P. D. ANTONIUS CORSO
Episcopus tit. Moglaensis, aux. Montisvidei

Ad cap. II schematis constitutionis dogmaticae *de Ecclesia* propono ut sub fine pag. 26, lin. 39, expresse dicatur, Sanctam Sedem esse unicum iudicem ad admittendum diaconos uxoratos, pro illis locis ubi necessarios censentur, et etiam addatur *expressa declaratio*: Haec Sacra Synodus inviolabiliter vult disciplinam caelibatus pro presbyteris conservare, sicut fit in Ecclesia latina, ita ut diaconi uxorati nequeant presbyteri esse durante eorum matrimonio. Ratio est: extra aulam conciliarem non pauci loquuntur in eo sensu quod hic esset primus passus ad obtinendam abolitionem sacrae legis caelibatus.

43

Exc.mus P. D. EMMANUEL PETRUS DA CUNHA CINTRA
Episcopus Petropolitanus

Cap. II, art. 15, pag. 26: *de diaconatu permanente*: *Proponitur omissio quaestionis.*

Quamvis in aula conciliari finem acceperint disceptationes circa cap. II schematis *de Ecclesia,* visa non est mihi satis explanata et dilucidata quaestio de diaconatu permanente. Quapropter in considerationem materiae huiusmodi perrexi hinc et hinc quaerendo, consulendo, investigando. Et ex hac inquisitione, praesertim alicuius periti ope, meo iudicio, puncta aliqua videntur adhuc non matura et diuturniore consideratione digna. Quae si reapse veritati historicae respondeant, fundamentum pro diaconatu permanente in Ecclesia omnino labefactant.

Puncta vero sunt sequentia:

1. Antiquitus, idest in primis saeculis, non exsistente adhuc structura paroeciali, unaquaeque Ecclesia suum episcopum habebat qui, in administratione sacramenti poenitentiae, et in celebranda officia liturgica, a presbyteris adiuvabatur. Diaconi autem, solummodo curabant de temporali administratione Ecclesiae.

2. Diaconi qui, ut servaretur symbolica seu mystica relatio cum septem diaconibus Actuum Apostolorum, semper et ubique in septenarium numerum cooptabantur, a structura satis complexa, ut videtur, sub regimine archidiaconi alicuius, regebantur. Porro numerus limitatus diaconorum ex una

parte, et munera administrationis rerum temporalium semper in dies succrescentium ex altera parte, sensim sine sensu adauxerunt influxus necnon potestates diaconorum, praesertim autem archidiaconi, in ecclesiastico regimine.

3. E contrario, presbyteri paulatim in decursu temporum, in valde humili subiectione et magna dependentia erga diaconos decesserunt. Hinc factum est ut contra diaconos ortae sint quaerelae (cf. v. g. S. Hieronymus qui in memoriam trahit diaconos « ministros mensae » esse).

4. Monasteria ut apparuerunt, cum diaconos stabiles non admisissent et cum caeteroquin, sine eorum ministerio temporali, vere magnum influxum in efformationem christianam populorum habuissent, causa fuerunt cur diaconorum institutum pedetentim supprimeretur. Item, paroeciarum fundatio, cum presbyteris qui eas regerent sine diaconis, causa fuit etiam cur huiusmodi institutum gradatim aboleretur. Eo vel magis quod aliquando satis gravia litigia orta sint presbyteros inter et diaconos.

Quibus omnibus perpensis, videtur dicendum institutum diaconorum permanens, pro vita spirituali necnon sacramentali alenda fidelium et pro formatione catechetica populi Dei, ut hodie a multis episcopis postulatur, esse aliquid omnino novum, sine valido fundamento vel argumento ex historia Ecclesiae. Non ergo introducendum.

44

EXC.MUS P. D. EMMANUEL D'ALMEIDA TRINDADE
Episcopus Aveirensis

1. In prooemio dicitur, linn. 5-6: « Quicumque e populo Dei sunt eo ipso plena dignitate hominis christiani gaudent ».

Quaero utrum peccatores, qui utpote in sinu Ecclesiae degunt et e Populo Dei sunt eiusque membra, etiam ipsi *plena* dignitate hominis christiani gaudeant. Nonne melius foret si verbum *plena* tollatur et simpliciter dicatur: « Quicumque e populo Dei sunt eo ipso dignitate hominis christiani gaudent »?

2. Eadem linea et sequenti — nempe 6-7 — asseritur: « ... qui vero ut ministri potestate pollent, fratribus suis inserviunt ».

Videretur — et hoc mirum! — quod ministri, qui aliis hominibus inserviunt, non eadem dignitate pollerent ac illi quibus inserviunt, quasi ipsi de familia Dei non essent.

Optime quidem in schemate pluries asseritur quod exercitium potestatis in Ecclesia est quoddam servitium, iuxta illud Christi: non veni ministrari sed ministrare; sed hoc ut fiat minime necesse est quod quasi in abscondito ponatur Ecclesiae ministrorum dignitas, qui et ipsi certe saltem eadem dignitate pollent ac ceteri qui nomine christiano decorantur.

3. Quae § 14, linn. 26-37 habentur, non satis clara et theologice exacta videntur, cum certo Christi praesentia in episcopo de qua ibi agitur non sit

univoca quoad omnium eius munerum exercitium. Sine dubio ut sacerdos ipse est Christi instrumentum — extensio ipsius Christi humanitatis, quam theologi instrumentum coniunctum vocant. Haec autem praesentia non eodem modo se habet cum episcopus munera docendi et regendi exercet. In his muneribus adimplendis episcopus stricte non ut instrumentum Christi agit, sed nomine suo aut nomine Ecclesiae quam saepissime agit. Haec tamen in constitutionis textu non satis videntur distingui.

45

EXC.MUS P. D. IOANNES B. DA MOTA E ALBUQUERQUE

Archiepiscopus Victoriensis Spiritus Sancti

Post tot ac tantos qui iam sermonem fecerunt de diaconatu, idque in favorem unius vel alterius sententiae, liceat adhuc vocem meam subiungere choro huic polyphono. Quamvis enim forsan plura ex iis quae dicturus sum, iam ab aliis prolata sint, haud inutilem, ut arbitror, praestabo operam, si meum sincerum iudicium, nomine 82 episcoporum ex Brasilia, pandam.

Imprimis quidem, grates ex animo rependimus his Patribus qui, zelo regni Dei diffundendi imbuti, introductionem diaconatus postulavere, ut hodiernis Ecclesiae necessitatibus et multiplicibus lacunis subveniatur.

Praeprimis quaedam dicam de diaconatu permanenti qua tali. Ex permultis, quae iam in hac aula dicta sunt, certum nobis videtur, maximam partem Pastorum ardenter exoptare, ut diaconi permanentes in structuram ecclesiasticam introducantur, spemque adesse fore, ut haec propositio definitive a Synodo approbetur, quod ceterum iam a Tridentino Concilio factum, at, proh dolor, numquam in praxim deductum est.

Quod vero diaconalia munera, operibus scilicet socialibus incumbendi, verbum Dei praedicandi, solemniter baptizandi, sacram synaxim et viaticum ministrandi, non simplicibus laicis committenda sunt, sed viris sacramentali ordinatione praeditis, perspicuum satis nobis videtur; sublimia huiusmodi munera simplicibus laicis demandare procul dubio iugi et sanae Ecclesiae traditioni contradiceret. Ut notum namque est, iam in ipso Novo Testamento diaconi creati sunt ab apostolis, manibus ipsis impositis (*Act.* 6, 1 ss.). Item, novus ritus creatus est ab Ecclesia, quotiescumque novi Ordinis gradus novis necessitatibus respondentes instituti sunt, ut subdiaconatus ceterique ordines minores. Ipsaemet diaconissae, de quibus loquuntur scripta neo-testamentaria (*1 Tim.* 3, 11; *Rom.* 16, 1; *Act.* 6, 1), quaeque, utpote feminini sexus, incapaces Ordinum exsistunt, probabiliter benedictione peculiari decorabantur ad munus recte obeundum.

Unde contrarium esset constanti Ecclesiae traditioni, simplicibus laicis munera commendare, quae adeo intime cum sacramento Ordinis nectuntur. Absonum prorsus ac inauditum nobis videretur, quinimmo divinae oecono-

miae contrarium, alicui potestates ac munera specifice hierarchica committere, ipsi denegata assumptione ad ordinem hierarchicum ontologicum, per ritum sacramentalem. Agere namque, etiam in supernaturalibus, sequitur esse. Hoc facere, idem esset ac sacrum munus alicui imponere, quin ipsi gratia conferatur necessaria ad huiusmodi munere recte fungendum. Si hoc fieret, duplex veluti diaconorum series in Ecclesia daretur: diaconi nempe primi ordinis, caelibatus lege obstricti, qui functionaliter et ontologice ad hierarchiam pertinerent, ex una parte, et, ex altera parte, diaconi functionales, sed non ontologice ope ritus sacramentalis consecrati; diaconi, inquam, secundi ordinis, qui quoad munus et functiones ad hierarchiam pertinerent, quoad dignitatem vero et gratiam, ad statum laicalem.

Quid autem dicendum de nexu inter diaconos permanentes et caelibatum? Persuasum habemus, experimentum hoc absolute mancum ac incompletum fore, nisi, quavis seposita falsa prudentia, et plena posita fiducia in Spiritu Sancto, qui Dei Ecclesiam suo afflatu gubernat, audacia apostolica illuc nos ducat, ut diaconos permanentes ab ecclesiastica caelibatus lege liberemus. Persuasum, dico, nobis est, diaconos caelibatu non obstrictos, pro multis saltem regionibus, longe abundantiora producturos esse emolumenta ac fructus, quam diaconos caelibatu vinculatos.

Non negamus, pro aliquibus regionibus, ubi Ecclesia plene evoluta est, sufficere posse diaconos haud coniugatos, quia vocationes ad hunc statum facili negotio inveniuntur. Per viscera autem misericordiae Dei pastores huiusmodi gregum imploramus, ut oculos ac mentes convertant ad alias regiones, ubi pastores peculiaribus in rerum adiunctis versantur; ipsos rogamus, ne impediant, quominus Pastores talium paupertate affectarum regionum diaconos instituant viros coniugatos, viros quidem probos, maturos ac integros, patresfamilias nempe, qui testimonio vitae christianae et experientia validissimo essent adiumento Ecclesiae, tamquam directi collaboratores sacerdotum nostrorum, qui absolute insufficientes sunt, ut christifidelibus nutrimentum praebeant fidei et gratiae, ad quae ius habent et quibus secus privarentur, ob inopiam sacerdotum.

In multis regionibus Brasiliae saepe accidit, ut sacerdos semel tantum in hebdomada, immo haud raro semel in mense, et quidem non sine magnis itineris aliusque generis incommodis, occasionem habeant cum alio sacerdote colloquendi de rebus quae ad munus suum pertinent. Quis autem, sacerdoti gravi constantique labore onerato, ius et necessitatem denegabit, animum suum fraterne aperiendi et novas vires pro apostolatu suo hauriendi ex commercio cum aliis viris eiusdem condicionis, servitio altaris totaliter mancipatis? Diaconi coniugati, praeterquam vivum testimonium praesentiae Christi in mundo afferrent, maximo essent adiumento sacerdotibus, non solum inquantum plura eiusdem munera obirent, sed etiam inquantum sacerdotibus solatio haud mediocri et societati essent. Huiusmodi insuper diaconi coniugati validissima exsisterent instrumenta, quibus sacerdotes melius condiciones societatis et populi cognoscere possent, sicque aptius spiri-

tualibus eius necessitatibus subvenire possent. Vitam siquidem degentes in mundo et in familia, huiusmodi diaconi semper melius problemata familiaria et socialia noscunt quam presbyteri, qui ob caelibatum magis a mundo alieni sunt quam ipsi praesentes.

Denique, experiundo novimus, non paucos sacerdotes, et quidem iuvenes, tempus insumere in muneribus obeundis, quae diaconi adimplere possent et deberent. Exinde consequitur, multos ex eis, post aliquod temporis spatium, spiritualiter vacuos esse, siquidem ipsis haud sufficiens adest tempus, orationi et rerum caelestium mediationi decumbendi. Sic sacerdotes pedetentim oriuntur qui, ob solitudinem, ob graves labores, ob deficientiam profundae spiritualitatis, inefficacia redduntur instrumenta gratiae Dei.

Venerabiles Patres: difficultates quae contra diaconos coniugatos fieri solent, pro iis tantum nobis videntur insolubiles, qui impares sunt discernendi gravitatem problematum Ecclesiae actualis et perspectivam, ut aiunt, derelinquendi illam contingentem, idque in Ecclesia solum latina aliquo tempore durante exsistente. Gravem certe inferret iniuriam Ecclesiis orientalibus, qui affirmare auderet, diaconos maritali vinculo obstrictos disciplinam ecclesiasticam evertere et sanctitati Ecclesiae adversari. Falsum quoque esset asserere, vocationes ad caelibatum sacerdotalem in grave discrimen vocaturas esse, si aditus panditur diaconibus coniugatis. Qui enim cogitaret incrementum infirmariorum augmento medicorum nocere? Immo, ut nostra fert opinio, caelibatus sacerdotalis novo splendore fulgeret, si diaconatus permanens viris coniugatis committeretur. Sic enim multae vocationes ecclesiasticae salvarentur, quae secus auderent ad presbyteratum accedere, licet impares, caelibatus onus assumendi et portandi. Credibilitas caelibatus sacerdotalis summopere augeretur, siquidem omnes agnoscerent, presbyteros reapse, plene et voluntarie caelibatum suum vivere.

Haec sunt, venerabiles Patres, quae considerationi vestrae committimus, uno intuitu ducti, ut bono scilicet Ecclesiae consulamus. Nova rerum adiuncta novas postulat vias novaque incepta, ut Ecclesia missionem suam adimpleat. Cum vero via a nobis proposita nullatenus divinae Ecclesiae structurae adversetur neque traditioni Ecclesiae universalis contradicat, ut patet, nihil officit, quominus, inani quolibet timore seposito, iter hoc aggrediamur, quod audacia apostolica et zelus domus Dei, petrae nostrae, a nobis postulare videtur.

Carlos Gouvêa Coelho, Agnelo Rossi, José Medeiros Delgado, Paulo de Tarso Campos, Vicente Scherer, João Rezende Costa, Oscar de Oliveira, João de Souza Lima, Geraldo Maria Moraes Penido, Alberto Gaudêncio Ramos, Fernando Gomes dos Santos, José Vicente Tavora, Eugênio de Araujo Sales, Florêncio Sisinio Vieira, Walfrido Teixeira Vieira, Milton Correia Pereira, José Maria Pires, Alonso Silveira de Mello, Candido Padim, Aniger Francisco Maria Melillo, José Gomes, Edmundo Luiz Kunz, Serafim Fernandes de Araujo, José Lamartine Soares, David Picão, Severino Mariano de Aguiar, Afonso Nihues, Jaime Luiz Coelho, Gentil Diniz Barreto, João

José da Mota e Albuquerque, José Mauro R. de Alarcon Santiago, Belchior da Silva Neto, Francisco Zayek, Gregorio Wamerling, Pedro Felipak, Augusto Petró, Claudio Colling, Edilberto Dinkelborg, Cristiano Portela de Araujo Pena, José de Medeiros Leite, Herminio Malzone Hugo, Tomás Vaquero, José Adelino Dantas, Augusto Carvalho, Nivaldo Monte, Alberto Etges, Epaminondas José de Araujo, Acacio Rodrigues Alves, Manoel Lisboa de Oliveira, Bernardo José Mieli, Amadeo Gonzalez Ferreiros, Otavio Aguiar, Manoel Pereira da Costa, Walmor Batu Wichrowski, José da Costa Campos, Giovanni Gazza, Wilson Laus Schmidt, José Nicomedes Grossi, Luiz Victor Sartori, Antonio Batista Fragoso, Manoel Tavares de Araujo, Clemente Isnard, João Hoffman, Paulo Rolim Loureiro, Gerardo Ferreira Reis, Tiago Ryan, Quirino Adolfo Schmitz, Carlos Schmitt, Jaime Schuck, Frei Felicio da Cunha Vasconcelos, Honorato Piazera, Benedito Coscia, Clemente Geiger, Aloisio Lorscheider, Eliseu Mendes, João Muniz, José Eugenio Corrêa, Caetano Antonio Lima dos Santos, José Terceiro de Souza, Henrique Gelain, Francisco Austregésilo de Mesquita, Helder Pessoa Camara, João Batista da Mota e Albuquerque.

Animadversiones additae:

De diaconatu stabili et absque lege caelibatus nomine loquar episcoporum Brasiliensium 82. Brevitatis causa, quae scripsi secretariae tradam et paucis verbis propositum meum absolvam.

Ex disputationibus hucusque habitis, sat compertum est hoc unum exstare dubium, utrum, scil., legi sacri caelibatus diaconi subiiciendi sint, an non.

Sedulo notare necesse est diaconos castitate obstrictos, utpote servitio Ecclesiae totaliter mancipatos revera onus oeconomicum constituere, neque praesentis temporis necessitatibus Ecclesiarum nostrarum respondere.

Quaestio, saltem apud nos, non est de pueris ac iuvenibus ad diaconatum formandis; nec de viris assumendis quorum vita familiaris nondum plene evoluta est nec stabilitatem vitae professionalis obtinuit. Viros ad hunc gradum hierarchiae vocare intendimus qui in communitate auctoritate morali pollent; qui filios bene educaverunt, et, aliunde securitate oeconomica obtenta, sustentationem ab Ecclesia recipere nullatenus indigent; viros denique illos ad sacrum munus vocare intendimus qui, omnibus perpensis, levamen esse possunt Ecclesiae et non impotabilis sarcina.

Per viscera misericordiae Dei, Patres conciliares, imploramus ne legem caelibatus hisce noviter institutis diaconis imponatis, quam nec diaconis, nec episcopis imponere ausi sunt apostoli. Ne timorem in cordibus vestris foveatis, quasi aestimatio et decus caelibatus exinde minuatur, nam charisma est Ecclesiae quod nunquam excidet. Oritur, nempe, ex abundantia vitae Christi ac diuturno et intimo commercio cum Christo in Sacris Scripturis et in mysterio eucharistico. Vetustissima sane et maxime veneranda est lex caelibatus, lex tamen est ecclesiastica, ideoque non ad alios necessario extendendam censemus praesertim cum huius legis extensio contra iura pugnat primaria christifidelium ad verbum Dei et ad Carnem Christi.

Quavis ergo nimia seposita prudentia, in Spiritum Sanctum, animam Eccle-

siae, enixi, audacia apostolica hoc arduum quidem sed plane necessarium aggrediamur opus, assumendi, scil., in ordinem diaconatus patres familias vere pios, vere ad munus idoneos, qui sacerdotibus atque laicis adiumentum ferrent et salutis solacium.

46

Exc.mus P. D. IOSEPH D'AVACK
Archiepiscopus Camerinensis

Ad n. 16: *De collegio episcopali.*

Circa collegium episcopale, videtur profundius exploranda animadversio cui praesertim innuit, in suo interventu, si recte intellexi, exc.mus et venerandus arch. Slipyj; scil. priusquam aspectum iuridicum collegii episcopalis, oportet devote et indesinenter investigare circa aspectum mysticum, spiritualem, Ecclesiae et episcopatus. Nam, aspectus iuridicus est tantum actuatio exterior et tutamen constitutionis spiritualis, mysticae. Ceteroquin in hanc viam videtur nos hortatus esse Summus Pontifex in allocutione inaugurali huius sessionis.

Addo aliam animadversionem, cum praecedenti connexam. Infallibilitas Summi Pontificis, et collegii episcopalis cum eo, prius et potius quam ut eorum privilegium, est consideranda ut defensio et tutamen a Deo concessum in bonum fidelium: similiter ac efficacitas « ex opere operato » sacramentorum et Missae; quae omnia dantur ad bonum et tranquillitatem fidelium, et non ut Summus Pontifex et episcopi et sacerdotes eximantur et dispensentur a sanctitate, a studio, ab opere: immo, cum sint donum mirabile divinae caritatis, gravius obligant sacerdotes et praesules ad navitatem in sanctitate et caritate, quarum sunt magistri et ministri.

Porro, in Ecclesia, suo Corpore mystico, Christus infundit vitam in membra: scil. per Spiritum Sanctum infundit gratiam; quae gratia in actum adducitur per caritatem, id est per supernaturalem actuosam bonam voluntatem erga Deum et proximum.

Hac caritate, hac actuosa bona voluntate, moveri debent praesertim ii qui sunt membra potiora, immo organa potiora in Corpore mystico: Summus Pontifex et episcopi, ut pascant gregem sibi commissum; peculiari modo ut profundius in diem investigent circa mysterium Ecclesiae (de quo, revera, « grandis nobis sermo et ininterpretabilis ad dicendum »), et ita doceant fideles.

Tali caritate acti, iuxta consilium divinae caritatis quae quasi ad complendos homines natura sua finitos, fecit eos sociabiles in societate hierarchica, episcopi debent inter se cooperari — quod est magnum opus caritatis —; cooperari in ordine hierarchico; cooperari in investigando, in studendo, in docendo et pascendo.

Quo magis, caritate acti, ita cooperati fuerint, eo magis, luce superna ditati, profunde intelligent in mysterio Ecclesiae, eo efficacius docebunt fideles.

Quo vero minus, caritate deficiente, cooperati fuerint in studendo et in docendo, eo minus profunde videbunt in mysterio Ecclesiae, eo minus efficaciter docebunt fideles.

« *Eo minus* ». Quousque? Usque ad errorem? Nequaquam. Deus, in bonum animarum, impediet omnino errorem saltem quando episcopi omnes simul cum Summo Pontifice docent: impediet... vel et interrumpendo quoddam Concilium: historia fortasse docet. Errorem non proferent; attamen minori luce intelligent mysterium, minori efficacitate docebunt: gravius Deo rationem pro animabus reddituri (*Hebr.* 13, 17).

Summus Pontifex, caritate actus, tenetur uti cooperatione episcoporum. Item, caritate actus, potest et debet aliquando, qua supremus magister et pastor, per se solum, nemine audito, aliquid statuere et definire. Posset immo — vel absurda coniectura! — praeterire illam cooperationem, superbia vel ignavia motus. Errare tamen non potest: Deus impediet omnino quominus saltem docendo ex cathedra errorem proferat (iterum absurda coniectura, vel morte eum corripiendo!). Et omnes tenentur ei credere et oboedire.

Attamen, licet non proferendo errores, potest minus profunde minus lucide veritatem proferre, et ipse gravius Deo rationem pro animabus redditurus.

En igitur ligamen inter Summum Pontificem et episcopos, et episcoporum inter se. En subiectio docillima positiva actuosa episcoporum erga Summum Pontificem: qui est donum inaestimabile divinae caritatis praesertim pro episcopis in suum formidandum onus portando. Ita ipsae normae iuridicae apparent — qua revera sunt in Ecclesia — expressio supremarum exigentiarum caritatis. En natura collegii episcopalis, eiusque officium, et officium singulorum episcoporum; quod officium, hodie, per moderna inventa quae facillimas et celerrimas faciunt communicationes, potest absolvi tam vehementer et efficaciter. En ministerium et servitium Summi Pontificis et episcoporum erga Ecclesiam, in caritate. En ipsa supernaturalis virtus cooperationis collegii episcopalis viventis et operantis in caritate, ut in diem magis sapiens et efficax evadat magisterium in Ecclesia.

In his — mihi videtur — est exquirenda vera radix et essentia collegii episcopalis. Nam omnino magis quam ceteri christifideles, episcopi cum Papa dicere possunt et debent: « Congregavit nos in unum Christi caritas ».

Sub hac luce melius videri et interpretari poterunt ipsa facta historica quae fortasse comprobare possint positivam explicitam divinam institutionem collegii episcopalis.

Huiusmodi investigatio et declaratio videtur respondere illis verbis Summi Pontificis in allocutione inaugurali praesentis sessionis Concilii: « Nobis prorsus videtur nunc tempus, quo circa Ecclesiam Christi veritas magis magisque explorari, digeri, exprimi debeat, fortasse non sollemnibus illis enuntiationibus, quas definitiones dogmaticas vocant, sed potius declarationibus adhibitis, quibus Ecclesia clariore et graviore magisterio sibi declaret quid de se sentiat ».

47

Exc.mus P. D. HADRIANUS DDUNGU

Episcopus Masakaensis

Multa de diaconatu stabili, caelibatu non obstricto, disseruerunt em.mi et exc.mi Patres, et quidem rationibus innixi, quas negare non auserim. Attamen difficultates, quas circa relaxationem caelibatus praevideo, celare non possum.

Manifestum est autem caelibatum clericalem non esse de essentia religionis christianae. Insuper satis constat heic non agi de lege omnibus imponenda, sed potius de facultate iis facienda, quibus necessarium atque opportunum visum fuerit huiusmodi diaconatum restaurare. At, cum hoc sacrosanctum Concilium propter fines pastorales convocatum sit, cavendum est ne quod emolumentum Ecclesiae in aliqua regione speratur, in alia evadat nocumentum.

Nescio utrum Patres, qui in favorem diaconorum matrimonio coniunctorum locuti sunt, circumstantias prae oculis habuerint continentis Africae, ubi christiani nunc ex paganismo emergentes sunt « quasi modo geniti infantes ». Ibi enim exsurgunt difficultates ex paganis convertendis, ex parte Mahumetanorum necnon ex ipsis fidelibus.

Ex paganis convertendis. Problema polygamiae, contra quam in Africa acerrime decertatur, in Europa vix intelligitur. Si enim in Africa multi ad fidem christianam non facile convertuntur, hoc non est ex eo quod systematibus philosophico-religiosis indulgeant, sicut plerumque in Asia, sed quia quae de matrimonio christiano dicuntur, quasi impossibilia videantur.

Ex islamismo. Praeterea, malo fato, Africa magna ex parte sub dicione islamismi tenetur, qui non solum polygamiam docet et disseminat, sed possibilitatem caelibatus prorsus negat.

Ex ipsis fidelibus. Denique, non pauci neophyti, proh dolor, in concubinatum et polygamiam labuntur. In Nyasaland, v. g., anno 1925, quaedam factio pseudochristiana, sic dicta « Mwakalenga African National Church », nata est, quae nihil aliud agit quam polygamiam praedicare. Ceterum multi ex ignorantia, et perperam quidem, sperant hoc Concilium legem matrimonii christiani relaxaturum!

Remedium. Iamvero his omnibus praedicatio efficax fiebat potius vita caelibatus clericorum quam verbo. Quod *impossibile* censetur, possibile demonstrabatur facto. Multiplicatio operariorum absque dubio requiritur, sed et efficacia!

Relaxatio caelibatus potest non solum confusionem in mentibus neophytarum creare, verum etiam religionis christianae progressui obstaculum esse. Nam pagani maxime caelibatus admiratione ad fidem christianam attrahebantur. Mahumetanis autem eadem relaxatio occasionem praebere potest

impossibilitatem caelibatus audacius praedicandi. Nec facile ad vitam christianam revocabuntur fideles qui in concubinatu aut in polygamia vivunt.

Dicet aliquis sufficere huiusmodi diaconatum in Africa non instaurare. Sed quocumque relaxatio facta fuerit, necessario ubique terrarum nota fiet. Sufficiat notare deliberationes Concilii hac super re iam longe lateque, etiam in dissitis regionibus, diffusas esse.

Ut notabam in limine quaestionis, pondus rationum Patrum, qui in favorem supradicti caelibatus locuti sunt, negare non possum. Solummodo proposui difficultates continentis Africae ea ratione ut eas venerabiles Patres in suis deliberationibus ac decisionibus prae oculis habeant. Dicebat enim Apostolus gentium: « Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnem in aeternum, ne fratrem meum scandalizem » (*1 Cor.* 8, 13).

48

Exc.mus P. D. ANTONIUS DE CASTRO MAYER

Episcopus Camposinus

Ad munus docendi episcoporum elucidandum, schema sub n. 19 primo quamdam declarationem generalem ponit circa tale munus et illius acceptionem a fidelibus christianis. A lin. 29, pag. 29, factum peculiare considerat in quo scil. « omnes episcopi per orbem dispersi, sed collegialem nexum servantes, authentice docentes una cum Romano Pontifice, ut testes fidei in revelata fide tradenda, in unam sententiam conveniunt ». In talibus adiunctis affirmatur quod episcopi « doctrinam fidei infallibili oraculo enunciant ». Ita ergo Concilium asserere videtur episcopos magisterium ordinarium exercentes, cum unanimes sint inter se et cum Romano Pontifice ipso etiam magisterio ordinario docente, oraculum infallibile pronunciare.

Haec tamen conclusio vera esse non videtur. Ex falso enim antecedente procedit, nempe quod actus singulares episcoporum dispersorum in propria dioecesi ordinario et permanente modo docentium, ex eo tantum quod aliqualem « nexum collegialem servant » sive inter se, sive cum Romano Pontifice proprio magisterio ordinario utente, unicum actum vere et proprie collegialem constituunt qui, in quantum collegialis et universalis, infallibilis foret.

Etenim sola convenientia obiectiva plurium actuum distinctorum illorum naturam non mutat, neque ex illorum multiplicitate unum tantum actum stricte collegialem efficit. Radix confusionis et erroris latet in locutione « nexum collegialem servantes » quae duplicem sensum valde diversum habere potest:

a) aliquis nexus collegialis iam habetur ex mera coordinatione seu harmonia plurium actuum in se distinctorum distinctisque subiectis tribuendorum. Collegium quoddam late dictum talis nexus constituit.

b) Nondum tamen constituitur verum et proprium collegium in quo

omnia membra, physice distincta, sed unicam personam moralem efformantia, actum stricte collectivum et unicum illi personae morali tribuendum exercent.

Ideoque dum omnes episcopi concorditer, sed distincte eamdem doctrinam docent quam et ipse docet Romanus Pontifex ordinarium magisterium exercens, non adhuc ponunt ullum actum vere collectivum, sed plures actus distinctos quorum nullus, neque etiam actus Romani Pontificis ordinario modo docentis, infallibilis est. Convenientia mere obiectiva inter tales adhuc fallibiles actus eos infallibiles non reddit. Neque summa talium actuum infallibilis dicenda est.

Attamen aliqua veritas hic retinenda est, quam utique Concilium declarare potest et debet. Talis actuum fallibilium concurrentia obiectiva, prout est universalis, criterium seu signum quoddam infallibile constituit manifestans doctrinam sic edoctam ad depositum fidei pertinere fideque divina ab omnibus credendam esse ut revelatam et veram.

Haec consideratio forsan aliquibus subtilitatem quamdam, ad theologorum discussionem remittendam, constituere videbitur. Sed implicite errorem alium continet quem Concilium omnino vitare debet. Error iste stat in tribuendo actum stricte collegialem, qui de se nonnisi in adiunctis particularibus et extraordinariis haberi possit, toto ordini permanenti episcoporum per orbem dispersorum singillatim licet concorditer et coordinate docentium. Ita implicite affirmatur ordinem episcopalem permanenter verum et stricte dictum collegium constituere, unicam personam moralem efficiens et hoc titulo quotidie collegialiter agens. Hoc autem verum non videtur. Ordo episcoporum, ut iam diximus, collegium late dictum ex sese permanenter constituit: Non autem, nisi ad tempus et extraordinario modo, sive in Concilio, sive etiam extra Concilium, per expressam Romani Pontificis voluntatem, collegium stricte dictum sub eiusdem Pontificis auctoritate conficit. In his ergo solis extraordinariis adiunctis, non autem in exercitio magisterii ordinarii, actum vere collegialem qui possit infallibilitatem inducere episcopi ponunt.

Ut vitetur ergo talis error collegialitatem exaggerans, ita mutetur schematis textus in linn. 29 ss.: « Immo licet singuli praesules infallibilitatis praerogativa non polleant, quando tamen per orbem dispersi, magisterio ordinario authentice docentes, ut testes fidei in revelatione tradenda in eamdem sententiam cum Romano Pontifice conveniunt, doctrina sic edocta certo pertinet ad depositum fidei revelatum et proinde ab omnibus credenda est. Quod adhuc manifestius habetur, quando in Concilio Oecumenico adunati *et collegialiter agentes,* una cum Romano Pontifice, sunt ... ».

Optarem insuper ut magis declararetur munus episcoporum in propria dioecesi docentium. Quod fieri posset substituendo linn. 20-28, pag. 29 novi schematis ea quae fusius et melius dicebantur in priore schemate, n. 30, pag. 49, linn. 4-18.

Locutus sum nomine proprio et sequentium Patrum: Gerardus de

Proença Sigaud SVD, arch. Diamantinae in Brasilia; Marcellus Lefèbvre, sup. gen. C. S. Sp., arch. tit. Sinnadae in Phrygia; Petrus de la Chanonie, ep. Clermont in Francia; Carolus Eduardus Saboia de Mello, ep. Palmas in Brasilia; Ludovicus da Cunha Marelim, ep. Caxiensis no Marinhão Brasilia; Ladislaus Paz, ep. Corumbá in Brasilia; Ioannes Pereira Venâncio, ep. Leiria in Portugallia; Ioannes Prou, sup. gen. Congr. Benedictinae in Francia.

Animadversiones additae:

De collegialitate episcoporum, quaedam addam.

Nemo dubitat apostolos collegium quoddam constituisse. Quaestio autem est utrum a Domino susceperint potestatem ut modo habituali collegialiter Ecclesiam regerent. Hoc videtur aliquid novum nondum demonstratum.

Etenim, argumenta quae a Sacra Scriptura proferuntur apodictica non sunt. Immo ex modo gerendi apostolorum, praesertim S. Pauli, prout constat tum in Actibus Apostolorum tum in eius epistolis contrarium videtur affirmandum. Apostolus enim non solum propria et personali potestate ecclesias fundavit ac rexit, sed etiam, data opera, munus et ius apostolatus sibi vindicabat non ex propria ad collegium apostolorum assumptione, cuius delegatione ageret, sed ex revelatione immediata Christi Domini. Revera, scribens ad Galatas ut contra calumniantes authenticum esse suum apostolatum, signate excludit mediationem aliorum apostolorum (1, 17); immo se iactat nonnisi post tres annos a suscepta vocatione Ierusalem ascendisse ad Petrum invisendum (1, 18).

Sicut Paulus, ita et alii apostoli egerunt, scil. ecclesias fundantes et regentes personali potestate. Extraordinarie tantum, in re magni momenti, ad litem inter iudaeos christianos et gentiles neo-conversos dirimendam, collegialiter egerunt, in concilio hierosolymitano decretum una cum senioribus dantes.

Similiter dicendum de episcopis. Singuli ex iure divino potestate personali gaudent ut singulas gregis Domini partes sibi assignatas regant, sicut declarat Vaticanum I: « episcopi, qui positi a Spiritu Sancto, in apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges singuli singulos pascunt et regunt (Sess. IV, cap. III, D. 1828) ». Extraordinarie tamen, ex voluntate et sub ductu Romani Pontificis, collegialiter in Ecclesiam universam potestatem exercent. De collegio autem episcoporum habituali modo collegialiter ecclesiam universam regente silet traditio. Nec videtur quomodo huiusmodi Ecclesiae gubernatio non impediret saltem moraliter exercitium plenitudinis potestatis quam Romanus Pontifex habet in totam ecclesiam, et exercitium potestatis personalis qua singuli episcopi in proprias dioeceses gaudent. Cum de re magni momenti sit sermo, vellem duo in schemate clarius affirmata, nempe, quod Romanus Pontifex conservat plenitudinem suae supremae potestatis in episcopos etiam in concilio vel in collegio coadunatos; et quod Romanus Pontifex est principium et visibile fundamentum unitatis et indivisibilitatis episcopatus sicut fidei fidelium. Ita ut regimen ecclesiae sit semper monarchicum in romana rupe firmiter fundatum (cf. Vat. I).

49

REV.MUS P. D. ODEMARUS DEGRIJSE
Superior generalis C.I.C.M.

Liceat mihi aliquid addere his quae ultimis diebus optime dicta sunt ab em.mis DD. cardd. Döpfner, Landázuri Ricketts et Suenens, in ordine ad restaurationem diaconatus ut permanentis gradus hierarchiae. Loquor ut superior generalis Congregationis missionariae, quae membra habet sacerdotes et etiam fratres laicos, coadiutores in opere evangelizationis. Hucusque quaestio unice considerata fuit ex parte laicorum. Potest vero considerari etiam ex parte religiosorum non-clericorum.

Patres Conciliares instanter postulo ut fratribus laicis via ad diaconatum non claudatur.

Rationes petitionis sunt:

1. Copia sacerdotum in missionibus est nimis exigua pro labore incessanter crescente.

2. Fratres laici ad diaconatum promoti varia et multiplicia servitia praestare possunt:

a) praesertim *cultualia,* qualia sunt: praedicatio verbi Dei, instructio religiosa; assistentia celebranti in actione liturgica; administratio sacramentorum baptismatis et Eucharistiae populo christiano, qui in missionibus saepe vel quotidie, vel certis diebus, valde numerosus ad sacramenta accedit; diebus communibus possent Eucharistiam administrare in locis ubi sacerdos deest; munus ordinandi et dirigendi conventus fidelium ubi hi ad orandum conveniunt, praesertim ubi deest sacerdos. Praeprimis pro liturgia verbi Dei diebus de praecepto.

b) Servitia *caritativa*: administratio bonorum temporalium, secretariatus paroeciarum, opera caritativa et socialia Ecclesiae.

Certe aliqua iam nunc faciunt quin sint diaconi. Sed melius esset si haec facerent ex deputatione Ecclesiae, et gratia Sacramenti suffulti.

Pro accessu ad diaconatum, illorum tantum ratio haberetur, qui necessarias dotes morales et optatam efformationem intellectualem habent. Nostris temporibus plurimi fratres laici scholas medias percurrerunt, et ideo apti sunt ad studia superiora aggredienda.

Status fratris laici inde valde nobilitaretur, et spes adesset ut numerus vocationum augeretur.

Cum his quae hucusque dixi, plures superiores generales hic praesentes consentiunt.

Censeo quod in hac quaestione etiam Congregationes religiosae non clericales praetermitti non possunt. Vox earum hic non auditur. Plura membra earum Congregationum tales formas apostolatus exercent quales optime conveniunt diaconis.

Quaestio ergo poni potest an aliqua membra non melius ad diaconatum

promoverentur, ut eundem apostolatum adimpleant, sed officialiter deputati ab Ecclesia et gratia sacramentali adiuti.

Mecum sentiunt: rev.mi patres generales: C. Heiligers: Montfortani; G. Van Kerckhoven: Missionarii S. Cordis; Volker: Padri Bianchi; G. Briano: Figli del S. Cuore di Gesù (Verona); G. Schütte: S. V.D.; Mondé: Soc. Miss. Afric. Lyon; H. Systermans: Congr. dei Sacri Cuori; G. Lalande: Congr. di Santa Croce.

50

Exc.mus P. D. ABILIUS DEL CAMPO Y DE LA BÁRCENA

Episcopus Calaguritanus et Calceatensis-Logrognensis

Multa in aula hucusque dicta sunt de « collegio et collegialitate » episcoporum, et dum alii, bene plures, affirmativam, alii, certe non pauci, negativam amplectuntur sententiam. Per integram hebdomadam discussio protracta est et in fine hebdomadae quaestio remanet « sicut erat in principio », nedum clarior, fortasse obscurior et implicatior. Per hebdomadam protracta, in indefinitum protrahi posset, quin, iuxta methodum in usu, finis et cum ipso lux tandem aliquando certo attingeretur. Curiosum utique « phaenomenon » non semel iam in aula conciliari exortum!...

Et meo simplici iudicio difficile non erit illius originem certo indigitare. Defuit, ni fallor, *status quaestionis* cum opportuna explicatione terminorum. Defectus ergo et vitium, si ita loqui fas est, non in *re,* sed in *modo,* non in *materia,* sed in *forma,* in *methodo* nempe fuit.

Statim ab initio, diversi diversas suas protulerunt sententias, collegium et collegialitatem alii propugnantes, alii vero negantes. At nec isti nec illi terminos discussionis clare exposuerunt. Sed nec in schemate constitutionis hoc ullibi indicatur. Defuit igitur *status quaestionis* de vi et valore termini « collegium », tanquam basis et fundamentum pro discussione logice proferenda omnino necessarius. Hinc aequivocitates, confusiones et ambiguitates non paucae in ipsa aula prolatae. Hinc et anxietates et timores in animis Patrum his diebus pullulantes. Nihilque mirum, cum discussio in aequivoco tota versetur et oratores, vias parallelas in interventionibus secuti, *sensum verborum* numquam clare exposuerint. Necessarium ergo puto sive in schemate sive in aula defectum subsanare. Alioquin anxii et dubii Patres permanebunt eorumque suffragationes, super aequivoco datae, incertae et dubiae necessario erunt.

Quod si de praeteritis et hucusque datis impraesentiarum iudicare inopportunum videretur, in futurum prospicientes, illa omnia — collegium, collegialitas etc. — ex nunc explicare et clarescere debemus, ne novae suboriantur in posterum confusiones, quae pro omnibus maxime vero pro fidelibus in re tanti momenti periculosa evadere possunt.

Et periculum certo adesse, saltem pro fidelibus, nemo negabit. Sperare enim licet fideles nostros constitutiones ad decreta Concilii magna cum avi-

ditate perlecturos fore. Cum vero ipsi disquisitionibus nostris assuefacti non sint, prudenter praesumi potest illos *vocabula* accepturos *sensu obvio* inter ipsos vulgato et ipsis unice noto.

Et en quale et quantum in re nostra periculum: Legent ipsi « *collegium episcoporum* », cumque « collegia » illis nota, alia in mundo sociali non sunt, importent et secum ferant *a*) paritatem membrorum, qui *b*) aequali pollent potestate, quae *c*) in solidum et communiter a collegio exercetur, cui *d*) praeses, utpote primus inter pares, sola praeest praecedentia honoris, haec omnia casui nostro logice applicantes, « collegium episcoporum » plena univocitate cum aliis aestimabunt.

Conclusio. Data ergo orientatione pastorali Concilii, opportunum mihi proponere videtur ut, ad vitandas possibiles immo et logicas fidelium confusiones, in futura reordinatione schematis clare et aperte indicetur quid in nostra constitutione veniat nomine collegii episcoporum, ut, eius natura accurate descripta semel et pro semper e medio tollatur quaevis ambiguitas.

51

EXC.MUS P. D. AURELIUS DEL PINO GÓMEZ
Episcopus Illerdensis

Pergratum mihi est amplissimas laudes tribuere secundo schematis capiti, quod non obstat ut huic moderatas observationes faciamus:

Imprimis, contra assertiones factas ab aliquibus venerabilibus Patribus conciliaribus, mihi videtur valde iustificatum, ex rationibus adductis in tractatibus *de Ecclesia,* quantum in n. 14, cap. II, affirmatur de episcopatu ut sacramento. Et non tantum theologi hoc modo pronuntiantur, sed etiam sensus et praxis Ecclesiae efficacissimum argumentum pro illa doctrina constituunt. Contraria opinio alicuius auctoris illarum rationum vim non aufert. Prae oculis habeamus quod in historia dogmatum inveniuntur fere semper adversarii qui dogmata impugnabant ante eorum definitionem et etiam postquam definitio facta est. In memoriam trahamus quod in Concilio Vaticano I accidit circa infallibilitatis Romani Pontificis dogma.

N. 15 mirificis verbis describuntur supernaturales effectus ab episcopis presbyteris collati, de quibus in caeremoniis sacrae ordinationis sermone altissimo agitur. Enixe rogantur presbyteri quod sine intermissione haec altissima beneficia prae oculis habeant, ut vita virtutibus plena illis fideliter respondeant. Sciant filialem unionem cum episcopis et sincerum animum eorum dispositionibus oboediendi est firmissima basis ut altissimum suum laborem perficiant.

Quoad diaconos mihi videtur quidquid de illis in futuro decernatur, debere esse sub conditione observationis caelibatus, nam eiusdem dispensatio secum ferret permagna damna.

N. 16. De collegio episcopali eiusque capite. Deest accurata definitio

collegii episcopalis, quae magnum proiiceret lumen super omnia quae in hoc numero exponuntur. In lin. 9, n. 16, dicitur: collegium autem seu corpus episcoporum, quibus verbis, corpus ut cognominatum collegii proponitur. Quin aliquid contra hoc habeamus, accuratior collegii definitio desideratur. Sunt qui collegium definiunt: corpus morale, quo aliqui ad hoc electi vinculo sociali inter se uniuntur et ab aliis secernuntur, sive societas vel corporatio hominum eiusdem dignitatis aut professionis. Forsitan definitio compleri posset: episcoporum coadunatio in uno corpore sub auctoritate suprema Romani Pontificis, illius capitis, ad munera propria in Ecclesia exercenda. Enixe, venerabiles Patres conciliares, vos rogo ut vestra sapientia hanc definitionem perficiatis.

Vox collegium neque in evangelio neque in pristinis traditionis documentis invenitur, ideoque ex ipsa argumentum conficere non possumus ad accurate definiendam naturam relationum apostolorum aut episcoporum inter se. Hae relationes diversis nominibus designantur in decursu saeculorum, his scil. nominibus: corpus, societas, familia, coniunctio, collectivitas et aliis. Esset evidens sophisma intendere apodictice determinare essentiam, proprietates et vincula coetus apostolorum ex aliquo ex nominibus praedictis. Processus vere logicus, metaphysicus et theologicus, alius non invenitur nisi serenum studium eorum quae ad coetum apostolicum pertinent: nempe studium electionis apostolorum, missionis et munerum a Christo Domino ipsis commissorum; et hoc studio recte peracto seligere nomen quo praefati coetus essentia perlucide exprimatur.

Multum iuvaret ad indolem collegii episcopalis clare perspiciendam hanc quaestionem solvere: Utrum omnia quae ab episcopis peraguntur, hi peragant ut membra praedicti collegii et quatenus negative accurate determinetur quid peragant tamquam membra collegii et quid alia ratione perficiant. Meo humili iudicio aliquibus Patribus conciliaribus videntur omnia ab episcopis perfici ut collegii membra. Ad quaestionem discernendam attendere debemus quo pacto apostoli procederent. Certum est apostolos a Domino Nostro Iesu Christo missos fuisse collective et ad missionem ita esse paratos. Audiamus verba Divini Salvatoris: « Sicut misit me Pater, et ego mitto vos. Haec cum dixisset, insufflavit: et dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; et quorum retinueritis, retenta sunt » (*Io.* 20, 21-23), « Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, et Filii et Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia quaecumque mandavi vobis: et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 19-20). In his verbis videtur conferri collectivam missionem. Sed vis talium verborum clarius percipitur si attendamus ad modum quo Apostoli processerunt postquam missi sunt. Apostoli apparent intimo nexu coniuncti in suis actionibus et persecutionibus sub auctoritate Petri; quae speciali modo fulgent in Concilio Ierosolymitano. Haec intima connexio perdurat dum praedicatio apostolica evolvitur apud Iudaeos. Sed postquam dispersi sunt per totum orbem terrarum aliter

se habent. Certissimum est apostolos numquam oblitos esse supremam Petri auctoritatem supra totam Ecclesiam et super ipsos apostolos, sed hi in suis laboribus apostolicis evolvuntur independenter, semper intra ineffabilem caritatem et fraternam considerationem erga alios apostolos et nihil aliud desiderando praeter fidei et regni Dei propagationem et martyrium propter hunc altissimum finem. Hoc clarius apparet in missione et apostolatu S. Pauli, de quo plurima et luculentia possent dici, si tempus non deficeret. In his optimo modo refulget illa mira compenetratio et indescriptibilis conspiratio ad adimplendam voluntatem Christi sub suprema auctoritate Petri, qui ab ipso Christo constitutus fuit rupes Ecclesiae, princeps apostolorum et possessor clavium regni caelorum, cum potestate et obligatione confirmandi fratres suos. In his, modo synthetico, exponuntur relationes fundamentales inter apostolos et indoles collegii apostolici, si existentia eius admittatur. Ex dictis apparet apostolos esse coniunctos illis ineffabilibus vinculis emanantibus ex missione a Iesu Christo Domino Nostro solemniter peracta, esse coniunctos supernaturalibus nexibus eiusdem apostolici laboris, esse coniunctos ex eadem suprema finalitate sui altissimi officii, nempe perducendi homines ad fidem, ad spem, ad caritatem, ad sanctitatem, ad vitam aeternam, agendo semper sub Petri ducatu, et ideo quandam collegialitatem inter ipsos affirmari posse. Ad collegialitatem stricte dictam statuendam argumenta apodictica non ab omnibus percipiuntur.

Haec debent applicari, debita proportione, ad collegium episcopale. Quaecumque de hoc asseruntur niti debent in dictis de missione apostolorum et de evolutione apostolatus eorum in quibus refulget Petrus modo praecellenti iam dicto. Immo etsi episcopi sint veri successores apostolorum, eorum corpus et corpus episcoporum non esse corpora plene identica satis apparet. Praeter alia, sufficit attingere praerogativas peculiares quibus apostoli gavisi sunt.

Nec praetermittamus plurima inveniri quae a Romano Pontifice perficiuntur sine ulla prorsus collegii episcoporum interventione, ideoque non collegialiter; e. g. provisio dioecesium in universa Ecclesia. Similiter, etsi in unaquaque dioecesi potestas episcopalis sit ordinaria, propria et immediata, tamen Romani Pontificis potestas est suprema et plena et extenditur ad quae omnium episcoporum potestas non valet et de facto sine ulla collegii interventione optime peraguntur.

Attente recolantur quae in nn. 16-17 schematis dicuntur, et efformabitur idea de corpore seu de collegio episcoporum et de eius functionibus, quae ex benignissima concessione paternali Pontificis iam auctae sunt et in dies augebuntur, si, sicut pro certo habemus, non deficiant sancta et efficax cooperatio et permagna episcoporum gratitudo.

Recapitulatio dictorum haec est: Romanus Pontifex supremam et plenam potestatem a Christo sibi commissam in universa Ecclesia habet, quam sine collegio episcoporum penitus exercere potest et ipsi competit determinare quae pro unoquoque tempore praedicto collegio prudenter assignanda sunt.

Nescio utrum aliquando propitior occasio inveniatur ad solemniter agnoscendum et proclamandum Romani Pontificis Primatum iuridicum, supremam auctoritatem, infallibilitatem et illum esse caput collegii episcopalis, et ad exprimendum, ex toto corde, nostrum ferventissimum amorem et filialem gratitudinem, nostramque sincerissimam reverentiam et oboedientiam erga ipsum. Nos omnes plene sumus convicti, immo quotidie perspicimus ineffabilem benevolentiam et magnanimitatem nostri peramantissimi Patris, et his sensibus, humili et iucundo animo respondere cupimus. Nihil omnino appetimus quod contra eius sapientissima designia, quocumque modo sit, quibus efficacissime iuvare sumus parati, elatione ad sanctitatem et apostolatum quotidiana immolatione nostra pro Papa, pro Ecclesia orientali, quam specialiter diligimus in suis venerabilibus institutionibus, pro episcopis, pro sacerdotibus et religiosis, pro fidelibus, praecipue pro pauperibus, pro fratribus omnibus qui extra Ecclesiam catholicam militant et pro universo mundo, ut omnes fruantur vera pace et altissima beatitudine quae in fidelitate erga Petrum invenitur.

Locutus sum de reverentia et amore erga Romanum Pontificem, et sine difficultate intelligimus, servata proportione, eadem debere dici de his omnibus qui eum adiuvant et instrumentum sui gubernii constituunt.

Attentis distinctis Patrum sententiis ab omnibus quidem optimo spiritu propositis, forsitan valde prudens esset relinquere schema prout existit et humiliter Summum Pontificem deprecari ut adaequato documento pontificio solvat hanc quaestionem quando et quomodo velit vel si existimet ita debere manere, sic maneat, et accurata caritate nos omnes ut fratres ad invicem diligamus.

52

Exc.mus P. D. CLAUDIUS DUPUY

Archiepiscopus Albiensis-Castrensis-Vauriensis

Propositum nobis schema dicit Christum Ecclesiam aedificasse non super unum solum, sed super Duodecim, collegium unum apostolicum efformantes, una cum Petro capite. Huic primo collegio, successit episcoporum collegium inter se unitorum, simulque cum illo capite qui, Petro succedens, consistentiam et auctoritatem huic collegio praebet.

Talis autem assertio schematis nonnisi cum quodam timore exprimi mihi videtur. Quod perperam timetur? Nullus enim in hoc Concilio inveniretur hodie, ad orientales pertinens Ecclesias vel latinam, qui, vel minime, in dubium verteret definitivas Concilii Vaticani I, circa primatum Summi Pontificis, declarationes.

Hoc remoto timore, audenter asserere possumus episcopalem collegialitatem in regimine Ecclesiae. Argumenta vero omittens ex Sacra Scriptura vel traditione desumpta, alia tria vellem hic humiliter afferre, reflexione suggerenda.

1. *Ut catholicitas Ecclesiae exprimatur, collegialitas requiritur.* Haec enim catholicitas, Ecclesiae Christi necessaria nota, tum munus significat Ecclesiae concreditum omnes evangelizandi homines, tum suam ad hoc idoneitatem. Isti vero homines multimode semper inter se diversi sunt, et erunt. Eorum ad Christum itinera gradus varios noscunt. Quare, sicut in suo ad Concilium Vaticanum II inaugurandi sermone, nobis renuntiabat S. Pontifex Ioannes XXIII, etsi veritas una semper in se maneat, ipsius tamen praesentatio modalitates diversas cognoscere valet. Talis autem diversitatis expressio, qualem genuina postulat pastoralis actuositas, diversis modis ac gradibus in Ecclesiae regiminis structuris, ut inveniatur necesse est.

Quapropter, videtur Christus Ecclesiam suam ita super collegium plurium aedificasse, circa caput unum adunatorum. Quod si ab uno tantum regeretur Ecclesia, nihil equidem prohiberet ipsum catholicitatis varietati apprime receptivum fore. Quanto tamen facilior foret, ac certior, talis comprehensio, si, Pastori Supremo, Pastores aliquo modo coniungerentur toto orbi dispersi. Nonne scissurae quaedam unitatis Ecclesiae inde ortum habuerunt, quod voces diversitates exprimentes in comprehensione eiusdem fidei mysteriorum, insufficientem invenerint audientiam?

Collegiale Ecclesiae regimen, veram habens atque effectivam organizationem, duas notas servabit Ecclesiae, unitatem nempe ac catholicitatem; in tali enim collegio, quamvis omnia membra, ac speciali modo Summus Pontifex, sollicitudinem assumant universalis Ecclesiae, Petri tamen successor « perpetuum unitatis principium ac visibile fundamentum » est, in sua legitima necessariaque catholicitatis varietate, dum cetera collegii membra, varietatem potius inibi repraesentant in necessaria unitate. Non ideo uniformitatis paupertatem in Ecclesia manifestat collegialitas, quin potius eius unitatis divitias.

2. *Unitati favebit collegialitas in Ecclesia, quia obedientiam faciliorem reddet.* Quomodo poterit quis oblivisci eorum quibus ante presbyteri ordinationem alloquitur fideles episcopus? « Necesse est ut facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum praebuerit ordinando ». Simili quodam modo, etsi analogico tantum, cum collegialitas vota non importet imperativa pro Summo Pontifice, facilior reddenda est obedientia, ac per ipsam omnium unio fraterna, si per vocem pastorum illorum omnium qui in terris his populum Dei constituunt, exprimi atque audiri valet diversitas dispositionum erga fidei comprehensionem, necnon et positionum erga evangelizationis exigentias.

3. Iuxta Summi Pontificis Pauli VI feliciter regnantis verba, melior e praesenti Concilio suscitari debet intelligentia mysterii Ecclesiae Christi, melior quoque eiusdem structurae organisatio, ac renovatio, e quibus, cum Deo placuerit auxilianteque eius omnipotenti gratia, provenire tandem possit unio illa tam desiderata omnium eorum qui in Christum credunt, simul ac lucidior actuositas in hodierni mundi evangelizatione.

Quis vero non videat, extra collegialitatem in regimine Ecclesiae, Fratres nostros orientales separatos, venerabilibus suis traditionibus tam fortiter

inhaerentes, Ecclesiam Christi agnoscere non valituros, si instantia tantum semper fiat de munere summo eoque unificante Romani Pontificis, alio vero, legitime tamen diversificante, sub silentio praetermisso episcoporum nempe in collegio episcopali?

Et quis est qui non videat mundum hunc, in innumeris semper diversum, etsi ad unitatem manifeste tendat, numquam evangelizandum fore in sua totalitate, nisi aliquo modo, efficaci equidem ac reali, ipsa diversitas sua in regimine Ecclesiae audientiam inveniat?

Summatim, igitur, extra authenticam collegialitatem, unitas Ecclesiae ac catholicitas minoraretur; fidelium obeditio et unio difficiliores redderentur; credentium in Christo reunio mundique evangelizatio tardiores et pene impossibiles evaderent. Cum collegialitate autem omnia ista bona securiora fient ac faciliora.

Mihi videtur textum schematis sub nn. 16 et 17 recognosciturum iri ut collegialitas episcoporum una cum Summo Pontifice, capite et sub eius auctoritate fortiter ac clare asseratur, necnon et efficaciter organizetur, diversis sub gradibus, sicut et Sua Sanctitas Paulus VI ipse possibilitatem expressit et votum.

Plene assentio his quae proposuit exc.mus D. Hermaniuk et textui emendationis 270 archiepiscopi et episcoporum Regionis Parisiensis.

53

Exc.mus P. D. EUGENIUS D'SOUZA

Archiepiscopus Nagpurensis

Nos, episcopi missionum, praesertim Indiae Centralis, gaudemus quod quaestio de diaconatu in schemate *de Ecclesia* inclusa est. Non loqui praesumerem de re, de qua tot oratores iam egerunt, nisi sentirem quosdam hic praesentium, etiam inter fratres nostros in missionibus laborantes etiam nunc falsis impressionibus laborare.

Quidem videntur timere ne, accepto schemate, subito Ecclesia invadatur a diaconis et uxoribus eorum. Omnibus notum sit nullibi in schemate de ulla compulsione sermonem fieri. Si iudico in mea dioecesi, in provincia ecclesiastica cuius membrum sum, diaconatum permanentem, sive superfluum, sive nocivum fore, omnino mihi ius erit illum non instaurandi. Sed si frater meus episcopus, si conferentia episcopalis regionis cuiusdam in prorsus alia parte orbis sitae, coram Domino iudicaverit bono animarum sibi commissarum expedire, cur meum iudicium ei conabor imponere? Cur ei ianuam claudam?

Conditiones enim ab una parte orbis in aliam valde diversae sunt. Etiam in regione qualis est India, cum quatrocentis sexaginta milionibus hominum per immensum territorium sparsis, problemata non ubique identica sunt. Cur ergo ubique terrarum idem imponendum est? Concilium hoc vocatur concilium decentralizationis. Cur in hac re uniformitas est urgenda?

Sapienter ergo schema in hac re decisionem « praepositis Ecclesiae » relinquit, i. e. imprimis singulis episcopis vel episcopalibus conferentiis pro suo territorio, approbante Sancta Sede. Quis potest hac stipulatione offendi, immo postulare ut hic paragraphus a schemate expungatur?

Sed mitto haec, nam ex discussionibus in aula conciliari et ex colloquiis inter patres habitis videtur patere longe maiorem partem aut diaconatui favere, aut saltem non obstare ne ab aliis experimentum tentetur. Unum punctum in incerto remanet, utrum ad caelibatum teneantur necne. Quid nos de hac re sentiamus, ex sequentibus patebit.

Brevissime vobis in memoriam revocare volo cum plerique missionum episcopi tantopere restitutioni diaconatus faveant.

Pleraeque missiones, praesertim in India septemtrionali et centrali, vix credibili inopia sacerdotum laborant. Singuli sacerdotes habent, pro variis dioecesibus, inter trecenta et octingenta milia paganorum evangelizanda, et plus minusve mille quingentos catholicos in fide firmandos.

Potestne quis realistice praevidere fore ut status rerum in melius vertatur? Non! Neque in proximo futuro neque intra saeculum. Etiam ubi abundant vocationes, numerus eorum tragico modo insufficiens est, saltem ad opus immensum conversionis infidelium aggrediendum. Unicus modus multiplicandi quantitative sacerdotes, est multo laxius se praebere in admittendis et formandis candidatis, quod esset suicidium Ecclesiae.

Hucusque solutio partialis, valde imperfecta problematis inventa est, institutione catechistarum. Ut autem eorum ministerium multo efficacius fiat, proponitur ut illi eorum qui maxime pietate, zelo et auctoritate praestant, diaconatu insigniantur.

In missionibus ergo multi candidati ad diaconatum idonei invenientur, et quidem inter solos fere catechistas. Poteruntne ad caelibatum obligari?

Electi inter iuvenes qui non se ad sacerdotium vocatos senserunt aut saltem studia mox reliquerunt, post formationem duorum annorum missi in loca dissita, omnino soli, destituti ab auxilio sacramentorum, quandoque per sex menses confessione et directione spirituali privati, rogabunturne caelibatum servare qui non paucis religiosis in communitate viventibus iam difficilis est. Fratres, scriptum est: « non tentabis Dominum Deum tuum »!

Ideoque in India, experientia duce, conditio sine qua non ut quis ad scholam catechistarum admittatur est, quod candidatus debet esse coniugatus. Atqui praecise inter illos catechistas apti candidati ad diaconatum invenientur.

Ideoque intelligitis, venerabiles Fratres, quae sit thesis nostra. Nisi diaconi possunt esse matrimonio iuncti, in missionibus saltem reinstauratio diaconatus fere omni utilitate privabitur. Dicere: « non obsto quominus diaconi permanentes sint dummodo ad caelibatum obligentur » est velut si quis diceret: « non obsto ne quis sibi rhaedam automobilem emat, hac tamen conditione ut numquam de " garage " exeat ».

Obicitur fore ut gloria sacerdotii obnubiletur, timetur ne aliqui iuvenes

qui studia seminarii in ordine ad sacerdotium sequuntur, in diaconatus gradu haereant, ut uxorem ducere possint, et ne exinde Ecclesia bonos sacerdotes amissura sit. Sed nonne problema sub angulo complementario considerare iuvat? Quot milia sunt pro quibus multo melius fuerat non ad sacerdotium accedere, quia, religiose et psychologice loquendo, impares erant ad sublime onus caelibatus ferendum? Quis dicet nobis quot milia sunt qui a statu sacerdotali defecerunt, cum scandalo fidelium et infidelium, aut saltem, si a culpa gravi et externa se abstinent, vitam amaram et desiquilibratam ducunt, atque sibi ipsis et ecclesiae oneri sunt. Non sumus hic, venerabiles Fratres, in Spiritu Sancto congregati ut nosmetipsos fallamus. Animum habeamus oportet facta, etiamsi dura et cruda sint, sincere considerandi.

Proinde, dato non concesso quod aliqui iuvenes, qui boni sacerdotes evadere poterant, ad sacerdotium non accedent, si ex altera parte nonnulli qui aut indigni, aut saltem infelices sacerdotes futuri essent a sacerdotio arceantur, quin tamen pro servitio Ecclesiae amittantur, quantum emolumentum hoc erit?

Intelligimus, venerabiles Fratres, multos vestrum aliquatenus scepticos esse. Confitemur nos ipsos, diaconatus fautores, non omni claritate videre quid res futura sit. Sed nonne solet in omni magno incepto aliqua incertitudo adesse? Qui ad agendum expectat donec omnia praevidere possit, valde pauca aget. Unum vos rogamus: rem in forma sua latissima experiri nos sinatis. Ne conatibus nostris ianuam claudatis.

54

Exc.mus P. D. ARTURUS ELCHINGER

Episcopus tit. Antandrinus, coad. c.i.s. Argentinensis

Ad n. 16 (pag. 27) cap. II schematis *de Ecclesia*: *De collegio episcopali eiusque Capite.*

Quomodo fides debeat relationem intelligere inter supremam potestatem Papae, successoris Petri et supremam potestatem collegii episcoporum, successoris apostolorum collegii?

Aliquis Pater his diebus in hac aula obiiciebat: « Sufficiente iam potestate papali, quare et quomodo duas potestates nunc in Ecclesia videre possumus? Quomodo etiam potestates istae inter se non adversarentur vel tantum adversari posse non viderentur? ».

Sic, nisi fallor, respondere possumus: Secundum traditionem apostolicam bene firmatam, exercitium muneris apostolici fit collegialiter et duplex servitium pastorale includit: unum respicit Ecclesiae *universalitatem,* alterum Ecclesiae *unitatem* respicit. Et istae duae *supremae potestates,* scil. collegii episcopalis et Primatus Summi Pontificis, complementariter et modo organico et harmonico ad bonum Ecclesiae serviunt et inservire debent, Spiritu Sancto assistente.

Si functio Primatus sola esset in Ecclesia, cura de Ecclesiae unitate in uniformitatem evolvere posset et hoc gravamen esset pro Ecclesiae universalitate. Si, e contra, servitium apostolicum collegii episcopalis solum esset, cura de Ecclesiae universalitate, propter abundantiam diversitatis divitiarum, negligere posset necessitates unitatis.

Episcopale collegium catholicae Ecclesiae principaliter inservire debet quantum ad suam in omnes gentes et per omnia saecula apostolicam extensionem. Haec autem ipsa universalis apostolica extensio nullo modo separari potest ab unitatis servitio vel fundamento, quod in successoris Petri potestate residet, id est in capite istius collegii. Collegium episcopale non potest concipi sine eius capite et non est nisi capitis auctoritati obtemperans. Similiter, papale servitium — papalis potestas — ad totam Ecclesiae vitam se extendit, in quantum est centrum et principium visibilis unitatis. Ab ea potestate pendet etiam unitas apostolicae missionis toto orbe terrarum collegio episcopali concreditae.

Haec doctrina certe includit quod successoris Petri potestas se extendat ad omnem locum seu in omnes quaestiones sive doctrinales sive pastorales ad unitatem Ecclesiae spectantes. Certe tenet etiam ista doctrina quod illa universalis potestas Summo Pastori data sit ad bonum totius Ecclesiae et ad bonum etiam totius collegii episcopalis — cuius caput est —, non adversus potestatem propriam illius collegii episcopalis, sed nec etiam praeter hanc potestatem ita ut, exempli gratia, interveniat Papa ubi et quando episcopalis potestas exigentiis seu obligationibus missionis apostolicae sufficere potest.

Conclusio: Primatum non est extra collegium episcopale. Exercitium missionis apostolicae fit collegialiter et in charismatica concordia, ad bonum totius Ecclesiae: Petri successor huic bono principaliter sub specie *unitatis,* episcoporum collegium principaliter sub specie *universalitatis* inserviunt.

55

Exc.mus P. D. VINCENTIUS ENRIQUE Y TARANCÓN
Episcopus Celsonensis

De institutione duodecim apostolorum et de episcopis eorum successoribus (schema *de Ecclesia,* cap. II, nn. 12 et 13).

Duae sunt quaestiones de quibus aliquid, saltem meo iudicio, notandum est, nempe *a*) Christus instituit duodecim apostolos « ad instar cuiusdam collegii » (n. 12 lin. 31) *b*) Episcopi sunt successores apostolorum (n. 13).

Utraque quaestio ob eius maximum momentum bene fulciri debet sive ex Sacra Scriptura, sive testimoniis traditionis, omissis citationibus quae ad rem non directe veniunt et problema obscurum reddunt.

Relate ad primam quaestionem notare volumus opportunitatem vocis « *ad instar* ». Hac enim determinatione omne vitatur periculum sumendi vocem collegii in sensu univoco cum iure civili, quem sensum habere nequit

absque magno praeiudicio realis naturae primatus Petri in collegio apostolorum et consequenter primatus Romani Pontificis in collegio episcoporum. Hac igitur declaratione facta, vox « collegium », multipliciter deinde usurpata, ita semper intelligi debet.

Tamen ut haec affirmatio « *ad instar cuiusdam collegii* » citationibus biblicis confirmetur sumi debent ii textus ex Actibus et epistolis in quibus actio collegialis duodecim satis clare apparet, quemadmodum sunt ii in quibus dicitur « Petrus *cum undecim* », « *Convocantes* autem *duodecim* multitudinem », « Cum audissent *apostoli,* qui erant Ierosolymis, *miserunt* ad eos Petrum et Ioannem », etc.

His positis ita textus schematis redigi posset: « ... quos, ut ex praedicta electione apparet necnon ex modo agendi ipsorum apostolorum post Ascensum Christi (cf. *Act.* 1, 26; 2, 14; 6, 2; 8, 14; 9, 27; 15, 2; *1 Cor.* 15, 5-11; *Gal.* 1, 18 ad 2, 10), instituit ad instar cuiusdam collegii... ».

Relate autem ad alteram quaestionem, de episcopis, nempe, successoribus apostolorum, haec quoad eius probationem velim notare:

Argumenta pro assertione tanti momenti ex triplici capite procedunt in schemate:

1. Ex missione Ecclesiae perpetuo duratura, cum dicitur: « Quia ministerium illud sanctissimum... morte eorum temporali non erat terminandum » (n. 13, lin. 15).

2. Ex textibus Sacrae Scripturae, in quibus apostoli eligunt sibi alios collaboratores pro pascendo grege ipsis commisso, nempe: *Act.* 20, 28; *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6; *1 Pt.* 5, 2-4 (n. 13, par. 2).

3. Ex testimonio Clementis Romani (n. 13, lin. 39).

Sed hoc triplex argumentum, primo excepto, de quo nihil est dicendum, clarius et fortius exprimi debet.

In secundo, videlicet, quando appellatur ad Sacram Scripturam, perperam supponitur textus biblicos quibus apparet Apostolos transmisisse potestatem aliis collaboratoribus eo ipso demonstrari successores apostolorum esse episcopos. Ex quattuor enim textibus citatis in schemate, *Act.* 20, 28 et *1 Pt.* 5, 2-4, iuxta communem sententiam, non de episcopis, sed de presbyteris agunt. Minime ergo inserviunt ad probandum episcopos esse successores apostolorum. In aliis duobus textibus, videlicet, *1 Tim.* 4, 14 et *2 Tim.* 1, 6, saltem directe non est sermo de successione.

Hoc igitur argumentum ex Scriptura omitti debet, saltem prout proponitur.

In tertio argumento recursus fit ad testimonium Clementis Romani, quod, licet validum sit, tamen complendum est aliis testimoniis, additis indiciis biblicis quae haberi possunt ut origo et principium huius traditionis. Talia indicia inveniuntur in litteris pastoralibus S. Pauli ubi apostolus loquitur cum Timotheo et Tito qui, ut ex generali epistolarum contextu, vero caractere episcopali ornati erant, quidquid de ipso nomine « episcopus » dicendum sit.

His prae oculis habitis redactio paragraphi secundae, quae incipit « Quapropter apostoli... gubernationis ministerio », ita redigi posset: « Quapropter apostoli de instituendis successoribus curam egerunt. Teste enim S. Irenaeo, " Ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos, quibus ipsas ecclesias committebant, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes " (*Adv. Haer.* III, 3, 1) ».

Et antea Clemens Romanus: « Apostoli nobis Evangelii praedicatores facti sunt a Domino Iesu Christo... Itaque, acceptis mandatis... per regiones et urbes... constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant... ac deinceps ordinationem dederunt, ut, cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent » (*Ad Cor.* 42 et 44).

Immo et ipse S. Paulus discipulo suo Tito scribebat: « Huius rei gratia reliqui te Cretae ut ea quae desunt corrigas et constituas per civitates presbyteros, sicut et ego disposui tibi » (*Tit.* 1, 5). Et Timotheo similia dicebat: « Quae audisti a me... hae commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt et alios docere » (*2 Tim.* 2, 2. Cf. 1, 6. 14).

Animadversiones additae:

Magno cum gaudio audivimus Paulum VI dicere « Vos, venerabiles Fratres, convenistis, qui et apostoli estis et *a collegio apostolico* originem ducitis *eiusque* veri estis haeredes ». Haeredes collegii apostolici, ergo nos collegium efformantes.

Gaudium nostrum confirmatum est cum schema, quod tam ample et ad rem de collegio loquitur, approbatum fuit ad disceptationem in Concilio; et gaudium nostrum auctum fuit cum vidimus et audivimus collegas nostros gaudio et iucunde laudasse doctrinam de collegio episcoporum.

Iam Pius XI in encyclica *Ecclesiam Dei* expresse affirmavit « Christum Dominum... *apostolorum summe voluisse unum esse collegium* » (*AAS,* 1923, p. 573) et Pius XII, in allocutione ad Romanam Rotam, anno 1945, expresse docuit: « ... Cristo... la sua missione di Maestro, di Sacerdote e di Pastore... l'ha trasmessa e comunicata *a un collegio di apostoli* » (*AAS,* 1945, p. 259).

Nihil mirum ergo si schema affirmat collegium episcopale, etenim secundum Concilium Tridentinum (*Conc. Oec. Decr.*, 719, 10) et Vaticanum I (*Conc. Oec. Decr.,* 790, 12), « Episcopi... *in apostolorum locum successerunt* »; ergo et apostolorum locum in Ecclesia tenent, i. e. efformant collegium.

In collegio successor Petri, Romanus Pontifex, de quo locutus est Vaticanum I, episcoporum « princeps et caput, primatum tenens » est, sicut et Petrus in collegio apostolico fuit.

Sed, ut dicebat Zinelli, relator in Vaticano I, « vere plenam et *eandem* vere plenam et supremam potestatem esse etiam in capite cum membris coniuncto, scil. in Pontifice cum episcopis » (Mansi 52, 1110 A), et « summum Pontificem una cum episcopis, vel dispersis vel congregatis, vere plenam et supremam potestatem *in solidum* exercere » (Mansi 52, 1109 D-1110 B).

Unde, ut docuit Vaticanum I, sicut potestas Romani Pontificis ita ordinaria et propria ipsi est ut *non afficiat* potestati uniuscuiusque episcopi qui potestatem sibi *propriam* gerit et « *verus* pastor » est (*Conc. Oec. Decr.* 790, 10-14), unde et « *ordinarius* » dicitur, non tamen vicarius Romani Pontificis, sicut Declaratio episcopatus germanici, anno 1875 a Pio IX « cum plenitudine auctoritatis aposto-

licae » approbata (*ASS.* VIII, pp. 301-305) et Leo XIII in encyclica *Satis cognitum* docuerunt (*Acta Leonis XIII,* Romae 1897 - D. S. 3307), ita etiam missio et potestates et mandatum eundi in universum mundum data « non soli Petro... sed omnibus apostolis » ut dicit Pius XI in encyclica *Rerum Ecclesiae* (*AAS* 1926, pp. 68-69) seu data « *collegio apostolorum* », ut dicit Pius XII in praedicta allocutione ad Romanam Rotam, *non afficiunt* ut unusquisque episcopus seu membrum collegii habeat etiam « *propriam* perfunctionem muneris » in praedictis missione, potestatibus et mandato, ut idem Pius XI ibidem dicit.

Etenim, ut Pius XII in encyclica *Fidei donum* dicit (*AAS* 1957, pp. 236-237) « unusquisque episcopus... qua legitimus apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris, Ecclesiae una cum ceteris episcopis *sponsor* fit », seu, ut ait versio italica officialis, « lo rende solidamente responsabile della Chiesa »; ex quibus ipse Papa deducit *gravissimum officium* proprium uniuscuiusque episcopi tum sollicitudinis omnium ecclesiarum tum dilatandi Evangelium in universum mundum.

Ex quibus omnibus deduci potest *notio* ipsa collegialitatis, quae supponit in ipsa constitutione collegii ex una parte *unionem omnium episcoporum cum capite,* i. e. episcopi et caput, omnes coniunctim efformant collegium, ita tamen ut sicut Petrus, « unus ex Duodecim », etiam et Romanus Pontifex, unus ex episcopis, habeat potestatem capitis « ex sese, non ex consensu episcoporum », ut aiebat in Vaticano I ipsius relator Zinelli (Mansi 52, 1110; cf. D. 1825 et 1839); et ex alia parte *unionem et solidaritatem episcoporum inter se* ad missionem universalem adimplendam. Quoad *exercitium* vero collegialitatis, haec praesupponit Primatum Romani Pontificis, qui ut talis agit « independenter ab actione communi cum aliis episcopis » seu « independenter a concursu episcoporum », ut ipse Zinelli dicebat (Mansi, *ibid.*), et ex parte episcoporum supponit ut episcopi, qui coniuncti cum capite esse debent, cum et sub capite sive omnes simul congregati vel dispersi, sive singuli seu membra collegii agentes, semper inter se ex natura sua coniuncti sint et solidarie agere debeant et agant.

Cum vero doctrina haec, etsi a Romanis Pontificibus iam exposita, non paucis Patribus anxietatem praebeat, praesertim propter vocabulum « collegium », quod notionem iuridicam prae se ferre et interpretationis minus rectae occasionem praebere dicatur conveniens, meo saltem iudicio, videtur in schemate, saltem in nota, consequentias huius veritatis explicandas esse ad hoc ut doctrina collegialitatis cum doctrina de Primatu a Vaticano I definita plene consonans appareat et anxietates vitet. Nempe:

Summus Pontifex duplici sub aspectu considerari potest: *a*) ut caput collegii episcopalis; *b*) ut caput totius Ecclesiae seu ut vicarius Christi.

In primo aspectu, seu ut caput collegii haec dicenda venirent:

1. Episcopi omnes *coniuncte cum Papa* efformant collegium episcopale.

2. In collegio Romanus Pontifex est « pars praecipua », ut dicit Leo XIII (*Satis cognitum,* n. 24) cum sit caput episcoporum sicut et Petrus fuit « apostolorum caput » ut vocatur a Vaticano I (*Conc. Oec. Decr.* 789, 7) et a legato in Concilio Efesino (D. 112).

3. In collegio omnes episcopi efformant aliam partem « augustissimam », « ita ut " intimam " constitutionem (Ecclesiae) ordo episcoporum necessario attingat » ut dicit Leo XIII (*Est sane molestum, Acta* 8, p. 385; *Satis cognitum, AAS* 28, 732), et « primariam legem » (Pius XII, *Mystici Corporis, AAS* 1943, p. 209).

Unde:

1. Corpus seu « episcoporum ordo tunc rite, ut Christus iussit, colligatus cum Petro putandus, si Petro subsit eique pareat », ut docuit Leo XIII in encyclica *Satis cognitum* (par. 28), « secus in multitudinem confusam et perturbatam necessario delabitur ».

2. Capitis est in collegio unitatem et soliditatem collegii sustentare, seu ut ait Vaticanum I, Primatus est « ut unus et indivisus episcopatus sit » (*Conc. Oec. Decr.* 787, 38).

3. Caput habet in collegio potestatem verae iurisdictionis supra omnes et singulos episcopos seu supra corpus seu ordinem episcoporum, ut implicite ad hanc rem collegialem docuit Vaticanum I et explicite Leo XIII in encyclica *Satis cognitum* (cf. D. 1961).

4. Ergo capitis est ordinare exercitium auctoritatis collegialis, ideoque et convocare vel saltem approbare actionem collegialem, ut ex doctrina de Conciliis clare constat.

5. Collegium, scil. corpus episcoporum cum capite, habet potestatem plenam, supremam, universalem et infallibilem in Ecclesiam universam, ut etiam clare constat ex doctrina Conciliorum.

In secundo aspectu, seu ut caput Ecclesiae:

1. Iurisdictionem ordinariam et immediatam habet in universos et singulos episcopos, in omnes et singulas ecclesias et in universam Ecclesiam, ut Vaticanum I docuit.

2. Gaudet privilegio personali infallibilitatis « ex sese, non ex consensu episcoporum » seu corporis episcopalis.

3. Mandata et decreta in bonum commune Ecclesiae dare potest « independenter a concursu episcoporum ».

Etiam *singuli episcopi* duplici sub aspectu considerari valent: *a*) ut membra collegii; *b*) ut pastores proprii ecclesiarum particularium.

In primo aspectu seu ut membra collegii ad quod vi consecrationis episcopalis pertinent:

1. Partem habent in auctoritate suprema collegiali, i. e. cum et sub capite.

2. Sponsores fiunt, una cum ceteris episcopis, Ecclesiae universalis; ergo et sollicitudine omnium ecclesiarum et cura dilatandi Evangelium in universum mundum revera solidarie tenentur.

3. Sua actio pastoralis in ecclesiis particularibus sibi commissis cohaerere debet cum actione totius Ecclesiae.

In secundo vero aspectu seu ut pastores ecclesiarum particularium:

1. Ipsas regunt nomine Christi, non ut vicarii Romani Pontificis.

2. Sunt principium et centrum unitatis et soliditatis.

3. Ut patres et magistri sacerdotum et fidelium habendi sunt.

Ut finiam, tamquam lemma doctrinae collegialitatis, haec verba S. Augustini a Papa Pelagio II repetita proponam: « haerens corpori pugna pro capite » (D. 247-468).

56

Exc.mus P. D. IOSEPH BARTHOLOMAEUS EVANGELISTI

Archiepiscopus-episcopus Meerutensis

Cur diaconi, caelibatus lege non obligati, admittendi non sint in Ecclesia Catholica.

1. *Quia lex caelibatus in magnum discrimen erit si haec innovatio nostris temporibus introducatur.* Etenim, si isti diaconi, caelibatus lege non ligati, in seminariis particularibus educentur, vocationes ad presbyteratum certo certius minuentur. Si vero in particularibus seminariis non educentur, sed e christiano populo seligantur, tunc etiam admittendi non sunt quia:

2. *Haec selectio magnam perturbationem causabit in Ecclesia, atque ita istorum diaconorum actio auxiliaris nulla erit.*

a) Nam istorum diaconorum selectio fiet vel a parocho vel ab episcopo. In utroque casu multae invidiae et animositates orientur inter illos qui selecti non fuerunt contra illos qui selecti sunt et adversus eos qui selectiones fecerunt.

b) Hoc modo pax et harmonia perturbabuntur in paroeciis et horum diaconorum quaevis auxiliaris actio nulla omnino vel etiam damnosa erit.

3. Mihi videtur hodiernis Ecclesiae necessitatibus aliquo modo sufficienter provisum iri *si Ecclesia instituat aliquod novum sacramentale quo optimi quique laici, viri atque mulieres, matrimonio iuncti vel non, qui id postulent, in apostolicorum cooperatorum numero solemniter inscribatur,* atque ita Ecclesiae operam suam praestent in dirigendis scholis, in docendo, in catechizando, in nosocomiis, etc.

4. Forsitan melius erit hoc argumentum — cum sit res disciplinaris — omnino a schematibus Concilii expungere, et illis solis nationibus per indultum tale diaconatum concedere quorum conferentiae episcoporum id postulent.

5. Tandem liceat in memoriam revocare nullam oriri specialem difficultatem *si permanenter diaconatus illis religiosis fratribus conferatur qui iam caelibatus* lege tenentur.

57

Exc.mus P. D. IOSEPH FADY

Episcopus Lilongwensis

Animadversiones circa meliorem distributionem sacerdotum super orbem terrarum. Responsabilitas episcopatus.

« Maximum problema mundi in eo consistit ut compleatur differentia quae exsistit inter bona territoriorum divitum et territoriorum pauperum. Si res ita sunt, ubine inveniemus capitalia necessaria? » (Lord Home).

Idem problema ponitur in Ecclesia Christi. Sunt nempe dioeceses divites,

aliae autem pauperes. Tantum est enim discrimen inter numerum sacerdotum in regionibus catholicis Europae et Americae Septemtrionalis (inclusive Canada), et numerum sacerdotum in Africa et Asia (et America Latina).

Nunc et per multos annos nec missionarii extranei nec sacerdotes locales sufficiunt.

Ex altera parte adhuc pauci sunt episcopi qui post exhortationem Pii XII (*Fidei donum*) libenter sacerdotes idoneos et volentes in Africam mittere consentiunt, et *sic aurea opportunitas omittitur ad animas lucrifaciendas dum adhuc tempus est.*

Velim ponere liceat aliquas quaestiones:

1. Quomodo *episcopi* qui *collegialiter* in universum mundum missi sunt (tanquam successores apostolorum) in concreto et *singulariter* huic praecepto satisfaciunt?

2. Num episcopi pauperes ad divites accedant et mendicent? vel potius divites tanquam boni samaritani pauperibus subveniant?

3. Num relinquitur unicuique episcopo ut negare vel permittere possit si aliquis vel aliqui sacerdotes idonei et probati per duos vel tres annos in territorio missionum laborare humiliter petunt, vel a Summo Pontifice, qui est caput Ecclesiae et pastor universalis Ecclesiae, compelli potest? Ne protrahatur scandalum ut salus tot populorum negligatur indesinenter. *Urget tempus, urget caritas Christi!*

Venio ad conclusionem. Opportunum mihi videtur, immo omnino necessarium ut Sancta Sedes organum seu seminarium vel institutum quoddam (nomen nihil interest) aperiatur ad inveniendos, seligendos, formandos sacerdotes idoneos, qui per aliquot menses ad apostolatum in terris missionum suscipiendum praeparentur et deinde in diversas regiones — non indiscriminatim, sed pro necessitate — mittantur, ut iam fit pro laicis v. g. « Ad lucem » Mgr. Browers' Lay missionaries; " Kolping Söhne " etc.

Multa itinera feci ut sacerdotes invenirem, sed in nostris temporibus longior absentia a dioecesi nocumentum secum fert.

Petitiones autem scripto factae nihil vel parum proficuae erunt, ut patet ex responso a praelato benevolo eximiae dignitatis et caritatis accepto: « Quid faciam? unus es ex 700 Ordinariis qui nostra mediatione operarios apostolicos quaerunt ».

58

EXC.MUS P. D. IOSEPH FENOCCHIO
Episcopus Apuanus

De presbyteris.

1. Desideratur ut fundamentum ontologicum seu mysticum vinculorum quae vitaliter presbyteros suo episcopo adligant — scil. participatio eiusdem caracteris sacri — pressius et effusius tractetur.

Quasi per transennam etenim dicitur episcopos in suae societatis operis

adiumentum presbyteros ordinare; sed de vitali unione cum episcopo quae exoritur ex ordine sacro fere tacetur.

In doctrina huius supernaturalis communionis, si diffuse in schemate tractabitur, sacerdotes invenient intimam et laetissimam rationem suae unionis cum episcopo; ex qua unione facile motus filialis amoris, devotionis, oboedientiae, cooperationis haurient; in hac unione verum fundamentum cernent solidae caritatis erga confratres; denique, scientes se per episcopum et cum episcopo uniri Summo et Aeterno Sacerdoti Christo Iesu, maximum stimulum experientur suae unionis cum Romano Pontifice et cum Ecclesia.

2. Quoad summam potestatum presbyteris per sacram ordinationem transmissam in desiderio est ut pressius indicetur, exempli gratia si et quid possint presbyteri quoad collationem ordinum; censeo tamen hanc quaestionem non satis maturam.

De diaconis.

Opinor utiliter permitti posse nostris temporibus status diaconatus ut permanens gradus hierarchiae in actu ponendus, ubi pro bono animarum id expedire videbitur.

Quaestio magis delicata apparet si de applicanda lege caelibatus pro diaconis loquimur. Timor a pluribus Patribus expressus ne coniunctio huius ordinis cum facultate in matrimonio vivendi primus gradus sit ad legem caelibatus pro presbyteris relaxandam, non apparet vanum nec irreale. Censeo praeterea obstare ipsum sensum fidelium, qui suo instinctu exigunt ut omnes qui res sacras, et praesertim Sanctissimam Eucharistiam tractant, soli Deo vivant.

Unde, sententiae exc.mi Petri Massa adhaerens, postulo ut si diaconatus denuo instituatur, cum lege caelibatus iunctus sit, non tamen absolute ut in presbyteratu, sed ita ut si diaconus velit matrimonium contrahere, liber exsistat, tamen cum sua reductione ad statum laicalem.

De collegio episcopali.

Multa audivimus de collegio episcopali laude digna; sed habitudo huius collegii cum Romano Pontifice in universa Ecclesia regenda sufficienter explorata non videtur, unde facile in aequivocationis periculum incidere possumus. Iamvero magni interest huic quaestioni respondere: in quo praecise consistit habitudo collegii episcoporum cum Romano Pontifice quoad regimen universae Ecclesiae? aliis verbis: quae est collegialitas de qua in nostro examine, et quid importat?

Satis notum est Christum Dominum Ecclesiam suam forma collegiali instituisse, eamque fundasse super Petrum et super apostolos, simul et monarchicam formam regiminis coniungendo et aristocraticam. Hoc semper in magisterio fuit et in praxi. Erectio dioecesium cum proprio Pastore quae diffusionem Ecclesiae per orbem comitabatur, celebratio conciliorum oecumeni-

corum iuxta temporum necessitates, structuram a Christo Domino suae Ecclesiae inditam in actum protulerunt.

Si nunc defensores collegialitatis regiminis exoptant frequentiores consultationes episcoporum ex parte Romani Pontificis ad problemata magisterii et regiminis facilius et melius resolvenda, si frequentiora concilia oecumenica, si maiorem intentionem et sollicitudinem ex parte singulorum episcoporum — quae tamen iurisdictionis non sit — erga necessitudines universalis Ecclesiae, ut in Encyclicis Litteris *Fidei donum* Pius XII expresse notavit pro praedicatione Evangelii populis infidelibus, libenter consentimus. Hoc nil aliud esset quam perfectio eius praxis quae semper in usu fuit.

Si autem qui collegialitatem propugnant intendant adserere: *a*) quod potestas qua Romanus Pontifex Ecclesiam gubernat simul sit potestas collegii episcoporum, *b*) vel quod Romanus Pontifex debeat Ecclesiam regere in forma permanenter collegiali, *c*) vel quod missio primaria singulorum episcoporum sit regimen totius Ecclesiae cum Romano Pontifice: haec omnia cum doctrina Vaticani I de primatu nullo modo conciliari possunt.

Si autem hoc non intendunt, quid volunt nisi quod semper factum est, etsi melius id fieri possit?

Ideo in re tam gravi censeo necessarium ut intentionem suam clare et manifeste indicent.

Utique Dominus Iesus sive Petro, sive aliis apostolis contulit potestatem ligandi et solvendi, necnon mandatum Evangelium omni creaturae nuntiandi; sed potestas apostolis simul cum Petro collata, iam soli Petro commissa fuerat, ita ut super Petrum Ecclesia iam fundata esset.

De facto « Duodecim » Ecclesiam collegialiter non rexerunt; nam post Ascensionem Domini maior pars Ierosolymam reliquit, profecti ubique. Nec oblivisci possumus Dominum Iesum apostolis charismata personalia contulisse, qualia inspiratio et infallibilitas, quibus singuli episcopi non gaudent.

Quapropter censeo omnino retinendam esse doctrinam schematis in nn. 16 et 17 contentam, quae doctrinae Vaticani I, traditioni et Sanctae Scripturae, meo iudicio, optime adhaeret.

59

EXC.MUS P. D. EMMANUEL FERNÁNDEZ CONDE
Episcopus Cordubensis

N. 16: *De collegio episcopali eiusque capite.*

Inter quaestiones praecipuas quae in hoc capite aguntur de constitutione hierarchica Ecclesiae, maxime vero de episcopatu, est sine dubio n. 16 ubi problema exponitur collegii episcopalis et eius capitis, relationes pervestigando Petrum inter et corpus episcopale.

Supervacaneum esset momentum huius quaestionis referre.

Suprema potestate Romani Pontificis eiusque infallibilitate in Concilio

Vaticano I definita, dilucidandum manet quidquid ad episcopatum attinet ut lucidius natura potestatis episcopalis noscatur, cum potestas Romani Pontificis, post definitionem, extra disquisitionem sit.

Duobus fundamentis n. 16 nititur: collegialitate apostolica de qua in n. 12 est quaestio, et hac successione collegiali in corpore episcopali, de qua in n. 13 agitur. Hac de causa dici posset hanc nostram quaestionem logicam consequentiam superiorum quaestionum esse.

Cum de his rebus ago, non possum non adsentire his omnibus quae in hac aula conciliari de necessitate dicta fuerunt, ut hae quaestiones firmiter super Scripturam et traditionem stabiliantur, quia inter quaestiones dogmaticas invenimur.

In hoc numero ex oculis non labitur — quod quidem maxime laudabile est — principium praeminentiae Petri in collegio, paritatem declarando inter collegium apostolicum et collegium episcopale, ex quo exorditur, ut recte deinc procedatur ad Petrum et Papam, apostolos et episcopos. Patet tamen aequalitatem inter haec collegia sensu formali quaerendam, cum sensu materiali non extet.

Magni etiam momenti est duplex principium inditum: *universalitas,* quae in collegio efficitur: « ex multis composito »; et *unitas* in capite: « sub uno capite collecto », quae capitis unitas ita est necessaria ut sine Romano Pontifice nullum sit collegium episcopale.

Hac plena et universali potestate Romani Pontificis in totam Ecclesiam recognita, ut debitum est, additur in schema collegium episcoporum, eo quod in collegii apostolici locum succedat, gaudere, cum Petro et sub Petro, eadem potestate.

Quando sua potestate collegium fungitur? Praeter formam extraordinariam Concilii Oecumenici, schema dicit posse collegialitatem effici modo ordinario, quod hactenus novum est.

Sunt tamen quaedam in hoc numero quae hanc probationem non merentur.

1. In integra paragrapho prima, et in priore parte secunda inordinatio logica est, quae quidem iterum redigenda videtur.

A lin. 9 pag. 27 ad lin. 9 incisum « Iam perantiquus... enixe commendatur » extra proprium locum videtur et in n. 17 inserendum. Ratio patet: in n. 16 non relationes mutuae inter episcopos exponuntur, de quo in n. 17, ubi aptissime esset illa paragraphus.

2. Petri conditio, ideoque Romani Pontificis, valide in Scriptura nititur, ut dilucide appareat differentia a collegio cui semper Petrus praefuit. Quapropter hi textus: 1. pro parte Petri *Mt.* 16, 18; *Lc.* 22, 32; *Io.* 21, 16; 2. pro parte collegii apostolorum: *Mt.* 18, 18; *Lc.* 22, 19; *Io.* 20, 23; in initio paragraphi secundae inseri debentur, ut omnis vis, qua praediti sunt, dimanet. Textus tunc ita posset redigi: « Cum autem Dominus Petrum ut rupem Ecclesiae suae (*Mt.* 16, 18), confirmantem fratres apostolos (cf. *Lc.* 22, 32), et Pastorem totius sui gregis constituerit (cf. *Io.* 21, 16 ss.) atque

duodecim simul apostolis, inter quos Petrus semper adfuit, potestates et missionem ita dederit (cf. 18, 18; 28, 18; *Io.* 20, 23; *Lc.* 22, 19) ut in illos nulla potestas seu missio sine Petro unquam transierit (6), collegium episcoporum non datur, nisi simul cum Pontifice Romano, successore Petri, et numquam sine ipso, ut capite eius, intelligatur ».

Linn. 24-28, pag. 27, vellent novam et clariorem redactionem. Totus contextus loquitur de collegio ut tali; hae autem lineae agunt de membris in collegio, unde decursus logicus totius paragraphi melius pateret.

Nemo non videt totam quaestionem a modo huius potestatis exequendae pendere, quia illud est dumtaxat principii collegialitatis accommodatio.

Schema in primis loquitur de modo solemni et extraordinario, de Concilio Oecumenico, videlicet.

Dubium est an expediat loqui prius de modo ordinario, necne; sed liquidius apparet huius potestatis exercitium in forma extraordinaria etiam historice consideratum. In primo sensu, ordo ultimae partis paragraphi invertendus esset.

Die superiore, in aula Concilii, exc.mus ep. Harlemensis, sua dissertatione de potestate suprema Concilii locutus est, asseruitque iuris esse divini, ut evanesceret contradictio inter can. 228 C.I.C. et dogma primatus; quia si unus Romanus Pontifex, episcopis oppositus, unum esset subiectum potestatis supremae ea se exueret ut Concilio committeretur; quod quidem teneri non potest. Exigitur actus capitis simul cum membris. Sed ea quae ad Concilium Oecumenicum pertinent — quod exercitium quidem forma collegiali per se exequi posset, licet episcopi dispersi essent — nullam praebent difficultatem.

Quomodo, inquiet iam aliquis, potestas modo ordinario — utique iurisdictionis, non vero magisterii, de qua nemo dubitat — gereretur? Quoad factum, si admittitur exercitium extraordinarium talis potestatis, etiam dari deberet exercitium ordinarium, cum sint conceptus correlativi. Cardo quaestionis in eo est formulam consentaneam invenire, quae servet et supremum ius Romani Pontificis et exercitium collegialitatis.

Cuius hoc esset definire? Nimirum capitis collegii, cuius solius est ad hanc participationem vocare; ut ad actum extraordinarium invitat, ita, ut ipse decrevisset, ad actum ordinarium ille solus appellaret, modo et tempore definiendo. Schema de cetero loquitur distincte et bene de duabus rebus.

Ad haec autem, ni fallor, sese referebat Summus Pontifex feliciter regnans in sua oratione ad Curiam Romanam magna cum benignitate.

Sed in hac ultima paragrapho schematis expressiones iuridicae — invitat, approbat, recipiat — non bene sonant in constitutione dogmatica; inde necessitas ut etiam forma dogmatica hoc potestatis exercitium exaretur.

Hac de causa sequentem textus immutationem proponere auderem: « Suprema illa collegii in universam Ecclesiam potestas exercetur in actu collegiali in quo membra collegii coadunentur sive extraordinario modo ut est coadunatio physica in Concilio Oecumenico vel coadunatio per media socialia

communicationis manifestata, sive ordinario modo a membris episcopis in communione cum Pontifice Romano per orbem sparsis. Modus extraordinarius vero numquam datur nisi a successore Petri, ut capitis collegii, sit ut talis saltem receptus; nec ordinarius sine communione illa cum capite, collegium enim et actus collegialis non datur sine capite et membra in collegio primatum et principatum capitis, quod est principium unitatis sui fideliter observare tenentur et sub eius suprema auctoritate propria potestate in bonum fidelium suorum, immo totius Ecclesiae funguntur, Spiritu Sancto organicam structuram eiusque concordiam indesinenter roborante ».

60

Exc.mus P. D. PETRUS FIORDELLI

Episcopus Pratensis

Super cap. II (et III) de diaconatu (et de muneribus laicorum), in schemate *de Ecclesia.*

1. Sunt non spernendae rationes pro restaurando diaconatu sive dogmaticae, sive pastorales. Rationes oecumenicae minoris ponderis videntur.

2. Si diaconatus restauretur cum lege caelibatus, puto quod nullus Pater aliquid contra habeat.

3. Diaconatus autem cum caelibatu de facto parum vel nihil proficeret ad fines pastorales, pro quibus petitur.

4. Ergo ordo sacer diaconatus esse deberet sine caelibatu, scil. uxoratus.

5. Admisso autem diaconatu uxorato plenissime adhaereo sententiae em.morum cardd. Bacci, Spellman, Ruffini etc. necnon exc.mi Carraro et aliorum, qui dixerunt idipsum, scil. diaconatum uxoratum, constituere gravissimum discrimen pro sacra lege caelibatus sacerdotalis, quae, cum maxima reverentia erga Ecclesiam orientalem sed in Ecclesia latina omnino servanda est.

6. Humiliter ergo haec audeo proponere.

Videtur bonum principium, quod quidquid confert ad facilitandum apostolatum animarum et sit iuris ecclesiastici, utique cum prudentia, sed concedendum omnino sit.

Hoc dicitur praesertim pro locis missionum, Americae Meridionalis etc. et ad hunc finem, prout multi Patres missionarii dixerunt, ut in unoquoque pago vel vico (villaggio) habeatur is, qui Ecclesiam quodammodo repraesentet et catholicos dirigat.

Ergo piis laicis, etiam uxoratis, certis in regionibus ubi magis desunt sacerdotes, si sint praeparati, bonis moribus ornati, prudentes, sufficientis aetatis, concedantur omnes vel quaedam ex iis facultatibus: *a*) administrandi baptismum; *b*) adsistendi matrimoniis; *c*) doctrinam catholicam explanandi;

d) orationes populi dirigendi; *e*) iuvandi spiritualiter moribundis; *f*) in casibus particularibus distribuendi SS. Eucharistiam, praesertim moribundis.

Haberetur in casu « specialis deputatio » ex parte Ecclesiae et peculiarissima « canonica missio ».

7. Hoc modo obtinerentur effectus pastorales et non haberetur illud quod timetur gravissimum periculum pro sacra lege caelibatus sacerdotalis.

8. Posset etiam concedi, in casu, istis piis viris laicis aliquis ordo minor.

9. In fine audeo proponere, semper ratione pastorali ductus et pro iis locis ubi maxima adest penuria sacerdotum: potius quam concedere diaconatum uxoratum, mihi non impossibile videretur, in casu particularissimo et deficientibus idoneis viris, quod concedatur aliqua ex supradictis facultatibus etiam e. g. superiorissae religiosarum missionariarum.

61

Exc.mus P. D. CLEMENS GADDI
Archiepiscopus-episcopus Bergomensis

1. *De Petro, Ecclesiae fundamento.* Exopto ut clare in luce ponatur Petrum eumque solum a Christo Domino constitutum esse totius Ecclesiae fundamentum.

Simoni enim, quatenus a ceteris apostolis distincto, Dominus claves regni caelorum promisit ipsique officium commisit pascendi et oves et agnos.

Si ceteros quoque apostolos Ecclesiae fundamentum nominare velimus, omnino necesse est ut clare prorsus declaretur apostolos esse fundamentum Ecclesiae alia et diversa ratione ac Petrum; nec ullo modo in hoc munere Petrum ceteris apostolis esse aequandum. Consequenter emendanda videntur quae leguntur n. 11, lin. 10; n. 11, lin. 17 et alibi passim.

2. *De habitudine inter Petrum et collegium apostolorum.* Ergo inter Papam et collegium episcoporum. Humili meo iudicio quaedam sunt confuse dicta quae aliquam explicationem indigent. Optandum est ut clare eluceat nullam potestatem esse apostolis collatam quae, simul cum illis, Petro quoque collata non sit: sed uni Petro, apostolis seclusis, primatum esse collatum. Ipse enim est fundamentum, pastor supremus, confirmator fratrum in fide.

Quare minus placet quod saepe dicitur vel innuitur de Petro apostolorum capite, quasi potestas primatus et consequens infallibilitas Petro collatae sint ab eo semper et solum ut capite collegii exercendae, quasi a collegii praesentia et actione sint conditionatae. Certe, potestas primatus Petro eiusque successoribus commissa est quia erat caput Ecclesiae, ergo et apostolorum; sed, cum apostoli collegium formaliter non efficiant nisi et sub Petro (vel in Petri communione, si magis placet) Petrus formaliter est et manet caput etiam si sine episcopis agat vel si tantum minor episcoporum pars ei consentiat. Casum non facimus de omnibus simul episcopis contra-

dicentibus, quia chimericus prorsus videtur. Quodsi per absurdum quaeratur utrum assensus praestandus esset cuidam veritati a Papa definitae omnibus episcopis contradicentibus, affirmative respondendum esset.

3. *De episcoporum collegialitate.* Si de re, non de nomine, solliciti sumus, certum mihi videtur Christum collegium apostolorum instituisse cui succedit episcoporum collegium. Et, ut puto, iure divino.

Dominus enim apostolis potestatem regendi et docendi commisit usque ad consummationem saeculi permansuram. Subiectum in Ecclesia inveniri debet in quo talis potestas exercetur: non in singulis episcopis, ut omnes admittunt: ergo in eis tanquam coetui seu collegio.

Occasione sumpta de collegialitate, dicere audeo non nimiam facultatem tribuendam conferentiis episcopalibus: ne periculum oriatur pro Ecclesiae universae unitate.

4. *De episcopatus sacramentalitate.* Quae dicuntur n. 14 valde placent. Forsan opportunum esset clarius edicere omnium episcoporum munerum — docendi scil. regendi et sanctificandi — potestatem per consecrationem episcopalem conferri et quidem pro tota Ecclesia, quamvis ad eorum munerum exercitium requiratur Romani Pontificis potestas. Ita melius appareret et coniunctio episcopi cum Christo Summo Sacerdote, et dependentia a Romano Pontifice. Melius quoque appareret quomodo potestas Ordinis non per successivam accessionem evolvatur (diaconus, presbyter, episcopus), sed ab episcopo ceteris participatur.

5. *De presbyteris.* Pauciora dicuntur quam oporteat. Humiliter propono et oro ut tota res enucleetur et abundantius proponatur, praesertim insistendo in arcta et essentiali unione inter episcopum et suos presbyteros, quasi inter patrem et filios: ex qua relatione multa eaque optima deduci possunt quoad pastoralem actionem in tota dioecesi.

62

EXC.MUS P. D. IOSEPH GAWLINA
Archiepiscopus tit. Madytensis

Res primo aspectu blanda videtur, sed profundius examinata non pauca ostendit pericula.

Non videtur exactum, quod « Diaconatus ad ipsam constitutionem Ecclesiae pertinet ».

Constitutionem enim posuit Conditor Ecclesiae Iesus Christus, qui de diaconatu nihil dixit.

Diaconatus ortus est (secundum *Act. Apost.* 6, 1-6) ob rationes practicas; est sine dubio institutio apostolica, sed non pertinet ad ipsam constitutionem Ecclesiae.

Quod Ecclesia suo tempore instituit, potest etiam ob probabiles causas relinquere, quod et in ritu latino fecit.

Contra redintegrandum Diaconatum *permanentem* quae sequuntur afferi possunt:

a) Sic dicta proletarisatio cleri, quae absque dubio eveniet si diaconi non caelibes admittentur. Numerosa progenie praeditus diaconus potius onus quam auxilium Ecclesiae erit. Quis eius familiam sustentabit?

Efformabitur *mentalitas* diaconorum proletaria, sua sorte non contentorum, invidiosa. Non agitur de paupertate, sed de morositate et de discrepantia inter sacerdotes caelibes et diaconos, patres familias. Experientiae cum diaconis orientalibus potius sub hoc aspectu dissuadentes sunt. Timendum est insuper ne in matrimoniis diaconorum propter paupertatem abusus matrimonii irrepat.

b) Praevidentur alia quoque pericula, quae huic experimento contraria sunt, ut e. g. familiaritas sacerdotum cum mulieribus diaconorum.

c) Propositio serpens, ut diacono non caelibi 50 annis vitae expletis liceat ordinatione sacerdotali augeri ea ratione periculosa videtur quod non paucos ordinandos a normali via sacerdotii arcebit dando eis spem acquirendi ordinationem in matrimonio constitutis.

d) Diaconatus permanens non videtur necessarius, quia quae diaconis facienda attribuentur in necessitate a laicis quoque fieri possunt.

e) Diaconatus permanens diminuet gravitatem Actionis Catholicae a *laicis* exsequendae; officia enim sunt similia.

f) Propositum ut singulis episcopis liceat diaconatum permanentem inducere periculosum videtur propter confusionem populi de diversitate disciplinae in Ecclesia, ex quo inimici fructum contra Ecclesiam capient.

g) Quaestio de diaconatu permanente etiam sine caelibatu redintegrando praematura videtur.

63

Exc.mus P. D. XAVERIUS GEERAERTS

Episcopus tit. Laganitanus

Pag. 26 a lin. 28 ad 41 ubi agitur de diaconis, expresso modo volo sustinere propositionem dicentem ut « diaconatus in futuro tanquam proprius et permanens gradus hierarchiae exerceri poterit », et hoc propter sequentes rationes:

1. In regionibus missionum saepe impossibile est sacerdotibus omnia bene facere quae usque adhuc ipsis reservantur et id propter paucitatem sacerdotum ac simul propter magnum numerum fidelium et catechumenorum. Insuper territorium missionis saepesaepius est valde extensum et perdifficile evadit omnes habitantes regulariter attingere. Valde utiles essent proinde diaconi qui possent assumere loco sacerdotum instructiones, praedicationes, administrationem baptismi, distributionem S. Communionis, etc., non solum in loco missionis, sed etiam in aliis locis plus minusve distantibus, et ibi habitare.

2. In nostris regionibus, praesertim civitatibus et regionibus operariorum perdifficile est massam christianam, sed extra influxum religionis viventem, attingere. Sacerdos non potest ibi penetrare et praesertim non potest vivere in conditionibus huius ambitus. Diaconus autem facilius poterit ibi penetrare et vivere cum eis ac optimum influxum exercere exemplo, verbo et opere.

Puto insuper quod in utroque casu *diaconi non debent adstringi sacra caelibatus lege.* Sic enim similes erunt omnibus in conditionibus vitae et nullo modo impediuntur vivere ubi praesentia et activitas eorum utilis evadit.

Hoc nullum periculum adfert pro caelibatu sacerdotum quem valide et stricte conservandum esse opinor.

64

EXC.MUS P. D. AUGUSTUS GIANFRANCESCHI
Episcopus Caesenatensis

1. Si ex S. Scriptura et traditione nondum plene probari potest Dominum nostrum Iesum Christum « collegium » apostolorum constituere voluisse sub capite Petro cum potestate docendi et regendi totam Ecclesiam (nam dum sunt theologi qui hoc negant, sunt alii pari merito qui affirmant), tamen certum est:

a) In Ecclesia concilia semper fuisse oecumenica seu omnium episcoporum cum B. Petri successore capite (puto pleonasticum esse modum dicendi « sub capite », quia, si concilium sine illo capite non potest nec aliquid agere nec exsistere, evidens est dictionem « cum capite » valere etiam ac pro « sub capite »);

b) pro certo semper omnes habuisse episcopos, qui in Concilio legitime conveniunt, esse veros doctores et legislatores Ecclesiae universalis et quidem charismate infallibilitatis collegialiter ditatos;

c) episcopos in Concilio legitime adunatos et munera supradicta exercentes, uti iure proprio et non eis a Papa communicato, quia Romani Pontificis munus supremi magisterii et iurisdictionis in tota Ecclesia ordinariae et immediatae, plenae et absolutae, est omnino personale ita ut nemini possit ab eo communicari;

d) Verum ergo est « collegium » episcopale in Concilio adunatum haec munera *iure divino* exercere.

2. Ex his consequitur episcopos in Ecclesia, cum Romano Pontifice communionem habentes, collegialiter sumptos, saltem *in potentia,* iure divino potestatem habere docendi et regendi totam Ecclesiam.

In potentia dico, quia:

a) unus Papa potest hanc potestatem ad actum vocare et de facto eam actualem reddit quando collegium episcopale vocat ut munus suum magisterii et regiminis pro Ecclesia catholica, secum et numquam sine se gerat;

b) unius Papae est episcopos vocare si, quando et quomodo vult et eorum iudicio illas tantum quaestiones subiicere quae ei videntur vel quas ille approbat, et iudicium solummodo valet si a Papa convalidetur;

c) sin autem, potestas Summi Pontificis non esset plena et independens a quacumque terrena auctoritate. Etenim si « collegium » episcopale verum et proprium ius haberet a Papa vocari et ei adsociari in munere docendi et regendi totam Ecclesiam, mihi videtur potestatem personalem Summi Pontificis dici non posse plenam et absolutam sed potius limitatam et condicionatam;

d) et tunc in Ecclesia non extarent duo subiecta eiusdem supremae potestatis, ut definitum est, scil. Papa solum et Concilium cum Papa, sed unum tantum subiectum, id est Concilium seu « collegium » episcopale quasi concilium permanens.

3. Nunc autem licitum sit mihi quaerere:

a) Utrum conveniat « collegium » episcopale quod iure divino potestatem habet, etiamsi *in potentia,* magisterii et iurisdictionis in tota Ecclesia, tam raro ea uti, tantum scilicet in Conciliis Oecumenicis, dum Papa habitualiter solus Ecclesiam regit cum propriis ministris et delegatis;

b) An potius actualem eam permanenter reddere per liberam voluntatem Summi Pontificis potestatem qua « collegium » episcopale, etiamsi in potentia, iure divino potitur, ita ut « collegium » istud, cum suo capite Summo Pontifice, Ecclesiam catholicam habitualiter doceat et regat.

c) videtur quidem: tempora nostra et actualis Ecclesiae condicio hanc reformationem postulare; eam magis esse conformem expectationi Ecclesiae et fratrum separatorum; ipsum Summum Pontificem a Concilio positivum votum de hac re expectare; et plures Patres, suis in aula conciliari interventionibus, in eandem sententiam iam convenisse.

4. Ut « collegium » vere sit episcopale, esse deberet repraesentativum omnium episcoporum qui, mea humili sententia, in conferentiis episcopalibus adunati, e. g. unum super decem episcopos eligerent ad tempus determinatum, v. g. ad sexennium. Omnes electi cum aliis quos Summus Pontifex posset illis adiungere, constituerent « collegium » episcopale cuius ratio procedendi posset, plus minusve haec esse:

a) tempore opportuno cuiusve anni Summus Pontifex interrogat episcopos Ecclesiae universae de quibus argumentis, inter urgentiora et maioris momenti, velint agere;

b) ex argumentis propositis, cooperantibus organis ordinariis S. Sedis, a Summo Pontifice quaedam selecta, conferentiis particularibus episcopalibus ad disceptandum demandabuntur;

c) episcopis in conferentiis collectis, praeses cuiusve proprius argumenta proponet. Disceptatione peracta, episcopis, in universali episcopali « collegio » coaptatis, conclusiones tradentur qui, in congregationibus « collegii » sub praesidentia Summi Pontificis vel eius legatorum Romae habendis, de illis agentur;

d) acta annualis Concilii, suo tempore publicabuntur et dispositiones, a Summo Pontifice pro tota Ecclesia promulgabuntur; dum illae quae ad nationes singulas pertinent, conferentiis episcopalibus remittentur.

5. *Quid de collegio Patrum cardinalium?*

Ad « collegium » em.morum cardinalium quod attinet, cui maxima reverentia et gratitudo debentur pro dignitate qua extollitur et pretiosis servitiis Ecclesiae redditis, pauca tantum dicam.

a) « Collegium » Patrum cardinalium non est « collegium » episcopale, etiamsi nunc, et quidem digne et opportune, omnes cardinales episcopi sint, quia episcopos Ecclesiae Dei non repraesentat, sed potius, prout eius origo demonstrat, presbyterii Ecclesiae Romanae natura induit, cum episcopis suburbicariis coniuncti. Sed « collegium » istud nullam necessitudinem *ex se* habet cum Ecclesiae universalis magisterio et regimine. Nam primatiale officium Summi Pontificis omnino personale est et incommunicabile; episcopi Romani quidem proprium sed non presbyterii Urbis nec per participationem;

b) Patribus cardinalibus non videtur amplius convenire titula quibus usque nunc decorantur scil.: episcopi suburbicarii vel presbyteri aut diaconi Ecclesiarum Urbis. Nonne omnes sunt episcopi Ecclesiae Dei et quidem distinctissimi qui Summum Pontificem adiuvant in illius regimine et eum in pluribus repraesentant? Quare ergo adhuc vocantur episcopi vel presbyteri vel diaconi illius tituli cum revera tales non sint?

c) Munus proprium Patrum cardinalium sit, ut revera est, Congregationes Romanas constituere et eis, nomine Summi Pontificis, praeesse, quatenus sunt instituta consultiva et executiva quibus Romanus Pontifex utitur, sive agatur nomine tantum proprio sive ut caput « collegii » episcopalis cui competit, una quidem cum Papa, potestas totam Ecclesiam docendi et regendi.

Collegio episcoporum repraesentativo stabiliter constituto, ei conveniret, ni fallor, ius tribuere, una simul cum collegio cardinalitio, eligendi Summum Pontificem, suum caput, etsi, iure divino, cesset collegium quando caput recedit.

65

Exc.mus P. D. IOANNES B. GOBBATO

Episcopus Taunggyiensis

Relate ad cap. II quoad quaestionem de instituendo diaconatu ut statu permanente, fateor me dissentire ab illis Patribus qui volunt hanc instaurationem relinquendam esse conferentiis episcopalibus.

Mea propositio est ut haec quaestio relinquatur S. Sedi.

Conferentiae episcopales vero possent petere a S. Sede hanc instaurationem ad experimentum.

In missionum locis, ubi v. g. Buddhismus et Hinduismus vigent cum sic dictis « bonzi » qui caelibatum colunt, diaconatus restaurationem sine caelibatu neque utilem esse neque prudentem, censeo.

66

EXC.MUS P. D. ERNESTUS GONÇALVES DA COSTA

Episcopus Inhambanianus

§ 15: *De presbyteris et diaconis.* Considerantibus nobis utriusque cleri in Ecclesia condicionem, haec immediate apparent:

1. Complures dioeceses sacerdotum penuria laborant, itemque religiosis ac sacerdotalibus vocationibus carent.

2. Impossibile est omnibus catholicis ubique dispersis convenienter assistere opera tam paucorum sacerdotum, quorum pastoralis actio necessario delimitatur.

3. Immensae adhuc regiones Evangelii verbum non receperunt, et innumerabiles multitudines veritatem et vitam esuriunt eo quod desit qui Evangelium annuntiet ac Eucharisticum Panem distribuat.

4. Non in terris dumtaxat missionum sed et in regionibus civilibus complures baptizati indifferentes aut tepidi remanent eo quod sacerdotem nunquam vel adeo raro habere possint.

His omnibus attentis, perutilis immo necessaria videtur diaconatus instauratio ita ut hic ordo, uti prioribus Ecclesiae saeculis, non ceu simplex gradus ad sacerdotium habeatur sed etiam ut proprius et permanens gradus hierarchiae exercendus a viris caritati et sacrificio deditis atque gratia Dei plenis ad instar S. Stephani et sociorum, quorum ministerium in Actibus Apostolorum describitur quodque essentialiter erat sacramentorum baptismatis et Eucharistiae administratio, praedicationem et catechesim exercere atque orationi in christianorum coetibus praesidere.

Diaconatus permanens sic exercendus in illis tantum regionibus instaurandus esset, in quibus necessitas id postularet, non vero ubique.

1. In pluribus dioecesibus ubi clerus abundat ac sufficienter aptus evadit ad occurrendum hodierni temporis necessitatibus sine animarum nocumento, diaconatus permanentis institutio non urget.

2. Diaconatus restitutio animarum bono succurrit, sed et oeconomicum aspectum induit pro dioecesibus in quibus diaconi laborare debent.

3. Ideo haec instauratio relinquenda esset iudicio episcoporum qui locorum necessitates melius agnoscunt.

4. Quoad caelibatum: religiosi laici qui ad diaconatum accedere vellent, legi caelibatus adstricti esse deberent vi voti religiosi quod emiserunt.

5. Ceteri id est qui in saeculo vivunt, caelibatus obligatione ligandi non essent, nisi libere eandem accipere vellent. Sunt enim saepe saepius optimi

patresfamilias qui in diaconatu excellenter ministrare possent tanquam verae columnae Ecclesiae in pluribus locis ad quae sacerdotes accedere non valent.

6. In schemate sermo non fit de instructione pro diaconis necessaria. Opportunum videtur quod nemo diaconatum recipiat, nisi praecesserit solida instructio religiosa et pastoralis circa fidei veritates eorumque ad vitam applicationem.

Ex corde laudans quaestionis de diaconatu tractationem quae in schemate proponitur, instanter peto eiusdem instaurationem ubi necessitas postulaverit, ad maiorem Dei gloriam et Ecclesiae splendorem.

§ 17: *De relationibus episcoporum in collegio.* Nostrum est scil. antistitum collegiique episcopalis membrorum, non solum dioecesim nostram seu territorii nobis commissam partem gubernare, sed tanquam eiusdem collegii partes integrantes, Summo Pontifici, Petri successori, unitate fidei atque caritatis vinculo colligati etiam totam prae oculis habere Ecclesiam, de cuius missione propagandi Evangelium ad nos omnes spectat respondere. Culpam ergo saperet si, hoc praetermittentes munus, nos ostenderemus indifferentes coram gravis ponderis difficultatibus quas aliae dioeceses patiuntur quaeque multorum in episcopatu fratrum nostrorum animum vehementer occupat. Ignavia nostra hoc sub respectu certum esse indicium defectus amoris erga Corpus mysticum Christi. Et reapse quamplurimi ex nobis domi nostrae vivimus praeclusi, apostolatum circumscribentes ad fidelium sacerdotumque nostrorum audientiam, ceterum magna ab illa realitate alieni, quae est Ecclesiae catholicitas.

Sunt aliquae dioeceses ubi sacerdotum numerus cernitur copiosus, dum aliae horum penuria valde afficiuntur. Quid ergo agendum ab episcopo qui, solis sex, septem aut octo sacerdotibus praeditus, hos habet distributos per septuaginta millium kilometrorum quadratorum spatium, populum vero septingentorum millium animarum sparsum? Num caritatis erit huiusmodi dioeceses multa messe praeditas, operariorum vero inopia vexatas derelinquere? Haec proferens verba, mentem praesertim ad Africae, Asiae atque Meridionalis Americae regiones erigo, ubi parum actum est, sed valde plura adhuc agenda remanent.

In prima parte schematis *de Ecclesia,* ad pag. 28 legitur: « Si suprema ordinatio operis missionum ad Romanum Pontificem pertinet, omnes tamen episcopos, quantum eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem cum eo venire, eique adesse debere. Missionibus auxilia spiritualia, humana et materialia, tam per se directe, quam suscitando fidelium ardentem cooperationem, suppeditare omnibus viribus debent.

Episcopi denique, in universali caritatis societate, fraternum adiutorium aliis et praesertim tum egentioribus tum finitimis Ecclesiis, secundum venerandum antiquitatis exemplum, libenter praebeant ».

Verba huiusmodi nostris animis inscribenda nostraque in pectora demittenda essent ut nostris officiis conscii tanquam collegii episcopalis membra, gravem atque laetam perficiamus obligationem spiritualiter immo et tempo-

raliter humaniterque subveniendi nostris in episcopatu fratribus qui pauperrimis praesunt dioecesibus. Scimus utique quosdam inter vos iam operam navare in respectivis dioecesibus ut multis de modis missionibus subveniatur, ita magnifico animo Litteris Encyclicis *Evangelii Praecones, Rerum Ecclesiae* et *Fidei Donum* respondentes. Haud pauci vero sunt quos adhuc non concitavit hoc magni pretii problema pro Ecclesia in missionum territoriis, in quibus variarum ideologiarum pugna atque materialismus minantur subvertere et institutiones traditionales et ipsa christianismi principia ab Evangelii praeconibus ibi instaurata.

Idcirco schema *de Ecclesia* pro disceptatione Concilii Patribus propositum laudibus extollens, praesertim vero ad paragraphum « De relationibus episcoporum in collegio » quod attinet, sequentia velim exprimere vota:

1. Ut omnes episcopi absque intermissione, animis Summo Pontifici intime colligatis, suis in episcopatu fratribus subveniendi officium magni habeant.

2. Ut huiusmodi auxilium praxi mandetur mediantibus operibus quae Ecclesiae incremento reapse conferant.

3. Ut Ordinarii sacerdotibus suis qui in dioecesibus cleri defectu vexatis adlaborare velint, libenti animo hanc tribuant facultatem.

4. Ut quantum fieri potest, dioeceses ditiores quae rebus oeconomicis videntur auctae, pauperiorum dioecesium egestatem suis facultatibus sustineant.

Pro benigna audientia verbis meis praestita, omnibus gratias ex corde refero.

67

Exc.mus P. D. MARCELLUS GONZALEZ MARTIN
Episcopus Asturicensis

De episcoporum munere sanctificandi.

Unam tantum ideam vellem exponere ac evolvere quae forsan non momento careat, nimirum, necessarium esse loqui de episcoporum munere sanctificandi maiori attentione ac ea quae in schemate huic quaestioni tribuitur.

Schema absolvit quaestionem hanc duodecim lineis! in quibus hanc synthesim offert: *a*) episcopum esse « oeconomum gratiae supremi sacerdotii », praecipue in Eucharistia; *b*) dirigere liturgicam celebrationem; *c*) ministrum esse ordinarium Ordinis et confirmationis; *d*) populum instruere ut partes suas habeat in vita liturgica; *e*) administrationem sacramentorum ordinare. *Nihil amplius.*

Iam vero, adsunt graves rationes quibus haec synthesis videtur nimis incompleta, immo et deordinata.

1. Spectata indole istius Concilii eminenter pastorali, difficulter inserviret tam summaria relatio ad basim solidam extruendam pro constitutio-

nibus disciplinaribus futuris, quae renovationem spiritualem Ecclesiae intendunt.

Sicut Concilium Tridentinum suo tempore influxum magnum exercuit in vitam spiritualem Ecclesiae renovandam, ita hoc Vaticano II hoc intendit facere hodie, prout unanimiter ab omnibus speratur iuxta vota quae primo Ioannes XXIII, postea Paulus VI (29 septembris 1963) vehementer manifestarunt.

Inter normas prolatas ab auctoritate competenti ad schema conficiendum, apparet ista: « apte determinetur locus qui Ecclesiae competit in consilio Dei salvifico » (Roma, 30 ianuarii 1963). Ad hoc assequendum necesse est intensiori modo, et cum fundamentis theologicis, functionem sanctificatoriam quae episcopo competit, declarare.

2. Idea conscior et profundior circa Ecclesiam, quam Concilium intendit assequi, iuxta mentem S. Pontificis in eodem discursu, postulat ut Ecclesia offeratur mundo hodierno sub lumine actionis suae sanctificatricis, in praxim ab unoquoque episcopo cum suo presbyterio in diversis sectoribus Corporis mystici.

Sed natura intima Ecclesiae et eius essentialis finis vix poterit apparere coram filiis eius, immo et coram omnibus qui ad eam non vel non plene pertinent, nisi ostendamus sufficienti amplitudine multiplicem modum quo episcopi ad praxim trahunt huiusmodi fundamentalem aspectum missionis Ecclesiae: homines participes facere, ministerio sui, Dei sanctitatis.

3. Sicut Concilium Vaticanum I modo profundiori egit de Romano Pontifice eiusque potestate et munere, ita Vaticanum II agere intendit de episcopis, de eorum relationibus cum primatu, et de eorum concreta missione in Ecclesia.

Putamus vero non posse praeteriri — et ad hoc aequivalet quaestionem solvere duodecim lineis in hoc schemate dogmatico de Ecclesia — eorum munus sanctificandi quod ad naturam Ecclesiae tam directe attinet. Indoles propria episcopalis officii, iuxta Christi voluntatem, non tantum in ministerio verbi luceat oportet, verum etiam, et quidem specialiter, in ministerio sanctificationis (« baptizate » - « quorum remiseritis peccata » - « hoc facite »).

Neque alibi nisi in adimpletione huius muneris tam eminenter apparet servitium seu « diakonía » episcopi erga ceteros, utpote singularis membri Corporis mystici.

4. Accedit ratio oecumenica. Non possumus nos praesentare fideliter coram fratribus separatis doctrinam quam de hoc tenemus, nimirum, Ecclesiam non esse simpliciter coetum eorum qui redempti sunt, sed societatem in qua quaedam membra active sanctificant alia, eo quod ministerium hoc eis concreditum est. Quod quidem multi ex eis hodie etiam confitentur cum loquuntur de necessitate admittendi, iuxta doctrinam revelatam, quaedam munera adsignata determinatis membris Corporis mystici (« Portadores de oficios » ab eis appellantur) in servitium aliorum.

Hinc, valde opportunum est recte exponere absque condemnatione doctrinae contrariae, existentiam et naturam horum munerum sanctificationis iuxta Sacram Scripturam et traditionem.

5. Adest denique ratio potissima, meo iudicio, quae ista est. Supposito hoc munere sanctificandi, melius et facilius admittuntur ab hominibus alia munera quae Ecclesiae competunt docendi et regendi, eo quod Iesus venit in mundum « ut salvetur mundus per ipsum ». Sed si accentum ponimus in explicandis muneribus istis, illo fere praetermisso, errorem psychologicum committimus abundantius loquentes de iis quae minus grata mundo sunt, et accusationem forsan mereamur quod dominium, et non servitium, intendimus.

Postea loquemur de vocatione ad sanctitatem in Ecclesia asserentes laicos ipsos, suo modo, participes posse esse missionis et gratiae episcopalis (schema cap. IV, n. 30). Ponamus hic perspicua fundamenta.

Loquemur etiam de sanctitate necessaria in sacerdotibus qui, ut dicimus in hoc ipso cap. II (n. 15 et nota 22), de missione et caritate episcopi participant. Ponamus hic — iterum dico — fundamenta solida. Secus, sacerdotes nostri potius nos considerabunt, sicut saepe accidit, ut doctores et rectores quam ut patres sacerdotii eorum cum quibus ad salutem mundi laborare debemus. Hoc vero esset transmutatio idearum et valorum e qua necessario sequitur debilitatio Ecclesiae in mundo et obscuratio illius quod pulcherrimum est in vultu suo. Ecclesia sancta et mundi sanctificatrix ope muneris hierarchiae bene declarati, utique; Ecclesia quae hoc totis viribus non intendat, fere inutilis ut Ecclesia Christi, licet multa dicamus de illius praesentia in mundo hodierno, de oecumenismo, aliisque.

Ideo, synthesis aptior eorum quae de munere episcoporum sanctificandi dicantur, comprehendere deberet sequentia:

1. Principium generale de episcopis ut adimplentibus in Ecclesia munus sacerdotale Christi sanctificans mundum. (Ecclesia, ex voluntate Dei, non est tantum « coetus redemptorum », sed habet in se potestatem sanctificandi — poderes de sanctificación). Deus, fons sanctitatis unicus, Ecclesiam constituit ut instrumentum capitis, scil. Christi, ut homines participes faceret sanctitatis eius. Ideo instituit quaedam membra Corporis mystici ut Summos Sacerdotes, qui partes praecipuas habentes in Iesu Christi sacerdotio, praediti apparent facultatibus non communibus ceteris (D. 960, Concilium Tridentinum et *Mediator Dei*).

2. Episcopi permanenter constituti sunt, vi muneris sui, ut servi fratrum suorum, ut testimonium perhibeant istius servitii seu « diakonía », in quo statu ab eis exigitur sanctitas eminens (*Lc.* 22-26. Etiam *S. Thomas*).

3. Sunt principales ministri cultus qui, simul cum sacerdotibus et fidelibus, Deo offeratur. In tutum ponunt (garantizan) perpetuitatem sacerdotii in Ecclesia (D. 931) et per communicationem, nunquam interruptam, donorum quae ab apostolis receperunt sacerdotium Iesu Christi continuant (D. 1842, Pius IX).

4. Sunt rectores vitae liturgicae Ecclesialis.
5. Sanctificant mundum per ministerium verbi.
6. Sunt principales et ordinarii ministri confirmationis.
7. Sunt, cum presbyterio suo, ministri reconciliationis aliorumque sacramentorum, quorum facultates transmittunt (*1 Cor.* 3, 7).
8. Consecrant loca et res sua benedictione et consecratione.
9. Promovent actuosam fidelium participationem in vita liturgica Ecclesiae, speciatim in Missa, « centro et fonte totius vitae christianae ».
10. Laicos caritatis suae participes faciunt ut labore apostolico istorum, consecratio mundi fiat.
11. Sacerdotes suos ad se, tamquam ad patres trahunt, eorumque sanctitatem continuo fovent ut « sal terrae » possint esse.

Consequentia. Propono igitur novam redactionem istius numeri, iuxta synthesim oblatam, quam secretariatui tradam.

De episcoporum munere sanctificandi.

In episcopis quibus presbyteri assistunt, Christus Dominus Ecclesiae suae vivificandae praesens est, atque per eorum multiplex ministerium populum Novi Testamenti in sua ad aeternam beatitudinem peregrinatione dirigit et ordinat. « Ministri Christi et dispensatores mysteriorum Dei » (*1 Cor.* 4, 1) et « oeconomi gratiae supremi sacerdotii », missionem sanctificandi homines, Ecclesiae suae a Christo conditore concreditam, fideliter adimplent per potestates ministeriales concessas. (N. 14 § 2 schematis officialis; Orat. Consecrat. episc. in ritu byzantino...; Conc. Vat. I; Conc. Trid. D. 960 et *Mediator Dei*).

Ideo ministri sanctificationis sunt episcopi cum, per voluntatem et ad similitudinem Christi Iesu, eorum Domini et Magistri (cf. *Io.* 13, 13), in permanentem statum constituuntur servorum fratrum suorum, verum testimonium « ministerii » mundo redimendo exhibentes (cf. *Lc.* 22, 26), in quo statu, ut veri « perfectores » omnibus christifidelibus sese praebere possint atque potentes sint exhortari in doctrina sana et eos qui contradicunt arguere (*Tit.* 1, 9), et ipsi irreprehensibiles sint oportet ad instar summi pastoris formae gregis, lux mundi, sal terrae, efficax fermentum regni Dei existant. (*1 Tim.* 3, 2; *Mt.* 5, 13-14; 13, 33).

Ut « sacerdotes magni Ecclesiae suae », munere sanctificandi episcopi funguntur, dum una cum suis in sacerdotio cooperantibus et cum grege sibi concredito in oratione liturgica et praesertim in dominica coena, summum Ecclesiae cultum exhibent et administri principales omnium sacramentorum existunt ac dum perpetuitatem cultus in vita Ecclesiae et communicationem potestatum inde ab apostolis receptarum incessabiliter in tutum ponunt per consecrationem aliorum episcoporum necnon presbyterorum ordinationem. (S. Cyprianus; Schema episcoporum Germaniae; Conc. Trid. D. 960).

Ipsi episcopi liturgiae rectores sunt quibus officium competit cultum christianae religionis Divinae Maiestati offerendi et administrandi secundum

praecepta Domini et generales Ecclesiae leges, eorum decisione particulari ulterius legitime determinatas. (Sch. offic. n. 20; Conc. Trid. D. 931).

Praeter sanctificans ministerium verbi, septiformi praesertim Spiritu in Sacra Confirmatione fideles consecrant et roborant, ne erubescant Evangelio, et vitae christianae testimonio mundum Deo consecrent et Christo lucrifaciant, res ac loca pariter sua consecratione benedictioneque ut sancte eis fideles utantur et in gloriam Dei dicant. (*Mc.* 16, 15; *Act.* 8, 14-17).

Gregem suum sanctificant sacri praesules dum christifideles apprime instruunt atque illos efficaciter exhortantur et adducunt ad partes quam maxime activas agendas tum in tota vita liturgica Ecclesiae tum praesertim in S. Sacrificio Missae utpote centro et fonte totius vitae christianae. (*Mediator Dei*).

Idipsum agunt cum, de sacerdotibus suis curam paternam habentibus, eorum sanctitatem fovent et nutriunt ut et isti, simul cum episcopis, lux mundi esse possint.

[*Subscripserunt etiam:*] Petrus, ep. Huelvensis; Narciso Jubany, ep. tit. Orthosiensis in Phoenicia; Michael, ep. aux. Compostellae.

68

Exc.mus P. D. RAPHAEL GONZALEZ MORALEJO

Episcopus tit. Dardanius, aux. Valentinus

Cum de collegialitate imprimis episcoporum loqui velim, fas mihi sit, antequam ad rem ipsam perveniam, aliqua dicere de modo procedendi.

Labor doctrinalis in Ecclesia duplici modo, nisi fallor, procedere potest. Incipiendo nempe ab aliquibus praemissis ex Sacra Scriptura et traditione desumptis, donec ad factum aliquod certo probandum perveniat, et sic, verbi gratia, Ecclesia confitetur B. Mariam immaculatam esse et ad caelos assumptam fuisse. Vel initium capiendo a factis iam aliunde certo probatis, et iter aperiendo ope Sacrae Scripturae et traditionis, ad plenam explicationem factorum eorumque originis; et sic, exempli causa, Ecclesia firmiter credit confirmationem et extremam unctionem vera esse sacramenta a Christo Domino instituta.

Haec altera via videtur mihi magis adaequata ad collegialitatem episcoporum illustrandam eiusque divinam institutionem stabiliendam.

Facta ergo cum collegialitate episcoporum connexa de quibus certo constat et ab omnibus admissa, haec sunt:

1. S. Petrus a Christo Domino constitutus fuit petra fundamentalis totius Ecclesiae.

2. Christus Dominus instituit collegium apostolicum sub Petro.

3. Ipse Christus dedit collegio apostolico, sub Petro constituto, magisterium authenticum perpetuo duraturum et infallibile, necnon supremam potestatem in universam Ecclesiam.

4. De facto, collegium apostolicum manifeste collegialiter egit, quando id necessarium iudicavit ad munus suum recte adimplendum (ita in primis praedicationibus post Pentecosten, in electione Matthiae, in institutione diaconorum, vel in Concilio hierosolymitano).

Ex alia parte:

5. Episcopi, ex ipsius Christi institutione, successores apostolorum sunt (*Conc. Oec. Decr.* 719, 10 et 790, 12).

6. Iure divino Romanus Pontifex formaliter succedit Petro in supremo et infallibili munere suo exercendo in universam Ecclesiam.

7. De facto episcopi, apostolorum successores, manifeste collegialiter in Conciliis sub Romano Pontifice egerunt.

8. Episcopi vero, in Concilio sub Romano Pontifice coadunati, suprema potestate pollent in universam Ecclesiam.

9. Episcopi denique infallibiles sunt, quando concordes sub Romano Pontifice doctrinam definitive tenendam fidelibus imponunt, sive in Concilio sive extra Concilium.

Omnia facta haec, ab omnibus admissa, explicari debent ita ut ex illis, intacte relictis, ad rectam formulationem totius doctrinae perveniatur.

Quod in hac aula intendimus probare non est factum collegialitatis episcoporum, cum collegialitas de facto detur in Ecclesia. Intendimus potius stabilire quaenam sit natura huius collegialitatis, vel utrum sit a Christo Domino instituta necne.

Iam vero, quo modo facta explicari possunt nisi admittatur collegium episcoporum successisse apostolorum collegio, sicut Romanus Pontifex succedit Petro?

Multi Patres conciliares, et quidem valde periti, argumenta non pauca dederunt ad hanc formalem successionem probandam, ex Sacra Scriptura et traditione desumpta. Multi alii vero, aeque valde periti, haec argumenta putaverunt non esse evidentia. Sed neque ea extenuaverunt, nec multo minus argumenta dederunt positiva ad facta supra recensita aliter explicanda. Immo et argumenta praecipua, nempe ipsa Concilia per tot saecula in Ecclesia celebrata, infallibilia et suprema potestate in Ecclesiam pollentia, neque consideraverunt neque ullo modo explicare potuerunt.

Neque, meo humili iudicio, explicari possunt. Et probo:

1. Infallibilitas Concilii et infallibilitas magisterii ordinarii et universalis episcoporum reduci nequit ad infallibilitatem Romani Pontificis. Etenim infallibilitas Romani Pontificis, quatenus exigit assistentiam Spiritus Sancti, in personale magisterium ipsius terminatur, indeque incommunicabilis est. Infallibilitas ergo delegari non potest, cum non sit potestas sed qualitas magisterii personalis, quae minime pendet a persona humana sed a Spiritu Sancto. Immo et ipsi theologi Concilii infallibilitatem affirmant arguendo nempe a formali successione collegii apostolici (cf. Salaverri n. 555, et Sullivan pag. 266).

2. Potestas suprema Concilii, semper admissa ut propria et specifica

ipsius Concilii naturae, explicari non potest absque collegialitate episcoporum formaliter succedendo apostolorum collegio. Etenim si ad meram participationem, vel delegationem supremae potestatis Romani Pontificis appellaretur, potestas Concilii propria ipsi non esset. Immo et suprema non diceretur, quia dependens et subordinata fuisset. Quod est contra communem sententiam, a saeculis accepta, de natura Concilii. Si Patres conciliares Vaticani I scire potuissent omnem potestatem Concilii unice ad Papam reduci, alio modo sese in ipso gessissent. Et si diceretur potestatem supremam Concilii a Papa derivari, tenendum non esset Concilium *habere* potestatem supremam, sed in Concilio *haberi* talis potestas, i. e. Romani Pontificis.

Cum res ita sint, liceat mihi interrogare Patres illos veneratissimos qui, dum explicationem positivam non dederunt, argumenta pro collegialitate episcoporum non omnino evidentia putaverunt: suntne fortasse abundantiora vel evidentiora ea argumenta in quibus fundantur certae aliae veritates, e. g. Conceptionem Immaculatam vel Assumptionem B. Mariae Virginis, quas Ecclesia catholica ut fidei dogmata accepit ac profitetur?

« Mirum non est — aiebat Papa Paulus VI in oratione qua hanc Concilii sessionem aperuit — si fere exactis viginti saeculis... vera, suprema ac plena notio Ecclesiae, qualem Christus condidit et apostoli aedificare coeperunt, adhuc accuratiore enuntiatione indiget ». Et tamen, addit: « Nobis prorsus videtur advenisse nunc tempus quo circa Ecclesiam Christi veritas magis magisque explorari, digeri, exprimi debeat, fortasse non sollemnibus illis enuntiationibus quas definitiones dogmaticas vocant, sed potius declarationibus adhibitis, quibus Ecclesia clariore et graviore magisterio sibi declarat quid de se ipsa sentiat ».

Si ergo schema, ut patet, non intendit sollemniter definire collegialitatem episcoporum, immo si eam satis exponit, ut voluit ipse Papa Paulus VI « salvis declarationibus dogmaticis Concilii Vaticani I ad Romanum Pontificem attinentibus », videtur evidenter oportere ut textum paratum recipiamus, ut iacet: eo vel magis quod collegialitas ipsa adeo est optanda ut, etiam illi quibus allata argumenta non satis evidenter probant, ad eam manifeste proni sint, alias ob causas, quae recte possunt haberi ut « sensus Ecclesiae » in omnibus existens.

Cum in quibusdam separatis Ecclesiis verus episcopatus inveniatur, seu vere sint episcopi vi consecrationis recte ac valide acceptae, opus esse videtur, quemadmodum in cap. I sermo fit de modo quo christiani seiuncti ad unam Ecclesiam Christi pertinent, aliqua in hoc cap. II dicere: *a*) de loco tribuendo his episcopis in collegio episcoporum; *b*) de ratione et iure vocandi episcopos illos, vere apostolorum successores, ad exercitium supremae potestatis in Ecclesia, una cum successore Petri et omnibus episcopis sub illo coadunatis, sive in Concilio sive extra Concilium; *c*) de necessitudinibus illorum episcoporum non catholicorum cum Romano Pontifice et cum aliis episcopis in communione cum Christi Vicario.

69

EXC.MUS P. D. MICHAËL GONZI
Archiepiscopus Melitensis

In hoc cap. II *de Ecclesia,* de quo nunc disceptamus, agitur, inter alia, de diaconatu, et praecise in par. 15, pag. 26, a n. 28 ad 42.

Hic locus schematis tria complectitur.

Primo loco describit officia diaconatus, uti habetur etiam in C.I.C. cann. 741, 845, 1342, et in veteri Ecclesiae disciplina, uti constat ex Clemente Romano (*Ad Cor.* 15, 1) et ex aliis Patribus Ecclesiae.

Deinde allusionem facit ad quamdam mutationem decursu temporis inductam circa statum huius Ordinis.

Tertio loco sic dicit (lin. 36): « Diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri poterit... Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ».

His verbis duae innovationes proponuntur, scil.: *a*) restitutio diaconatus tamquam gradus proprius ac permanens; *b*) possibilis exemptio pro his diaconis a lege caelibatus.

Contra primam innovationem nihil habeo dicendum. Iam plures Patres hanc innovationem adprobarunt. Sunt enim hodie regiones multae, non tantum in terris missionum — ubi non raro fideles sacerdotis praesentia frui possunt semel vel bis in anno — in quibus unus parochus debet animarum curam gerere in duabus vel etiam in tribus paroeciis. In huiusmodi adiunctis diaconus, memoratis facultatibus praeditus, tum in terris missionum, tum in aliis fructus afferret copiosissimos in bonum animarum.

Multum dubito e contra an expediat concedere pro promovendis ad diaconatum exemptionem a lege caelibatus pro regionibus catholicis, praesertim in Europa, ubi praesentia diaconorum coniugatorum, absque dubio, esset admirationi. Novum omnino esset pro his catholicis eundem virum primo in ecclesia videre baptizantem, praedicantem, et SS. Eucharistiam distribuentem et postea in viis publicis, cum uxore et filiis, deambulare. Admiratio augeretur, si filii aetate grandiores vitam parum christianam ducunt.

Hoc dicendo expresse testor me nullo modo velle vituperare quod alibi legitime permissum est.

In his regionibus catholicis non esset difficile habere diaconos, qui caelibatum servare velint. Inveniuntur enim non pauci adolescentes, qui cupiunt se Dei servitio devovere, sed quamvis pietate et innocentia vitae praediti, ad Ordines non admittuntur ob insufficientem mentis culturam, quae in sacerdote his temporibus requiritur. Idem dicitur de quibusdam religiosis laicis in Ordinibus et Congregationibus religiosis, qui vere pii et ad laborandum dispositi sunt, sed ad sacerdotium suscipiendum non idonei. Hi omnes facile possunt et diaconatum suscipere et caelibatum servare.

Ita etiam permitti posse arbitror diaconatum sine obligatione caelibatus, in regionibus ubi maior pars incolarum religioni protestanticae sunt addicti, pro ministris uxoratis eius religionis, qui ad catholicam fidem convertuntur. Noti sunt mihi, et etiam quibusdam ex vobis, venerabiles Fratres, quidam de quibus loquor, qui post conversionem magnam difficultatem experti sunt ut medium sustentationis pro se et pro sua familia invenirent. Hoc sensu instauratio diaconatus promoveret etiam conversionem talium ministrorum. Notum est Sanctam Sedem in Germania permisisse ut aliqui, qui iam ministri protestantes fuerant et coniugati recepti in Ecclesiam catholicam sacerdotium susciperent, quin ab uxoribus separentur.

Idem dicendum puto pro terris missionum, postquam audivi plures episcopos earum regionum, qui hic nobis adsunt, favere exemptioni a caelibatu pro diaconis, eo quod secus, diaconi, quorum opera est ibi maxime necessaria, haberi non possent.

Attamen cum exemptio, de qua agitur, si dari expediret, esset res nova, et omnis res nova, ne nociva evadat, non ex improviso, sed gradatim introducenda sit, puto aliquam conditionem adiciendam esse ad limitandam, aliquo modo, saltem ad tempus, talem concessionem. Meo iudicio haec conditio saltem apponi debet, scilicet ut facultas hanc exemptionem concedendi non sit apud Ordinarios locorum, sed apud auctoritatem supremam, quo sensu intelligi deberent verba « praepositi Ecclesiae », de quibus fit mentio in pag. 26, lin. 39.

70

Exc.mus P. D. LAURENTIUS MICHAËL GRAZIANO
Episcopus tit. Limatensis, aux. S. Annae

In textu cap. II gravior mihi videtur esse lacuna inde a n. 14. Etenim potestas episcopalis characteri sacramentali consecrationis fere exclusive ascribitur, atque cum inter residentiales et titulares episcopos non distinguatur, horum omnium episcoporum communis innuitur esse potestas in sequentibus descripta. De facto tamen quae postea dicuntur magna ex parte de episcopis tantum residentialibus valent.

Praeterea liceat firmissimam meam sententiam exprimere, structuram monarchicam Ecclesiae omnino retinendam esse. Si namque ultimis saeculis ad florentissimum pervenit statum, id effecit eius gubernium centrale ubique efficaciter operans. Ideo ex una parte enuntiandum est locorum ordinarios *iurisdictionem* exercere posse solummodo in communione cum Summo Pontifice et dependenter ab eo. Ex altera prorsus resistendum est propositae quasi-autonomiae locorum ordinariorum: infaustae enim sequerentur consequentiae, uti uniformitatis essentialis per Ecclesiam amissio, immo et schismatis periculum.

71

REV.MUS P. D. IUCUNDUS M. GROTTI
Praelatus nullius Acrensis et Puruensis

Animadversiones generales super cap. II.

Ordo capitulorum: quae de episcopis agunt uniantur!

De ceteris ordinibus nihil?... Ordo sequendus: De episcopo in se ipso; de episcopo relate ad Petrum; de episcopo relate ad ceteros episcopos; de presbyteratu; de diaconatu; de ceteris ordinibus.

Pariterque de cardinalibus, nihil in schemate de Ecclesia?...

Liturgia orientalis tantummodo generice citatur et semper una cum liturgia occidentali quae unice apparet in citationibus et notulis.

Principalis defectus istius capituli est frequens repetitio eiusdem conceptus.

Ex non bene exposita idea de Ecclesia, adhuc multa confusio!

Ut idea Ecclesiae clarius eluceat et pastorali usui melius accommodetur, memor illius: « redemptio est nova creatio » schema generale *de Ecclesia* propono, scil.: Ecclesia initialis (creatio); Ecclesia patriarchalis; Ecclesia mosaico-prophetica; Ecclesia Christi.

Ad prooemium.

Lin. 1: « *populum Dei* ». Quis?... est Ecclesia universalis, ab Abel iusto usque ad ultimum electum?... Est populus de quo V. T. loquitur?... Est Ecclesia Christi?...

Lin. 2: « *Corpus suum* ». Saltem addere debemus *mysticum,* sed sensus est: Christus exaedificat corpus suum, attamen: nec corpora dicuntur exaedificari nec quisque dicitur suum corpus exaedificare.

Lin. 3: « *praesertim* » auferatur; « stabiles »: stabilitas in divinis scripturis exprimitur relate ad tempus et spatium; « ministrationes »: locus Pauli citatus refertur ad Ecclesiam charismaticam; « ad »: melius est ponere « in ».

Lin. 4: « *Ministeria ac munera* »: munera erunt et in caelo; ministeria cessabunt; ergo non sunt idem. « Ministeria » exprimit ideam servitii; « munera » exprimit potius privilegium et divitias.

« *Ad bonum etc.* » est repetitio linn. 1 et 2.

Lin. 5: « *Quicumque etc.* »: est materia cap. I; constare potest in prooemio cap. III; est interruptio quaedam in sermone introductivo.

« *plena dignitas* »: paganis et omnibus iustis tribuitur plena dignitas christiana?... Ad quid ergo missiones ad illos si iam sunt in Ecclesia, et quidem dignitate plena?...

Lin. 7: « *inserviunt* »: addatur *ex officio* quia omnes christifideles inservire debent.

Lin. 8: « *libere* »: secundum modum!... Vaeh mihi si non evangelizavero!

« cuncti... »: sensus est obscurus et propositio non bene aptatur iis quae sequuntur nec iis quae antecedunt.

Linn. 10-15: propositio haec peccat contra ordinem logicum; est superflua; non est vera quoad officium apostolorum.

« Unus et indivisus »: Quod indivisum est unum est.

Linn. 15-20: oportet colligere doctrinam Vaticani I ex Scriptura et traditione tantum, secus orientales separati nobiscum loqui nequeunt.

Linn. 20-25: nova repetitio inutilis, ergo delenda.

Lin. 20: « Ratione »: quid significat? modum? motivum?...

Lin. 21: « Fidelibus »: addatur *suis,* sed ad quid repetitio? Melius esset, in casu, sic dicere: « fidelibus suis credendam et omnibus gentibus proponit considerandam ».

« Capite »: bis invenitur in successivis lineis (24, 25).

Abest declaratio materiae tractandae in capite.

Novum prooemium proponitur.

Christus Dominus qui solvere non venit sed adimplere, ad universa recreanda ac signanter Ecclesiam suam augendam et nutriendam, sacerdotium antiquae legis in novo ad perfectionem duxit et arcana quaedam ministeria e plenitudine sacerdotii sui dimanantia, ad consummationem usque saeculi permansura, provide instituit, praesertim cum apostolos vocavit eisque Petrum praeposuit.

Ipsi, potestate sibi a Domino demandata, munera ad successores, scil. ad episcopos, transtulerunt, immo ad cooperatorum coetus non pauca commiserunt. Unde factum est ut in Ecclesia plures constituerentur hierarchici gradus de quibus singulis, in hoc capite, haec constitutio conciliaris disserit, divinis Scripturis atque apostolorum traditionibus innixa.

Animadversiones additae:

Indulgeant mihi si denuo vos alloqui audeo! Brevis ero!

1. Potestas Ordinis et potestas iurisdictionis « arcto vinculo » coniungi asseritur in schemate (pag. 25, lin. 10) et episcopi, praesertim titulares, per os exc.mi Bettazzi, hanc arctam unionem extollerunt, iure meritoque.

Sicque potestas iurisdictionis videtur oriri tantum ex ordine; unde, nomine pauperum, scil. illorum qui charactere episcopali carent et ordinariam habent iurisdictionem, quaestiones vobis propono solvendas.

Nam, antiquitus, cum sacerdotes-missionarii mittebantur, cum aliquo episcopo mittebantur: sic Augustinus in Anglia, Bonifatius in Germania, Cyrillus et Methodius in Polonia et alii multi. Ratio evidens est: nova Ecclesia fundatur, sed nulla Ecclesia sine episcopo! Sacerdotes mittuntur, sed quid sacerdos sine episcopo?... (cf. S. Ign.). Si episcopus deberet tantummodo pontificales celebrare, canonicis praesidere et omnia parata invenire, certe, primo mittantur sacerdotes et diaconi ministrantes qui praeparent, postea episcopum! Attamen verba iam

prolata in hoc mirabile Concilio, episcopis applicata, recolo: non veni ministrari sed ministrare! Et episcopus est fundamentum hierarchiae in quacumque Ecclesia et veluti sacramentum unitatis cum Romano Pontifice, cum clero cumque omnibus fidelibus. Unde concludo interrogans:

a) si potestas ex Ordine, ubi fundatur potestas ordinaria praelatorum qui charactere episcopali carent?...

b) qua de ratione, cum nova fundatur Ecclesia, tantummodo mittitur, — sit venia verbo! — dimidiatus episcopus?...

2. Ad diaconatum quod attinet, sequentia vobis consideranda propono. Origo diaconatus stabilis non est ex ratione dogmatica repetenda sed ex ratione practica desumenda (At.); ita extinctio huius venerabilis et sanctae institutionis. Nam abusus potestatis diaconorum qui ex administratione bonorum Ecclesiae in initio ad ipsam Ecclesiae administrationem devenerunt fuit causa potissima extinctionis quae per absorptionem et paulatim facta est; scil., quidam ad sacerdotium, licet inviti (S. Ier.) promoti sunt, quidam in corpore canonicorum absorpti, quidam tandem in numero cardinalium recensiti sunt.

Ratio practica ab apostolis allata pro institutione diaconatus, hodie adhuc existit; immo, numquam ut in diebus nostris, in Ecclesia, tanta ministeria sacerdoti tribuuntur quae non sunt proprie et stricte loquendo sacerdotalia et essent potius diaconalia ministeria!

Invocantur tamen Diaconi in favorem Missionum, sed forsan utiliores sint antiquo mundo et generatim civitatibus, inter neo-paganos, ubi diaconi necessaria ad vitam et ad ipsum diaconatum, scil. sacerdotale ministerium, facilius invenire possunt. Quid enim facere potest diaconus sine sacerdote?... Evertendo verba S. Laurentii dicam: « quo progrederis, sine patre, filius? quo, minister sancte, sine sacerdote properas?... (ex officio S. Laur. ad Mat.).

Quoad caelibatum diaconalem usus antiquos, in Ecclesia universa, recolo et in favorem diaconatus uxorati sto. Multos habemus sacerdotes praevaricatores propter castitatem, ne addamus numero sacerdotum et diaconos praevaricatores!

Immo, si Patres permittunt, ideam propono, potius ad iuridicam partem pendentem sed prorsus quaestionem illustrantem. Est idea personalis, debilis (sum enim, uti dixi ex Ecclesia pauperum!), attamen, complures patres quibuscum habui « uno scambio di idee », suam adhaesionem praestiterunt. Ad rem!

Sacerdotes praevaricatores quoad exercitium Ordinis, non quoad ordinem ipsum evidenter, ad diaconatum uxoratum, reducantur. Utiliores sunt enim populo et Ecclesiae si uti diaconos uxoratos servantur potius quam si, excommunicati, extra ecclesiam (fere semper cum scandalo) proiciantur. In qua re, tandem, conflictus datur inter ius naturale paternitatis, licet subreptive sumptum, et ius positivum. Et ut nemo dicat: « haec nova et absurda », audite quae in Concilio Neocaesarensi, sub Silvestro Papa fere in initio trecentesimae seriei nostri aevi legitur (canon 1-9-1 c):

« Presbyter, si uxorem acceperit, ab ordine suo moveatur.

Si autem fornicatus fuerit vel adulterium commiserit, penitus excludatur.

Si presbyter qui corpore prius peccaverat promotus fuerit et si ante ordinationem peccasse confessus fuerit, ne offerat manens in aliis propter aliud eius bonae vitae studium.

Similiter et diaconus si in idem peccatum inciderit ministeria inferioris gradus exerceat ».

Quidquid sit de hac re, venerabiles Patres, mementote illorum qui veluti in aliquo inferno excommunionis, ut ita dicam, iacent et nostri sunt fratres in fide et in sacerdotio! illos ponamus saltem in aliquo purgatorio ubi sibi, nobis et Ecclesiae sint utiliores.

Concilium est lux, est spes omnibus; et pro omnibus illis sit spes et initium salutis!

Videant decernantque Patres!

72

EXC.MUS P. D. AEMILIUS GUANO

Episcopus Liburnensis

1. Quoad rationes quae afferuntur pro locutione « collegii apostolorum » et « collegii episcoporum ».

Fateor textus biblicos in aula allatos, singillatim sumptos, non omnino cogentes esse. Attamen si cumulative sumantur et si cum traditione Ecclesiae conferantur, bene videntur iustificare hunc modum loquendi.

Aliunde usque ad hanc secundam Concilii Vaticani II sessionem vel periodum omnes nos probabiliter hac locutione « collegium apostolicum », « collegium episcoporum » usi sumus, in catechesi et in scholis, iis inter nos forsan non exceptis qui in hac aula contra ipsum dicendi modum nunc locuti sunt.

Quaeri potest quibus de causis habita sit haec immutatio.

Ex una parte timetur per hanc affirmationem primatum Summi Pontificis minutum vel debilitatum iri. Sed plurimi hic ex omni sectore primatum solemniter professi sunt; schema vero eundem clare profitetur; sed, si placet, posset etiam, una tantum forsan vice, sed adhuc clarius eum profiteri.

Ex alia parte, quae dicuntur tenenda sunt de collegio episcoporum in genere. In conferentiis episcopalibus localibus indubitanter exprimitur collegialitas episcopatus cuiusque regionis, vel nationis, sive quatenus episcopi uniuscuiusque regionis vel nationis inter se melius student actioni pastorali, sive quatenus cum episcopis aliarum regionum vel nationum relationes instituunt. Sed hoc, quantum sentio et quantum personaliter desiderarem, non significat nimis urgendam esse harum conferentiarum potestatem iuridicam.

2. Puto conceptum collegii episcopalis clarius explicandum esse in hoc schemate.

Ad quod forsan sequentes animadversiones inservire possunt:

a) in hoc contextu conceptus collegii sumendus non est tamquam conceptus exclusive iuridicus, quamvis etiam adspectus iuridici excludi non debeant;

b) inter alia, collegium episcoporum in hoc consistit quod episcopi, sive in universo mundo dispersi, sive in Concilio coadunati, non solummodo habent communem fidem et commune officium Evangelii annunciandi, sed ipsi conscii sunt diversas suas Ecclesias mutuo compleri in unitate Ecclesiae

catholicae et ad hoc libenter simul operantur; ipsi insuper episcopi conscii sunt se omnes simul corresponsabiles esse, sub ductu Summi Pontificis et pastoris, versus Ecclesiam universam et totum mundum, et ad hoc libenter operantur.

3. Quoad relationes inter episcopos et caput eorum collegii, Summum Pontificem, hoc notare velim: omnino optandum est ut mundo clare pateat:

a) ex una parte Summum Pontificem potestatem habere personalem super omnem Ecclesiam et super omnes fideles, in qua potestate, seu in quo primatu, maxime elucet unitas Ecclesiae catholicae circa Christum, caput corporis Ecclesiae, et petram fundamentalem aedificii Ecclesiae;

b) ex altera parte Summum Pontificem non esse, ut ita dicam, remotum (« isolato »), sed, quin indigeat episcoporum adprobatione, earum vero collaboratione indigere (sicut Beatissimus Pater Paulus VI in sua allocutione dixit), ipsum exprimere episcoporum et Ecclesiae universae communem fidem, et esse fratrem inter fratres suos, episcopos, sicuti Christus, unicus Dominus, esse voluit frater inter fratres suos, nos homines.

4. Quoad autem Concilium, in quo maxime exprimitur, etiam iuridice, episcoporum collegium, eius momentum videtur non esse practicae solummodo indolis: in ipso enim Concilio, Ecclesia, modo utique non exclusivo nec necessario sed proprio, et maxima cum efficacitate, mundo manifestatur in sua unitate et catholicitate, in sua constitutione, in sua fide et caritate; per Ecclesiam vero in Concilio Christus ipse mundo apparet et efficaciter operatur.

73

EXC.MUS P. D. PAULUS GÚRPIDE BEOPE
Episcopus Flaviobrigensis

Post lectionem cap. II circa schema *de Ecclesia,* quod in genere multum mihi placet, aliqua notanda opportunum iudicarem.

I. In pag. 23, num. 12, lin. 29, ubi dicit: « Duodecim elegit » ego adderem « tamquam symbolum populi duodecim tribuum et simul tamquam nucleum novi populi » unde notetur continuitas vetus inter et novum foedus.

II. In pag. 24, num. 12, lin. 3, ubi dicit: « Suae potestatis Summi Pontificis » ego ponerem: « ut suae missionis et potestatis participes facti » ut vitetur terminologia inter theologos disputata et loquatur simpliciter de missione Christi a praepositis participata.

III. In pag. 24, num. 13, lin. 18, ubi dicit: « Quapropter Ecclesiae consulere debuerunt etiam per successores », non apparet perspicua mens. Ex contextu enim colligi posse videtur apostolos constituisse successionem ministerii sui in Ecclesia et non ab ipso Domino.

IV. In pag. 26, num. 15, lin. 6, ubi dicitur: « Sacerdotes secundae dignitatis » ita ut si episcopatus et sacerdotium ab eorum dignitate specificaren-

tur. Unde aptius forsitan servaretur formula antiqua « sacerdotum secundi ordinis ».

V. In pag. 26, num. 15, lin. 33, ubi de diaconatu tantum. Hanc diaconatus ut talis instaurationem gravissimam iudicamus in ordine disciplinari. Quaerimus: non sunt alii modi solvendi has necessitates Ecclesiae, ubi existant, quin denuo diaconatus in sua pristina forma instauretur, cum tot sint sacerdotibus pericula, quanto magis diaconis? Non inveniuntur splendida instrumenta apostolica in laicalis apostolatus associationibus, quibus Ecclesia illa munera possit committere? Quid diaconi cum caelibatu? Magna pericula. Quid sine caelibatu? Praestigium deficiens. Maximi momenti propositam diaconatus renovationem iudicamus et mihi non placet.

VI. In pag. 27, num. 16, lin. 16, ubi dicitur: « Et numquam sine hoc capite » redundans videtur locutio, quia iam hoc dictum est cum in eodem loco affirmetur « cum suo capite » nam verbum hoc secum fert « sine capite » neque existere posse collegium episcoporum nec unquam agere posse. Insistentia suspicionem suggerit alicuius periculi falsae interpretationis, cum luculenter appareat vera doctrina ex his quae in hac eadem paragrapho exponuntur.

VII. Tandem in pag. 25 et 26, nn. 14 et 15, quod affirmatur de episcopatu sacramento et de presbyteratu et diaconatu, in finem eiusdem capitis forsan collocari oporteret, ut presbyteratus tamquam extensio et operis episcopalis collaboratio appareant, simulque ante caput « de laicis » praesententur et ita uno aspectu videantur, nempe: episcopatus, presbyteratus, diaconatus et laicatus; hoc modo unitas meo iudicio perfectius obtinetur.

Haec omnia libenter Patrum considerationi proponimus semper optantes ut cap. II *de Ecclesia* quam perfectissimum obtineatur.

Animadversiones additae:

Doctrina in hoc n. 17 exposita valde nobis placet, et plene laudanda est praecipue ex:

1. Parallelo inter Papam, principium unitatis episcopatus et Ecclesiae universalis, et episcopum, principium unitatis Ecclesiae sibi commissae.

2. Principio secundum quod Ecclesia consistit « *in* quibus et ex quibus » i. e. Ecclesiis particularibus.

3. Sollicitudine universali uniuscuiusque membri collegii, et quidem « ex officio ».

4. Officio communi ex mandato communi accepto annuntiandi Evangelium et « ad corpus pastorum » pertinenti.

5. Allusione, tamquam principium canonicum consequens, ad coetus episcopales.

Attamen minus placent:

1. Quod ex abrupto n. 17 incipiat loquens de ecclesiis particularibus, quin processus concatenationis logicus cum n. 16, in quo de collegio locutum fuit, servetur.

2. Quod consequenter ordinatio totius numeri canonico modo procedat, in-

cipiens scilicet a facto canonico, i. e. ab ecclesiis particularibus, ut procedat ad participationem in universali sollicitudine, cum e contra processus inversus meliorem theologicum saporem haberet, scil. incipiens a mandato communi et descendens ad participationem uniuscuiusque *membri* in illo mandato sive relate ad ecclesiam sibi commissam sive relate ad alias ecclesias Ecclesiamque universalem. Itaque ordinatio huius numeri haec esset:

a) Incipere a principio de mandato communi dato « corpori pastorum ».

b) Unde unumquodque membrum illius corporis seu collegii participat in illo mandato communi « solidarie » tamquam successor apostolorum seu membrum.

c) Consequenter singuli episcopi colliguntur inter se vinculo collegiali solidario; et hic exprimendus esset paragraphus ille de usu perantiquo in consecratione episcopali, qui in n. 16, in eiusdem paragrapho prima, extra contextum iacet.

d) Deinde parallelismus inter Romanum Pontificem et episcopatum Ecclesiamque universalem, et episcopum et « suam » ecclesiam exprimatur, ut constet de unitate ecclesiae particularis.

e) Attamen — et ita sequitur concatenatio — episcopus ut caput ecclesiae « suae », non ut caput eiusdem, sed ut membrum collegii tenetur ex officio sollicitudine universali.

Haec autem sollicitudo duas habet versiones seu duo latera: aliud *ad intra* Ecclesiae, scil. sollicitudinem *omnium ecclesiarum,* aliud *ad extra,* scil. sollicitudinem seu curam *dilatandi* Evangelium in universum mundum. Non sunt duae res independentes, prout, ex redactione n. 17, in diversis paragraphis apparet, quin concatenatio clare exprimatur.

f) Ultimatim annuntiari potest principium canonicum de coetibus episcoporum, omnia tamen et « de affectu collegiali » et « de caritatis societate » omittendo, etenim prout redactio iacet non congruit cum principiis dictis de « officio » et « de mandato communi », quorum adimpletio semper supponit et caritatem et affectum.

Ad concreta puncta ut veniamus haec dicenda videntur:

1. In par. 1: ubi agitur de parallelismo inter Papam-collegium-Ecclesiam universalem et episcopum-ecclesiam « suam », desiderandum manet ut *melius recordetur Vaticanum I, quin vis eiusdem deminuatur.* Etenim:

Schema dicit:	*Vaticanum I dicit*:
... successor Petri est unitatis *tum episcoporum tum multitudinis...*	... Episcopatus et *per cohaerentes sibi invicem sacerdotes* (i. e. episcopos)... multitudo... in unitate...

Ex alia parte unitas non praedicatur de personis, sed de natura rei; de personis praedicatur *unio.* Recte ergo ut Vaticanum I dicit « unus episcopatus », etiamque dici potest *unitas episcopatus*, et *multitudo in unitate,* non vero unitas episcoporum et multitudinis, simul; corrigatur ergo: « unitas episcopatus et multitudinis ».

Alia ex parte, vis expressionis vaticanae « per cohaerentes sibi invicem sacerdotes (seu episcopos) » minui non debet, ut minuitur redactione schematis ubi legitur « *tum* episcoporum *tum* multitudinis ». Illa particula « per » suam specificam vim habet, quae a magisterio pontificio implicite aliis in locis exposito deduci debet. Ita:

Leo XIII, enc. *Cum multa,* 8 dic. 1882 (*Docum. políticos,* BAC Madrid 1958, 133-134): « Atque huiusmodi potestas episcopis... natura sua... ut episcopus quisque *cuiusdam instar vinculi, christianos... et inter se et cum Pontifice* Maximo... consociet... ».

Leo XIII, enc. *Sapientiae christianae,* 10 ianuar. 1890 (*Doc. polít.* 288): « Iamvero christianae rei administratio *proxime* et secundum Pontificem romanum *ad episcopos* pertinet. ... Propterea *quemadmodum episcopis* necessaria est *cum apostolica sede* in gerendo episcopatu *coniunctio, ita clericos laicosque* oportet *cum suis episcopis* coniunctissime vivere, agere ».

Leo XIII, *Epist. ad card. Guibert,* arch. Paris., 17 iun. 1885 (*Documentos jurídicos,* BAC Madrid 1960, 6): « Ita prorsus necesse est, singulos e plebe christiana pastoribus suis animo et voluntate subesse; *hos* autem *una cum ipsis principi ac pastori maximo...* ».

(*Ibidem,* 8): « ... amoris atque oboedientiae *vinculum, quo christianos* omnes *cum episcopis suis, eosdemque et episcopos ipsos cum supremo* omnium *pastore coniunctos* esse necesse est: quod quidem *vinculum* incolumitatem et salutem publicam continet ».

Leo XIII, Epist. *Est sane molestum, ad arch. Taurinen.,* 17 dec. 1888 (*Doc. juríd.,* 13): « Divinum quippe aedificium, quod est Ecclesia, verissime nititur, tamquam in *fundamento* conspicuo, *primum* quidem *in Petro* et successoribus eius, *proxime in apostolis* et successoribus apostolorum episcopis... ».

Leo XIII, enc. *Satis cognitum,* 29 iun. 1896 (*Doc. juríd.,* 87) n. 26: « Ac primo quidem *coniunctionis episcoporum cum* eo qui *Petro* succedit, non obscura est neque dubia necessitas: *hoc enim soluto nexu, solvitur* ac diffluit *multitudo* ipsa christianorum, ita plane ut nullo pacto queat unum corpus conflare unumque gregem... tot in Ecclesia efficientur schismata, quot sacerdotes... ».

(*Ibid.,* 90, n. 28): « Sed *episcoporum ordo* tunc rite, ut Christus iussit, *colligatus cum Petro* putandus, si Petro subsit eique pareat: *secus* in multitudinem confusam ac perturbatam necessario delabitur... ». (*Ibid.,* 96, n. 32 sequitur:) « Atque hinc facile sumpserint quo et erudiantur plenius, et voluntate propensiore, *cum pastoribus* quisque *suis et per eos cum pastore summo cohaereant...* ».

Nec alia doctrina continetur implicita in illa sententia S. Cypriani cum dicit Ecclesiam esse: « Plebs *sacerdoti adunata et pastoribus grex adhaerens.* Unde scire debes *episcopum* in Ecclesia esse et *Ecclesiam in episcopo* », « et *si quis cum episcopo non sit, in Ecclesia non esse* » (*Epist. ad Puppianum,* RJ. 587).

S. Cypriani dictum a Romanis Pontificibus repetitur, ut v. g. a Leone XIII, enc. *Cum culta,* 8 dec. 1882, n. 4 (*Docum. polít.,* 134) qui addit: « Talis est christianae reipublicae *constitutio,* eaque immutabilis ac perpetua: *quae nisi sancte servetur,* summa iurium et officiorum perturbatio consequatur necesse est, *discissa compositione membrorum apte cohaerentium in corpore Ecclesiae, quod per nexus...* ».

Verba S. Cypriani repetit etiam Benedictus XV, enc. *Ad Beatissimi,* 1 nov. 1914 (*Doc. polít.,* 460).

Nec alia doctrina continetur implicita in principio ipso a schemate statuto, scil. episcopum esse centrum et principium unitatis Ecclesiae sibi concreditae.

Conclusio. *Servetur ergo expressio Vaticani I « per ».*

2. Par. ultima: « Qua de causa... amoris », desideratur ut compleatur, etenim affirmatur episcopum repraesentare « suam » ecclesiam, et ex contextu intelligitur

repraesentare eam in Ecclesia universali, attamen etiam repraesentat Ecclesiam universalem in ecclesia « sua ». Unde textus ita emendandus desideratur: « Qua de causa singuli episcopi *tum totam Ecclesiam universalem in sua ecclesia particulari, tum suam in Ecclesia universali, tum denique* omnes... ».

3. Par. secunda: « Quando episcopus... ». Haec notanda:

a) « *regimen* suum pastorale » minus placet, etenim aut intelligitur pro tribus potestatibus seu eorumdem exercitio, et tunc expressio minus adaequata videtur, aut tantum pro exercitio iurisdictionis et tunc non exhaurit functio pastoralis episcopi in ecclesia « sua ». Melius ergo ut dicatur: « *pastoratio* sua » vel melius « *exercitium muneris sui pastoralis* ».

b) « *proprie dictum* » supprimatur, quia redundat cum iam dixerit « particulari Ecclesiae » et postea addit « super portionem populi sibi commissam »; et quia tangit quaestionem disputatam et disputabilem, scil., utrum sollicitudo universalis non sit etiam pastoratio sensu stricto — etsi canonice non eodem modo —, immo utrum pastoratio super ecclesiam « suam » non sit modus concretus ipsi canonice determinatus (« super portionem... sibi commissam ») a collegio vel a capite collegii exercendi sollicitudinem universalem, in consecratione ipsi episcopali datam.

c) « *licet actus iurisdictionis non sit* » eodem modo supprimatur; etenim inutile seu redundans, et tangit etiam quaestionem disputatam vel disputabilem, scil. utrum sollicitudo universalis ex solidaritate in mandato communi (ideoque in triplici missione magisterii, sanctificationis et regimine) non possit vel aliquando etiam comprehendere exercitium magisterii et regiminis, v. g. in persecutione religiosa in dioecesi vicina in qua omnes pastores et sacerdotes occisi essent; episcopus vicinior suppleret pastorem, et etiamsi diceretur hoc in casu « Ecclesiam supplere iurisdictionem », hoc quid aliud esset nisi actuatio illius sollicitudinis universalis in consecratione episcopali datae?

4. Par. tertia: « Cura Christi... debent ». Haec notanda: « *etiam si suprema ordinatio operis missionum ad Romanum Pontificem pertinet* » supprimatur, quia ex dictis in n. 16, etiam collegium supremam in Ecclesiam habet potestatem, ergo in opus missionarium etiam habet potestatem supremam. *Aut* saltem hoc exprimatur: « ad Romanum Pontificem *vel ad collegium* pertinet ».

« *Missionibus auxilia... debent* » supprimatur quia redundans, etenim iam locutum fuit « de officio ».

5. Par. ultima: « Episcopi denique... *caritatis societate... collegialis affectus...* » supprimatur, etenim principium obligationis « *ex officio* », quae maior in exigentia est.

His omnibus consideratis, *nova redactio* offertur in qua ipsa doctrina in hoc n. 17 exposita integra conservatur, sed novo ordine redigitur. Ita:

« Missio universalis collegio apostolorum a Christo data (cf. *Mt.* 28, 18) adhuc in corpore pastorum seu in episcopis communionem cum Iesu Christi vicario habentibus perseverat, quibus omnibus in commune Christus mandatum dedit imponendo commune officium, ut iam Papa Coelestinus Patribus Ephesini Concilii commendavit. Unde unusquisque " legitimus apostolorum successor ex Dei institutione et praecepto apostolici muneris Ecclesiae una cum ceteris episcopis sponsor fit " (Pius XII, *Fidei donum*).

Exinde surgit collegialis unio, quae in relationibus singulorum episcoporum ad particulares Ecclesias Ecclesiamque universalem apparet; et iam perantiquus usus indolem collegialem sacri episcopatus innuit ubi novum electum a tribus saltem episcopis ad summi sacerdotii ministerium elevandum esse statuit, et communionem inter Ecclesias ope episcoporum enixe commendat.

Et sicut Romanus Pontifex, ut successor Petri, est unitatis Episcopatus et per cohaerentes sibi invicem episcopos unitatis multitudinis principium ac visibile fundamentum (Conc. Vat. I, *Pastor aeternus,* in prooemio, D. 1821), ita episcopi singuli principium et centrum sunt unitatis in suis Ecclesiis particularibus ad imaginem Ecclesiae universalis formatis, in quibus et ex quibus una et unica Ecclesia catholica existit. Qua de causa singuli episcopi tum suam Ecclesiam particularem in Ecclesia universali, tum Ecclesiam universalem in sua Ecclesia, tum denique omnes simul cum Papa totam Ecclesiam repraesentant in vinculo pacis (cf. *Eph.* 4, 3) et amoris.

Unde, episcopus, etsi, quando particulari Ecclesiae praeficitur, munus suum pastorale non exercet nisi super portionem populi sibi commissam et illud non super alias Ecclesias neque super Ecclesiam universalem extendit, tamen ut membrum collegii seu Ecclesiae sponsor sollicitudine tum omnium Ecclesiarum (cf. *2 Cor.* 11, 28) tum dilatandi Evangelium ex officio tenetur. Debent ergo omnes episcopi promovere et tueri actuose unitatem fidei, disciplinae et amoris totius Corporis mystici Christi, praesertim amorem membrorum pauperum, dolentium et eorum qui persecutionem patiuntur propter iustitiam (cf. *Mt.* 5, 10); et in laborum operis missionum societatem cum Christi vicario venire debent. Ceterum hoc sanctum est quod bene regendo propriam suam Ecclesiam ut partem Ecclesiae universalis, efficaciter conferunt ad bonum totius mystici Corporis, quod est etiam corpus Ecclesiarum. Sic libenter fraternum adiutorium sibi praebentes, venerandum antiquitatis exemplum sequentur.

Coetus episcopales multiplicem atque fecundam opem conferre possunt ut omnia praedictae sollicitudinis opera ad concretam applicationem perducantur ».

74

Exc.mus P. D. LUDOVICUS IOANNES GUYOT

Episcopus Constantiensis

Dum disceptatio de hoc cap. II ad finem pergit, *mysterium unitatis sacerdotii* nostris mentibus clarius effulget ut fundamentum unitatis totius Ecclesiae Christi.

Quam ob rem, mihi liceat postulare ut, in hoc schemate, aliquid explicite includatur de hac unitate sacerdotali quae est tanti pretii.

In favorem talis petitionis, duae res mihi videntur considerandae, scil.: 1. Unitas ad ipsam essentiam sacerdotii novae legis pertinet. 2. In societate hodierna, haec unitas debet esse magis ac magis effectiva. Hae sunt duae partes huius orationis.

Pars I: De unitate sacerdotii in Ecclesia.

In cap. I huius schematis, Ecclesia describitur veluti: « sacramentum intimae unitatis hominum, eorumque cum Deo unionis ».

Sed in ipsa Ecclesia, sacerdotium est etiam mysterium unitatis et communionis.

Quia unus mediator est Christus, unicum est sacerdotium, nempe Christi.

Attamen, non tantum voluit Deus omnem populum suum esse « regale sacerdotium », sed ministros elegit ex ipso ad munus sacerdotale exercendum pro hominibus. Hi dispensatores mysteriorum Dei ita unici sacerdotii Christi participes fiunt ut unum et solum sacerdotium efforment.

Haec unitas sacerdotii ministerialis oritur ex ipso sacramento Ordinis. Nam, quamvis tribus gradibus constitutum sit, sacramentum Ordinis est sacramentum unicum. Episcopi, presbyteri et diaconi, diversis modis, summo sacerdote configurantur per characterem sacramentalem et unum sunt cum eo.

Unde, post institutionem Eucharistiae quae est sacramentum unitatis, Dominus apostolis suis fortiter et suaviter amorem fraternitatis commendat ut sint uniti in agendo, sicut uniti sunt in sacerdotio.

Haec mirabilis unitas sacerdotii manet in decursu saeculorum nam per impositionem manuum, successio apostolica episcoporum servetur et eadem charismata, cum eodem Spiritu Sancto, de generatione in generationem, pastoribus Ecclesiae transmissa sunt.

In universa Ecclesia Ordo seu collegium episcoporum cum et sub primatu Summi Pontificis est huius communionis signum visibile.

Similiter, in Ecclesia particulari seu in dioecesi cuius episcopus est unus, circa eum, presbyteri cuncti, ex eorum intima coniunctione, coetum coaptatum et concordem constituunt, quod vocabatur a S. Ignatio Antiocheno « venerabile presbyterium ».

Unitas mystica et invisibilis huius collegii significatur, coram oculis populi christiani, ritibus liturgicis sacrae Ordinationis.

Item, remansit in usu, tam in Ecclesia orientali quam occidentali, antiqua concelebratio qua *unitas sacerdotii opportune manifestatur.*

Pars II: De unitate sacerdotii in societate hodierna.

In societate hodierna, unitas sacerdotii debet esse magis ac magis effectiva.

Prima ratio: quoad vitam pastoralem.

Ubi pastores unum sunt, ibi grex unus erit.

Sacerdotes sunt enim « forma gregis ». Si, cum episcopo et sub eius ductu communitatem fidei et caritatis constituunt, ex hoc, fideles « cor unum et anima una » inveniuntur.

(Haec concordia sacerdotalis in mundo tam diviso urget).

Hodie, quasi ubique, vita sacerdotum crescentibus difficultatibus obnoxia est; ministerium pastorale onerosius evadit propter celerem mutationem

omnium rerum. Si in solitudine se constituunt, sese sentiant impotentes, fluctuantes et animo deficientes.

E contra, si frequenter congrediantur, si inter se adiuvant in opere apostolico, si cogitant actionem pastoralem communem una cum episcopo, si perseverant in oratione sicut apostoli cum Maria Matre Iesu, tunc spes magna elucet, ut, gratia adiuvante, iterum viriliter et magno corde progrediuntur, etiam in via crucis. Nam ubi caritas et amor, ibi Deus est!

Secunda ratio: *quoad actionem oecumenicam.*

Quamvis in Ecclesia catholica multi et diversi sint sacerdotes, attamen unica mediatio Christi intelligi potest ex concordia et humilitate pastorum. Dum e contra, divisiones in presbyterio occultant genuinam naturam sacerdotii, favent divisiones inter christianos et impediunt fratres a nobis seiuncti ne agnoscant verum signum discipulorum Domini.

(In ecclesiis separatis orientis, unitas invisibilis omnium episcoporum et sacerdotum corroborat desiderium unitatis visibilis, tam optabilis pro omnibus).

Tertia ratio et ultima: *quoad actionem missionariam.*

Unitas christianorum, ergo cooperatio pastorum, est sicut conditio essentialis propagationis fidei.

Sic oravit Christus... et sic orat « semper vivens ad interpellandum pro nobis »: « Ut omnes unum sint, sicut tu, Pater, in me, et Ego in Te, ut et ipsi in Nobis unum sint, ut *credat mundus* quia Tu me misisti » (*Io.* 17, 21).

Insuper, quando sacerdotes se sentiant esse vere « cooperatores ordinis episcopalis », in unitate sacerdotii, tunc participes fiunt missionis episcopi, non solum erga plebem sibi commissam sed erga plebem universam. Tunc, melius sibi conscii sunt propriae participationis ad sollicitudines universi collegii episcopalis, tunc eorum anima sacerdotalis amplius gaudet in adimplenda etiam minima officia ministerii evangelici; tunc alacrius respondent exigentiis operis missionarii propter salutem eorum qui longe sunt ab Ecclesia Christi.

75

Rev.mus P. D. ATHANASIUS HAGE

Archimandrita-superior gen. Ord. Basiliani S. Ioannis B.

Sicut S. Petrus et alii apostoli unum collegium apostolicum constituerunt eadem ratione Romanus Pontifex, successor Petri, et episcopi, successores apostolorum, in collegium inter se coniunguntur. Hoc autem collegium episcoporum, quod collegio apostolorum in magisterio et regimine pastorali succedit, immo in quo corpus apostolicum continuo perseverat una cum capite suo Romano Pontifice, indivisum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam constituit. Etenim:

1. *Christus apostolos in collegium constituit*: Quod constat sive ex Scriptura sive ex traditione:

a) Ex Scriptura: Apostoli saepe saepius collective designantur « oi Dodeca » vel « Simon vel Petrus et qui cum illo erant » (*Mc.* 1, 36; *Lc.* 8, 45; 9, 32). Apostoli non sunt coetus qualiscumque occasionaliter congregatus sed Christus illos vult efformare unum corpus organice constitutum et in solidum agens. Ideoque illis caput et praesidem dedit in persona Petri cui mandatum fecit confirmandi illos et regendi. Et in ultima coena fervide rogavit Patrem ut illos in unitatem conservet: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo quos dedisti mihi, ut sint unum sicut et nos » (*Io.* 17, 11). Et ad servandam illam unitatem collegialem apostolorum, Christus illis dilectionem mutuam instanter commendavit: « Mandatum novum do vobis, ut diligatis invicem sicut dilexi vos... » (*Io.* 13, 34). Et mittens illos ad ecclesiam fundandam iis collegialiter sumptis alloquitur « euntes ergo docete... et ecce ego vobiscum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi... ».

Et ipsi apostoli huius characteris collegialis conscii, missionem suam solidaliter semper peragebant. Etenim post ascensionem Christi, in coenaculo congregati sunt et collegialiter Matthiam ut vices Iudas teneat elegerunt (*Act. Ap.* 1, 25). Et cum compleretur dies Pentecostes erant omnes congregati... et repleti sunt omnes Spiritu Sancto (*Act. Ap.* 2, 1) et inceperunt praedicare omnes simul cum Petro stante (*Act.* 2, 14) et auditores non solum ad Petrum sed et ad reliquos dicunt quid faciemus... et erant perseverantes in doctrina apostolorum » (*Act.* 2, 37, 42). Crescente postea numero discipulorum, apostoli collegialiter diaconos elegerunt (*Act.* 6, 6). Et quando controversia circa circumcisionem oritur, apostoli in concilio conveniunt in Ierusalem et collegialiter dubia solvere conantur.

b) Ex traditione, et praxi Ecclesiae:

Iam perantiquus usus indolem collegialem sacri episcopatus innuit ubi novum electum a tribus saltem episcopis ad summi sacerdotii ministerium elevandum esse statuit, et communionem inter ecclesias ope episcoporum enixe commendat.

Patres illam collegialitatem supponunt et saepe illam explicite vel aequivalenter exprimunt:

Ita S. Ignatius Antiochenus corpus apostolicum appellat « senatum apostolicum – synedrion ton apostolon » (cf. *Epistula ad Magnesios*), vel « concilium apostolorum » (*Epistula ad Trallianos*) vel comparat apostolos ad « presbyterium »: « Confugiens... ad apostolos tamquam ad ecclesiae presbyterium » (*Epistula ad Philadelphienses*).

S. Cyprianus de unitate loquitur dicendo: « Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus maxime episcopi qui in ecclesia praesidemus ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus... Episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur » (*De unitate,* 5).

2. Christus non tantum Petri soli, sed etiam integro apostolorum collegio cum et sub Petro plenitudinem potestatis ecclesiasticae contulit:

a) Eisdem verbis quibus Christus Petro promisit potestatem plenam ligandi et solvendi (*Mt.* 16, 19), etiam collegio apostolico promittit similem potestatem (*Mt.* 18, 18).

In pluribus locis Christus similiter Ecclesiae missionem suam communicans et potestatem conferens, integro collegio apostolico loquitur; sic *Mt.* 28, 18-20; *Mc.* 16, 15-16; *Io.* 20, 21; *Lc.* 24, 45-49; *Act.* 1, 8.

b) Patres omnem veram doctrinam et omnem auctoritatem in Ecclesia derivant ab apostolis, ab apostolico collegio v. g. Irenaeus, *Adv. haer.* III; S. Iss. 12, 7 ss.; Clemens Rom., *Corinth.* 44, 1 ss. Quod necessario supponit plenitudinem illam auctoritatis non tantum in Petro, sed integro etiam in illo collegio commissam fuisse.

Leo XIII, *Satis Cognitum,* Cav. 279, cf. 273, 286: Christus « qua ipsa potestate missus a Patre fuerat, eadem mittit apostolos... ».

3. Ex Christi institutione collegio apostolorum sub Petro constituto succedit in regenda et docenda Ecclesia, ordinaria et plena potestate sub auctoritate Romani Pontificis collegium episcoporum.

Quae veritas clare patet ex integra traditione quae semper in concilio oecumenico, seu in collegio omnium moraliter episcoporum, cum et sub capite suo Romano Pontifice, agnovit plenissimam potestatem regendi et docendi Ecclesiam.

Ex his praemissis sequentia deducantur:

1. Sicut Romanus Pontifex habet in Ecclesia per se plenam et universam potestatem, eadem ratione collegium episcoporum una cum et sub capite suo Romano Pontifice plenam et supremam potestatem in Ecclesiam universalem habet.

2. Sine suo capite Romano Pontifice, nulla est in collegio suprema potestas, quia collegium acephalum non est ipsum cui dixit Christus: « Quaecumque alligaveritis... ».

3. Sicut Romanus Pontifex ex cathedra docens infallibili auctoritate gaudet, eadem ratione collegium episcoporum una cum et sub capite suo Romano Pontifice docens in materia de fide et moribus infallibili auctoritate gaudet.

4. Collegium episcoporum suam potestatem universalem et infallibilitatem a Christo immediate accipit.

5. Collegium episcoporum in concilio oecumenico congregatum, cum et sub capite suo Romano Pontifice suam et propriam potestatem universalem et infallibilitatem exercet.

6. Gubernium Ecclesiae universalis non soli Petro eiusque successori in primatu, sed etiam collegio episcopali sub ductu Romani Pontificis competit.

76

EXC.MUS P. D. GEORGIUS HAKIM
Episcopus Ptolemaidensis

Tanta et tam profunda Patres expresserunt, in hac aula, de episcopatu et de collegio episcopali. Quibus libenter accedo, et maxime specialiter in nomine 20 Patrum conciliarium Melkitarum, laudans exc.mum D. Michaëlem Doumith, Sarbensem Maronitarum episcopum, pro sacramentalitate episcopatus intervenientem, et exc.mum D. Isaac Ghattas, Thebensem Coptorum episcopum, de patriarcatu animadversiones facientem.

In quantum sum archiepiscopus Galilaeae, et specialiter illius civitatis Nazareth, in qua dedicata est ecclesia ad commemorationem consecrationis Domini in synagoga proclamatae, vellem humiliter aliquas evangelicas veritates memorare, quae, ni fallor, usque adhuc non evolutae sunt.

In synagoga Nazareth, dixit Iesus: « Spiritus Domini super me; propter quod unxit me, evangelizare pauperibus misit me ». Maximi pretii est in Ecclesia byzantina hic textus evangelicus qui legitur in missa, die prima septembris, i. e. die prima liturgici anni, ut totum annum ab hac proclamatione messianica ungatur.

Iesus est Messias, i. e. Unctus et Consecratus. Consecratus est enim per Spiritum Sanctum in incarnatione sua. Nonne dicitur: « Spiritus Sanctus superveniet in te, et virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideoque quod nascitur ex te Sanctus, vocabitur filius Dei »? Manifestatus est ut consecratus in baptismate. Se dicit consecratus ad missionem in synagoga Nazareth, Consecratus est totaliter et immolatus in sua passione: Nonne dixit: « Et pro eis ego sanctifico meipsum ut et ipsi sint sanctificati in veritate »?

Sed quid significat proprie consecratio?

Consecratio hebraice significat: Deus misit manum super eum et tenuit eum fortiter, destinans eum ad missionem et ad immolationem. Consecratus homo est homo dedicatus ad missionem et destinatus ad immolationem, « unxit me » ... « misit me »...

Postquam declaravit quod Christus, ut unctus, est propheta, sacerdos et rex, catechismus Tridentini Concilii affirmat: « Atque id praeclare propheta ostendit, cum redemptorem ipsum affatus diceret: Dilexisti iustitiam et odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus, oleo laetitiae prae consortibus tuis. Idem etiam, ac multo apertius, Isaias iis verbis demonstravit: Spiritus Domini super me eo quod *unxerit* Dominus me, ad annuntiandum mansuetis *misit* me». Ex ipsa unctione Christi possumus intelligere quod totum corpus Christi, i. e. Ecclesia, est *unctum*. Ut ait Divus Thomas, Scripturam legens: « Convenit etiam ista *unctio* christianis. Sunt enim reges et sacerdotes ». « Vos estis genus electum; regale sacerdotium » (*1 Pt.* 2, 9). « Fecisti nos Deo nostro reges et sacerdotes » (*Apoc.* 5, 10). Et ideo omnes uncti sunt invisibili unctione: « Qui autem confirmat nos nobiscum in Chri-

sto et qui unxit nos Deus et qui signavit nos » (*2 Cor.* 1, 21). « Vos unctionem habetis a sancto, et nostis omnia » (*1 Io.* 2, 20).

Quia tota Ecclesia missa est ut omnes homines Deo consecrarentur et sic verum sacrificium fierent, episcopi sunt ministri huius actionis, testantibus Scriptura et traditione, consecrati ad illud per manuum impositionem: Imposuit Deus manum super eos et tenuit; consecravit eos ad missionem et ad evangelizandum mundum et specialiter pauperes. In sacra liturgia byzantina, per brevem formulam consecrationis episcoporum, simul cum impositione manuum, impetratur pro electo gratia divina, quae perficit eum hominem consecratum, ab infirmitatibus sanans eum et defectibus remedium praebens.

Consecratio quae in ordinatione confertur episcopis non potest comprehendi, nisi referatur ad consecrationem Christi, quae est dedicatio ad missionem evangelizationis et ad immolationem. Per consecrationem, episcopi aggregantur ad collegium episcopale ut devoti ad missionem totius Ecclesiae.

His dictis, liceat mihi proponere ut consecrationem Christi, quae est imago et exemplar consecrationis episcopi, introducatur in n. 16, necnon 17 cap. II quod nobis studendum subiicitur.

77

EXC.MUS P. D. ANDREAS HAMVAS
Episcopus Csanadiensis

Relate ad ordinem diaconatus in schemate *de Ecclesia* tractatum, liceat mihi ex historia Ecclesiae Hungariae de instituto s. d. licentiatus nonnulla in memoriam revocare.

Post Sacrosanctam Tridentinam Synodum episcopi Hungariae, et imprimis Nicolaus Oláh, Franciscus Forgács praesertimque magnus ille cardinalis Petrus Pázmány, omnes archiepiscopi Strigonienses, seminariis clericorum noviter erectis studebant penuriam immensam sacerdotum superare. Quamdiu haec nobilis propositio effectum sortiebatur, in Hungaria s. d. *licentiati* instituebantur et in cura pastorali fidelium applicabantur, congruo tamen examine superato. Huiusmodi viri praesertim in loco domicilii proprii absque ullo sacramento ordinis ab episcopis missi sunt: 1. ad baptismum conferendum, 2. ad matrimoniis assistendum, 3. ad moribundos praeparandos, 4. ad mortuos sepeliendos, 5. ad cultum divinum celebrandum diebus dominicis et festis de praecepto, 6. ad pueros catechizandos. Hoc munus in territorio parochiae exercebatur, quod vel ex eo maximi est momenti, quia ipsis deficientibus protestantes parochiam ipsam una cum adnexis aedificiis et ecclesia occupavissent, ex quorum detentione illegitima nulla potestate amplius amoveri potuissent. In doctrina christiana tradenda, in verbi Dei praedicatione necnon in cultu divino celebrando cum sacerdotibus tum licentiatis materiam copiosam praebebant Liber precationum et Sermones (in II

voluminibus promulgati) Petri card. Pázmány; hi ultimi qua fontes homiliarum nunc quoque in usu sunt apud nos.

Licentiati in pugna adversus protestantismum milites insignes Ecclesiae inventi sunt, quorum haud nonnulli in bello s. d. 30 annorum a reformatoribus aerumnas passi sunt et coronam martyrii adepti sunt.

Cum autem circa finem saec. XVIII penuria sacerdotum cessavisset, institutum licentiatus quoque in desuetudinem abiit. Memoriam illius recentissime sacerdos quidam e dioecesi Csanadiensi, Colomannus can. Juhász, inquisitione scientifica peracta, pie renovavit.

Notandum est illo tempore ne uno quidem momento aliquem cogitasse de diaconatu perpetuando vel stabiliendo, vel de substitutione licentiatus in locum diaconatus. Diaconatus enim illo tempore sine caelibatu prorsus impossibilis videbatur. Licentiati enim coniugati erant, qui sua vita quoque familiari in aetate satis laxa aliis praefulgebant.

Institutum licentiatus procul dubio inter pulcherrimas paginas historiae Ecclesiae Hungaricae connumeratur; una ex parte est documentum perseverantiae populi Hungarici in fide catholica non obstantibus adversis circumstantiis, altera ex parte modus specialis consideratur contra sacerdotum penuriam pugnandi. Sicuti patet, illud specialibus circumstantiis suae aetatis explicari potest et hodie ne in nostra patria quidem amplius renovari posset.

78

Rev.mus P. D. CORNELIUS HEILIGERS

Superior generalis S.M.M.

Desiderio, a Summo Pontifice Paulo VI feliciter regnante expresso in allocutione hanc secundam Concilii sessionem inaugurante, respondentes, « altius investigemus doctrinam de episcopatu, de eius muneribus deque eius cum Petro necessitudinibus ».

Textus in cap. II schematis proiacentis propositus, elementa nobis quidem praebet positiva ac solida, quae doctrinam Concilii Vaticani I feliciter exponentia, munus episcoporum, Petri successore primatum tenente, complent.

Teste enim S. Scriptura ac ad tramitem tum traditionum Patrum quum documentorum liturgicorum, nonnullos maioris momenti aspectus melius ac cinctius in lucem poni liceat, *episcopatum nempe ut sacramentum proprie dictum* ac *episcoporum collegialitatem*. Quibus melius in lucem poni possunt relationes quae corpori episcoporum insunt cum eiusdem capite, Summo scil. Pontifice; ac orientationes operae theologorum pretiores praeberi « iter demonstrando ad consensionum unitatem efficiendam » (Alloc. S. Pont. 29-9-1963).

Ad episcopatus sacramentum quod attinet n. 14 huius schematis hoc clare affirmat ac arguit; indoles collegialis episcopatus in hoc schemate

clare nectitur instituto duodecim apostolorum: « ad instar cuiusdam collegii » (in nn. 12 lin. 31; 13 ac 16). Quae expressio nobis recta videtur, quamvis terminus « ad instar » minus fortis vel etiam infirmus interpretari posset. Attamen usus termini « collegii » in decursu schematis tali suspicioni minime ansam praebet.

Nonne vero desiderandum esset indolem collegialem episcopatus arctius necti cum eiusdem indole sacramentali?

Testante enim S. Scriptura apostoli a Christo Domino missi sunt ut quoddam collegium.

In munere praedicandi ac pascendi gregem eorundem successores, scil. episcopi, huius collegii missionis plene participes facti sunt consecratione episcopali, potestate nempe collata sanctificandi, docendi ac regendi.

In *Act. Apost.* 1, 15-26, Matthias « annumeratus est cum undecim apostolis », quo missionis collegii particeps effectus est. Si episcopatus est Ordo, consecratione episcopali electus in hunc Ordinem adsciscitur, ei communicandi scil. missionem collegii episcoporum.

Tali modo mysterium hierarchiae in Ecclesia perspiciendo clarius fit, triplicis episcopalis muneris collationem, multis epiclesibus consecratoriis testantibus, in hac consecratione ut in radice ponendam esse.

Quod munus seu potestas radicalis, episcopatui essentialis, ac toti collegio communis, requirit ulteriorem iuridicam determinationem ut exerceatur in concreto sive collegialiter ut in Concilio Oecumenico vel cum aliis fratribus episcopis in conferentia episcopali vel huiusmodi, sive modo particulari relate ad quoddam territorium, in ministerio cuiusdam Ecclesiae particularis, vel in aliquo sacro ministerio missioni hierarchicae Ecclesiae connexo.

Eadem hac appropinquandi ratione melius apparere nobis videtur, quomodo, mediante collegio cuius membrum sit episcopus, arctam cum eiusdem collegii capite relationem habeat.

Successor enim Petri, unitatis nexus visibilis (cf. *Col.* 2, 19), auctoritate superiore ac sibi propria collegialitatem illam divinitus institutam constituit, quae absque illo imperfecta esset. Christus enim collegium apostolorum, cui Petrum praefecerat, instituit. Petri ergo ministerium auctoritativum apostolorum collegio necessarium est.

Vicarius Christi atque successor Petri potestatem docendi ac regendi sibi propriam a Christo recipit; eius auctoritas ac infallibilitas, docente Concilio Vaticano I, ei obveniunt non ex delegatione vel consensu fratrum suorum in episcopatu, sed a Deo.

Sed minime huic veritati obstat, quominus asseratur Summum Pontificem potestatem hanc ac divinam assistentiam recipere ut caput collegii apostolici totiusque Ecclesiae terrestris, cuius fidem authentice exprimit quamque ducere illum oportet.

Hanc veritatem ac praecedentes reflexiones exprimentes, magni aestimare nos oportet traditiones Ecclesiarum orientalium magnaque attentione

fratres nostros Ecclesiarum illarum episcopos audire, qui nobis communicare velint quidquid de his in eorum theologia docetur. Talis enim communicatio latinos ditiores reddet simulque dialogum oecumenicum adiuvabit.

Emendando ergo nonnullas partes huius cap. II, tres praedictas proprietates: collegialitatem scil., sacramentalitatem ac nexus cum Summo Pontifice meliore modo apparere in sua mutua interdependentia nobis videtur. Pari modo sequelas practicas inde pro ministerio episcopatus deducendae facilius obtineri liceat.

Quapropter huiusmodi suggestus directivas a fratribus nostris venerabilibus factas vel faciendas libenter ac magno cum corde supportamus.

Unde et nos proponimus, ut illa formulatio, quae inter emendationes ab archiepiscopis et episcopis regionis Parisiensis propositas invenitur in pag. 34 sub II retineatur. Ibi enim collegialitas, sacramentum, potestas episcoporum ac eorundem relationes cum Summo Pontifice in organica quadam unione exhibentur ac collegialitatis fructus melius describuntur.

[*Subsignaverunt etiam*] J. B. Theunissen, arch. Blantyrensis; J. Puset, ep. Tamatava; Louis Jansen, ep. Isangi; L. P. Hardman, ep. Zombaensis; A. Guiot, ep. Portus Pacis; Ioannes Gunnarson, vic. ap. Islandiae; Remy Agustin (Haiti); Gregorio Garavito, ep. aux. Ciparissiae; A. Le Breton, ET Salona; G. J. Deschamps s.m.m., praef. ap. Daru.

79

EXC.MUS P. D. CAROLUS HERMANNUS HELMSING
Episcopus Kansanopolitanus - S. Ioseph

N. 15, pag. 26, linn. 39-40.

Mihi valde placet schema hoc. Sed quia nonnulli contrariam sententiam protulerunt contra possibilitatem habendi in Ecclesia diaconos coniugatos haec sequentia, ut mihi videtur, animadvertenda sunt:

Studium a Patre Schamoni « de diaconatu » clare loquitur de diaconis coniugatis et distinguit triplicem gradum:

1. De viris sanctae indolis qui bene regunt familias suas, optime proprio labore sustentant, et pro tempore opportune Ecclesiae pura mente et sine ulla spe remunerationis serviunt variis modis, e. g., uti advocati, doctores, periti in re sociali et oeconomica, etc. Hi multoties remunerantur ab ordinariis locorum per nominationem ad honores olim nobilitatis, e. g. equites ordinum variorum. Tales viri ad diaconatum permoti et charactere et gratia sacramentali suffulti multo melius Ecclesiae amplius poterunt servire in futuro.

2. Duces catechistarum in regionibus ubi Ecclesia primo plantatur. Si iam sint bene probati uti viri cultu vitae interioris et fraternae caritatis probati, quid prohibet tales ordinari ut diaconi qui similiter charactere sacramenti et gratia sacramentali roborati melius in dies Ecclesiae inserviant.

3. Viri selecti ex illorum non paucorum qui cursum seminarii impleverunt sed ex prudentia sacros ordines non acceperunt. Saepe variis modis Ecclesiae nunc inserviunt toto labore et ab Ecclesia sustinentur. Qui etiam charactere et gratia diaconatus sanctificati certo certius Ecclesiae poterunt melius inservire.

Mihi videtur: Ecclesia promovendo tales coniugatos ad diaconatum et statuendo illos non altius ad sacerdotium promoveri posse, potest melius roborare sacram caelibatus sacerdotalis legem.

Superscriptae sententiae subscribunt exc.mi ac rev.mi episcopi: Leo Byrne, Marion Forst, Charles Buswell et viginti alii episcopi ex Statibus Foederatis Americae Septemtrionalis.

80

Exc.mus P. D. MAXIMUS HERMANIUK
Archiepiscopus Vinnipegensis Ucrainorum

1. Pag. 27, n. 16, lin. 5. Post verba: « inter se coniunguntur » addere: et unum collegium episcopale efformant.

Ratio: Tunc comparatio inter collegium apostolicum et collegium episcopale esset perfecta. Sine illa additione, comparatio non est completa.

2. Eadem pagina, idem numerus, lin. 30: post verba: « in Concilio Oecumenico exercetur », addere sequentia: Ordinario autem modo potestas haec suprema in universam Ecclesiam collegii episcopalis in magisterio ordinario Ecclesiae manifestatur. Sacrosancta Synodus haec censet potestatem hanc supremam collegii episcopalis in universam Ecclesiam posse in futurum exerceri cum maiore fructu per quoddam *consilium apostolicum,* compositum ex Summo Pontifice ut capite et variis episcopis delegatis ex omni episcopatu ut membris, quod, statutis temporibus, sub auctoritate suprema vicarii Christi videret et statueret de omnibus rebus Ecclesiae et esset simul signum visibile et efficax et supremae potestatis Summi Pontificis et totius collegii episcopalis in universam Ecclesiam Christi.

(Exemplum quoddam compositionis talis consilii apostolici fuit propositum a nobis in nostris animadversionibus generalibus ad const. *de Ecclesia,* Pars I).

81

Exc.mus P. D. IOANNES HERVÁS Y BENET
Episcopus tit. Doritanus, prael. null. Cluniensis

Ad n. 15, pag. 26, linn. 28-41 (*de diaconis*).

Textus qui linn. 28-41, fol. 26, huius schematis comprehenditur, progressum Ecclesiae videtur promovere, sed revera regressionem parat. Primo intuitu quoddam problema solvi crederetur, at re diligenter inspecta, multo

plura et graviora problemata suscitari videntur, quam illud cuius solutio desideratur.

1. Totus etenim textus supradictus in his versatur, ut diaconatus fiat: *a*) gradus stabilis in hierarchia ordinis; *b*) cum amplioribus functionibus; *c*) liber a lege caelibatus; cuius legis dispensatio ordinarie et faciliter obtineretur, cum penes praepositos ecclesiasticos cuiuscumque regionis esset decernere talem dispensationem. Assensus enim sufficeret duorum episcoporum, non obstantibus aliis aliter sentientibus, prout ex textu allato, obvio sensu deducitur.

2. Ratio autem qua diaconatus stabilis, amplioribus functionibus ornatus et a lege caelibatus liber, in schemate proponitur, haec est: Sacerdotum defectus seu inopia, sive in terris missionum sive in nationibus catholicis quae, uti dicitur « in statu missionis » sunt. De hoc ultimo respectu schema tacet, sed bene notum est rem agitari in scriptis hodiernis quae hanc quaestionem pertractant.

Votum nostrum circa ea quae in hac paragrapho schematis proponuntur in eo est ut textus qui in folio 26, linn. 28-41, continetur, omnino auferatur.

Rationes, quibus nostrum votum fulcitur, haec sunt:

Pius XII, in allocutione ad II Congressum Mundialem de Apostolatu Laicali (Romae, 5 oct. 1957), his qui opinabantur diaconatus Ordinem suscitandum esse tamquam munus ecclesiasticum a sacerdotio independentem, hoc responsum dedit: *res adhuc matura non est.*

Nobis hodie modeste liceat opinari iudicium a Pio XII prolatum adhuc vigere: res matura non est!

Liceat quoque nobis aliqua addere magna cum reverentia erga eos qui contraria opinantur.

Propositum instaurandi diaconatum, tamquam gradum stabilem hierarchiae ordinis, ampliori munere ditatum et solutum a lege caelibatus, meo humili iudicio, his defectibus laborat: 1. non nititur solido fundamento; 2. non est necessarium; 3. videtur contrarium saeculari disciplinae et traditioni ecclesiasticae; 4. non apte componitur cum doctrina Concilii Tridentini; 5. non solum non solvit hodierna Ecclesiae problemata, immo vero etiam novas et graviores Ecclesiae pareret difficultates.

1. Nova diaconatus forma *non nititur solido fundamento.*

Etenim non satis cognoscuntur plura *facta historica,* quae magni ponderis essent ad ulteriora consilia capessenda et statuta decernenda. (Quaenam, exempli gratia, fuit natura intima et completa diaconatus in primaeva Ecclesia?). Quaenam nempe pro certo affert historia circa hunc hierarchiae gradum? Quae difficultates passa est Ecclesia, et quibus rationibus mota, ut stabilitatem diaconatus tolleret? Nonne satis novimus adeo crevisse, progrediente tempore, potestatem et munera diaconatus, ut, ex una parte, eius potentia in iniuriam sacerdotii verteret; et ex altera parte, missionem et auctoritatem episcoporum saepe graviter offenderet?

Praeterea, numquid certi sumus iterum hodie non eventuras esse easdem difficultates, easdem causas, quibus tunc temporis Ecclesia agitata est, ita ut Ecclesia cito cogeretur ad novam suppressionem diaconatus decernendam? Numquid Ecclesia recte potest tam novam et incertam viam aggredi (quae potius « archeologismum » sapit, ut ita dicam, quam remedium Ecclesiae conveniens), cum rei pericula ignoret et veterum experientiae non meminerit? Potestne saecularem disciplinam evertere, quae in praxi canonica perplurima saecula numerat?

Aliunde, argumentum *ex gratia sacramentali* inductum pro diaconatu instaurando, licet vi non careat, nullo tamen modo probat thesim de *necessitate* vel maxima *convenientia* huius instaurationis. Et de facto Ecclesia, quae temporibus transactis talem gratiam sacramentalem nec ignorabat nec spernebat, facultates et stabilitatem diaconorum tollere necessitate compulsa est, et firmiter ac prudenter sustulit.

Argumenta igitur historica, quae fundamentum validum possent praebere, nobis certo desunt vel sunt contraria tali instaurationi. In his dubiis versantes non possumus non meditari: solutio in schemate proposita dissuadenda videtur.

2. Diaconatus instauratio *non est necessaria.*

a) *Angustia seu inopia sacerdotum,* tum in missionibus tum in aliis nationibus catholicis quae cleri defectu laborant, *aliis mediis* optime notis et experientia commendatis, *solvi vel levari efficaciter potest.* Haec autem media pastoralia bene aptantur necessitatibus nostrae aetatis; potenti actione Spiritus Sancti videntur ducta; doctrinae et hortamentis hierarchiae concordant; et tandem optime respondent optatis et votis laicorum, qui inter selectissimos et Ecclesiae addictissimos recensentur.

b) Talis diaconatus instauratio, nonne effectum contrarium produceret, cum apostolatum multo *magis clericalem* redderet? Nonne letalem amputationem inferret hodiernae laicorum actioni apostolicae, quae quidem ex pleniori sensu Ecclesiae inter laicos nata est? Nonne haec decreta quandam diffidentiam arguerent erga laicos et erga eorum collaborationem in Evangelio praedicando?

c) Incerti et insecuri *proventus,* qui desiderantur ex instauratione diaconatus, multo melius efficaciusque obtinentur, experientia pastorali teste, ex aptiori atque accuratiori actione laicorum sub ductu hierarchiae laborantium; ex multiplicibus laicorum *consociationibus,* quas nunc mirabiliter suscitat Spiritus Sancti efflatus in Ecclesia; ex florentissima Institutorum Saecularium fasce, quae velut novae et virentes Ecclesiae propagines, laetificant Civitatem Dei, eamque iterum atque iterum novis coloribus exornant, et opimis fructibus mirabiliter ditant.

Ergo instauratio diaconatus omnino innecessaria videtur nostris temporibus.

(Cf. ad rem documenta pontificia, quae pro nostris diebus agunt de

actione laicorum in missionibus promovenda et de mediis pro vita christiana restauranda et promovenda in America Latina).

3. Instauratio diaconatus, prout in schemate proponitur, est contraria *saeculari et traditionali Ecclesiae disciplinae.*

Leges enim disciplinares, iam a primis saeculis, contra *caelibatus* abolitionem et violationem providebant. Sufficiat in memoriam revocare canonem 33 Concilii Illiberitani (a. 306), et eundem conferre cum Decretis Concilii Wormatiensis (a. 868); legantur epistolae S. Siricii (ML 13, 1155), et Innocentii I (ML 40, 475, 476, 496-497), et S. Leonis Magni (ML 54, 672), atque testis audiatur S. Hieronymus necnon S. Epiphanius, tum pro Ecclesia latina tum pro Ecclesia orientali.

En *factum historicum certum et notatu dignum*: veteres leges ecclesiasticae, quibus caelibatus urgebatur, pari semper vi et diaconos et presbyteros spectabant, eisdemque poenis minabantur transgressoribus tum presbyteris tum diaconis. Lex autem a primaeva Ecclesia recepta quae eadem ipsa vi et presbyteros et diaconos alligavit ad caelibatum servandum, caute hodie et diligenter consideranda est, cum non facile praevideri possint ea quae ex infirmo principio, decurrente tempore obvenire possunt et, ut pressius dicam, obstacula quae pro hodierna disciplina ecclesiastica obvenire possunt ex dispensatione pro diaconis proposita.

4. Non videtur quomodo possit cum quibusdam *decretis Concilii Tridentini* concordare.

Can. 2 de sacramento Ordinis sic se habet: « Si quis dixerit praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et maiores et minores, per quos velut *per gradus quosdam ad sacerdotium tendatur,* a. s. » (Denz. 962).

Hic canon respondet doctrinae cap. II « De septem ordinibus », in quo asseritur: « Consentaneum fuit... ut plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deserviunt, ita distributi, ut... *per minores ad maiores ascenderent* » (Denz. 958).

5. Instauratio tandem diaconatus in schemate proposita, non modo non solveret difficultatem, immo vero etiam maiores et graviores difficultates gigneret, ut ipsi episcopi missionarii fatentur.

a) Quoad sacramenta et Ordinem exercendum: diaconi confessiones audire non possent; neque ergo Communionem impertiri, si sacerdotes desunt, qui fideles absolvant; cetera servitia ecclesiastica, videlicet catechesis, infirmorum visitatio, opera socialia et caritativa, etc., optime exercentur a catechistis laicis.

b) Quoad *vocationes* augendas et excolendas: diaconatus a caelibatu solutus vocationes sacerdotales minueret; et consequenter statum Ecclesiae aggravaret, quem levare intendebat.

c) Ad *rem oeconomicam* quod attinet, diaconus sponsatus et cum filiis Ecclesiam gravaret, cum subsidiis indigeret amplioribus quam catechistae, immo quam ipsi sacerdotes.

His omnibus rationibus perspectis, quae si coniunctim considerentur, meo humili iudicio, magni ponderis habendae sunt:

Votum ergo sic humiliter proponendum iudico: omittatur textus schematis qui in folio 26, a lin. 28 ad 41, continetur.

Votum additum: Verumtamen, ne videamur claudere portam his fratribus carissimis qui talem diaconatum necessarium existimant, poterit forsan accessus ad diaconatum determinatis conditionibus permitti, ita ut Concilium optata Patrum, qui talem diaconatum expostulant, audiret, et simul maximas adhiberet cautelas, ut damna et pericula, quae praevidentur, in quantum fieri possit removeantur.

Conditiones, quibus diaconatus stabilis concedi posset, haec saltem essent:

1. Ex parte auctoritatis concedentis: *a*) accessus ad diaconatum stabilem concedi potest tantum a *Sede Apostolica*; *b*) postulationes ad diaconatum fient a conferentia episcopali uniuscuiusque regionis.

2. Ex parte subiecti: diaconatu stabili ii tantum laici insignirentur, qui, iudicio Ordinarii loci, *a*) diuturno *bono exemplo* proprio et uxoris et filiorum insignirentur; *b*) magno *zelo apostolico* notati, Ecclesiae et animabus inservissent; *c*) professionem seu artem profanam honestam exercentes, ex qua victum familiae haberent.

3. Ex parte *iuris seu disciplinae* ecclesiasticae: disciplina generalis Ecclesiae circa sacramentum Ordinis et circa diaconatum in specie, non immutaretur, sed tantum haec daretur exceptio in favorem illarum regionum, quarum pastores, probante Sede Apostolica, hoc remedium opportunum iudicaverint.

Unde *votum additum* sic proponeremus: textus schematis, cap. II, folii 26, qui linn. 28-41 continetur, de novo redigatur iuxta supradictas conditiones.

82

Exc.mus P. D. CAROLUS M. HIMMER

Episcopus Tornacensis

1. Secundum plures Patres qui in aula ad hoc alluserunt, non videtur reservasse locum sat amplum « presbyteris ».

Plures etiam suggestiones factae sunt quibus certo certius plurimi episcopi, immo omnes assentiunt vel assentirent.

Praeprimis in lucem meliorem ponenda est *relatio presbyteratus ad Christum* qui iam ex unione hypostatica Summus et unicus sacerdos constituitur. Inde oportet presbyteratus eminentem dignitatem quae derivatur ex ordinatione presbyterali melius ostendere. Hac enim presbyter fit particeps sacerdotii Christi et inde ipsi Christo unitur vi ipsius sacramenti gradu minori ac consecratione episcopali sed valde intimiori quam baptismo ac confirma-

tione. Proinde non tantum novo ligamine morali sed etiam ontologico Deo « consecratur ».

2. Pag. 26 speciatim in 1 paragrapho functiones seu officia presbyterorum laudabiliter describuntur. Non satis tamen enucleatur aspectus *pastoralis* et *missionarius* horum officiorum. Schema loquitur tantum de ministerio apud fideles. Conferantur lin. 4 « in omnes fideles dispergant... » et lin. 8 « ... fideles ad iugem orationem exhortantur » « eosque multiformi praedicatione verbi Dei instruunt ». Optandum esset ergo quod ibi in hac constitutione dogmatica recolatur expresse curam presbyterorum (etiam in paroeciis) esse extendendam ad homines non baptizatos, immo ad baptizatos qui sunt « longe », i. e. qui praxim religiosam et aliquando fidem amiserunt. Aliis verbis ibi speciatim explicita mentio fiat muneris non solum fideles docendi *sed omnes evangelizandi.*

Neque satis ibi indicatur de munere pastorali presbyterorum. Hoc enim munus nimis coarctatur dicendo lin. 8: « fideles ad iugem orationem exhortantur et dirigunt ». Hic textus emendandus esset ad minimum ita: « fideles ad iugem orationem *et etiam ad vitam Evangelio conformem ducendam exhortantur...* ».

3. In votis nostris est ut par. 15 loco mutetur, id est transferatur in finem eiusdem cap. II.

83

Exc.mus P. D. CLEMENS IOSEPH CAROLUS ISNARD
Episcopus Neo-Friburgensis

Ubi agitur « de episcoporum munere docendi », pag. 30, linn. 23-29 invenitur sententia quae incipit verbis « Romani Pontificis authentico magisterio... » usque ad « ... vel ex dicendi ratione ».

Adhaereo opinioni exc.mi ac rev.mi arch. Mauritii Baudoux (emendatio 347) secundum quam haec verba omitti debent, immo tota sententia. Nam:

1. Paragraphus non agit de Romano Pontifice sed de episcoporum munere docendi. Ergo non videtur cur ibi introducatur doctrina de magisterio Romani Pontificis non « ex cathedra », cum nec indirecte materiam tractatam respiciat. Est importuna inclusio quae expositionis sequentiam confundit.

2. Si Romanus Pontifex ex cathedra non loquitur, i. e., si eius sententia reformabilis est, quomodo ei praestari potest « religiosum voluntatis et *intellectus* obsequium » (lin. 24) et « sententiae ab eo propositae *sincere adhaerere* » (lin. 26)? Duplex namque est criterium veritatis, sine quibus impossibile est praestare « obsequium intellectus » et « sincere adhaerere » alicui sententiae, evidentia nempe et fides, evidentia in dominio scientiarum naturalium, fides vero divina pro veritatibus a Deo revelatis. De evidentia naturali hic agi non potest. Et fides divina non datur nisi erga revelationem divinam a magisterio Ecclesiae irreformabiliter propositam. Non excluditur certe debita reverentia erga Romani Pontificis magisterium non ex cathedra, quod

semper agnoscendum erit, sed tantum alicuius generis adhaesio alicui sententiae sine sufficienti fundamento, quod esset actus potius demeritorius.

3. Opus est magisterium reformabile clare et distincte tractare, sine exaggerationibus, ne in posterum devenire debeamus ad excogitationes subtiliter excogitatas, quae magis sophismata quam argumenta appellari debent.

84

EXC.MUS P. D. RENATUS KÉRAUTRET

Episcopus tit. Aeropolitanus, coad. c.i.s. Engolismensis

In nomine plurium episcoporum Galliae et aliarum regionum.

De presbyteris, n. 15, cap. II schematis.

Sicut iam pluries dictum est, maximi momenti est hoc schema et pro populo christiano et pro episcopis sed etiam pro presbyteris. Valde oportet ut presbyteri agnoscant vocationem suam in proposito Dei, partem propriam in Ecclesia, et sic adimpleant munus suum in gaudio.

Post interventionem exc.mi D. Guyot, episcopi Constantiensis, ego vellem in eadem linea addere aliqua: 1. circa relationem episcopi cum presbyteratu; 2. circa relationem sacerdotum inter seipsos.

1. *De relatione episcopi cum presbyteratu.*

Est coniunctio, fundata in ordinatione, episcopi, qui curam habet boni communis dioeceseos et Ecclesiae pro salute hominum, cum corpore sacerdotali qui cum eo et sub eius ductu ministrat. (Quod illustrat Rituale ordinationis sacerdotum in ritu latino, quando episcopus, ordinans presbyteros, dicit: « Cooperatores ordinis nostri »). Sic auctoritas episcopi non apparet mere iuridica; est essentialiter legi Evangelicae consentanea: « Ego sum inter vos ut qui ministrat » (*Lc.* 22, 27), et sacerdotes in eadem linea non sunt servi sed amici: « Iam non dicam vos servos, sed amicos... » (*Io.* 15, 15). Eadem lex et episcopum et sacerdotes obligat, licet diverso titulo. Bono communi episcopus et sacerdotium subiiciuntur, episcopus ut praeses, sacerdotes ut cooperatores. Relatio sic exprimitur in loquela caritatis.

At non sufficit affirmare talem esse relationem episcopi cum presbyteris; necesse est eam in praxim deducere. Ad hunc finem obtinendum mihi videretur opportunum simul affirmare munera et iura episcopi et sacerdotum in mutua correlatione:

Episcopus est pater omnium. Ideo debet facere quod in se est ut quam proximus sit sacerdotibus; correlative omnes sacerdotes scire debent se adire posse episcopum et cum eo confidenter et sincere debere loqui.

Episcopus est praeses de bono communi coram Deo et Ecclesia responsurus. Ideo debet coeptum pastoralem, gallice diceretur « un plan d'action pastorale », instituere cum sacerdotibus ita ut quisque eorum partem habeat non tantum in tali coepto applicando sed etiam in eodem elaborando.

Hic modus agendi, si clare in schemate proponeretur, induceret sacer-

dotes ad laborandum laeto animo quia paulatim experirentur se vere cooperatores episcopi esse et socios, ubicumque forent, in pastorali dioeceseos, immo in pastorali totius Ecclesiae. Si componere licet cum industriae officinis, saepe dicunt operarios sine gaudio, quasi mechanice et automatice laborare cum eosdem motus manibus vel pedibus tota die, a matutino usque ad vesperum, faciunt quin habeant visionem globalem totius operis quod fit in fabrica; eosdem vero dilatari cum toti cursui fabricae initiantur. Sic multi sacerdotes aegre ferunt cum soli laborant in longinqua paroecia qui gaudium recuperarent si eis ostenderetur quomodo ad Regnum Dei promovendum realiter concurrant una cum episcopo et aliis sacerdotibus.

2. *Relatio sacerdotum inter seipsos.*

In schemate, bene sed, ut opinor, non satis clare describitur. Magni momenti apparet ut ostendatur hanc relationem esse relationem fratrum qui, in solidum, sub ductu episcopi, boni communis responsuri sunt.

In schemate *de clericis,* quaestio erit de quibusdam obligationibus aut consiliis, quae forsan onerosa videbuntur sacerdotibus. Ideo opportunum, immo valde optandum videtur hic fundamentum theologicum et spirituale instituere et quasi prooemium dogmaticum dare ut quaedam conclusiones appareant et alacriter, forti animo, et Deo iuvante accipiantur etiam si onerosa sint.

1. Fratres debent praebere mutuum auxilium ad vitam sacerdotalem promovendam.

2. Etiam ad pecuniam quod attinet, debent tendere ad quamdam aequalitatem; ii qui plus habent debent esse parati ad dandum aliis quia in eadem familia valde conveniens est divitiores adiuvare fratres qui laborant in campis difficilioribus.

3. In pastorali labore quem in solidum exercent, se paratos praebere debent ad perfungendum quolibet munere a superiore commisso. In certis casibus, optandum est pro bono communi ut sacerdos, aetate senescente et viribus deficientibus, renuntiet officium cui impar evasit et accipiat aut postulet minus officium. In hoc, nedum dedecus sit, generosa et mirabilis manifestatio servitii erit.

4. Optandum est denique ut decora, tituli, vestes quae nulli officio respondent, paulatim tollantur. Quod optavit em.mus card. Léger quoad vestimenta, nomina, aliaque decora episcoporum, idem quoad sacerdotes opto. Certo certius saepe fit ut haec decora dentur sacerdotibus bene merentibus. Sed simplicitati et paupertati Evangelii non sunt consentanea; aemulationes saepe provocant inter ipsos sacerdotes; quando episcopus nominat unum canonicum ad honorem, semper in periculo est ut provocet quamdam aegritudinem in pluribus. Sumus fratres. Nobis satis sit sacerdotes esse.

Redactionem novam huius paragraphi primi n. 15 trado secretariatui generali. Optetur: 1. ut textus huius schematis mutetur in sensu supradicto; 2. ut emendatio n. 254 integraliter recipiatur; 3. ut novus C.I.C. haec vota in consideratione habeat.

85

Exc.mus P. D. MICHAËL KLEPACZ

Episcopus Lodzensis

Schema constitutionis *de Ecclesia* declarat: « Episcopos, etiam vi sacramenti, superiores esse presbyteris quos ad sacerdotale munus participandum vocant ». Praetermissa hic felici correctione iam proposita, iuxta quam legendum esset « vi plenitudinis sacramenti », loco: « etiam vi sacramenti »,[1] cum non omnes episcopi iurisdictione sacerdotibus superiores sint, hic fundamentaliorem quaestionem aggredimur.

Saepe describitur haec superioritas episcoporum supra presbyteros, ac si de potestate episcopi presbyteros ordinandi ageretur, et quidem de sola hac potestate, ceteris praerogativis episcopalibus e iurisdictione potius emanantibus. Unde quidam aliquod dubium de hac superioritate vi sacramenti movere videntur. Difficultas vero evanescit, si res clarius proponitur.

Uti constat ex omnibus documentis liturgicis, inde a primis saeculis Ecclesiae, ritu consecrationis episcopalis confertur gratia aliqua Spiritus Sancti. Ritus vero ille stricto sensu sacramentalis dicendus est, cum certum sit saepe datam esse consecrationem episcopalem subiecto qui nondum erat sacerdos.[2] Unde et gratia ritu collata vere sacramentalis est. Historice autem constare videtur presbyteros numquam episcopos consecrasse. Qua de re S. Ioannes Chrysostomus aperte loquitur: « presbyteri episcopum non ordinassent ».[3] Ut adagio utar: nemo dat quod non habet. Quapropter, quamvis tres saltem Summi Pontifices simplicibus sacerdotibus facultatem dederint conferendi ordines tum diaconatus, tum etiam presbyteratus, et quidem non necessitatis causa, sed favoris gratia,[4] quamvis videatur etiam collegia presbyterorum primaevarum communitatum christianarum alios presbyteros

---

[1] *Emendationes ad partem I,* p. 31, n. 234.

[2] Cf. Gregor. Naz., *Orat.* 18, 33 (PG 35, 1027-1030); Io. Chrysost., *De Beato Philogonio, Hom.* 6, 2 (PG 48, 751); Augustinus, *Epist.* 209 (PL 33, 953-954); *Liber Pontificalis,* ed. Duchesne, I, 209; *Ordines Romani*: cf. M. Andrieu, *Les Ordines Romani du Haut Moyen-Age,* III, Louvain, 1951, pp. 572-573, 608, 610.

[3] *In epist. ad Philipp., Hom. I,* 1 (PG 62, 183; EP 1205).

[4] Bulla Bonifatii IX, 1 februarii 1400; textus apud F. Fofi, in *La Scuola Cattolica,* 52 (1924), pp. 179-180, desumptus ex Arch. Vatic. Reg. Lat. 81, fol. 204. Bulla Martini V, 16 novembris 1427; textus apud K. A. Fink, *Zur Spendung der höheren Weihen durch den Priester,* in *Zeitschrift der Savigny-Stiftung. Kanonische Abteilung,* 32 (1943), pp. 506-508. Bulla Innocentii VIII, 9 aprilis 1489; textus apud P. Pium de Langinio, *Analecta Ecclesiastica,* 9 (1901), pp. 312-313, desumptus ex opere *Collectanea Cisterciensium privilegiorum,* Divione, 1491.

revera ordinasse,[5] episcopi sunt tamen presbyteris vi sacramenti superiores, saltem in quantum soli sacramentalem episcopos consecrandi potestatem habent, quae specialis sanctificandi potestas est, qua presbyteri carent. Aliis verbis, episcopi possunt dare id quod habent. E contra, validus usus potestatis presbyteralis ordinandi alios presbyteros auctoritate et potestate aliqua superiore de facto nunc impeditur, propter rationes quae historice elucidandae essent, sed quae certe validae sunt. Brevi, superioritas episcoporum supra presbyteros vi sacramenti non in eo quaerenda est, quod episcopi soli potestatem radicalem haberent ordinandi presbyteros, sed in eo saltem quod episcopus solus episcopum consecrare potest.

Sed superioritas illa non limitatur ad hanc specialem potestatem conferendi gratiam sacramentalem episcopatus. Apparet etiam in munere episcopali docendi, praesertim in infallibilitate qua episcopi collegialiter pollent cum et sub successore Petri, cuius vero potestatis episcopalis presbyteri participes non sunt. Aliud est enim infallibilitas in credendo totius Ecclesiae seu universorum fidelium, aliud infallibilitas in docendo collegii episcopalis cum et sub Petro. Quae infallibilitas profluit e missione a Christo apostolis eorumque successoribus data: « Euntes ergo docete omnes gentes... Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 19-20). Ad hanc missionem exercendam episcopi idonei fiunt gratia Spiritus Sancti in sacramentali consecrationis ritu recepta. Non sequitur exinde novam gratiam novo ritui sacramentali adnexam requiri pro infallibilitate Summi Pontificis, quia ipse infallibilitate gaudet qua caput corporis episcoporum. Quare infallibilitas collegii episcoporum cum Summo Pontifice nullo modo opponi potest privilegio infallibilitatis Summi Pontificis qua capitis corporis episcoporum totiusque Ecclesiae. Spiritu Sancto regente Ecclesiam Dei, impossibile est enim ut Summo Pontifici desit consensus Ecclesiae, cum fieri non potest ut corpus episcoporum a capite suo separetur.[6]

Habetur tertio potestas regendi populum Dei, quae potestas presbyteris eo saltem sensu deest, quod ipsi non solum in universam Ecclesiam auctoritate collegiali nullo modo pollent, sed immo sub responsabilitate episcopi

---

[5] Ex historia Ecclesiae primaevae constare videtur, ex una parte functionem episcopi-praesidis presbyterii, i. e. collegii presbyterorum alicuius communitatis christianae, non esse omnino primaevam sed post aliquod temporis exortam esse, ex altera vero collegium locale presbyterorum, qui quandoque episcopi etiam vocantur (cf. *Tit.,* 1, 5. 7; *Act.,* 20, 17. 28), potestatem olim habuisse aggregandi novos presbyteros sacramentali manuum impositione. Sic, uti videtur, in *Tim.,* 4, 14, qui textus testari videtur de stadio, in quo usus potestatis presbyteralis ordinandi alios presbyteros non erat adhuc a superiore auctoritate impeditus. Sic facta illa intelligenda videntur, cum dici nequeat tres praefatos Summos Pontifices errasse in re adeo gravi, nec illos novam ordinis potestatem solo voluntatis actu sine ordinatione conferre potuisse.

[6] Maximi momenti sunt hic verba Gasser in Conc. Vat. I adhibita ante votum 18 iulii 1870: Mansi 52, 1214 A.

animarum curam gerunt. Episcopi autem congregati cum capite suo in concilio oecumenico aut dispersi, sed cum suo capite, vere plenam potestatem habent et quidem ex ipsa a Christo data missione: « Amen, dico vobis, quaecumque alligaveritis super terram, erunt ligata et in caelo; et quaecumque solveritis super terram, erunt soluta et in caelo » (*Mt.* 18, 18). Unde episcopi omnes, qua membra collegii, ad sollicitudinem apostolicam pro universa Ecclesia ex officio tenentur. Ad officium vero illud adimplendum sacramentali gratia episcopatus muniuntur. Soli autem episcopi residentiales, eo quod particulari Ecclesiae praeficiuntur et regimen suum pastorale *plena cum responsabilitate* directe super portionem populi sibi commissi exercent, plene missionem a Christo apostolis eorumque successoribus concreditam exercent.

Triplex vero potestas illa sanctificandi, praedicandi Christum nationibus atque pascendi gregem Domini, qua potestate episcopi presbyteris vere superiores sunt, stricto sensu sacramentalis dicenda est, quia episcopi plenitudinem sacramenti ordinis accipere debent, ut idonei fiant speciali gratia Spiritus Sancti ad triplicem missionem sibi a Christo concreditam exercendam.

Si res ita se habent, paragraphi de episcopis-successoribus apostolorum et de episcopatu ut sacramento ita retractandae videntur ut inde amoveantur citationes biblicae de quibus dubitari potest, an ad episcopatum hodierno sensu vocis certo se referant,[7] ut clarius in luce ponatur munus episcopale a missione apostolis a Christo data defluere, ut melius appareat indoles sacramentalis consecrationis episcopalis in eo potius consistere quod summo gradu triplicem potestatem confert sanctificandi, docendi et pascendi gregem Domini, ut elucidetur officium particulare episcopi residentialis e pleniore saltem exercitio missionis apostolicae.

86

EXC.MUS P. D. CONSTANS FRANCISCUS GERARDUS KRAMER

Episcopus Lunganensis

Gaudeo de complemento doctrinae Concilii Vaticani I, quod relate ad theologiam episcopatus praebetur tum per hoc schematis caput tum per clarissimos oratores qui in hac aula ultimis diebus verbum fecerunt. Timeo vero ne propter tantam emphasim, qua doctrina de episcopatu proclamatur — ac proclamari oportet diversas ob rationes iam sufficienter ab aliis indicatas — doctrina de presbyteratu insufficienter pronuncietur, immo distorquetur. Qui timor adhuc augetur propter attentionem specialem, quam schema in cap. III n. 24 versus sacerdotium universale totius populi Dei dirigit ac — iterum dico — in contextu dirigere debet.

Dictum est, Concilium Vaticanum I per nimiam insistentiam in defini-

---

[7] Ita *Act.*, 20, 28; *1 Tim.*, 4, 14; *2 Tim.*, 1, 6.

tionem Primatus S. Pontificis doctrinam de episcopatu sub umbra reliquisse. Haec Sacrosancta Synodus, evolvens doctrinam de constitutione hierarchica Ecclesiae, cuius presbyteratus sane est pars vere constitutiva, in idem periculum ne reincidat, scil. superstringendo doctrinam de episcopatu detrimentum inferendi in doctrinam de presbyteratu.

Laudandum sane est coniunctionem presbyteratus cum episcopatu in schemate clare indicari. Hoc autem ne fiat in detrimentum presbyteratus. Quaedam exempla afferre liceat.

1. Pag. 26, lin. 15 ponitur: presbyteri cuncti, etiam religiosi, suum sacerdotalis potestatis exercitium quasi unice habere a communione cum episcopo.

2. Pag. 30, lin. 31 dicitur: « Episcopus est summus sacerdos... praesertim in Eucharistia, quam ipse offert vel offerre facit ». Quid ergo presbyter? Offertne ipse sacrificium ex solo mandato episcopi an etiam ex propria potestate?

3. Pag. 31, lin. 1 dicitur: episcopi populis suis « Sacramenta praebent, quorum omnium distributionem regularem et fructuosam sua auctoritate ordinant et confirmant ». Illam distributionem regularem et fructuosam faciuntne sacerdotes ex sola episcoporum auctoritate?

Relate ad sacerdotes qui sunt religiosi in schemate tantum proclamatur: « agnoscant presbyteri cuncti, etiam religiosi, quot et quanta bona sibi ex hac intima coniunctione (cum episcopo) obveniant » (pag. 26, lin. 16). Nullum verbum additur de indole coniunctionis eorum cum episcopo vel de eorum statu in dioecesi eiusque activitate, dum nemini lateat, hanc coniunctionem et statum involvere quaestiones urgentissime solvendas tum pro Ecclesiis antiquis tum praesertim pro Ecclesiis in territoriis missionum noviter erectis. In schematibus ab hac S. Synodo postea tractandis, praesertim in schemate *de cura animarum,* multum insistitur ut clerus regularis modo magis effectivo et coordinato in curam animarum assumatur ac cum clero saeculari fiat « una acies ad regnum Dei in animabus roborandum et extendendum » (*ib.* pag. 21, lin. 23). In schemate illo vero tantum definitur « qua ratione ipsi religiosi hisce operibus... in singulis dioecesibus vacare debeant » quin delineatur, quemnam in dioecesi et inter collaboratores dioecesanos obtineant locum. Non sufficit praescribere, uti fit in schemate *de cura animarum,* pag. 21, n. 38, « arctam operum et actionum coordinationem, pari zelo et diligentia ab Ordinariis locorum et superioribus religiosis promovenda ». Nec sufficit appellare ad « supernaturalem animarum et mentium habitum, qui in caritate radicatur », uti ibidem habetur pag. 21, lin. 28. Opus est quod locus religiosorum clare et large describatur. Et hoc non tantum ad capiendam eorum benevolentiam, sed etiam ut ea quae sunt ordinanda pro eorum in curam animarum assumptione ac laborum coordinatione super proprium suum fundamentum recte stabiliantur.

In hoc schemate de constitutione hierarchica Ecclesiae ponuntur fundamenta theologica omnium, quae in ceteris schematibus de relationibus iuri-

dicis et pastoralibus decidentur. Si theologia presbyteratus in hoc schemate ulterius sit evolvenda, apta occasio mihi videtur adesse ut etiam fundamentalia principia de statu sacerdotum religiosorum clare exponantur.

Unde propono:

1. Verba quae sonant peiorativa presbyteratus in textu in quantum potest evitentur.

2. Doctrina de presbyteratu ampliore et clariore modo in schemate evolvatur.

3. Status sacerdotum religiosorum, praesertim Ordinum vel Congregationum vitae activae, in constitutione hierarchica Ecclesiae accuratius indicetur.

87

EXC.MUS P. D. DANIEL RAIMUNDUS LAMONT

Episcopus Umtaliensis

Argumentum de collegio episcoporum in schemate introducitur, eo proposito ut episcoporum dignitas extollatur iuxta generalem tendentiam praesentis Concilii in quo definitiones Vaticani I circa Romani Pontificis praerogativas complendae essent relate ad episcopos, ne hiatus inter summos hierarchiae gradus esse videatur.

Mediante idea collegii, multi putant episcopos ad auctoritatis ecclesiasticae verticem proxime adduci, ceterum praerogativae Summi Pontificis nullatenus laedi, quatenus collegium episcoporum non aliter quam Summo Pontifice praeside constitui potest. Immo, per ideam collegialitatis, ut multi credunt, illustrari posset non solum unitas episcoporum, sed et eorum dignitas et propinquitas ad Romanum Pontificem.

Ego autem, auditis quae in Concilio dicta sunt, auderem aliam proponere viam qua efficacius, ni fallor, singulis episcopis et omnibus simul, summa dignitas agnoscatur quin praerogativis Summi Pontificis quidquam minuatur. Hoc possibile est insistendo in distinctionem inter virtutem sacramentalem quae episcopis confertur, et divinam assistentiam quam Deus Ecclesiae suae promisit.

In Ecclesia eius duae virtutes divinae operantur, *a*) virtus sacramentalis, quae consecratione singulis episcopis confertur et inhaeret; et *b*) assistentia divina ab ipso Deo praestanda, ex qua proveniunt ea, quae charismatum instar se habent, maxime infallibilitas.

Iam vero, cum non sit nisi una consecratio episcopalis, virtus sacramenti eadem est in omnibus episcopis, etiam in Pontifice Romano. Divina assistentia promissa utique est pastoribus « quos Spiritus Sanctus posuit regere Ecclesiam Dei », sed intuitu Ecclesiae, quam ut suam sponsam Christus dilexit. Agitur quidem de Ecclesia universali, quam Deus nunquam deficere permittet; ideo pignus absolutum divinae assistentiae usque ad infallibilitatem convenit episcopis in quantum universalem Ecclesiam regunt.

Romanus Pontifex super ceteros episcopos praeeminet, quia virtute suae cathedrae, universalem Ecclesiam directe respicit, nam inquantum est successor S. Petri, et ipsi Dominus dixit: « Super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam... Confirma fratres tuos... Pasce agnos meos, pasce oves meas ». Ceteri vero episcopi, propter eorum pluralitatem, necessario restringuntur ad particulares dioeceses, quibus promissio indefectibilitatis facta non est.

Quare, Romanus Pontifex quando virtute successionis S. Petri reapse universam alloquitur Ecclesiam, exercet magisterium infallibile; ceteri vero episcopi in exercendo munere ordinario in particulari dioecesi, deficere possunt, defectu divinae promissionis.

Sed et ipsi episcopi universalem Ecclesiam respicere possunt, quando substantialia fidei tractent, necessario cum omnibus episcopis conveniunt; secundo, autem, cum omnes simul universam Ecclesiam alloquantur sicut fit in Concilio Oecumenico. In utroque casu, magisterium infallibile sicut Summus Pontifex exercent, propter promissionem factam intuitu Ecclesiae universalis, quae ex promissione divina est indefectibilis.

Multa emolumenta nascuntur ex constitutione divina episcopatus sic considerata. *Primo,* optime explicatur cur tot fuerint in historia Ecclesiae mutationes, et signate, cur differentiae existent in regimine venerandae Ecclesiae orientalis. Immo, in ipsa Ecclesia occidentis, initio exiguus fuit Romani Pontificis interventus in dioeceses aliorum episcoporum, sed hi interventus cito augeri coeperunt omnino sponte et saepe ipsis episcopis vel etiam laicis petentibus. E. g., saec. IV, in Concilio Sardicensi, Romano Pontifici reservatae sunt causae maiores. Eodem prorsus modo sponte perventum est ad hodiernum regimen omnium ecclesiarum cum necessaria extensione interventus ex parte Romani Pontificis. Optime dixit em.mus card. Suenens quod in Ecclesia salus populi suprema lex. Si hodie revertendum esse videatur ad instaurandas variationes in Ecclesia, etiam hoc fieri potest ob fidei propagandae et conservandae bonum, ne tamen fiat sub praetextu quod regimen Ecclesiae ex Christi voluntate sit regimen collegiale.

Secundo, ex distinctione inter potestatem sacramentalem et assistentiam Ecclesiae universali promissam, clare apparet quomodo potestas ecclesiastica manet in ipso Romano Pontifice et in ipsis episcopis (qui sunt personae humanae consecratae). Item apparet quomodo talis potestas non possit transferri ad personam moralem, e. g. ut collegium, quod est entitas mere iuridica et ideo incapax consecrationis. Hinc notandum est quod verbum istud, « collegium » infelix omnino apparet ad describendum consortium in unitate apostolorum, nam collegium si stricte sumatur praesefert notionem alicuius humanae conspirationis ad unitatem efficiendam. Revera, coetus apostolorum est aliquid aliud; est res mystica, quae non ex voluntate hominum sed ex Dei voluntate nata est. Verbum collegii, ut aliqui Patres conciliares iam notaverunt, nec in Sacra Scriptura invenitur, nec eo usus est Summus Pontifex in ultima locutione habita in hac aula.

Tertio: episcopi, auctoritate apostolica ornati, eo ipso maxime propinqui Summo Pontifici apparent, quin minuatur auctoritas successoris S. Petri.

Quarto: nulla manet differentia in duobus exercitiis magisterii infallibilis, nec ullum ex eis superfluum redditur.

Quinto: episcopatus, relate ad Romanum Pontificem, exhibetur sicut in ipso textu Evangelico. Ita et Concilia Oecumenica hodierna magis videntur similia primo Concilio Hierosolymitano, etiam quoad supremam auctoritatem; nam ibi Petrus tamquam unus ex omnibus, pro omnibus fratribus suis sententiam dixit, quam Spiritui Sancto ascribere non dubitaverunt omnes apostoli.

88

EXC.MUS P. D. STEPHANUS LÁSZLÓ

Episcopus Sideropolitanus

Observationes ad n. 15 cap. II *de Ecclesia.*

Multa et praeclara verba in hac aula de collegialitate episcoporum dicta sunt. Quod multis a nobis praeprimis placet, est hoc, praeter nonnullas diversas opiniones etiam satis magnam unanimitatem in multis quaestionibus huius gravis materiae adesse. A mea parte ergo ad hanc quaestionem nihil addere volo.

Praeterire autem nolo, de hac materia eiusque quaestionibus etiam extra aulam a sacerdotibus et laicis tractari. Satis nempe ephemeridibus, praeprimis relationibus officialibus informati sunt. Quibus sequentes quaestio orta est, utrum collegialitas episcoporum, i. e. eius spiritus etiam consectaria habebit, et quidem non tantum inter episcopos, sed etiam inter episcopos et sacerdotes atque religiosos et inter episcopos et laicos.

Secundum meam opinionem iustum esse videtur aliquid de hac re proferre, quia haec quaestio iam in praeiacenti schemate innuitur. Ita quod episcopos et sacerdotes attinet, eorum relatio « coetus coaptatus et concors » (pag. 26, lin. 15) nominatur et in hac connexione sacerdotibus aliqua pia adhortatio datur. Quod autem episcopos et religiosos attinet, etiam de his mentio fit, quia adhortatio ut supra non tantum ad presbyteros, sed etiam ad religiosos se convertit.

Quia haec quaestio non tantum presbyteros et religiosos valde interest, sed etiam in se sat magni momenti est, textus, qui in schemate est (pp. 25-26, n. 15), non sufficere videtur. *Propono ergo*:

1. Ut de presbyteris maior et amplior textus conficiatur, ut hoc iam ab aliquo Patre conciliari desideratum et etiam satis comprobatum fuit;

2. Quod episcopos et presbyteros attinet, ut Concilium se non tantum ad presbyteros convertat, sed etiam ad episcopos, ut ista coniunctio cum presbyteris etiam ab eorum parte foveatur. Etsi non adest inter ambos eadem relatio sicut inter episcopos inter se, tamen etiam et illa coniunctio a spiritu collegialitatis formari debet. Ista vel similia verba, cum quibus etiam

sensus gratitudinis et aestimationis erga suos fideles cooperatores coniungatur, leviter praeiacenti aut novo textui inseri possint;

3. Quod autem episcopos et religiosos attinet, utile esset, de hac re iam in hac parte doctrinali fusius tractare et ita solidum fundamentum pro futuris ordinationibus ponere. Ut autem textus non inutile prolongetur, saltem in lin. 1, pag. 26, post verbum « presbyteros », similiter ut in lin. 16 eaedem paginae, verba « etiam religiosos » inserantur;

4. Quod autem episcopos et laicos attinet, relatio inter ambos ex eodem sensu suo loco ordinetur.

89

Exc.mus P. D. ANTONIUS LIMA DOS SANTOS
Episcopus Ilheosensis

Pag. 23, lin. 6: « eo ipso *plena* dignitate hominis christiani... » hoc minime dicere possumus, quia in populo Dei sunt etiam peccatores in actuali statu peccati mortalis, a patria caelesti igitur devii, *digni* quidem qui paenas aeternaliter luant.

Linn. 6-7: tam violenter introducitur aspectus servitutis illorum qui potestate pollent, ut iam e populo Dei non esse videantur. Attendatur ad constructionem syntacticam: « Quicumque e populo etc.; qui vero ut ministri... »; e populo Dei an non?

Lin. 10: incongruens imago ex diversis diversa exprimentibus conflata.

Lin. 21: Concilium Vaticanum II nonne eandem vocem Dei ac Vaticanum I transmittit? Cur ergo hic legitur « ... suam facit ... » ut aliquando scriptor quidam suam facit doctrinam alterius?

Pag. 24, linn. 9-13 ... ut supra lin. 10.

Pag. 25, linn. 20-21: conclusio maior quam praemissae. Ex eo enim quod in consecratione episcopali confertur gratia Spiritus Sancti, non sequitur ut episcopatus sit gradus supremus sacramenti Ordinis. Aliquid addendum in praemissis.

Pag. 26, linn. 39-41. Tantum ut votum exprimam: ne *de clericis* in ultima sessione tantum Concilii Vaticani II, quoad disciplinam generaliter, loqui velimus, quia spes mitigationis legis caelibatus, quae non paucis arridet, quasi « corrosivum » quoddam bonarum dispositionum in ipsis agit.

Res quidem ardua est, et forsitan desiderabile foret ut electi quidam episcopi, ex omnibus nationibus, *secrete* cum Beatissimo Patre, sed *obiective* cum statisticis de statu actuali observantiae legis caelibatus agerent, ut pro bono animarum sive ipsorum sacerdotum, sive fidelium, aliquid definitive decernatur.

Pag. 26, lin. 16: « agnoscant presbyteri cuncti, *etiam religiosi* »; corrigatur: sive *saeculares* sive *religiosi*. Ratio: lenitatis sententiae gratia.

90

EXC.MUS P. D. IOSEPH LÓPEZ ORTIZ
Episcopus Tudensis-Vicensis

Post tam amplam et luculentam disceptationem, quae hucusque in hac venerabili aula protracta est circa constitutionem collegialem corporis episcoporum, certe quidem sub capite Petro, meam anxietatem patefacere audeo, ne quando ex ordine ad suffragia ferenda evocemur, illam unanimitatem non adsequamur ad minus moralem, quam in pertractanda et exponenda tam gravi re, quae ad essentialia in constitutione Ecclesiae attinet, omnes quidem exoptare debemus et re vera exoptamus.

Sententiarum diversitas, immo et oppositio, quae non minus pendenda est, acrior apparet ex eo quod Patres angustia temporis tantum ad singulares aspectus quaestionis orationes suas coarctare debuerunt, et nonnumquam gressu ut ita dicam polemico locuti sint; ita ut quandoque hac in disceptatione species videretur disputationis inter fautores diversarum scholarum theologicarum. Sed hoc in censurae modo non dicam. Theologorum, immo et scholarum munus in Ecclesia est sincere quaerere quod Dominus nos docere dignatus est. Et diversitas sententiarum fere semper ex eo oritur quod adhuc non omnes labores perfecimus, quae ad penetranda arcana sermonum Dei necessaria sunt. Quod munus theologorum nullimode episcopis alienum putandum est, qui magisterio authentico fungimur.

Hac ergo in gravissima re non inutile existimo, ut vox etiam audiatur scholarum theologicarum in sua diversa appretiatione divinae revelationis ab ipsis magistris exposita.

Quare maxima reverentia em.mis praesulibus innuere audeo an locus sit hac in disquisitione peritos interrogandi ad normam art. 9 *Ordinis Concilii celebrandi,* ita ut ex diversis sententiis quidam, etiam inter sese collatis consiliis, nobis explicent ordinem rerum; quomodo diversitas sententiarum exorta sit; quaestionem ordinate et plene adaperiant perspicuis definitionibus; sincere iudicium proferant de vi et sensu argumentorum; de consequentiis etiam practicis utriusque sententiae praevideant et moveant.

Et hoc quidem non spatio coarctati decem momentorum, quamvis nec etiam nimis lauto sermone.

91

EXC.MUS P. D. ALBINUS LUCIANI
Episcopus Victoriensis Venetorum

I. Si bene intellexi, exc.mus Veuillot, loquens circa praefatum n. 13 die 4 octobris, asseruit epistulas paulinas manifestare collegialitatem episcoporum et quidem ut aliquid essentiale pro Ecclesia. Ad suum assertum probandum nonnullos textus adduxit, in quibus Paulus vocat episcopos

« fratres », « cooperatores », « commilitones » in Christo vel in Evangelio (αδελφόυ, συνεργόυ, συστρατίῶτην). Cf. *Philip,* 2, 25 et *1 Thess.,* 3, 2.

Clare, iuxta exc.mum Veuillot, isti textus innuerent actus seu labores apostolicos sive Pauli sive singulorum episcoporum signari charactere seu chrismate quodam collegiali.

Meo humili iudicio, subsistere forsan posset haec argumentatio, si citatae expressiones a Paulo adhiberentur exclusive pro episcopis. De facto autem adhibentur — et ipsissimae — etiam pro laicis immo et pro mulieribus. Unde argumentatio videtur prorsus corruere.

Simplices fideles sexcenties « fratres » ab apostolo vocantur; Phoebe et Appia, mulieres, « sorores » dicuntur (*Rom.,* 16, 1; *Philem.* 2).

Aquila et Priscilla sunt certe laici et eos Paulus vocat συνεργους μοῦ ἐν Χριστῶ eodem modo ac Timotheum et Epaphroditum (*Rom.* 16, 3).

Philemon videtur esse laicus et dicitur συνεργός ἡμων (*Philem.* 1); Archippus, filius eius, item probabiliter laicus, vocatur συστρατιῶτη (*Philem.* 2).

In unico contextu sermo est de mulieribus « quae mecum laboraverunt in Evangelio » et de « Clemente et ceteris adiutoribus meis » (*Phil.* 4, 3). Collegialitas quidem insinuatur, sed latissima, quae, nedum Paulum et Clementem et adiutores, ipsas mulieres complectitur in unico communi nisu extendendi Ecclesiam per totam Ecclesiam.

Conclusio est: collegialitas episcoporum in persolvendo opere apostolico probari forsan potest aliunde, at non ex citatis expressionibus paulinis.

II. Patres, qui in aula conati sunt ex Scriptura probare collegialitatem episcoporum esse de iure divino, generatim methodo progressiva seu via descendentali usi sunt. Processerunt nempe de Christo ad nos; dixerunt *prius*: « Christus ita et ita episcopatum voluit! », ut *dein* concluderent: « Episcopatus ita et ita configuratus concipi debet! ».

Clarior forsan eadem probatio evadet, si quis methodum regressivam adhibeat qua e factis ad Christum ascendit et, postquam certam et constantem aliquam praxim in Ecclesia ostenderit, ex eadem praxi gressus moverit ad detegendum genuinum sensum verborum Christi.

A) En autem *facta* seu constantem praxim Ecclesiae.

1. Episcopi, pro bono universae Ecclesiae, quaedam solent agere indivisim, uniti scilicet inter se et cum Romano Pontifice sive solemni modo (« in nomine tuo *specialiter* congregati »!) in Conciliis Oecumenicis sive extra Concilia, dum — ipsis consciis et tota Ecclesia advertente — inter se et cum R. P. consentientes, cotidie magisterium universale ordinarium exercent.

2. Ita quaedam indivisim agentes, episcopi produnt se coetum quemdam efformare. Hic vero coetus non est communitas transitoria, tantum resultans ex communione loci vel temporis, ex identitate doctrinae et muneris, sed est verum corpus morale seu collegium, bene determinatum et a quolibet alio collegio distinctum, quia 1. in proprium gremium solos successores apostolorum admittit; 2. sua membra vinculo ita stricto R. Pontifici tamquam centro et capiti necessario ligat, ut nec existat nec concipiatur separatum a R. Pontifice vel oppositum R. Pontifici; 3. potestate propria

dotatur, quae nec est potestas qua singuli episcopi in propria dioecesi pollent nec est summa potestatum omnium episcoporum; 4. suam activitatem explicat in finem bene determinatum, nulli alii collegio proprium i. e. dirigere universos fideles in viam salutis aeternae.

3. Dicta potestas collegii in universam Ecclesiam non est mera quaedam sollicitudo qualem sive episcopi ipsi — ut singuli et suae cuiusque dioeceseos rectores sive simplices fideles, isti minore quidem titulo, habent. Est e contra vera potestas ordinaria et suprema (cf. c. 228), quae, si, sub forma magisterii se explicet, infallibilitate donata agnoscitur.

4. In decursu saeculorum exercitium potestatis supremae collegialis evenit paralleliter cum exercitio supremae potestatis primatialis.

B) Facta praedicta videntur Scripturam illuminare et eius interpretationem certiorem reddere. Enimvero: Propter assistentiam Spiritus Sancti nefas est asserere R. Pontificem et episcopos universos sese habuisse et egisse aliter ac Christus eos et esse et agere voluerat. Dicendum ergo est ipsum Christum voluisse collegium constans Papa et episcopis et pollens suprema in universam Ecclesiam potestate; ipsum Christum disposuisse ut suprema potestas aliquando collegialiter exerceretur et aliquando primatialiter, aliquando per Papam cum omnibus episcopis et aliquando per solum Papam. Dicendum etiam est verba quaedam Christi Domini plenam lucem accipere a factis praedictis. V. g., illud *Mt.* 18, 18-19 ... « Quaecumque alligaveritis... » intelligendum est: « Quaecumque — collegialiter, cum et sub Petro — alligaveritis ». Item illud *Mc.* 16, 15-16 « Euntes... qui crediderit... » intelligendum est: « Euntes, praedicate .... qui — vobis collegialiter, cum et sub Petro praedicantibus — crediderit, salvus erit... ». Observandum est:

1. Nil inde de primatu Romani Pontificis detrahi, nam in collegio episcopali episcopi sese habent ad Romanum Pontificem sicuti in collegio apostolorum apostoli sese habebant ad Petrum. Sese habebant autem ad ipsum tamquam ad caput vera iurisdictione pollens, verba enim « quaecumque alligaveritis » fuerant quidem dicta apostolis una cum Petro, at ipsissima verba dicta sunt etiam soli Petro, qui, insuper, per illum « Confirma fratres tuos » (*Lc.* 22, 32) et « Pasce agnos meos, oves meas » (*Io.* 21, 16-18), quin cessaret ad collegium pertinere, super ipsum collegium potestatem nactus est. Hinc: In collegio sive Romanus Pontifex sive episcopi universi potestatem supremam habent, at modo diverso: Romanus Pontifex sicut decet caput collegii, quod sive in collegium totum sive in singula membra iurisdictione pollet, episcopi vero ut mera membra collegii. Romanus Pontifex ita potestatem habet, ut exercere possit eam etiam solus, episcopi autem, ut eam tantum collegialiter et cum Romano Pontifice exercere possint et proinde quando Romano Pontifici placuerit, in materia quae ei placuerit et quin potestas episcoporum aliquid potestati Romani Pontificis addat, excepto quod, suam scientiam et experientiam adferentes, communes deliberationes prudentiores et opportuniores reddere possunt.

2. Dici nequit, e contrario, collegium episcopale, per ea quae supra

dicta sunt, nimis minui. Ipsi enim tribuitur quod tribuendum est i. e. vera potestas suprema in universalem Ecclesiam ipsa Christi voluntate existens. Specificatur autem modus, quo, iuxta eamdem voluntatem Domini, exerceri debeat, scilicet: non separatim a Romano Pontifice, non autonome i. e. sine Romano Pontifice aut contra Romanum Pontificem, non exclusive, quasi per efficacius exercitium potestatis collegialis possit inutile reddi aut suspendi exercitium potestatis primatialis. Per haec omnia limites quidem ponuntur, at non ultra Christi voluntatem, qui, volens simul efficienti servitio et unitati Ecclesiae suae providere, simul collegium episcopale instituit et collegium per primatum Romani Pontificis temperavit.

Quaesitum fuit: Quomodo possunt episcopi simul supremae potestati Romani Pontificis subesse et cum Romano Pontifice supremam potestatem gerere? Confiteor me de hac difficultate plenam explicationem non invenisse. Fides mihi duo suppeditat: episcopos cum Papa supremam potestatem participare et Papam super ipsos potestatem habere. Quomodo haec duo inter se conveniant fides non dicit. Quod nec novum nec mirum est in campo theologiae; quod iterum nos monet materiam hanc provinciam seu categorias rerum politicarum praetergredi, et casum prorsus singularem « potestatis » constituere, mysterio non carentem.

Maior difficultas ex eo provenit quod, ex una parte tanta potestas videtur episcopis a solo Deo « immediate » concedi posse vel debere, ex altera parte, immediatam illam derivationem excludere videtur Pius XII asserens episcopos frui potestate iurisdictionis « immediate sibi ab eodem Pontifice Summo derivata » (*Mystici Corporis,* in D. 3804). Quid dicendum?

Pius XII in l. c. loquitur tantum de episcopis « ad propriam cuiusque dioecesim quod spectat » (D. 3804). Cadit ergo difficultas, si cum multis distinguatur in episcopo duplex potestas, altera « singularis », singillatim pro dioecesi exercenda, altera « universalis », collegialiter pro universa Ecclesia exercenda et, concesso quod prima a Papa immediate derivetur, dicatur de secunda quod iam dicebat M. Cappellari: « ciascun vescovo, nell'atto ed in vigore della sua ordinazione, entra ad essere membro del corpo episcopale, e per conseguenza entra in diritto di governare e ammaestrare tutta la Chiesa, quando sarà in unione con tutti gli altri, e formerà corpo cogli altri » (M. Cappellari, *Il trionfo della S. Sede e della Chiesa contro gli assalti dei Novatori,* Venezia 1832, pp. 118-119).

Melius tamen concipere et asserere possumus quod ipsa potestas « particularis » immediate derivetur sive a Deo sive a R. Pontifice modo sequenti.

a) « Potestas » nomen est bipolare; supponit enim semper binas res sibi e diametro respondentes: in uno polo superiorem in altero subditum; hinc auctoritatem seu ius praecipiendi illinc oboedientiam seu obligationem parendi. « Potestas » insuper necessario supponit et exigit relationem seu ligamen inter hunc determinatum Superiorem et hunc determinatum subditum.

b) Ut detur ergo potestas unius super alium, requiruntur: 1. ius iu-

bendi in superiore, 2. obligatio oboediendi in subdito, 3. relatio seu respectus quidam inter superiorem determinatum et subditum determinatum.

c) Hinc: Immediate potestatem confert sive qui fundat ius praecipiendi in superiore et obligationem parendi in subdito sive qui ligamen creat inter duos qui hucusque ligamine carebant etsi potentialiter sibi invicem superior et subditus erant. A. v. *Deus* per baptismum ponit in omni baptizato obligationem oboediendi sive Romano Pontifici sive collegio episcopali sive illi e collegio qui ei forte ut episcopus proprius assignabitur a Romano Pontifice. Idem Deus per consecrationem episcopalem, inserens episcopum in collegium, ei tribuit potestatem « universalem », modo supra dicto exercendam, in qua continetur, veluti suspensa et implicata, etiam potestas « particularis », super determinatos fideles, si qua dioecesis a Romano Pontifice tandem assignabitur. *Romanus Pontifex,* subditos assignans, ligamen creat inter episcopum istum et subditos illos ac per hoc potestatem « singularem » antea ligatam liberat, ex involuta evolvit, ex indeterminata concretam reddit, ius vero episcopi et obligationem fidelium ex indeterminatione trahit, determinando. Hoc modo sive Deus sive Romanus Pontifex dicuntur episcopo immediate tribuere potestatem supra fideles dioecesis. Deus enim dedit ius et obligationem mediante ordinatione sacramentali et non mediante Pontifice; Romanus Pontifex vero posuit relationem mediante missione canonica et non mediante ordinatione. Hoc modo item multam difficultatem non facit quod saepe episcopi prius recipiant designationem ad datam dioecesim ac dein consacrentur. Verificatur, in casu, quod ligamen non ponitur tertio loco cum respectu ad obligationem fidelium et ad ius episcopi quae iam praecesserant; ponitur, secundo loco, respectum habens ad obligationem fidelium iam existentem et ad ius episcopi actu quidem non existens, at imminens ex ordinatione non procrastinanda et proinde ut existens consideratum.

His positis, sarta tectaque manente doctrina de primatu Romani Pontificis, opinor tuto, sub respectu doctrinae, et opportune, sive ob rationes oecumenicas sive ad complendam materiam quam Vaticanum I in suspenso reliquerat, introduci in textum schematis emendationes quas plures Patres proposuerunt 1. de existentia et 2. origine divina, 3. veri collegii episcopalis, 4. vera potestate iurisdictionis universalis instructi, 5. quae potestas a Deo per episcopalem ordinationem provenit. Circa 5. confiteor tamen difficultates omnes dissipatas bene non esse, etsi doctrina sit solida.

92

EXC.MUS P. D. CAROLUS GARRET MALONEY

Episcopus tit. Capsitanus, aux. Ludovicopolitanus

Pag. 26, linn. 38-39: omittantur verba « aut » et « aut in omnibus ».

Pag. 26, linn. 39-41: hoc vel simili modo dicatur: « Ad quod iudicium expetendum, Ordinarius loci, cum consilio et consensu coetus episcopalis

regionalis, Romano Pontifici omnes circumstantias propositi experimenti deferat ».

Ratio: Necessitas urgentissima quarumdam regionum. Ex alia parte, legislatio universalis hoc tempore evidenter impossibilis est. Ergo, collegium capiti suo rem deferat.

Pag. 29, lin. 39: verba ex Conc. Vat. I evidenter hauriuntur. Ideo, cur non scribitur: « ... in definiend*a* doctrin*a* de fide *vel* moribus ».

Pag. 29, linn. 37-40: haec declaratio videtur esse tautologica: refert enim « Ecclesiam definientem » habere infallibilitatem quam Dominus noster « Ecclesiam definientem » habere voluit.

Praeterea, linn. 36-37, expressio « definitiones... sincero animo accipi debent » parum dicit. Ni fallor, fere omnia, quae a Concilio dicuntur, sincero animo accipi debent.

His, igitur, vel similibus verbis, linn. 36-40 perfici possunt: « ... quorum definitiones de fide vel moribus ea infallibilitate pollent qua divinus Redemptor Ecclesiam suam instructam esse voluit »; vel, « ... quorum definitiones de fide vel moribus eadem infallibilitate pollent ac Romani Pontificis definitiones ex cathedra prolatae ».

Particularia, minoris momenti:

Pag. 23, lin. 19: dicatur « Cuius » loco « Quam », aut in lineis praecedentibus inserantur verba de qualitatibus Primatus.

Pag. 23, lin. 21: claritatis causa, inseratur « Sacra Synodus » ante « suam ».

Pag. 23, lin. 26: lege « declarar*e* ».

Pag. 24, lin. 2: dicatur « eius » loco « suae ».

Pag. 24, lin. 20: inseratur verbum « dilatandi » ante verbum « sustentandi ».

Pag. 24, lin. 24: dicatur « ipsis » loco « eis ».

Pag. 25, lin. 38: dicatur « hierarchia Ordinis » aut inseratur « Rom. Pont. ».

Pag. 26, lin. 25: Nonne melius diceretur: « seipsos per Christum offerre discunt; ».

Pag. 27, lin. 16: omittatur verbum « indivisum ».

Pag. 27, lin. 27: « funguntur » videtur esse usus insolitus?

Pag. 28, linn. 14 ss.: In Concilio Oecumenico adunati, episcopi potestatem supremam exercent. Ni fallor, argumentum ex hac ratione deductum obligationes episcoporum erga missiones modo magis efficaci demonstraret.

Pag. 29, lin. 11: Magis placet « linguis tamquam ignis » quam « igneis ».

Pag. 29, linn. 26-27: dicatur « fallaciamque errorum gregi suo imminentium vigilanter exponunt ».

Ratio: Impendens error quandoque arceri nequit sed fallacia erroris eius exponi potest.

Pag. 30, linn. 7-22: appenduntur duo folia in quibus ambiguitates potentiales clarificantur. Solutio autem huius problematis pendet a deci-

sione quaestionis utrum Concilium de obiecto etiam secundario infallibilitatis an tantum de obiecto primario tractabit.

Pag. 30, lin. 7: « Quando *enim...* ». Non liquet cur dicatur « *enim* »; haec sententia non videtur dare rationem praecedentis. Mea opinione, melius diceretur: « autem ».

Pag. 30, linn. 7-8: « aliquam veritatem *de fide definit...* ». Haec verba possent intelligi: « veritatem *ut dogma fidei definit* ». In hoc casu, quaestio esset solummodo de casu in quo Papa definiret veritatem aliquam tamquam divinitus revelatam credendam. Melius videtur evitare hanc limitationem quaestionis, dicendo: « aliquam veritatem solemniter definit ».

Pag. 30, linn. 8-9: « sed doctrinam fidei catholicae... ». Haec verba possent intellegi eo sensu ut insinuatur Papam, in actu definiendi, non posse nisi exponere vel tueri veritatem quae iam esset « doctrina fidei catholicae ». Communiter, haec vocatur « doctrina fidei catholicae » quae iam universaliter docetur et creditur in Ecclesia catholica. Sed functio Papae minime limitari debet ad exponendam vel tuendam doctrinam circa quam fides Ecclesiae catholicae iam universalis et explicita est; Papa est etiam supremus iudex in controversiis fidei, et ad exercendum munus suum iudicandi non debet semper et necessario expectare dum habeatur sententia unanimis totius Ecclesiae de re definienda. Hinc, mea opinione, melius diceretur: « Quando autem Romanus Pontifex aliquam veritatem solemniter definit, non ut persona privata sententiam proponit, sed tamquam pastor et doctor Ecclesiae universalis doctrinam fidei vel morum, divinitus Ecclesiae magisterio commissam, exponit vel tuetur » (« *doctrinam fidei et morum* » exprimit *totum* obiectum circa quod Papa infallibilis est; non limitatur ad ea quae iam sunt « doctrina fidei catholicae »).

Pag. 30, lin. 13: « sententiam definiunt, eam proferunt secundum ipsam revelationem... ». Haec verba possent intellegi eo sensu ut omnis sententia definienda necessario haurienda esset ex divina revelatione; id quod limitaret obiectum infallibilium definitionum ad res formaliter revelatas, et excluderet definitiones infallibiles rerum quae sunt tantum virtualiter revelatae, vel connexae cum revelatis, uti praeambula fidei, leges moralitatis naturalis, etc. Ad evitandam hanc ambiguitatem, melius videtur dicere: « Cum autem sive Romanus Pontifex sive Concilium sententiam tamquam divinitus revelatam credendam definit, eam necessario haurit ex ipso deposito apostolico revelationis, cui omnes... ».

Pag. 30, linn. 18-22: Melius, mea opinione, haec sententia ita proponatur: « Ad quam rite indagandam et apte enunciandam, episcopi et Romanus Pontifex pro officio suo et rei gravitate sese sedulo applicant, adhibitis mediis aptis, inter quae sunt consilia theologorum et exegetarum; novam vero revelationem post tempus apostolicum datam, tamquam ad divinum fidei depositum pertinentem non accipiunt ».

93

Exc.mus P. D. IOSEPH M. MARTIN

Archiepiscopus Rothomagensis

Circa n. 19.

Omnibus notum est formulam Concilii Vaticani I de infallibili magisterio Romani Pontificis — « ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae » — maximam difficultatem nostris fratribus seiunctis et speciatim orthodoxis praestare. Putant etenim hanc formulam significare quod Papa aliquid definire posset unice *pro suo arbitrio,* etiamsi plane *alienum esset a fide Ecclesiae,* immo, contra consensum vel fidem Ecclesiae.

Sensus autem genuinus Vaticanae sententiae valde differt et revera talis est: Quamvis Papa sit caput collegii episcoporum et semper agat ut caput collegii, charisma quo iudicare potest de rebus fidei et morum *non derivatur a collegio* sed directe a promissione Petro facta, ita ut actus Papae non indigeat aliquo actu collegii episcoporum vel Ecclesiae eum confirmante, aut approbante, vel ei auctoritatem dante. In persona pastoris et doctoris Ecclesiae universalis, charisma totius Ecclesiae *recapitulatur.*

Haec doctrina stat et a nemine in catholica Ecclesia in quaestionem vertitur.

In praesentibus adiunctis, opportunum esset ut haec doctrina melius explanetur in schemate nostro, cap. II, pag. 30, linn. 5 ss. Explicatio quae hic praebetur certe iusta est; attamen forte *insufficiens apparet,* sub respectu psychologico, in relatione ad difficultatem quae saepe saepius a fratribus seiunctis obiicitur — ita ut non faveat verum et desiderabile Oecumenismum.

Melius esset, formulam nostram ita praesentare, ut talem difficultatem *praeveniat* et sic quoddam obstaculum de medio tollatur. Ad hoc autem nobis praebetur occasio reapse unica, quae forte ante longissimum temporis spatium non amplius praesto erit.

Sed cum diversae formulae explicationis praesentari possent, intendo eas committere secretario generali, ut rite examini commissionis competentis subiiciantur.

Explicationes variae propositae, sive in textu ab episcopis Germaniae mense februarii huius anni elaborato, sive in observationibus ab episcopis Galliae occidentalis propositis (Emendationes scriptae, pagg. 41-42):

« Ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut actus Romani Pontificis nulla validatione indigeant et ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare omnino nunquam liceat »; vel « ex sese et non ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse, ita ut Romanus Pontifex non teneatur ad obtinendum concursum actuosum omnium episcoporum ut eas definitive proferat, et ab eius iudicio ad aliud iudicium appellare nunquam liceat »; vel formula ab exc.mo D. Amadouni proposita: « tanquam caput, doctor et pastor Ecclesiae universalis exponit vel tuetur. Ideo non ex quodam

actu collegiali episcoporum vel Ecclesiae, irreformabiles sunt, sed simpliciter ex actu capitis in quo charisma totius Ecclesiae recapitulari intelligitur »; vel post verba « doctor et pastor Ecclesiae universalis », lin. 10, addere verba haec: « in quo charisma totius Ecclesiae recapitulatur ».

94

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS MARTY

Archiepiscopus Remensis

Nomine 35 Patrum.

Loquor speciatim de exercitio ordinario potestatis collegialis episcoporum.

1. In art. 16 schematis *de Ecclesia,* potestas collegialis episcoporum sic definitur: « potestas plena ac suprema in universam Ecclesiam ». Subiectum indivisum huius potestatis est corpus episcoporum, una cum Papa.

In fine huius articuli, agitur de exercitio potestatis collegialis extra casum Concilii oecumenici. Quaestio est maximi momenti, sed textus non videtur sufficienter clarus. Etenim, cum textus loquitur de episcopis dispersis, agiturne de omnibus episcopis an non? V. g., episcopi, coadunati in coetu episcopali, potestatem collegialem exercentne vel non?

Si exercitium potestatis collegialis collegio indivisorum episcoporum reservatum est, sequitur quod quaeque episcoporum coadunatio non plenaria, hac potestate pollere non potest. Sed, in hoc casu, episcopi considerati essent tantum individualiter, et exhortati essent tantum ad adiutorium mutuum promovendum. Hoc confirmatur verbis art. 17 « unio collegialis », « sollicitudo », « affectus collegialis ».

Mihi patet quod, ex una parte, potestas episcopalis est radicaliter potestas collegialis, i. e. potestas membri collegii in universam Ecclesiam, acta in communione totius corporis episcoporum et una cum Papa. Sed, ex alia parte, cum potestas Summi Pontificis semper est plena et suprema, potestas collegialis episcopi non est plena et suprema nisi a collegio omnium episcoporum exercetur.

Nostra affirmatio ultimo fundatur in Eucharistia, ab episcopo celebrata: ubi est Eucharistia, ibi est episcopus, ibi manifestatio Ecclesiae universalis.

2. Si potestas collegialis episcopi e iure divino oritur, eius exercitium ordinarium nostrorum temporum exigentia videtur.

Ioannes Papa XXIII dicebat bene consideranda esse signa temporum ut necessitates missionis Ecclesiae clare manifestentur.

Ex his signis, tria retinenda sunt:

a) Mundus hodiernus magis ac magis ad unitatem tendit. Ad intelligendum hominem hodiernum, necesse est considerare non tantum territorium particulare ubi deget, sed etiam vitae aspectus, quae est praesertim vita socialis et functionalis.

Ergo actio pastoralis, quae debet attingere hominem in tota realitate sua, saepe saepius supponit *decisiones communes* episcoporum unius regionis, unius nationis, unius coetus nationum, et etiam decisiones communes omnium episcoporum.

b) Nostra tempora, ex alia parte, manifestant maximam varietatem ac diversitatem hominum in orbe terrarum degentium.

Ergo actio pastoralis fieri debet magis ac magis actio pastoralis *accommodata.*

c) Denique, cum mundus ad unitatem tendit, tamen divisionis germina multiplicantur, et homines non cessant separationis muros inter se elevare.

Ergo actio pastoralis hodierna scienter et volenter cum maxima cura *Ecclesiae universalis exercenda* est.

Talis actio pastoralis, communiter exhibita, hominum diversitati adaptata et cum Ecclesiae universalis cura exercita, maxime fovetur ab exercitio ordinario potestatis collegialis, omnibus gradibus ubi videtur necessarium.

3. Ad hoc exercitium ordinarium potestatis collegialis promovendum, sola affirmatio principii potestatis collegialis non sufficit. Quaedam regulae applicandae sunt:

Prima regula aut regula *participationis directae.* Exercitium potestatis collegialis non fit per personas interpositas. Quisquis episcopus debet personaliter decisionibus communibus participare.

Secunda regula aut regula *coadunationis.* Exercitium ordinarium potestatis collegialis exigit coadunationes multas, temporibus determinatis et omnibus gradibus ubi decisiones communes sumendae sunt. In hac visione, mihi videtur quod Concilium oecumenicum fieri debet institutio permanens, verbi gratia anno quoque decimo frequentatum.

Tertia regula aut regula *communionis.* Organici nexus debent omnes coadunationes episcoporum religare. Ipsum Concilium Vaticanum II clare manifestat necessitatem horum nexuum organicorum.

Quarta regula aut regula *repraesentationis.* Exercitium ordinarium potestatis collegialis realitas quotidiana non fit nisi constituuntur organismi restricti, scil. commissiones centralis et speciales, secretarius generalis, etc. Sed hi organismi debent realiter episcopos qui eos constituunt repraesentare, et cum spiritu servitii et non dominationis.

Conclusio. Exercitium ordinarium potestatis collegialis apparet ut necessitas nostrorum temporum. Est conditio *sine qua non* unitatis in diversitate, ut aedificetur Ecclesia una et catholica?

Olim centralisatio et uniformitas hoc exercitium ordinarium supplere poterant. Hodie, haec praxis non expedit: etenim, neque centralisatio, neque uniformitas veram unitatem Ecclesiae Christi salvare possunt.

95

EXC.MUS P. D. ROBERTUS MASSIMILIANI

Episcopus Civitatis Castellanae, Hortanus et Gallesinus

Loquar de diaconatu: humillime puto aliqua adhuc adesse dicenda quae iam dicta non sunt.

a) Diaconatus uti ex Actibus cap. 6 constat, institutus est quia nolebant apostoli derelinquere verbum Dei et ministrare mensis (cap. 6, v. 2).

Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testamenti, septem plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero oratione et ministerio verbi instantes erimus (vv. 3, 4).

Ergo ex institutione diaconorum divino apostolica, patet ipsos constitutos esse ut apostolos adiuvarent et supplerent primo et principaliter in operibus caritatis. Etiam lectio Evangelii immo praedicatio, distributio extraordinaria Eucharistiae et solemnis collatio baptismi sunt facultates diaconorum, sed ex constanti perantiquissima traditione hoc agebant ut immediati adiutores episcoporum et etiam presbyterorum qui nimio erant numero fidelium pressi.

Numquam invenitur in praxi Ecclesiae quod diaconus sit quasi parochus inferioris ordinis, cum cura etsi limitata animarum, constitutus supra determinatum numerum fidelium.

b) Hoc officium est presbyterorum qui prius in presbyterio cum episcopo degebant, postea ad necessitates spirituales pagorum subveniendas, facti sunt parochi separati seu distantes a presbyterio episcopi, et vocati plebani quia plebem curabant.

c) Diaconi quousque permanentes manserunt, in servitio seu diaconia episcopi erant: vocantur a S. Ignatio Martyre (*ad Philad.* 2, 1) « ministri ministrorum Christi »: item diaconus vocatur in scriptis pseudo-apostolicis (*Didascalia,* l. III) oculus episcopi ut invigilet super disciplinam cleri et populi, auris episcopi ut audiat fidelium lamentationes, manus episcopi ad eleemosynas largiendas, cor episcopi ut subveniat indigentibus.

Ipsi ex hac ratione collata est administratio bonorum Ecclesiae, ut in bonum pauperum ea administrarent, uti notum est ex Actis Martyrii S. Laurentii. Ex hac causa medio aevo diaconi et praesertim archidiaconi nacti sunt nimiam auctoritatem quia multa bona administrabant: archidiaconus Romanus fere semper papa creabatur.

Celebres diaconiae quae a saec. IV ad saec. IX tum in oriente tum in occidente in magnis urbibus floruerunt, et Romae tituli cardinalitii diaconales factae sunt, non erant nisi institutiones caritativae permanentes, quae a diaconis regebantur, ut subministrarent fratribus nostris, Christi pauperibus, alimonia (*Privil. Diaconiae, liber diurnus,* formula nona).

d) Mea humilis sententia esset, ut dicitur in schema, ut diaconi permanentes restaurentur, ut episcopi et presbyteri unice verbo Dei et orationi

sint intenti i. e. curae animarum. Cum haec sit institutio divino-apostolica Ecclesia non potest eius usum seu exercitium abolere, quod de facto hodie evenit, cum nullam exerceant hodie activitatem. Restauratio primo potest fieri cum eis qui studia theologiae compleverunt. Ipsi maneant aliquibus annis diaconi, prout episcopo placuerit. Poterunt bona temporalia administrare in curiis, seminariis, paroeciis: docere in scholis et seminariis; parochis operam praebere et sub eorum ductu curam animarum addiscere. Nihil prohibet quominus aliqui semper tales maneant. Pro omnibus hoc tempus erit optimum experimentum pro castitate, quia, proh dolor, aliqui sacerdotes vident in vita sacerdotali amplectenda errasse, postquam iam sacerdotes facti sunt.

Possent etiam fieri diaconi multi laici in religionibus clericalibus, multi sodales religionum laicalium, membra Institutorum saecularium, et ita porro.

e) Si sacerdotes omnes curae animarum addicantur, multi adhuc essent sacerdotes nostrarum regionum qui possent regiones sacerdotibus carentes adiuvare.

Iam alii ex alia parte dixerunt, neque ego repetam, quod multae facultates possent dari catechistis: nonne etiam in hodierna disciplina matrimonii, aliquando matrimonia possunt contrahi sine sacerdote?

Et pro Communione quid mirum si catechistae eam distribuant? Audivi in aliquibus statibus moniales nunc posse per seipsos communicare. Et prioribus saeculis nonne fideles Corpus Christi accipiebant in suis manibus et domi ferebant?

f) Ex iis patet me adhaerere sententiae cardd. Ruffini, Cento et plurium patrum qui diaconos uxoratos respuunt.

Consideremus quot aerumnas et labores Ecclesia latina sustinuit per tot saecula post reformationem gregorianam, ut caelibatum imponeret omni clero quorumcumque graduum et ordinum, et ita facta est, uti dicebat Augustinus *libera, casta* et *catholica.*

Ex vulnere allato caelibatui tot fructus et spirituales utilitates inde devenientes, labefactarentur.

Nam quid fiet de subdiaconis et minoristis? An faciemus duos distinctos ordines vel duas series ordinum sacrorum? In sententia enim aliquorum duo essent distincta genera diaconorum, diversa praeparatione, officiis, obligationibus. Nonne hoc est inauditum in Ecclesia catholica cum agitur de instituto iuris divini?

Scribit S. Hieronymus loquens de sacerdotio ad Evagrium: 'ubicumque fuerit episcopus sive Romae, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, sive Alexandriae, sive Tanis: eiusdem meriti, eiusdem est et sacerdotii.

g) Concludo: salvo meliore iudicio, peto quod ultima periodus pag. 26, linn. 39-41, deleatur.

96

EXC.MUS P. D. AUDENUS McCANN
Archiepiscopus Capetownensis

Cum schema nostrum tractare intendat de Ecclesia in universim, et quidem maxime sub lumine renovationis pastoralis quae nostris diebus tam necessaria apparet, videtur mihi quaedam circa illud observanda et quaedam proponenda esse.

Mea igitur sententia, par. 15 (De presbyteris et diaconis) valde incompleta remanet, praesertim ubi de presbyteris est sermo. In cap. III schematis fuse tractatur de laicis et de eorum loco et functione in Ecclesia; cur non idem fit et amplius pro presbyteris? Cur de presbyteris tam exigue agitur, cum munus eorum tanti momenti sit ut Concilium propositum sibi pastoralem finem attingat? Cogitate, venerabiles Patres, nos episcopos esse tantum bis mille quingentos, presbyteros autem, « providi cooperatores ordinis nostri » ad plura centena millia adnumerari.

Quare omnino assentio proposito iam facto ut specialis sectio schematis de presbyteratu instituatur. Item toto corde assentio proposito ut munus episcopi pastoralem ductum presbyteris praebendi clare in schemate delineetur. Sed etiam longius procedere vellem. Etenim, ista proposita in effectum deduci non poterunt nisi munus presbyteri in tota oeconomia evangelizationis et curae pastoralis clarissime in luce ponatur. Et sane, licet episcopus pastor sit principalis, maxime, ut iam praeclare dictum est, a presbyteris dependet. Ipsi enim vinculum constituunt inter episcopum et fideles, populum Dei. Episcopus non potest esse ubique, omnia per seipsum facere, omnes personaliter videre. Presbyterorum est munus episcoporum pastorale ad gregem ferre, ut ita dicam; et vicissim presbyterorum est populi necessitates et indigentias episcopo patefacere, immutationes in methodo pastorali opportuno tempore proponere — uno verbo, omnia agere quae ad mediatorem inter episcopum et populum spectant.

Quae ut clarius adhuc appareant, iterum redeamus ad illa verba in ordinatione presbyteri a nobis saepe prolatis: « sint providi cooperatores ordinis nostri ». Sane episcopo committitur munus triplex docendi, sanctificandi et regendi; sed ad hoc munus adimplendum concurrunt, et quidem modo indispensabili, presbyteri, ita ut vere mereantur laudari ut « gaudium nostrum et corona nostra ». Etenim ipsorum est non tantum verbum Dei praedicare, ac sacramenta administrare, sed etiam incertis consilium dare, vacillantes confortare, haesitantibus persuadere, omnes denique in plena vita christiana dirigere. Proinde, ut mundo nostro hodierno Iesus Christus vere realis appareat, vere « spiritus et vita » sit, non tantum nobis episcopis est adlaborandum, sed etiam et magis presbyteris, qui idem sacerdotium Christi nobiscum participant. Si Ecclesia verum in mundum influxum habitura est,

si magnae nostrae urbes iterum sunt evangelizandae, hoc unice fieri potest, ut arbitror, presbyterorum labore, zelo et vitae sanctitate. Nam in isto tam vitali apostolatu moderno presbyteri potiores partes habent, plus quam laici, immo plus quam ipsi episcopi.

Totum id ad quod Concilium Oecumenicum tendit in hoc uno consistit: in instauratione totius mundi in Christo. Totum id ad quod presbyteratus tendit est in hoc, quod talis optata instauratio in effectum deducatur: quod facere debent presbyteri tum spiritum laicorum apostolorum animando, tum iuventutem instruendo, tum scholas tuendo, tum familiam protegendo, tum maestos et dolorem patientes consolando.

Iamvero, venerabiles Patres, quae hucusque dixi de presbyteri munere in schemate de Ecclesia clare agnoscendo magis adhuc valent de iis presbyteris qui in paroeciis operam navant. Etenim in paroecia populus Dei suam vivam invenit expressionem, in illa communitate nempe in qua vita Christi quam maxime alitur et de eadem vita quam maxime vivit et agit. Per istam vivam communitatem renovatio pastoralis efficietur, novas evangelizandi rationes super solidum fundamentum quarundam veterum aedificando. Inter has ultimas sane eminet, adhuc nostris diebus, visitatio familiarum in domibus earum, de qua in mente venit adagium, anglice " a house-going priest makes a church-going people ", seu: si presbyter ad domos vadit, populus ad ecclesiam venit.

Nonne igitur clarum est munera presbyteri maximam Concilii attentionem mereri, si finem nostrum, ut per Ecclesiam Christus omnibus hominibus notus fiat, attingere volumus?

Sunt et alia bona, quae ex clara munerum presbyterorum delineatione sponte sequuntur:

primo quidem, presbyteri se sentient arctiore vinculo caritatis Christi inter se coniungi. Iam permulta de collegialitate episcoporum in hac aula dicta sunt. Sed ne obliviscamur, quaeso, idem de collegio presbyterorum statuere, eadem claritate. Quod sane ad maximum Ecclesiae bonum redundabit: nam coetus presbyterorum, corde magno et animo volenti, eo alacrius ad arduum evangelizandi opus concurret quo fortius se sentient in una compagine uniri;

secundo vero, collegium presbyterorum, quod (ut iam antiquitus perspiciebatur) veluti corona episcopum circumdat, valde profunde conscium evadet se cum ipso episcopo in qualibet Ecclesia locali intimis vinculis adnecti, et quidem vinculis non mere externis et iuridicis, sed amoris et sacerdotalis laboris et responsabilitatis. Ita episcopi et collegii presbyterorum socius labor efficiet quod in unaquaque Ecclesia locali in dies magis Christi effigies eluceat. Ita etiam, quemadmodum episcopus sine presbyteris agere fere non potest, sine episcopo nihil, ut iam voluit S. Ignatius Antiochenus, in Ecclesia agatur.

Propono igitur ut specialis instituatur sectio seu paragraphus in quo clare ostendatur participatio presbyteri in nostro sacerdotio quod Christi est,

et consequenter, in triplici munere sacerdotali docendi, sanctificandi et regendi — uno verbo, Christum hominibus dandi.

De diaconatus permanentis instauratione.

Disceptatio de instauratione diaconatus permanentis, meo saltem iudicio, quaestionem minime elucidavit. Nam, ut arbitror, omnino insufficienter proposita sunt fundamenta et praesupposita theologica diaconatus, non quatenus est gradus in ascensione ad sacerdotium, sed praecise quatenus constituit permanentem vitae statum in structura Ecclesiae hierarchica. Consequenter, nec relatio status caelibatus ad statum diaconatus sufficienter explorata est.

Iamvero, ex Actibus Apostolorum constat primos diaconos ab apostolis constitutos esse ad subveniendum per caritatem erga pauperes necessitatibus materialibus populi Dei. Pariter, septem diaconiae romanae ad materialem ecclesiarum necessitatem atque ad reliquias colligendas institutae sunt. His igitur in initiis, nequaquam erat quaestio de Eucharistia distribuenda nec de praedicatione.

Ceterum, quidquid sit de eius fundamento theologico, quaestio de instauratione diaconatus permanentis hodie proponitur ob rationes solummodo *practicas,* maxime sane ob penuriam sacerdotum, qui non sufficiunt ad evangelizationem mundi hodiernam. Diaconi igitur, ut proponitur, duces essent communitatum christianarum ubi presbyter non adest. Eucharistiam distribuerent ac benedictionem eucharisticam impertirent. Communitatem in orando ducerent ac verbum Dei ei praedicarent.

Unde, propter finem practicum quem sibi proponit quaevis diaconatus instauratio, et etiam propter difficultates quae exsurgunt cum de caelibatu exigendo vel non exigendo agatur, propono ut diaconatus non concedatur tanquam ordo, sed quod benemerentibus laicis quibusdam, iuxta necessitates, facultas tribuatur quasdam diaconatus munera exercendi, ut e. g. sunt distributio S. Communionis, impertio benedictionis cum SS. Sacramento, catechizatio, etiam per lectionem concionum aliunde praeparatarum, directio fidelium in oratione.

Uno verbo, diaconatus permanens instauraretur non tanquam ordo, sed tanquam functio; seu esset diaconatus instauratio ex iurisdictione, non ex ordine. Nec praetermittendum videtur hoc meum propositum portam apertam relinquere ut, quaestione magis maturata, ipse diaconatus ordo etiam in posterum instauretur.

97

EXC.MUS P. D. IOANNES McELENEY
Episcopus Kingstonensis

Pag. 26, linn. 28-41. Propono ut praesertim pro regionibus sic dictis missionariis permittatur gradus permanens diaconatus secundum desiderium singulorum episcoporum.

Propono insuper ut tales diaconi sacra caelibatus lege non adstringantur. Rationes huius postulati sunt sequentes: non tantum quod numerus sacerdotum in regionibus missionariis valde exiguus sit, sed etiam quod adsunt ibi homines in statu matrimonii viventes, quorum filii iam adulti sunt et qui ipsi laici catholici praeclarae virtutis sint. Addatur quod in casibus particularibus quasi omni cultui religioso in ecclesia adsunt et parocho diligenter adiuvant in choro instruendo, in cantu congregationis et in Missis recitatis dirigendis, etc.

98

EXC.MUS P. D. MARCUS GREGORIUS McGRATH

Episcopus tit. Caeciritanus, aux. Panamensis

Cum collegialitas episcoporum fundamentum habeat iam in Novo Testamento in collegio apostolorum, ut recte dixit em.mus D. card. Meyer, eadem collegialitas manifesta exstat, testimoniis historicis roborata, inde a primaeva Ecclesia.

Nam etsi *theoria* collegialitatis in actu gestae solummodo clare appareat in celebratione primorum Conciliorum Oecumenicorum; si ipsa terminologia, qua coetus episcoporum « corpus » vel « collegium » dicitur, solum in tertio saeculo invenitur et signatur nota iuridica, ut recte animadvertit em.mus D. card. Siri, attamen *res* ipsa ad primordia christianismi pertinet. Ecclesia in vita sua quotidiana semper de hac collegialitate conscia erat eaque in praxi utebatur, etiam antequam haec collegialitas nomen acceperit et in theoriam expressa fuerit.

Iam aliqua indicatio huius rei datur in par. 16, linn. 5 ad 9, ubi scribitur: « Iam perantiquus usus indolem collegialem sacri episcopatus innuit ubi novum electum a tribus saltem episcopis ad summi sacerdotii ministerium elevandum statuit, et communionem inter Ecclesias ope episcoporum enixe commendat ».

Attamen historia antiqua multa affert exempla collegialitatis in vita Ecclesiae quibus elucet collegialitas illa tamquam non mera unio in fide et caritate, sed in praxi vitali et concreta. Episcopi enim ostendunt sensum collegialem sui muneris in variis actibus quibus onera suorum in episcopatu fratrum sumunt eosque adiuvant ad portandum: Legem Christi adimplent; alter alterius onera portant (*Gal.* 6, 2). Exempla afferamus:

Exc.mus D. De Smedt in hac aula sententiam suam expressit quod nostris diebus, quando commercium inter homines per media communicationis facillimum evadit, manifestatio huius collegialitatis maxime urget. In prioribus vero saeculis historiae Ecclesiae, media illa valde imperfecta erant; necessitudines tamen inter ecclesias exstabant. Has tamen relationes fovebant ipsi episcopi, ita ut verum corpus seu collegium efformasse videantur. Hoc fiebat praesertim: 1. in commercio epistolarum; 2. in adunatione conciliorum particularium.

1. *In commercio epistolarum*: Sicut et antea S. Paulus fecerat (et alii apostoli), S. Clemens Romanus litteras mittit ut quaestionem gravem Ecclesiae Corinthi solvat et pastores eius confirmet. Sed non solum episcopus Romanus tali modo agit, quamvis iam hoc tempore auctoritatem peculiarem sui muneris sic demonstret. S. Ignatius Antiochenus epistolas aliis ecclesiis scribit non modo ut se vel fideles suos aliis commendet, sed ut fidem et concordiam ecclesiarum localium cum proprio episcopo roboret. « Etenim, ait Ignatius, Iesus Christus, inseparabilis nostra vita, sententia Patris est, ut et episcopi per orbem terrarum constituti, in sententia Iesu Christi sunt ».[1] Ille Ignatius qui ita agit, sensum eximium habet muneris Ecclesiae romanae cui etiam litteras suas dirigit.

Vestigia Ignatii sequens, idem faciebat Polycarpus ad Philippenses scribens vel ad alias ecclesias, ut testatur Irenaeus: « Sed et ex epistolis illius id liquido comprobari potest, quas ille ... ad vicinas Ecclesias ut eas confirmaret, ... misit ».[2]

Eodem tempore idem faciebat Dionysius episcopus Corinthiorum de quo Eusebius dicit: « Non solum populis sibi commissis, verum etiam aliarum regionum et urbium incolis, divinos labores suos prolixe communicavit, *omnium* commodis utilitatique inserviens, in *catholicis* illis, quas ad diversas Ecclesias scripsit, *epistolis* ».[3]

2. *In conciliis particularibus*: Concilia localia saltem ab annis c. 180 habita sunt, quando notitiam habemus de conciliis in Asia Minore contra Montanistis. Quando autem quaestio gravis pro tota Ecclesia oriebatur, episcopus romanus sententiam suam ferebat, sed et synodi provinciales adunabantur quae postea litteras ad ceteras Ecclesias mittebant ut propriam sententiam communicarent. Sic advenit sub fine eiusdem saec. II in quaestione agitata de die celebrationis Paschatis. Narrat enim Eusebius: « Synodi ob id coetusque episcoporum convenere. Atque omnes *uno consensu* ecclesiasticam regulam universis fidelibus per epistolas tradiderunt ».[4] Notandum est hac de re omnes episcopos normas romanas accepisse, Ecclesiis provinciae Asiae exceptis. Ad concordiam restituendam inter Victorem Papam et has Asiae Ecclesias, ipse Irenaeus ad Victorem scripsit de quo tandem Eusebius dicit: « Ac Irenaeus quidem nomini suo respondens, nec solo nomine, sed etiam vitae instituto pacificus, pro Ecclesiarum pace monuit et allegavit ».[5]

Sed praeter epistolas et concilia particularia, episcopi coniungebantur inter se per illas tesseras, vel litteras commendatitias, quas fidelibus suis dabant quando hi ad alias ecclesias proficiscebantur. Hae tesserae erant

---

[1] *Ad Eph.* 3, 2.
[2] *Epistola* Irenaei ab Eusebio citata: *H. E.,* V, 20, 8.
[3] *H. E.,* IV, 23, 1.
[4] *H. E.,* V, 23, 2 sq.
[5] *H. E.,* V, 24, 18.

quasi « passaporti » fidelium testimonia scil. eorum orthodoxae fidei et communionis, propter quae alii episcopi eos ad sacram suam admittebant synaxim. Talis praxis, per totam ecclesiam vigens, manifestat intimam connexionem episcoporum inter se, quae connexio, iuridica quidem, simul fundata est in unitate eucharistica.[6]

Non igitur mirum est in saec. III S. Cyprianum testimonia nobis praebere praeclarissima de collegialitate episcoporum, qualem ex traditione et ex propria experientia eam noverat. Sic, nominando episcopos « sacerdotes », ad Papam Stephanum scripsit: « Copiosum corpus est sacerdotum, concordiae mutuae glutino et unitatis vinculo copulatum, ut si quis ex *collegio nostro* haeresim facere et gregem Christi lacerare et vastare temptaverit, *subveniant ceteri;* qua pastores utiles et misericordes oves dominicas in gregem colligant... Nam et si *pastores multi* sumus, *unum tamen gregem* pascimus et oves universas, quas Christus sanguine suo et passione quaesivit, colligere et fovere debemus ».[7]

Haec erat illa collegialitas qua episcopi priorum saeculorum, agnitis propriis privilegiis Ecclesiae Romanae, utebantur in vita ecclesiastica. Onera fratrum suorum portabant ne vinculum pacis et amoris frangeretur; omnes hanc sollicitudinem in solidum tenebant.

3. Ultimam animadversionem facio. Timeo valde quin hoc caput non tantum vias non aperiat ad reconciliationem cum fratribus orientalibus separatis, sed maiorem faciat fossam inter nos et illos. Etenim quaestio de primatu Sedis romanae praecipua est inter eas quae impediunt unionem, atqui falsum est dicere orientalem traditionem primatum successoris Petri ignorare. Sed hunc primatum suo modo intelligit. Concilium eximiam opportunitatem praebet in hac quaestione maximi momenti, doctrinam certe integram exponere, sed modo qui reddat eam acceptabiliorem fratribus orientalibus, v. g., expositione ampliori sensus ecclesiae localis et iurium patriarcharum qui ex antiqua traditione recognoscuntur. E contra debemus confiteri hoc caput manere intra limites doctrinae primatus sicut in theologia occidentali elaborata est, non sine aliqua exaggeratione apologetica seu polemica (v. g., in nimia repetitione ipsius primatus, sicut iam a multis patribus dictum est). Unde sequens votum emitto: *ut secretariatus ad unitatem inter christianos promovendam* in scriptis vel oretenus (per aliquam delegationem) exponat commissioni fidei et morum (vel alicui sub-commissioni eius) principalia puncta quae respectu orientalium essent melioranda in textu actuali.

---

[6] Cf. L. Hertling, *Communio, Chiesa e Papato nell'antichità cristiana* (1961).
[7] *Ep.* 68, 3-4.

99

EXC.MUS P. D. IOANNES MOCELLINI
Episcopus Comaclensis

Sta per chiudersi la discussione sul II capitolo dello schema *de Ecclesia* e in aula conciliare non ho sentito trattato un argomento sul quale mi permetto di fare il presente rilievo almeno per iscritto.

S'è parlato molto dell'opportunità e della necessità — o meno — di instaurare il *diaconato.* Io non entro in merito della questione teologica. Il Concilio stabilisca pure il principio se il diaconato possa o debba essere instaurato.

Stabilito in senso positivo questo punto, mi pare però che si dovrebbe esaminarne molto attentamente l'attuazione economica.

Come si provvederà al loro mantenimento? Giacchè, penso, non sia possibile attenderci o pretendere una loro prestazione gratuita.

E poi occorrerà risolvere i seguenti problemi:

1. Se in una parrocchia tra parroco e diacono dovessero verificarsi (eventualità, credo, non rara) delle « incompatibilità di carattere », come si provvederà? Chi partirà? Il parroco, che essendo celibe e solo, o il diacono, che supposto che sia sposato ha a carico una famiglia? E la popolazione in favore di chi si schiererà?

2. Se i diaconi ci presteranno la loro attività, dovranno essere pagati secondo giustizia. Ma le diocesi (o le parrocchie) sono tutte in grado di affrontare questa spesa? Ordinariamente le diocesi che sono provviste di clero sono quelle che sono pure dotate di buoni benefici; mentre quelle scarse di clero son pure scarse di mezzi materiali. Così i diaconi dovrebbero essere a servizio delle diocesi povere di clero, che son quelle in condizioni di non poterli praticamente usufruire.

3. Se i diaconi saranno a servizio del clero, è probabile — con l'aria che tira ai nostri giorni — che essi per tutelare i loro diritti di lavoratori si uniscano in sindacati, con tutte le conseguenze che conosciamo: scioperi, aumenti di paga, ecc.

Il problema perciò — a mio avviso — ha un duplice aspetto: uno teologico e uno economico; e dev'essere risolto contemporaneamente sotto l'uno e sotto l'altro.

Il problema economico qui naturalmente entra solo per inciso, parlando del diaconato. Ma esso ha un'esigenza molto più vasta e abbraccia molti settori della nostra attività pastorale. Esso dovrebbe perciò essere esaminato attentamente soprattutto nello schema « De episcopis et de dioecesium regimine », dove — se non sbaglio — non è stato neppure accennato. Esso tocca un delicato punto di quella giustizia sociale, che è parte nevralgica, oggi soprattutto, della dottrina cristiana.

Vi sono diocesi anche tra le nazioni cristiane — senza parlare delle mis-

sioni dove è nota a tutti la necessità — che per particolari condizioni sono nella impossibilità di pensare ad una organizzazione anche elementare di vita apostolica per mancanza di mezzi materiali oltre che di clero. Perchè non pensare ad una azione caritativa tra le diocesi come si faceva al tempo di S. Paolo?

100

EXC.MUS P. D. GREGORIUS MODREGO Y CASÁUS

Archiepiscopus Barcinonensis

Breves aliquas adnotationes ad cap. II schematis *de Ecclesia,* praesertim circa paragraphum *de collegio episcopali.*

Perspicuitatis gratia, materiam in decem puncta distribuam.

1. Valde opportunum ab omnibus agnoscitur, quod Concilium proferat authenticam doctrinam *de episcopatu.* Hoc est etiam in votis Summi Pontificis, ut declaravit ipse in allocutione inaugurali et quasi « programmatica » huius sessionis, sic dicens: « altius investiganda erit doctrina de episcopatu, de eius muneribus, deque eius cum Petro necessitudinibus ».

Quae in schemate dicuntur de collegio episcopali, recte quidem collineant cum optatis Pauli VI. Sed aestimo quod perfici possunt, immo forse et debent.

2. Nam, immediate ante verba modo citata, hoc praenotatur a Summo Pontifice: « salvis declarationibus dogmaticis Oecumenici Concilii Vaticani I ad Romanum Pontificem attinentibus ».

Verum est, et omni laude dignum, schema *de Ecclesia,* in prooemio cap. II, suam facere doctrinam de primatu Romani Pontificis, a Concilio Vaticano I definitam. Sed opinor conveniens esse ut, in ipsa paragrapho de Collegio episcopali, adeo explicite connotetur primatialis supereminentia successoris Petri, ut non solum *theoretice* nulla ratione diminuatur ambitus suae potestatis (quod nemo certe in Ecclesia cogitat), sed *practice* etiam nullo modo praepediatur aut minus efficax et evidens reddatur exercitium talis potestatis. Omnes norunt quantum contulit doctrina Concilii Vaticani I in populo Dei, seu Ecclesia Christi per orbem diffusa, ad augendum et firmandum *sensum unitatis* — unitatis dico mentis, cordis et operis; unitatis, quam populus christifidelium (quorum nomine nunc ego loqui intendo) in Summo Pontifice successore Petri radicatam et significatam intellegit, eo quod cernit in ipso, non hominem humanis qualitatibus ornatum, sed *Christi vicarium* et fere spiritualem quandam praesentiam.

3. Dixi de *sensu unitatis,* quem spirat cor populi Dei. Iesus — ait Ioannes Evangelista — mortuus est « ut filios Dei, qui erant dispersi, *congregaret in unum* ». Se Victimam obtulit in sacrificio ultimae coenae et crucis — sunt verba ipsius, in oratione sacerdotali — « *ut omnes unum sint* », « *ut sint consummati in unum...* » (*Io.* 12, 52; 17, 21. 23). Historia biblica actionis Dei in mundum est historia « vocationis ad unitatem ». *Ecclesia,* etiam

vi nominis, est instrumentum huius « congregationis in unum ». Quidquid fit in Ecclesia et secundum Ecclesiam est opus unitatis. Ad significandam et firmandam hanc unitatem, Christus instituit populum suum sub *uno* collegio *duodecim* apostolorum, ad imaginem veteris populi compaginati in unitatem e duodecim tribubus sub duodecim patriarchis. Sed perfectissima Ecclesiae unitas in eo effulget, quod ipsa est etiam regnum Messiae, seu Christi, iam in terris inchoans regnum Dei eschatologicum et aeternum. Principalitas messianica Iesu praesignabatur in Davide, cuius filius praedicatur, et praesertim in sublimi visione Danielis de regno aeterno Filii Hominis, necnon in prophetia Ezechielis de Bono Pastore. Iesus, « Filius David », Filius Hominis et Filius Dei, Pastor Bonus, suae messianicae principalitatis vices gerentem in terris constituit Simonem, filium Ioannis, cognomento Kephas seu « Petrus ». Petrus non erat tantum, utpote primus inter apostolos, caput collegii apostolici, sed etiam et praesertim, ut Christi vicarius, princeps singularis super apostolos ipsos. Nam ipse est Petra seu rupes fundamentalis Ecclesiae, claviger regni caelorum, pastor universi gregis. Sua erga omnes humilitas, imaginem boni pastoris expressit, sed supremam potestatem a bono pastore collatam non evacuavit. In Ecclesia, eo quod perennis est, perenniter et munus Petri et munus duodecim apostolorum perseverat. Oportet quidem extollere in ea unitatem collegii episcopalis, sed tali modo et ratione ut unitas sub successore Petri non minus, sed magis evidens et efficax appareat.

4. Ideo opinor distinctius redigendam esse par. 16 cap. II, ita ut

a) dicatur in initio paragraphi quid praecise intellegendum sit per expressionem *collegium episcopale,* tum in sua relatione ad collegium apostolicum, tum in semetipso;

b) simul affirmetur, sine ulla ambiguitate, successorem Petri esse quidem caput collegii episcopalis, et cum ipso collegio « indivisum subiectum plenae et supremae potestatis in universam Ecclesiam » (schema, pag. 27, linn. 16-17), sed esse etiam summum pastorem episcoporum omnium, ex singulari et plena auctoritate a solo Christo recepta — ut, in iam citata allocutione, Paulus VI innuit cum ait nullam esse in se suae « solius potestatis studium; inesse vero votum et voluntatem divini obeundi mandati, quod Nos, Fratres (loquitur Pontifex ad episcopos universi orbis coram se congregatos), *vestrum omnium* constituit interque vos Summum Pastorem » (*Oss. Rom.,* 30-IX - 1-X-1963, pag. 1).

5. Collegium episcopale fulgens quidam adspectus est *unitatis Ecclesiae.* Unitatem collegii episcopalis constituit unitas missionis, responsabilitatis, sollicitudinis, quae, cum esset propria collegii apostolici, in collegium episcopale, quod eidem succedit, transfunditur. Collegium est veneranda illa « Koinonía » seu *communio* universalis episcopatus cum Romano Pontifice et episcoporum inter se. Ex hac unitate promanant praerogativae et functiones eiusdem collegii episcopalis: infallibilitas in magisterio sollemni atque ordinario et universali; potestas in Ecclesiam universalem, quando in

Concilio congregatum collegium exercet suum munus directionis pastoralis totius Ecclesiae. Collegii episcopalis est Evangelium praedicare in universum mundum, gentes adunare in unitatem populi Dei, easque sanctificare ministerio verbi, administratione sacramentorum et regimine pastorali.

6. *a*) Quamvis opinio mea personalis militat in favorem sacramentalitatis episcopatus, mihi videtur haec quaestio nondum theologice matura. Et ideo, iuxta ipsum « Commentarium » ad cap. II schematis, post « Notas » adiectum (pag. 44), opportunius esset ab ea praescindere.

b) Mihi deesse videtur in schemate expressa affirmatio unici sacerdotii Christi, ad mentem praesertim epistulae ad Hebraeos. Omnis sacerdotalis dignitas in Ecclesia nihil aliud est quam participatio, in gradu diverso, unici sacerdotii Christi. Modus loquendi nostri Concilii, pastoralis et oecumenicus, non potest omittere hanc catholicam et biblicam affirmationem unitatis sacerdotalis.

c) Doctrina de « collegialitate » non deberet fulciri, tamquam in suo origine et fundamento, in aliqua opinione theologica, etsi valde probabili, circa consecrationem episcopalem, scilicet, circa eius efficaciam introducendi episcopum in collegium episcopale, eique conferendi aliquam missionem in Ecclesia universali. Doctrina, quam Concilium proponet, debet fulciri tantum in affirmationibus theologicis iam plena certitudine acquisitis.

7. Collegium episcopale in tantum habet praerogativas proprias potestatis universalis in Ecclesia in quantum actus vere « collegiales » facere potest. Definita est in Vaticano I infallibilitas collegii in Concilio congregati, vel per orbem dispersi. Doctrina dogmatica « De Conciliis oecumenicis » includit explicitam affirmationem potestatis iurisdictionis collegii congregati. Quomodo vero posset exerceri haec potestas ab episcopatu per orbem diffuso determinandum est ordinatione iuridica hodiedum nondum exsistente.

8. Pars collegii episcopalis, ut esset qualiscumque coetus particularis episcoporum, « collegialitatem » habet in sensu unitatis missionis, responsabilitatis, sollicitudinis et communionis. Ut habeat « collegialitatem » in ordine potestatis iurisdictionalis supra Ecclesias episcoporum congregatorum, ei conferenda est a Summo Pontifice sive solo sive cum episcopatu universali.

9. Ex his dictis, proinde, hae conclusiones deduci possunt:

a) Primatus Romani Pontificis ne exclusive intellegatur tantum ut munus capitis collegii episcopalis.

b) In initio par. 16 praemittenda esset descriptio notionalis collegii episcoporum, in qua appareat munus Romani Pontificis inter eos et supra eos.

c) Opportunius esset praescindere a locutionibus omnibus, in quibus Pontifex Romanus videatur reduci ad categoriam capitis collegii episcopalis tantum.

d) Distinguatur « collegialitas » universi collegii episcopalis ab ea « collegialitate » sensu restrictivo, quae est propria coetuum particularium episcoporum. (Immo, optandum esset ut voces « collegium » et « collegia-

litas » *technicae* fierent, adeo ut exclusive adhiberentur in relatione ad episcopatum universalem cum Summo Pontifice).

e) Fiat mentio explicita unici summi et aeterni sacerdotii Christi, de quo omnes gradus sacerdotales in Ecclesia participant.

10. Vellem tandem unum verbum adiicere de paragrapho circa « diaconos ». Opportunitas instaurationis disciplinae « diaconatus » permanentis in Ecclesia explicite relinquatur unico iudicio supremae auctoritatis in Ecclesia. De quaestione caelibatus verbum ne fiat (et si, nihilominus, secundum potiorem opinionem, faciendum est, fiat in correspondenti schemate disciplinari, non in schemate *dogmatico de Ecclesia*).

Bonus pastor, Christus Dominus, et lapis angularis, habensque claves domus David, cum ex hoc mundo exiret ad Patrem, super Petrum suam aedificavit Ecclesiam. Dedit ei claves regni caelorum, ipsumque Petram, seu saxum fundamentalem totius sacri aedificii, constituit, et pastorem fecit « cuiuscumque gradus et dignitatis pastorum et fidelium » (Conc. Vat. I). Quapropter, sicut Petrus ita et eius in munere successor Romanus Pontifex, potestatem singulariter vicariam Christi habet in Ecclesia. Petrus vero, cum primus esset apostolorum, simul cum ceteris apostolis, et ceteri apostoli cum Petro, missionem acceperunt in universum mundum praedicandi Evangelium omni creaturae; et superna ligandi atque solvendi potestate praediti sunt. Petrus igitur et ceteri apostoli, qui ad instar familiae Christi, « cum eo » fuerant et collegium Duodecim efformarunt, postquam Christus clarificatus est, solidarie eius mandatum exsecuti sunt. Haec universalis collegii apostolici missio in collegio episcopali, eius successori, perennis perseverat. Ideoque, collegium episcopale est « episcopatus unus et indivisus » (Conc. Vat. I), ex Romano Pontifice successore Petri, ut hierarchico « principio et visibili fundamento unitatis fidei et communionis » (Conc. Vat. I), et episcopis universis constans, qui in missione aedificandi Ecclesiam collegio apostolico « solidarie » (*Fidei donum*) succedit.

101

Exc.mus P. D. THOMAS VILLELMUS MULDOON

Episcopus tit. Fesseitanus, aux. Sydneyensis

Tres velim animadversiones paucissimis verbis facere.

1. Prima animadversio ea spectat quae dicuntur in pag. 23, in illa vexata lin. 10, ubi Christus dicitur Ecclesiam suam fundasse super Petrum ac super apostolos. Ea verba haud paucis Patribus valde displicent; sed insuper, iidem Patres dicunt nullam aliam formulam sibi vere acceptabilem adhuc in aula propositam esse. Formulam quaerunt, non principia generalia multis verbis exposita. Cum et ego sic sentiam, eo quod distinctio clara non est facta inter *fundamentum visibile* Ecclesiae, quod Petrus est, et *curam pastoralem* eiusdem, quae ceteris quoque apostolis a Domino concredita est,

hanc propono formulam tanquam emendationem: loco verborum « Ipse Dominus Iesus Ecclesiam suam... » etc., haec alia substituantur: « Ipse Dominus Iesus Ecclesiam suam fundavit super Petrum rupem, cui ceteros apostolos *arctissime sociavit* ut ipsi cum eo et sub eo Ecclesiam pascerent, regendo, docendo, et sanctificando ».

2. Secunda animadversio ea respicit quae dicuntur in n. 21, pag. 31 schematis, ubi agitur de episcoporum munere *regendi.* Et quidem: mirum hoc mihi videtur quod in eo loco, quo doctrina summi momenti continetur, ne unum quidem verbum habetur de *supremo exercitio* potestatis regendi, scil. de episcoporum munere regendi *in Concilio Oecumenico* implendo. Nonne in Concilio Oecumenico episcopi cum Pontifice *et* doctores *et* legislatores authentici sunt, et quidem pro Ecclesia *universali?* Iamvero, schema, ubi tractat de episcoporum munere *docendi,* in n. 19 scil., recte omnino agit de eorum munere docendi etiam *in Concilio Oecumenico.* Cur igitur omnino silet de *gemino* munere, regendi nempe, *aeque* in Concilio exercendo? Hoc nullo modo prorsus intelligo.

Propono igitur ut loco citato fiat peculiaris paragraphus in qua haec, inter alia, in luce ponantur: 1. episcopi una cum Summo Pontifice in Concilio Oecumenico congregati, sunt legislatores authentici pro Ecclesia *universali*; 2. haec potestas regiminis *non* est derivatio quaedam iurisdictionis primatialis Romani Pontificis in episcopos, sed coetui episcoporum inest ex voluntate et institutione ipsius Christi, et ideo Concilium Oecumenicum nequaquam est iuris ecclesiastici, sed vere iuris divini.

Et explico. Tum ex Sacra Scriptura tum ex sacra traditione liquidissime constat *duo* esse *subiecta* supremae auctoritatis *divinitus instituta* in Ecclesia, nempe Romanum Pontificem per se solum et Concilium Oecumenicum. Porro, cum Romanus Pontifex sit pars essentialis Concilii, evidens est haec duo subiecta, respectu Concilii, non esse *adaequate* distincta sed inadaequate tantum.

Haec doctrina, de qua nescio quo pacto disputari possit, in schemate exponi debet antequam subtiliora disputentur.

3. Tertia animadversio haec est: quaeritur utrum Summus Pontifex *extra* Concilium Oecumenicum sit subiectum supremae auctoritatis *adaequate distinctum* a coetu seu collegio episcoporum, ita ut potestas eius in universam Ecclesiam sive docendo sive regendo, sit personalis et propria, non autem collegialis seu *dependens* a coetu episcoporum? Et respondeo eam esse propriam, personalem et independentem.

Verum est quidem quod Summus Pontifex possit habere gravem obligationem in conscientia episcopos consulendi, sive sollemni Concilio convocato, sive litteris, sive aliis viis atque rationibus aptis; tamen obligatio illa oritur non ex divina constitutione Ecclesiae, sed ex prudentia pastorali, ad mala removenda vel ad bonum Ecclesiae efficacius promovendum. Sed tunc versamur in ordine morali, non in ordine iuridico-divino, de quo solo quaestio movetur.

Verum est etiam omnes actus sollemnes Summi Pontificis esse aliquo lato sensu actus collegiales seu actus capitis collegii, scil.: ex promissionibus Christi scimus quod Summus Pontifex, ex cathedra docens, semper docebit iuxta doctrinam a coetu episcoporum professam; et similiter semper aget iuxta divinam constitutionem Ecclesiae utpote a coetu episcoporum intellectam.

Tamen ponere quod Summus Pontifex sit dependens a collegio episcoporum idem est ac dicere quod Pontifex tenetur eidem collegio rationem reddere; quod plane contradicit dogmati fidei.

Pag. 23, linn. 9-10: sic mutentur: ipse Dominus Iesus Ecclesiam suam fundavit super Petrum rupem, cui ceteros apostolos arctissime sociavit ut ipsi cum eo et sub eo Ecclesiam pascerent, regendo, docendo, sanctificando.

Pag. 25, lin. 13: loco verborum « praecellentem gradum confert sacerdotii » sint haec: « plenitudinem sacramentalem sacerdotii confert ». Absolute loquendo, plenitudo sacerdotii in solo Christo invenitur.

Pag. 25, lin. 21: loco « ordinatus » sit « consecratus ».

Pag. 25, lin. 22: post verbum « sacramentali » inseratur verbum « perfecte », ita ut sic legatur: « ita charactere sacramentali perfecte ornatur, ut ... ».

Pag. 25, lin. 23: omittantur verba « vel laicus ». Si enim « nunquam simplex sacerdos », a fortiori nec laicus rursus fieri possit.

Pag. 26, lin. 2: verba illa: « in quos gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia transfundunt » *non placent.* Theologice enim valde male sonant, nam minister cuiusvis sacramenti non est nisi *instrumentum* Dei et Christi. Nefas est autem sic de causa instrumentali loqui ac si causa principalis esset.

Pag. 26, linn. 36-41: deleantur omnia, his verbis substituendis: « porro, relate ad quaestionem vexatam utrum, in quibus regionibus, et sub quibus conditionibus diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae pro necessitate animarum exerceri poterit, haec Sacrosancta Synodus decernit rem iudicio prudenti Sanctae Sedis relinquendam esse ».

Pag. 29, lin. 37: ante verba « In definitionibus suis... », haec inserantur: « *Neque haec infallibilitatis praerogativa est quaedam derivatio ex personali infallibilitate Summi Pontificis, sed iure divino episcopis in Concilio adunatis competit,* ita ut » et sic pergat: « in definitionibus suis Concilium ea infallibilitate polleat qua divinus Redemptor ... etc. ».

Pag. 30, lin. 8: post vocem « fide » inseratur « vel de moribus ».

Pag. 30, linn. 18-21: tollantur ista verba: « Ad quam rite ... sedulo applicant », utpote prorsus superflua et indigna.

Pag. 30, art. 20: *de episcoporum munere sanctificandi.* Totus articulus, salva reverentia erga auctores, debilis et tenuis apparet. Episcopus, utpote Christi personam insigne gerens, veluti fons est omnis sanctificationis pro populo sibi commisso, cum omnia ministeria sanctificationis ab eo dependeant et ab eo procedant.

Pag. 31, lin. 5: post verbum « commissas » inserantur haec verba: « iure divino », ita ut sic legatur: « ipsi Ecclesias sibi commissas iure divino ut vicarii et legati Christi regunt »... etc.

Pag. 31, lin. 11: loco verbi « regatur » sit verbum « moderetur ».

Pag. 31: valde mirandum est quod in art. 21, *De episcoporum munere regendi,* ne unum quidem verbum habetur de episcoporum munere regendi in *Concilio oecumenico* implendo. Nonne in Concilio oecumenico episcopi sunt *et* doctores *et* legislatores? Si igitur schema, in articulo *De episcoporum munere docendi,* recte omnino tractat de munere docendi in *Concilio exercendo,* cur *silet* de gemino munere, regendi scil. aeque in Concilio fungendo? Peto igitur de hoc aspectu regiminis paragraphum specialem in qua haec, inter alia, in clara luce ponantur:

a) Episcopi in Concilio oecumenico congregati sunt authentici legislatores pro Ecclesia *universali.*

b) Haec potestas regiminis non est derivatio quaedam ex primatu iurisdictionis Romani Pontificis, sed inest episcopis ex institutione ipsius Christi, et ideo iure divino exercetur.

102

Exc.mus P. D. EDUARDUS NÉCSEY

Episcopus tit. Veliciensis, adm. ap. Nitriensis

Ad n. 20, cap. II schematis *de Ecclesia.*

Finita discussione super cap. II schematis *de Ecclesia* in specie Patres conciliares e Cecoslovakia ad supplendum n. 20 de episcoporum munere sanctificandi has adnotationes humiliter proponunt, quin eae in congregatione generali legantur, sufficiet nempe, si has adnotationes respectiva commissio in definitivo textu redigendo in respectum sumet:

Omni modestia ac humilitate pronuntiare audemus, quod episcopi munere sanctificandi non plene et rite fungerentur, si tantum id facerent, quod n. 20 cap. II schematis *de Ecclesia* continet.

Episcopus nempe ut summus sacerdos celebrans, cultum christianae religionis secundum praecepta Domini et generales Ecclesiae leges ordinans, sacramentum Ordinis et confirmationis administrans et populum Dei in liturgia et praesertim in Missae sacrificio ad veram et fructuosam participationem adhortans et instruens non potest immediatum et omnes fideles suae dioecesis complectentem influxum exercere. Ad veram sanctificationem fidelium necesse est, ut eis intensiva, profunda cura spiritualis impendatur, quod nullus episcopus sine aptis ac zelosis adiutoribus praestare potest.

Episcoporum munus sanctificandi necessario exigit, ut nos episcopi summam curam impendamus vitae spirituali cleri. Finis primarius Concilii Oecumenici Vaticani II est interna renovatio Ecclesiae. Assecutio huius finis pendet ab eo, quomodo nostri sacerdotes hanc internam renovationem in seipsis in effectum deducturi sint. In decursu discussionis super hoc cap. II

adnotatum fuit totum mundum nunc in novam epocham ingressurum. Ecclesia Christi in hac aetate ubique terrarum in gravi lucta cum maximo errore huius aevi, cum materialistico-atheismo stat. Hic error negat omnem factorem supernaturalem, at nos scimus hunc errorem tantum ope gratiae supernaturalis posse superari.

Dominus noster in sua oratione sacerdotali ante suam passionem et mortem oravit pro suis discipulis et Ecclesia: « Pater, sanctifica eos in veritate ... et pro eis ego sanctifico meipsum, ut sint et ipsi sancti in veritate » (*Io.* 17, 17-19).

Etiam episcopus pro suis sacerdotibus oret, ut Pater sanctificet eos in veritate, at etiam sua paterna cura eos prosequatur, ut vere piam, profundam vitam spiritualem ducant, sint ministri Christi sancti, zelosi, spiritu pauperes et humiles. Omni data occasione inculcet eis verba Domini: « ... qui manet in me et ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere » (*Io.* 15, 5).

Nostra humilis propositio est, ut n. 20 cap. II schematis *de Ecclesia* in hoc sensu compleatur.

Nomine Patrum conciliarium e Cecoslovakia.

103

Exc.mus P. D. DRAGUTIN NEŽIĆ

Episcopus Parentinus et Polensis

Omni sane christiano, qui Spiritu Christi vere imbutus est, summe placebit studium in schemate nostro pluries expressum, ut partes quae ab hierarchis in Ecclesia explendae sunt, tamquam *ministerium atque servitium fratribus suis* exhibendum praesentetur. Cum nos homines amori proprio ambitionique semper obnoxii maneamus, certe multi valet, ut ad tantam dignitatem sublimitatemque in munere Christi evectis incessanter in mente praesens sit cognitio, nos servos et ministros esse, non dominos. Praeterea, haec praesentatio potestatis officiorumque ecclesiasticorum quam profunde evangelica, tam hodiernae mentalitati hominum eximie accommodata est. Spiritu enim democratismi ductus, homo temporis moderni aegre auctoritarismo praepositorum submittitur, facilius autem potestatem ut servitium concipit, ideoque etiam suscipit eique obtemperatur. Quapropter haec potestatis ecclesiasticae praesentatio ac descriptio cum finibus Concilii nostri summe congruit, ut veritates scilicet aeternas hominibus aevi hodierni in nova veste offeramus.

Sed proprie ideo timendum etiam est, ne spiritus democratismi hodierni veritatem hanc profunde evangelicam in sensum deformatum funestumque sensim sine sensu convertatur, qui sensus hic illis iamiam susurratur, immo quandoque voce alta praedicatur, de sacerdotibus « servis populi » — cum claro colore politico. Quapropter *conceptus hic ministerii atque servitii in*

praesenti capite accuratius describatur ita, ut dimensiones eius evangelicae et christianae omnibus in comperto fiant, nullisque deviationibus ansam praebeant.

Papa, episcopus, presbyter, diaconus, immo christianus quicumque — secundum mensuram sui muneris — imprimis et directe, est debetque esse *servus et minister Christi*. Secundo loco et consequenter, propter Christum et per Christum, est et debet esse servus et minister hominum, populi, fratrum suorum. Minister populi christiani, minister fratrum, minister Ecclesiae, omnes istae et similes locutiones derivantur et fundantur in eo quod est minister Christi. Omni homini servitium exhibere debet, sed propter Christum et tamquam Christo, immo: quodam vero sensu reipsa Christo servit in unaquaque persona humana. Omnia enim recapitulantur in illo quod Filius hominis in fine saeculorum dicturus est: « Amen dico vobis, quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis » (*Mt.* 25, 40).

Dicet forsan aliquis: sed differentia inter conceptum servitii fratribus simpliciter et servitium fratribus propter Christum non est essentialis, solummodo motivum est diversum. Attamen distinctio est essentialis. Notio enim servitii et ministerii secum fert — saltem in communi et hodierno usu quem respicere debemus — et *includit subiectionem illius qui ministrat voluntati illius cui ministrat*. Nos autem non debemus facere voluntatem hominum, non debemus sequi voluntatem populi, sed semper et ubique facere debemus voluntatem Christi. Non est nostrum, ut ministerium nostrum accommodemus desideriis et cupiditatibus et finibus hominum, sed voluntati Christi. Servire debemus singulis fratribus nostris et universo populo, sed semper ea ratione qua vult Christus, et cum eo fine, ut et ipsi voluntatem Christi faciant, ut in ipsis Christus formetur, ut etiam ipsi in virum perfectum in Christo tandem deveniant!

Extollendum igitur est servitium, sed servitium cuius ordinator Christus est, cuius motivum Christus est, cuius finis Christus est!

104

EXC.MUS P. D. SIMON HOA NGUYEN-VAN HIEN
Episcopus Dalatensis

Mihi liceat aliquid addere iis quae iam longe lateque disputata sunt de duplici quaestione 1. diaconatus permanentis restaurandi, 2. collegialitatis episcoporum.

1. *De diaconatu permanente restaurando.*

Multae rationes pro diaconatu permanente laicis etiam coniugatis conferendo, iam in hac aula allegatae sunt, quarum praecipua est: necessitas apostolatus moderni, ob sacerdotum penuriam.

Sed mihi et aliis pluribus Patribus videtur quod in circumstantiis praesentibus, talis restauratio sine caelibatu non esset opportuna.

Ratio est quia apud fideles et infideles, caelibatus Ecclesiae latinae ab omnibus tanquam pretiosissima margarita habetur et talis aestimatio iam est maximi momenti animi dispositio, prius pro admiratione tanti sacrificii, dein pro plena praedicatoris libertate omnes ad se venientes recipiendi; quae dispositio, multis obstaculis ablatis, reddit nostram sanctam religionem praefulgentem et attrahentem, eiusque praedicatorem venerationis digniorem.

Immo, si meliores coniugati ad diaconatum promoverentur, hi iam in ordine hierarchico ponerentur, a simplicibus fidelibus seiuncti considerantur, quamvis sint in eodem statu coniugali, sicque omnis Actio catholica laicalis saltem pro viris, difficilior evaderet, quia meliora elementa iam segregarentur, ordinariis elementis sibi relictis.

Porro ad remedium necessitatibus apostolatus moderni praebendum, in locis ubi sacerdotes numero pauci, praesertim in locis missionum, ut in pastorali munere aliquomodo allevientur, adiutorii opus habent, sic proponere audeo:

a) ut aliqui sive ex religiosis fratribus, sive ex laicis non coniugatis, de Ordinarii loci iudicio, ad diaconatum permanentem promoveantur. Quodsi postea matrimonium contrahere voluerint, ad statum laicalem reducantur;

b) ut aliqui ex fidelibus coniugatis doctrina et moribus praestantioribus, seligantur, quibus mandatum speciale catechizandi, praedicandi, fidelium communitates, loco sacerdotis, dirigendi; in uno verbo, omnia munera clericis minoribus competentia adimplendi, baptismum cum aliquibus caerimoniis solemnioribus pro eisdem tanquam sacerdotis vices gerentibus rite adaptatis conferendi, exsequias conducendi, etc.

Pro administratione communionis sacrae, eis concedatur facultas specialis sicut iam concessum est persecutionis tempore, de iudicio Ordinarii loci et consensu parochi, sibi et aliis fidelibus Sanctissimum Sacramentum praebendi.

Hoc agendi modo, et caelibatus in honore remanebit et necessitatibus adiutorii ministerialis obtinetur remedium.

2. *De collegialitate episcoporum.*

Cum de hac quaestione permulta argumenta pro et contra iam allata sint, vellem duo tantum puncta proponere:

a) Christi Ecclesiae fundatio super Petrum et apostolos.

Postquam Christus duodecim apostolos vocavit, elegit, instruxit, eisque in magnis lineamentis Ecclesiam suam sub variis parabolis descripsit, eisdem *in solidum* et *separatim* soli Petro tanquam unitatis fundamento, facultatem alligandi ac solvendi promisit, dein eamdem cum potestate consecrandi et absolvendi reapse commisit, tandem soli Petro pascendi oves et agnos suos munus tradidit, Christus Dominus noster, omnibus insimul dixit, ad caelum ascensurus: « Sicut misit me Pater, sic et ego mitto vos. Euntes docete omnes gentes ... Ecce vobiscum sum usque ad consummationem saeculi » (*Mt.* 28, 19-20).

Primitiva catechesis, hos primos delegatos Christi dempto Iuda, sub nomine collectivo semper indicabant: Undecim.

Paulus ipse hoc agnovit in *Act.* 15, 5, eosque, saltem tres apostolos Ierosolymae inventos, « columnas Ecclesiae » vocavit (*Gal.* 2, 9).

b) *Interpretatio factorum.*

Christus filius Dei homo factus est ut homines filios Dei faceret (S. August.), Ecclesiam suam tanquam familiam divinam instituere voluit, quam etiam aliis figuris illustravit.

Porro in familia humana, praesertim in oriente ubi Christus natus est et vixit, generatim in familia numerosa, cum pater apud quem residet tota domus potestas, quando abest, conducendi fratres minores natu officium et domum disponendi, in solidum fratribus maioribus quibus praeficit maximum natu. Sic enuntiatur in proverbio: « Frater maximus natu patris locum tenet ». Responsabilitas in omnibus reponitur: et in maximo natu totaliter et in omnibus fratribus maioribus totaliter, licet quisque suam portionem specialem habeat.

Item mihi videtur dicendum in Ecclesia Dei: Deus sic dilexit mundum ut Filium suum unigenitum daret. Christus ad omnes salvandos, Ecclesiam suam instituit. Omnes filios divinae familiae sunt titulo ac dignitate aequales. Attamen, antequam de mundo discessit, aliquos ex filiis elegit quos « seniores » constituit in domo et quibus commisit munus grave ut alios conducerent ad Patris domum, certo pede. Hi seniores, non quidem aetate, sed superna potestate ex institutione praediti divina, per status gratiam, fratres tuto gressu, sine errore, in terrestri itinere conducendi officium habent, tum instruendo, tum nutriendo, tum sanando, tum dirigendo etiam aliquando cum correctione ac poena.

Huius muneris tam sublimis exercitium incumbit tum *omnibus in solidum* seu *collective* sumptis, *tum soli* et quidem *personaliter* fratri maximo: vicario patris absentis.

Cum in Ecclesia Christi, quamvis Dominus sit praesens sicut ipse promisit, attamen eius praesentia est invisibilis, et Ecclesia visibilis indiget vicario capitis visibili.

Crederem quod in hoc sensu, locuti sunt Petrus: « Seniores ergo qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum » (*1 Pet.* 5, 1), « Senior Electae Dominae et natis eius... » (*2 Io.* 1) et alii in *Act. Apostolorum* passim.

Si res ita non esset, ubinam inveniri posset suprema potestas et doctrinae infallibilitas in Ecclesia, Sede vacante: Quid esset si Sedis vacatio per multos annos perduraret?

Concludere audeo quod tota et summa auctoritas residet et in communitate apostolorum in solidum cum Petro et in Petro tanquam huius communitatis capite et quidem a Domino sic instituente.

105

Exc.mus P. D. IOSEPH NKONGOLO

Episcopus Lueboensis

Loquitur nomine 47 episcoporum conferentiae episcopalis ex Congo (Léopoldville) et 23 episcoporum ex Cameroun et Africa Centrali.

Conferentia episcoporum ex Congo Léopoldville, Cameroun et Africa Centrali omnino approbant quae hucusque dicta sunt in hac aula ut retineantur in schema ea quae ibi dicta sunt de diaconatu stabili.

Rationes allatae praesertim a cardd. Döpfner, Landázuri et Suenens, ab episcopo Yago et aliis episcopis valent praesertim in nostris regionibus.

Quaestio de qua agitur non est utrum diaconi possunt matrimonium contrahere sed agitur de consecratione diaconatus virum iam coniugatorum.

A. v., diaconi non inter iuvenes eligantur, sed inter viros graviores et reapse venerandos propter vitae integritatem, ad mentem apostoli Pauli: « pudicos, non bilingues, non multo vino deditos, non turpe lucrum sectantes, habentes mysterium fidei in conscientia pura » (*1 Tim.* 3, 8).

Tales viri inveniuntur inter fideles. Sed plerique coniugati sunt. Numquid talis obex sit matrimonium ut nos impediat fidelibus pene derelictis auxilium et solacium praebere?

Praeterea, ut experientia docet, in quibusdam locis seclusis, diaconus ad caelibatum adstrictus, solus, segregatus, difficillime perseverare potest.

Atqui in nostris regionibus diaconis indigemus. Nam:

1. Diaconus auxilium magni momenti praestare potest sacerdoti ubi fideles numerosissimi sunt sicut in pluribus missionibus nostrarum regionum accidit.

2. Diaconus praesertim praeesse potest parvis communitatibus christianis aditu difficilibus, quas sacerdos nisi raro visitare potest.

Ex experientia amplissime probatur fideles nostros in his communitatibus sese sentire derelictos. Praesente diacono non privarentur aliquo ministro sacro, qui ad hoc munus sacramentaliter deputaretur.

Venerabiles Patres, sacri episcopatus indoles collegialis requirit ut omnes ecclesiae pastores, in una eademque caritate coniuncti et eodem zelo domus Dei devorati, cum maxima benevolentia perspiciant necessitates ecclesiarum particularium ut crescat et confirmetur inter omnes gentes Regnum Dei.

106

Exc.mus P. D. MICHAEL NTUYAHAGA
Episcopus Usumburaensis

Mihi liceat meam humilem vocem elevare cum illis tam venerabilibus aliorum multorum Patrum conciliarium et circa diaconatus quaestionem disciplinarem adhuc redire. Opto enim ut haec quaestio diaconatus clare ponatur et magna cum prudentia statuatur.

Etenim duplicem aspectum in hoc problema diaconatus distinguere debemus. Factum institutionis diaconatus ut status permanens et usque ad sacerdotium non tendens, in dubium non est. In Sacra Scriptura et in traditione fundamentum habet. Et animadverto eius instaurationem a Patribus huius sacri Concilii quasi unanimiter admissam esse.

Attamen alius problematis aspectus adest. Estne optandum ut coniuncti diaconi ordinentur? Scio, de iure, inter diaconatum et matrimonium incompatibilitatem non esse. In Ecclesia catholica enim historice dantur aliqui sacerdotes in matrimonio constricti, et dari possunt etiam diaconi coniuncti. Sed, de facto, traditio catholica, in Romana Ecclesia, quod ad caelibatum attinet, diaconatum sacerdotio aequiparavit, et diaconi vitam in statu castitatis duxerunt. Nullibi probatum est primos diaconos coniunctos fuisse. Saec. XIII ultimum huius diaconatus vestigium in S. Franciscum Assisiensem invenitur. Sed ipse caelebs erat.

Humillime opinor ergo ut servetur haec traditio et coniuges diaconos non expedire. Multa incommoda diaconatus in statu matrimonii certo certius praevidibilia sunt. Et timeo ne potius inveniamus obstacula quam progressus optatos in Ecclesia. Etenim diaconus coniux, maritus et pater, inter suam familiam, uxorem, parentes et ministerium divisus erit. Matrimonium disponibilitate in ministerio privat aut eam minuit.

Immo huiusmodi diaconatus vocationibus sacerdotalibus non favebit. Periculosum est enim aliquos iuvenes facilitatis solutionem quaerentes, diaconatum cum matrimonio sacerdotio sine matrimonio antepostituros esse. Ubique terrarum etenim una principalium rationum diminutionis vocationum sacerdotalium est caelibatus.

Et quid amplius dicere? Quod peius est audere dicere debemus. Talis diaconatus in statu matrimonii non solum diminutionis vocationum sacerdotalium erit causa, sed etiam et ipsis sacerdotibus tentatio erit. Diaconatus sacer ordo est, et ad sacrum ministerium destinatus est sicut et sacerdotium et cum illo. Quare ergo diaconatus cum matrimonio et sacerdotium sine matrimonio? Haec quaestio certo certius a nonnullis etiam inter sacerdotes ponetur. Quis non videt periculum? Admittere duos ordines sacros in eodem ministerio sed ducentes vitam differentem, nonne est quaedam provocatio et probabile vulnus caelibatui catholico? Peto igitur ut rationes quae sacerdotes a matrimonio arceantur, et ipsos diaconos avertant. Nomine

meo loquor, sed certus sum esse cum multis aliis episcopis africanis qui nondum locuti sunt praeteriens illos qui illorum opinionem dederunt.

Ergo et haec est conclusio, si diaconatus in statu permanenti est instaurandus, optamus ut procedat, fructus afferat, et permaneat. Et quia diaconatus in statu matrimonii inopportunum, inefficacem et aliquomodo periculosum esse videtur, rogo vos, venerabiles Patres, ut solummodo in statu castitatis instauretur ille diaconatus. Sic efficacior, utilior et gratior evadet populo catholico qui caelibatum in ordinibus sacris magni pretii aestimat et in honore habet. Deus nos adiuvet.

107

Exc.mus P. D. IOANNES NUER

Episcopus tit. Phatanensis, aux. Thebanus

Asseritur, et quidem recte, in schemate § 25, pag. 29, linn. 22-25: « ad laicos spectat etiam ut conditiones diffusioni religionis idoneos promoveant *valoresque morales* diffundant, hac quidem ratione ut in ipso saeculo viventes, mundum evangelico nuntio illuminent ».

Mundus absque dubio in omnibus suis aspectibus evangelico nuntio illuminandus est. Hoc vero nuntium et diffusione et exitu careret, nisi evangelii genuino spiritu, qui paupertatis et a mundanis delectationibus abscissionis spiritus est, effunderetur. Hic revera fuit spiritus Christi qui in hunc mundum veniens ad evangelizandum pauperibus, seipsum pauperem efficit. Ideoque illi omnes, qui ad opus Christi in saecula promovendum vocati sunt, eodem spiritu apostolatum suum agere tenentur.

Laici proinde hoc paupertatis spiritu animati, vitae domesticae et sociali christianum testimonium efficaciter reddere possunt. Opusque vere pastorale efficere atque omnia in Christo restaurare.

Ita sodaliter ut populus Dei agentes, laici hominum hodiernis aspirationibus recte satisfacerent. Laici revera, Christum pauperem imitantes populumque evangelizantes, vividiorem in se animadverterent responsabilitatem ut Christo mundum lucrifaciant.

Omnia igitur quae hucusque relate ad clerum de spiritu paupertatis et de evangelizandis pauperibus pluries relata sunt, eadem relate ad laicos nunc iteranda sunt. Ne tamen proposita in qualicumque abstractionis condignatione maneant, necesse est ut practicas realesque conditiones et pro clero et pro laicis determinemus. Praeprimis pro clero qui exemplo Christi gregem ad vivifica pascua ducere tenetur. Pro laicis qui « medice cura teipsum » quoad clerum repetere nequeunt, exemplum quod a nobis pro se receperunt et aliis communicare possint.

Ex omnibus praefatis, venerabiles Patres, proponere vellem ut schemati adderetur: *laici pauperibus evangelizent in spiritu Christi pauperis.* Et ita Ecclesiae apostoli, sicut sacerdotes ita et laici, eandem Christi imaginem mundo ostendere possunt.

108

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS NUÑES TEIXEIRA
Episcopus Quelimanensis

Circa cap. II, de diaconatu, n. 15, linn. 28 ss, pauca dicam:

1. Mihi videtur opportunum quod, saltem in missionibus, diaconatum instaurandum sit ad populo Dei inserviendum.

Hae sunt rationes:

A) Missionarii fere semper pauci sunt, et fere omnes christiani, praecipue quibusdam diebus et festis, peccata confiteri et sacra communione sese reficere volunt. Atqui vere difficile est ut sacerdos missionarius omnibus petentibus christifidelibus attendat in his quae eius ministerii propria et specifica sunt.

Ideoque, ut sacerdos missionarius magis liber sit ad confessiones audiendas et ne hi arceantur a sumptione frequentiore sacrae Eucharistiae, mea humillima sententia, puto quod utilissimum esset quosdam optimos laicos constituere in diaconatu, verbi gratia, quosdam fratres religiosos et catechistas, tanquam ministros extraordinarios sacrae communionis et etiam ad baptismum sollemnem conferendum.

Necessitas diaconorum plus evidens est, si prae oculis habeamus quod numerus christianorum semper auget et non eodem modo numerus missionariorum.

Ut vitam habeant et plus habeant, opus est ut fideles sacram communionem frequenter recipiant; sed quomodo hoc fieri potest, si sunt christiani qui triginta, quinquaginta et plus kilometra distant a sede missionaria, quibus sacerdos semel tantum in mense accedere potest?

De his christianis panem eucharisticum petentibus, illud dici potest — « Misereor super turbam » — et pro his qui in praedictis adiunctis laborant in his regionibus postulandus est ille diaconatus.

Mihi videtur hoc maximi momenti fore pro illis christifidelibus.

Praeterea, sacerdos missionarius non raro et diu, causa inspiciendi coetus christianorum, scil. scholas catecheticas, sacella, etc., abest, et his non paucis diebus, quis in sedibus missionum distribuere potest sacram communionem fidelibus et praesertim sororibus religiosis?

Itaque, institutionem diaconatus in his regionibus pro cura animarum humiliter censeo valde expedire.

B) Etiam — quod Deus avertat — si sacerdotes missionarii impellentibus temporum adversitatibus expellerentur, quod — proh dolor — non raro accidere potest, diaconi essent sicut columnae veritatis et fundamentum fidei docentes et baptizantes tamquam auctoritatem habentes, in christifidelibus fidem servarent et firmiorem facerent.

2. Quod ad caelibatum respicit, pro his diaconis, mea autem humilis sententia haec est: Servetur textus nostri schematis in quo dicitur: « Quo

in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ».

3. De sustentatione autem talium diaconorum, si de fratribus religiosis agatur, natura sua difficultas fere iam soluta manet.

Si de laicis catechistis agatur, de quibus cum summa veneratione loquitur SS. Pontifex Ioannis XXIII, gratissima memoria, christifideles necessaria ipsis libenter praebebunt, ut iam fit in aliquibus regionibus Africae in eo quod ad labores eorum in catechesi spectat.

109

Exc.mus P. D. GODEFRIDUS OKOYE

Episcopus Harcurtensis

His ultimis diebus nonnulli Patres conciliares argumentum pro diaconatu ut gradu permanente in Ecclesia sumebant ex deficientia sacerdotum in terris missionum. Nos infrascripti episcopi ex Africa Occidentali tale argumentum, praesertim ubi de diaconis matrimonio iunctis agitur, haud approbamus.

Rationes praecipue duae sunt:

1. Prima ratio ex valore caelibatus sumitur: Caelibatus tamquam praeclarum donum Dei et signum gratiae divinae apud nostros habetur, eiusque observatio multos ad fidem perduxit. Nolumus nunc, stabiliendo diaconos caelibatus obligatione non adstrictos, dignitatem cleri imminuere. Maneat castitas clericalis in tota sua integritate pro universo clero, ubique terrarum.

2. Secunda ratio oeconomica est: Sumptus ad sustentandos diaconos eorumque familias facultates nostras longe excederent. Saepe subsidia nobis tradita pro alendis sacerdotibus non sufficiunt. Quomodo possumus pro feminis filiisque diaconorum sufficienter providere?

110

Exc.mus P. D. MARCELLINUS OLAECHEA LOIZAGA

Archiepiscopus Valentinus

N. 18 schematis *de Ecclesia,* prout in pag. 29 habetur, in plurimis invenitur deficere. De defectibus nunc loquar, novamque formulationem totius numeri proponam, ad instar exempli, quam tamen, brevitatis causa, scripto secretariatui tradam.

1. Agitur *de ministeriis episcoporum.* In plurali. Legenti vero unum tantum ministerium apparet; ministerium scil. verbi. In ipsa Scriptura autem numerantur, et hic non apponuntur, sequentia alia ministeria:

a) Ministerium conficiendi corpus Domini et offerendi sacrificium eucharisticum, sub his verbis: « Hoc facite in meam commemorationem »

(*Lc.* 22, 19; *1 Cor.,* 11, 24). Commendatio vero haec apostolis et eorum in sacerdotio successoribus facta est, iuxta verba Tridentini (Denz. 938). Ideoque et episcopis qui sacerdotio primi ordinis gaudent.

Ministerium offerendi sacrificium essentiale est ipsi sacerdotio, teste Paulo dicente: « Omnis pontifex... constituitur *ut offerat* sacrificium pro peccatis (*Heb.* 5, 1). Ita ut, sacrificium et sacerdotium inseparabilia sint, iuxta verba Tridentini (Denz. 957).

Et hoc bene notandum propter consequentias de quibus statim loquar, relate ad connexionem ministerii pastoralis cum ministerio offerendi sacrificium.

b) Adsunt in sacra pagina alia ministeria: ministerium sanctificandi, docendi atque regendi, de quibus in numeris 19-21 nimis diffuse loquitur et quae hic, ubi de ministeriis in generali et in plurali nuntium fit, siletur.

2. Post numerationem ministeriorum oporteret ipsorum rationem theologicam funditus proponere. Sumus enim in discussione constitutionis doctrinalis. Ad hoc faciendum maxime iuvaret quae a S. Thoma proponuntur. Scil.:

a) Duplex datur ministerium et duplex potestas:

1) Ministerium et potestas circa *corpus reale* Christi. Est ministerium sacrificiale.

2) Ministerium et potestas circa *corpus mysticum.* Sunt ministeria sanctificandi, docendi atque regendi (*Summ. Theol., Sup.,* 36, 2, 1; 8, 1, c).

b) Ministeria vero quae in corpus mysticum exercentur a ministerio quod exercetur in corpus reale pendent (*ib.*).

3. Usque huc S. Thomas. Cum vero potestas offerendi sacrificium sacra sit et sacramentalis, potestates et ministeria circa corpus mysticum radicitus sacra et sacramentalia erunt. Ergo ministerium verbi et ministerium regendi radicaliter sacra sunt et sacramentalia. Naturamque non habent fundatam in simplici collatione canonica.

Doctrina ista momentosissima est, et oporteret illam nobis in memoriam revocare in isto schemate dogmatico. Nos omnes, pastores, nunquam in oblivionem tradamus oportet laborem nostrum pastoralem, cuiusque generis sit, administratio, praedicatio vel rectoratus, connectendum esse cum radice sua sacra et sacramentali, cum ministerio scilicet conficiendi et offerendi corpus Domini. Sollicitudo pastoralis et sacrificium missae inseparabilia esse debent.

Pauca addam de « collegialitate episcopatus », sed in scriptis secretariatui do.

1. Usque nunc duo, meo humili iudicio, satis satisque manifesta apparent:

1) Existentia coetus episcopalis, de qua videtur non posse dubitari.

2) Et insufficientia rationum quibus origo divina huiusmodi coetus intenditur probare.

2. Rebus ergo sic stantibus proponere auderem ut Concilium nihil definitive decernat in hac materia.

a) Talis enim norma agendi in prima sessione prosecuta est, quando de Scriptura et traditione disceptabatur. Neque opportunum neque pastorale est, dicebatur tunc, et quidem bene, doctrinam proponere contrariam doctrinae, alias a theologis de Ecclesia bene merentibus, propugnatae.

b) Quae norma sane nunc in memoriam oportet revocare. Sunt enim theologi, et numero quamplurimi, et de bono Ecclesiae meritissimi, qui, collegialitatem asserentes, illius tamen originem divinam vel improbatam tenent vel omnino negant.

c) Ne audeat ergo Concilium doctrinam contrariam definitive proponere ita ut isti praelaudati auctores ut in veritate aberrantes censeantur.

3. Res ergo stent prout sunt. Quaestio etenim adhuc immatura manet. Doceatur tantummodo existentia coetus, et nihil de illius origine divina statuatur.

Nova redactio n. 18.

18. (*De episcoporum ministeriis*). Episcopi, mediantibus Apostolis, missionem accipiunt conficiendi et offerendi corpus Domini (*Lc.* 22, 19; *1 Cor.* 11, 24; Denz. 938); baptizandi et remittendi peccata (cf. *Mt.* 28, 18-20); praedicandi evangelium universae creaturae (*ib.*); et regendi Ecclesiam Dei (*Act.* 20, 28).

Ista ministeria ita inter se connexa sunt, ut ministeria pastoralia, sanctificandi, docendi atque regendi, quae circa corpus mysticum exercentur a ministerio offerendi sacrificium quod supra corpus reale exercetur, pendeant (*Sum. Theol., Supl.,* 8, 1; 36, 2, 1).

Munera autem illa quae Dominus pastoribus commisit verum sunt servitium seu diakonia apostolica (cf. *Act.* 1, 25), quae in sacris Litteris significanter « ministerium » nuncupatur (cf. *Rom.* 11, 13; *Act.* 1, 17; 21, 19; *1 Tim.* 1, 12).

111

Exc.mus P. D. GEORGIUS PEARCE

Episcopus tit. Attalensis in Pamphylia, vic. ap. Insularum Samoa et Tokelau

Relate ad praesens schema *de Ecclesia,* pag. 31, lin. 30, vellem magis evolvere quod exc.mus Conway ac quidam alii episcopi declararunt eum in finem ut in schemate maius momentum et amplior tractatio assignentur sacerdotibus.

Hoc intendo dicere: Dum nos episcopi invitamur magis participare Ecclesiae universae gubernationi, simul, mutatis mutandis, parati esse debemus ad idoneam participationem tribuendam nostris sacerdotibus, religiosis ac laicis.

Haec agendi ratio, omnes sciunt, convenit modo cogitandi seu « mentalitati » praesentis aetatis necnon voluntati Ecclesiae sese adaptandi hodiernis exigentiis. Et praesertim convenit Christi intentioni, qui nobis dedit infinitae benevolentiae exemplum consocians nos operi suae redemptionis.

Nullum est dubium quod Ecclesia hoc voluit ac prosecuta est a primis saeculis. Sufficiat recolere illa pernota verba S. Ignatii Martyris: « sine episcopo nihil agatis... sed et presbyteris subditi sitis... Cuncti similiter revereantur diaconos ut Iesum Christum sicut et episcopum, qui est typus Patris, presbyteros autem ut senatum Dei et concilium apostolorum: sine his ecclesia non vocatur ». Pariter S. Leo Magnus, in sermone occasione anniversarii suae coronationis, haec protulit verba: In unitate igitur fidei atque baptismatis, indiscreta nobis societas, dilectissimi, et generalis est dignitas... ut unum celebretur in toto Ecclesiae corpore pontificii sacramentum, quod effuso benedictionis unguento, copiosius quidem in superiora profluxit, sed non parce etiam in inferiora descendit ».

Verum est quod Summus Pontifex in universae Ecclesiae gubernatione potest leges et deliberationes ferre sive simul cum episcoporum collegio sive absque hoc collegio. Sed verum est etiam quod ipse Summus Pontifex uti solet, ubicumque adest possibilitas, consiliis et cooperatione episcoporum; tum quia haec est voluntas Christi, tum quia hoc requirit humana Summi Pontificis conditio.

Similiter episcopus in sua dioecesi potest gubernare absque consiliis sacerdotum ac laicorum, sed conscientia propriae imperfectionis et simul optimae Ecclesiae traditiones debent ipsum inducere ut praedicta consilia requirat et ut ea sincere perpendat.

Si recte intelligitur, Ecclesiae gubernium est monarchicum in sua constitutione sed democraticum in suo exercitio; pariter dioeceseos gubernium est monarchicum in constitutione sed democraticum in suo aequo exercitio.

Quapropter propono ut in schemate *de Ecclesia,* parte I, pag. 31, lin. 30, post verba « cooperandum exhortatur », addatur hoc quod sequitur: « Episcopus habeat, inter suos canonicos consiliarios, quosdam e sacerdotibus, e religiosis et e laicis suae dioeceseos; ita ut qui consociantur episcopi responsabilitatibus, pariter ius habeant in deliberationibus quas episcopus emanat in bonum dioeceseos ».

112

EXC.MUS P. D. EDUARDUS PEIRIS

Episcopus Chilavensis

De diaconatu in ultima sectione n. 15, cap. II, in schemate *de Ecclesia*:

In cap. 6 Actuum Apostolorum, institutio ministerii quod diaconatum ex graeca fide accepit nomen, sic narratur: « Factus est murmur Graecorum adversus Hebraeos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano viduae eorum. Convocantes autem duodecim multitudinem discipulorum dixerunt: Non est aequum nos derelinquere verbum Dei et ministrare mensis. Considerate ergo fratres viros ex vobis boni testimonii septem, plenos Spiritu Sancto et sapientia, quos constituamus super hoc opus. Nos vero orationi et ministerio verbi instantes erimus » (*Act.* 6, 1-4). Super electos apostoli

orantes manus suas imposuerunt et ministros seu diaconos constituerunt. Diaconi vero praeter ministerium mensarum et viduarum assistebant apostolos, praedicando, baptizando et daemonia eiciendo. Durantibus prioribus saeculis, diaconi arcte ministerio episcoporum sacerdotali connexi multis officiis in congressu fidelium et celebratione divini sacrificii functi sunt. Cum, post persecutiones libertate ecclesiae restituta, actio liturgica explicare incepisset quaedam diaconorum munera minoribus cleri ordinibus assignata sunt.

Can. 3 Concilii Nicaeni I sic se habet: « Interdixit per omnia magna synodus, nec episcopo, nec presbytero, nec diacono, nec alicui prorsus, qui est in clero, licere subintroductam habere mulierem, nisi forte, matrem aut sororem aut amitam vel eas tantum personas quae suspicionem effugiunt » (iuxta textum graecum). Item in can. 6 Concilii Calcedonensis (451) agitur de ordinatione presbyteri, diaconi et cuiuslibet in gradu ecclesiastico. Liquet igitur praeter diaconatum alios sacri ministerii gradus, quasi ramos ex stirpe primitiva, iam in saec. V viguisse.

In saec. IX, S. Isidorus, Hispalensis episcopus, in libro suo « De Ecclesiasticis Officiis », praeter presbyteratum et diaconatum, nominat et exponit subdiaconatum minoresque ordines uti nunc in Ecclesia. De diacono scripsit: « Sicut in sacerdote consecratio, ita in ministro dispensatio sacramenti est; illi orare, huic psallere mandatur; ille oblata sanctificat, his sanctificata dispensat... Tales enim decet Dominum habere ministros, qui nullo carnis corrumpantur contagio, sed potius eminentia castitatis splendeant » (Migne, PL LXXXIII, 789, 790).

Concilium Lateranense I (1123) confirmavit canonem Nicaeni iam commemoratum, et adiecit: « Presbyteris, diaconibus vel subdiaconibus concubinarum et uxorum contubernia penitus interdicimus et aliarum mulierum cohabitationem praeter quas synodus Nicaena... permisit (can. 7). Presbyteris, diaconibus, subdiaconibus et monachis concubinas habere seu matrimonium contrahere penitus interdicimus » (can. 21).

Mentem Ecclesiae in decursu temporis de diaconi disciplina sic patefecit Concilium Tridentinum in Sess. XXIII: « Cum autem divina res sit tam sancti sacerdotii ministerium, consentaneum fuit, quo dignius et maiori cum veneratione exerceri posset, ut in Ecclesia ordinatissima dispositione plures et diversi essent ministrorum ordines, qui sacerdotio ex officio deservirent, ita distributi, ut, qui iam clericali tonsura insigniti essent, per minores et maiores ascenderent. Nam non solum de sacerdotibus, sed et de diaconis sacrae litterae apertam mentionem faciunt et, quae maxime in illorum ordinatione attendenda sunt, gravissimis verbis docent; et ab ipso ecclesiae initio sequentium ordinum nomina, atque uniuscuiusque eorum propria ministeria, subdiaconi scilicet, acolythi, exorcistae, lectoris et ostiarii in usu fuisse cognoscuntur, quamvis non pari gradu ». Insuper, inter canones de sacramento ordinis sunt sequentes: « Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in Ecclesia catholica alios ordines, et maiores et mi-

nores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur: A. S. (can. 2). Si quis dixerit in Ecclesia catholica non esse hierarchiam, divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris: A. S. (can. 6) ».

Ut breviter dicam: disciplina ecclesiae de diaconatu in tempore apostolorum velut in semine incepta, durantibus tribus prioribus saeculis crevit incerta; sed, deinde diaconatus ut gradus ecclesiasticus statutus est. Loquitur ergo Nicaenum I de diacono et aliis qui sunt in clero; item Concilium Calcedonense de diacono et aliis in gradu ecclesiastico. Antiquissima ergo est, saltem in ritu latino, disciplina qua diaconatus habeatur non ut proprius et permanens gradus sed tantum ut gradus quo ad sacerdotium ascenditur. Quae cum ita sint, periculosum esse mihi videtur disiicere disciplinam quae sancta Mater Ecclesia per mille annos et amplius, totque inter aerumnas et varietates temporum tam diligenter custodivit.

Verum est in regionibus quibusdam christifideles paucitate pastorum laborare. Sed remedium quaerendum est non in institutionibus incertis et insolitis, ut diaconatus propositus, sed in mediis bene probatis et aptis: e. g. instauratio vitae christianae in familiis, assidua instructio iuvenum, erectio seminariorum ad fovendas vocationes sacerdotales, actuosa participatio laicorum in apostolatu et praesertim exempla virtutum cleri. Multa sunt munera diaconorum quibus fungi possunt laici. Multi sunt sacerdotes, fratres religiosi et sorores religiosae qui vitam suam devovent scholis. Haud scio an quidam illorum sint saluti animarum intenti.

Si diaconatus uxoratus introducitur, vocationes sacerdotales forte diminuentur, quia multa erunt in tali statu oblectamenta tepidis et timidis. Sacra caelibatus lex semper fuit in maximo honore in Ecclesia catholica, et fortissime valuit ad successum laborum missionariorum apud paganos, ut testificant etiam scriptores acatholici. Apud Buddhistas lex caelibatus adstringit omnes qui flava monachorum vestimenta induant. *Vinaya Pitaka,* liber disciplinarum monachorum Buddhisticorum, minutas regulas dat ad servandam hanc legem. Quamquam Hinduistae matrimonium multis caeremoniis religiosis honorant, quos tamen observant castitatem in servitio Dei ut sanctos colunt. Apud tales, ministerium diaconorum uxoratorum certe erit infructuosum. Multas alias rationes iam a Patribus allatas omitto.

113

Exc.mus P. D. URBANUS M. PERSON

Episcopus tit. Cymaeus, vic. ap. Hararensis

I. In parte secunda schematis *de Ecclesia* in lucem proferendus est nexus, qui inter sacerdotium, sanctimoniam necnon vitam religiosam viget.

1. Primum omnino definiatur oportet sacerdotium, eo scil., ut sacerdotem mediatorem inter Creatorem et creaturas, pontificem, i. e. pontem quendam iungentem creaturam ad Creatorem et vice-versa, esse dicatur.

2. Quaelibet creatura Creatorem intendit, quatenus bonum suum, a Creatore sibi adsignatum, quaerat.

3. Creatura vero muta et caeca cum sit, ad Deum pertingere minime valet. Idcirco homini munus incumbit eam ad Creatorem iungendi, et quidem eo quod *a*) ea iuxta Dei voluntatem utitur; *b*) et per eam gratias Deo agat (sacerdotium universale).

4. Quoniam vero homo ex innocentiae statu decidit atque vulneratus exsistit, duplex munus praefatum absque Christo Summo Sacerdote explere nequit. Baptismus necnon gratia eidem virtutem conferunt ad officium dictum adimplendum. In his quidem laicorum sacerdotium invenitur; inter istorum ambitum *sacerdotium christianum* est reponendum.

5. Verumtamen baptisma et gratia *sacerdotio ministeriali* conferuntur; docete baptizantes.

6. Sacerdotio christiano et praesertim ministeriali homo sanctificatur, i. e. iungitur ad Deum et configuratur Christo. Quibus sanctitudo ecclesialis constituitur, episcopum ac sacerdotem in statum sanctitatis acquisitae transferens.

7. Quae sanctitudo ecclesialis sanctimoniam personalem expostulat, qua quisquis vocationi divinae ad perfectionem necnon sanctitatem modo proprio respondet.

8. At qualibus elementis sanctitudo personalis constituitur? Sicut Ecclesiae natura in prima parte schematis descripta fuerit, sic varii multiplicesque sanctitatis adspectus proponendi erunt, quatenus in Sacra Scriptura, praesertim in Evangelio et Epistulis S. Pauli exhibeantur.

9. Christus Evangelio unicam sanctitudinis semitam edocet, viam scil. consiliorum.

10. Huiuscemodi consilia omnibus christifidelibus, nullo quidem excepto, proponuntur. Minime alia exsistit via ad perfectionis apicem attingendum. Cuncti siquidem ea sequi debent *secundum proprium statum.* « Utentes tamquam non utentes ».

11. Ecclesia, Spiritu Sancto necnon experientia multisaeculari ducentibus, instituit disposuitque statum vitae, cuius structura essentialis in Scriptura iam invenitur; statum vitae videlicet, quo facilius evadit consilia evangelica in actionem deducere. En vita religiosa, sic appellata, quia aliud nomen ad eam designandam deficit.

12. Huic statui natura sua pertinent sequentia: *a*) tria vota, quae sensu largo sumpta omnia includunt consilia evangelica; *b*) vitam communem, qua opus est, ut vota observentur.

13. Quaedam instituta et etiam clerus a statu religioso aliqua elementa mutuant secundum temporis adiuncta. Nam status religiosus minime est societas mysteriosa ad instar fere sectae Massonicorum. Nam finis unus est, et una via ad finem, scilicet praxis consiliorum ad perfectionem caritatis attingendam.

14. Numerus religiosorum qui canoni sanctorum adscripti fuere nimius

est. Una rationum in eo reperitur, quod nonnisi Ordines religiosi prompti sunt, ad augendam proprii Ordinis gloriam, ingentes solvere expensas pro processu canonizationis instituto. Eiusmodi condicionis exitus iste est, quod exemplaria sanctitudinis exemplo christifidelium proposita solum e vita religiosa procedunt. Itaque in ipsis opinio oritur veram sanctimoniam in vita religiosa tantum obtineri posse. Quod Ordinum fundatores vel Congregationum institutores sanctis accensentur, transeat; at ut finis praescribatur religiosis canonizatis, et ut in eorum locum sanctorum honores decernantur aliquibus viris laicis!

N. B.: In schemate *de Ecclesia,* n. 11, pag. 6, linn. 11-25 legimus: « Fideles ... *fratrem* habent Christum et etiam fratres habent eos qui in sacro ministerio positi etc. ».

Adnotandum esse censemus Christum nos non « fratres » quidem, sed « amicos » vocasse. Vox « fratris » Christo applicata usui Scripturae minime respondere videtur. Reapse in oriente vox « fratris » sumitur sensu largissimo. Adhibetur nimirum pro omnibus qui ad eamdem tribum idemque genus pertinent. Idcirco vox « fratris » Christo attributa orienti non convenit. Quidquid sit, evitetur oportet, ut in eadem propositione Christus et episcopus invicem aequiparentur, quippe cum episcopus non sit nisi « amicus Sponsi », cuius est christifideles deducere ad Christum quique postea evolat e conspectu; oportet illum crescere, me autem minui.

II. Durante Concilio, Curia Romana saepe accusata fuit, et ad eam defendendam, dictum est Curiam Romanam labori suo valde addictam esse. Mea humilis opinio haec est:

1. De iure Curia Romana est in servitium Summi Pontificis ad Ecclesiam gubernandam; de facto, uti res hodie stant, ipsa regit Ecclesiam cum Summo Pontifice.

2. Iamvero, Curia Romana officialibus (« fonctionnaires ») constituitur. Quod officiales illi necessarii sint, et labori suo valde dediti, extra dubium ponitur, et personaliter nullam habuerim causam de eis habendi querelam. Sed sunt mere officiales (« fonctionnaires ») quibus episcopatus « ut praemio donatus » confertur.

3. Em.mus P. card. Ruffini Ecclesiam alicui exercitui aequiparavit. In exercitu revera adsunt officiales qui administratores vocantur et in officiis laborant; sed illi non regunt exercitum. Exercitus regitur ab illis ducibus qui semper habent responsabilitatem in re militari.

4. A pari necesse est ut Summus Pontifex in Ecclesia regenda adiuvetur ab episcopis, qui responsabilitatem et munus pastorale habeant vel habuerint.

5. Illa conclusio immediate eruitur a principio collegialitatis episcoporum, quod principium a Concilio fuit acceptatum; et valde optandum est ut illi episcopi ab ipso Concilio eligantur qui, adiuvante Curia, cum Summo Pontifice Ecclesiam gubernent.

6. Dictum fuit etiam quod officium Nuntii Apostolici a laicis adimpleri

posset. Opinio haec est vera, praesertim in regionibus orientis et extremi Orientis. Etenim in religionibus istarum regionum austeritas vitae primum locum obtinet: homo religiosus vel « homo Dei », neque liquorem bibit neque fumat, pauperrime vestitur, etc. Iamvero Nuntius Apostolicus catholicam religionem publice repraesentat. Sed Nuntius obligationes sociales habet, quibus sese subtrahere nequit: primum locum occupat in receptionibus publicis officialibus, quae hodie mundanae sunt; immo ipsemet tales receptiones ordinare debet! Sicque, munus Apostolici Nuntii sicuti est, nocet reputationi religionis nostrae, et dialogum fructuosum impedit cum religionibus in illis nationibus existentibus. Melius ergo est quod munera politica Nuntii alicui laico conferantur, et munera ecclesiastica Nuntii, Praesidentibus conferentiis episcopalibus committantur.

114

Exc.mus P. D. IOANNES B. PIASENTINI
Episcopus Clodiensis

In dissertatione cap. II, schematis *de Ecclesia,* malui *per scriptum,* potius quam verbis, meam ostendere sententiam de instauratione diaconatus tamquam proprii ac permanentis hierarchiae gradus (cf. pag. 26, linn. 34-41 eiusdem schematis).

1. Et primo quidem perutile foret perquirere quas ob rationes Ecclesia derelinqui permiserit diaconatum tamquam permanentem ordinem. Si Ecclesia tunc magni non aestimaverit utilitates quae ab ipso oriebantur, opinari possumus negativas consequentias maioris fuisse ponderis. Clare non apparet quomodo nunc hae consequentiae auferri queant auspice innovatione quae proponitur, absque caelibatus lege, dum nostris temporibus homines multo meliores minime videantur quam anteactis christianismi saeculis.

2. Mihi persuasum est per diaconatus absque caelibatu institutionem, notabiliter imminui numerum sacerdotum. In conciliari disputatione sententia contraria prodiit, sed opinamur quandoque rhetoricae arti indulgeri cum affirmatur per diaconatus reviviscentiam numerum sacerdotum auctum iri. Qua ratione, quaeso? Immo facile hoc erit: ob caelibatus difficultates non pauci clerici sacerdotium recusabunt, ut in novam se recipiant institutionem, tamquam ad faciliorem et commodiorem vitae rationem, quae ingressum in Ecclesiae sacrarium permittat.

3. Ad utilitatem, immo necessitatem (uti aliqui aiunt) diaconatus confirmandam, repetita est ministrorum necessitas qui Sacram Communionem fidelibus administrent. Optima quidem res, sed necessitas praecedit confessariorum qui absolvant: hoc autem diaconi facere nequibunt. Verum quidem est his committi posse aliquam fidelium catechizationem, adsistentiam socialem, aliaque administrationis opera, attamen de rebus hic agitur quae etiam optimis laicis vel sodalibus congregationum religiosarum committi possunt, in territoriis ubi hae congregationes existant.

4. Demum praeteriri nequeunt admiratio et dicteria fidelium cum novos diaconos per vias urbium deambulantes videbunt, uxore et filiis comitantibus, quemadmodum pastores protestantes faciunt. Quid tandem dicendum si diaconorum uxores, vanitatibus sicut nunc sunt mores indulgentes, Ecclesiae doctrinam parvipendant quod ad modestiam aliasque christianas virtutes attinet? Sub silentio praetereo molestias quas episcopi ferre debebunt tum ut diaconis honesta alimenta provideant, salarium familiare tribuentes, quod filiorum numero respondeat, tum ut malum influxum compescant quem in paroeciis afferre possunt uxores inconsideratae, vel ut scandalis obsistant quae forte exoriantur si quis diaconus, tribulationibus carnis illaqueatus, contra fidem coniugalem peccaverit.

5. Paucis verbis: mihi suadere non valeo Dominum, ad consulendum Ecclesiae necessitatibus, indigere huiusmodi institutione quae, sic ut proponitur, fatalem vim habet periculosum vulnus inferendi sacrae legi ecclesiastici caelibatus.

Sequens videtur conclusio educenda: potiori sanctitati vitae nostrae competunt honos et vis a Deo obtinendi copiosorem messem sacerdotum qui, apostolico zelo ducti, mundi salutem operentur.

115

Exc.mus P. D. RENATUS IOSEPH PIÉRARD

Episcopus Catalaunensis

Relate ad diaconatum, mihi liceat huic Concilio Oecumenico notam facere opinionem cuiusdam laici, qui curam habet Fraternitatis Infirmorum in mea dioecesi. Haec mihi, tamquam « vox pauperum », nuper scribebat:

« Plurimi infirmi, *qui nequeunt a propria domo exire,* communionem frequentem exoptant, quia sic cum Christo uniuntur, et quia viribus spiritualibus indigent.

« Clerus autem parochialis in urbibus, quippe qui laboribus diversi generis oneratur, non potest Sanctam Communionem frequenter ad infirmos deferre. Per plures menses lecto degebam. Vicarius parochiae, quae 7.400 incolis constat, mihi Corpus Domini bis in hebdomada afferebat, ex mirabili studio caritatis; sed hoc considerandum erat tamquam privilegium personale.

« Perlibenter Communionem crebrius accepissem, et certum est quod multi infirmi in mea parochia et alibi idem desiderium sentiunt.

« Propterea fervide exoptant infirmi, ut Concilium restauret ordinem diaconatus ad talia officia sacra pro bono fidelium adimplenda. — Renatus Ulrich (ex-Praeses J.O.C., paterfamilias) ».

116

EXC.MUS P. D. FRANCISCUS PLANAS MUNTANER
Episcopus Ebusitanus

Nuperrime aliqui Patres non immerito locuti sunt de lacuna implenda in schemate *de Ecclesia* cap. II, scil., amplificando ea quae nimis ieiune de presbyteris dicuntur.

Iamvero mihi videtur, quod maxima parsimonia loquatur schema de paternitate spirituali presbyterorum: quare de hac re oporteret ampliori modo disserere. Nihil de hoc inveni in nostro schemate nisi aliquid in lin. 2, pag. 6: Episcopi, dicitur in hoc loco, transfundunt in presbyteros gratiam de suae paternae plenitudinis abundantia.

Profecto Sanctus Paulus (*1 Cor.* 1, 17) aiebat se non fuisse missum ad baptizandum sed ad evangelizandum et paucos christianos ibi enumerat quos ipse baptizavit (*ib.,* vv. 14-16).

Idem possent dicere plurimi episcopi: neminem vel paucos baptizavi. De facto enim generatim potius sacerdotes, maxime qui sunt addicti servitio paroeciali, baptismum administrant. Et pariter schema nostrum, cum agit de episcoporum munere sanctificandi in n. 20, pag. 30, mentionem facit de variis sacramentis ab episcopo administratis, non vero de baptismate.

Episcopi tamen recte vocati sunt « patres fidelium », ut videre est in pluribus documentis citatis in nota 15, pag. 35.

Deinceps ibidem notatur ratio huius paternae potestatis, ut nempe indicetur in Ecclesia potestas iuridica spiritu pietatis moderari, qui inter episcopos et fideles intercedere debet.

Minus clare vero, uti puto, in ipso schemate (n. 14, linn. 29-30, pag. 25) tamquam ratio huius appellationis indicatur quod episcopi nova membra Corpori mystico regeneratione spirituali incorporent.

Nam regeneratio spiritualis proprie loquendo est ipsa administratio baptismatis, iuxta illa verba Domini nostri: « Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu Sancto, non potest introire in Regnum Dei ».

Melius fortasse res exprimitur in n. 19, pag. 29, linn. 20-21, ubi dicitur episcopos, utpote praedicatores fidei, novos discipulos ad Christum adducere. Regeneratio enim spiritualis sensu totali comprehendere potest etiam praedicationem fidei, sed novus christianus proprie non habetur nisi baptismate recepto. Praedicatio fidei est velut initium fidei, sed non est adhuc proprie regeneratio spiritualis.

Presbyteri ergo sunt a fortiori patres fidelium, quia communiter baptismum administrant, in quo novi filii ecclesiae nascuntur et nova membra Corporis mystici constituuntur. Populus christianus etiam, non solum episcopos sed etiam simplices sacerdotes patres vocat.

Vellem, ergo, ut in nova redactione schematis, si ampliori modo de presbyteris fiet sermo, de eorum paternitate spirituali loquatur.

117

EXC.MUS P. D. ROBERTUS POBOŽNÝ
Episcopus tit. Neilenus, adm. ap. Rosnaviensis

Liceat mihi sequentes observationes facere et emendationes rogare.

1. Pag. 25 in § 14 titulus sonat: De episcopatu ut sacramento. Melior est titulus: De episcopatu ut ordine. Ratio est: Episcopatus est ex ordinibus supremus gradus unius eiusdem sacramenti. Si dicitur: De episcopatu ut sacramento, hoc male sonat, et spontanee exsurgit cogitatio, acsi episcopatus ipse solus esset sacramentum et non supremus gradus unius eiusdem sacramenti Ordinis.

2. Schema in § 15 agit de presbyteratu et diaconatu. Speciatim de diaconis tamquam de infimo gradu in ministerio hierarchico. Sequentia esse adnotanda et melioranda puto.

Schema dicit: « Immo diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens ordo hierarchiae exerceri poterit, ubi id Ecclesia pro cura animarum, aut in certis regionibus aut in omnibus, expedire censuerit. Quo in casu ad praepositos Ecclesiae spectat decernere utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ».

Emendatio sequens necessaria est ex causis infra allatis: « Immo diaconatus in futuro tamquam proprius ac permanens ordo hierarchiae exerceri poterit, ubi Summus Pontifex id pro necessitate curae animarum expedire censuerit. Quo in casu Summus Pontifex pro sua suprema potestate decernit, utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ».

Rationem affert historia Ecclesiae sequentem. Sacra caelibatus lex servanda, firmanda est non obstantibus vulneribus huius legis, non autem infirmanda. Quod fieret si ab episcopis esset dispensatio, et non, prout nunc est, ab ipso Summo Pontifice.

Diaconatum tamquam permanentem gradum innovare volunt et urgent ob penuriam sacerdotum ad excitandas sacerdotales vocationes. Quae tamen suppositio fallit, sicut docet historia Ecclesiae.

Voluit et Tridentinum Concilium renovare diaconatum. Tunc causa gravissima fuit post tot et inter tot bella, quae et hodie post secundum bellum mundiale nostri saeculi: Messis quidem multa, operarii autem pauci.

Homines sumus fragiles. Et non iniuste iudicamus de temporibus postbellicis sive saec. XVI sive XX tempore postbellico hodie loquentes et affirmantes, bello permultos viros morti traditos esse bellica occisione. Redeuntibus temporibus pacis post bellum videmus in genere a viris occupari prius mundana officia, in quibus viri officiales non debent tanta onera, molestias sufferre, qualia vita sacerdotalis exigit a viro sacerdote. Belli furore multa patiuntur homines. Bello finito et vitae periculis bellicis iam superatis naturalia gaudia huius terrae quaerunt homines et hic hedonismus postbellicus quadam humana psychologia iuvenes impedit, quominus sacerdotalem voca-

tionem, vitam sacerdotalem plenam multoties aerumnis, sacrificiis eligant, recipiant a Deo, qui vocat eos ad altaris servitium. Hodie et epidemia atheismi sive practici sive theoretici contumeliosam propagandam non horret, ut iuvenes absterreat, ne se Dei servitio mancipent. Hodie inter moderna adiuncta recipere sacerdotium, et cum gratia sacerdotalis vocationis cooperari per seriem annorum eaque gratia fideliter uti, fruique supponit quemdam heroismum a iuvenibus, qui forsitan sicut apud nos ab atheis ductas scholas frequentare debent.

Qui spiritus mundi causat post bellum secundum aevo nostro deficientiam vocationum sacerdotalium, seminaria sunt vacua a clericis etiam in occidente; vacua sunt in oriente ob aggressivam ideologiam atheismi, qui ut iniustus aggressor vellet delere vel et ideam Summi Dei Creatoris, Redemptoris, Sanctificatoris. Ast Deus subsannabit asseclas huius satanismi aetatis nostrae.

Concilium Tridentinum mense iulio 1563 decrevit diaconatum innovare et enumerat officia diaconorum: baptizant, et praedicant et onera caritativa regunt. Et quid factum est?

Aliud experimur in regionibus, ubi religio libera exercebatur, et aliud in regionibus, ubi libertas religionis nulla vel coarctata est.

In regnis ubi religio libera mansit, et decretum Tridentinum de innovando diaconatu ut permanenti et stabili gradu hierarchiae publicatum est, debebant episcopi et sacerdotes omnino specialem curam gerere excitandi et alendi vocationes sacerdotales. Sacerdotes iuxta Tridentinum inde ab anno duodecimo iam pueros e christianis familiis probis debuerant eligere in sacerdotium, attendere eorum educationi christianae, eos sensu ecclesiastico imbuere et sic sacerdotalem vocationem sicut enitentem florem defendere, servare, donec fructum sacerdotii germinaverit.

Et magis iuvat observare: post Tridentinum Concilium videmus S. Vincentium a Paula, Berull cum suis oratorianis, S. Ioannem Eudes in Gallia, S. Carolum Borromaeum in Italia, cuius vitam, activitatem descripsit p. m. Ioannes XXIII papa et a cuius spiritu ductus magna voluit hoc tempore postbellico et quae voluit, valde voluit, deinde Petrum Pázmány in Hungaria et alios, qui seminaria maiora erigunt et sustentant educandis vocationibus sacerdotalibus. Ipse diaconatus non erat in praxi deductus. Decretum hoc sterile mansit.

Hinc quaestio magis est reponenda non in diaconatum innovandum proposito modo etiam absque caelibatu, qui nos voto sollemni obligat inde a suscepto subdiaconatu. Beata est sterilitas decreti huius de diaconatu innovando, nam causa et ansa facta est erigendi et sustentandi seminaria minora et maiora.

Omnino aliud aliquid observat historicus in regionibus, ubi vel coarctata vel nulla fuit libertas religionis. Nulla hierarchia erat, paucissimi sacerdotes erant in ditione sub Mahometico imperio. Hic Spiritus Sanctus alio modo succurrebat ut s. fides conservetur, per multa decennia saeculorum XVI, XVII et ineunte XVIII. His in regionibus apparent sic dicti « licentiati », quorum

nomen est omen: licentiam habebant his in regionibus orbatis suis episcopis, presbyteris, cultum divinum publicum ducendi in ecclesiis vel domibus privatis. Ipsi sunt qui baptizant, praedicant, opera caritativa regunt. Tamen nullum munus habent circa S. Eucharistiam. Quod patet etiam exinde, quia defuerunt sacerdotes istis in regionibus. Facultatem, licentiam acceperunt rarissime ab Ordinario, magis ab archidiaconis vel ab ipsis curatoribus (presbyteris), inde nomen eorum: licentiatus. Sparsim habent ordines minores, nunquam sunt subdiaconi eo minus diaconi. Sunt uxorati, pauci non uxorati.

Est-ne necessarium diaconatum propositum etiam sine caelibatu innovare, concedere ab ipso Concilio? Respondendum censeo: Non. Analogiam certam habemus in memorata historia licentiatorum.

Sic quaestio diaconorum resolvitur in quaestionem de apostolatu laicorum, qui non pertinent ad hierarchiam sacra lege caelibatus ornatam, sed licentiatorum dictorum, vel alio nomine titulandorum. Non veniant nomine diaconorum.

Fas sit in mentem revocare emendationem de sacramentalibus, cuius textum V. Fratres die 17 octobris 1963 in maioritate acceperant: provideatur ut quaedam sacramentalia, saltem in specialibus rerum adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis congruis qualitatibus praeditis, administrari possint ».

Parva mutatione emendatio fiat in textu: « Provideatur ut baptizatio, praedicatio verbi divini, regenda opera caritativa et quaedam sacramentalia, saltem in specialibus rerum adiunctis et de iudicio Ordinarii, a laicis minoribus ordinibus et congruis qualitatibus praeditis, administrari possint ».

Et nunc perpendendum est: resolutio et pulcherrima non iuvabit, sicut sterile mansit decretum s. Concilii Tridentini de diaconatu innovando ut permanenti et stabili gradu hierarchiae.

Fons vocationis sacerdotalis est gratia divina. Dominus eligit et vocat ad suum servitium. Quae tamen gratia accipienda et alenda est. Focus amore Dei ardens est necessarius in familiis christianis. Focus familiarum frigidus factus est, in eo multis in casibus ignis amoris Dei exstinctus est, S. fides non est viva, sed est mortua in familiis. Familiae rechristianizandae sunt, ducendae, reducendae ad Deum. Providentia divina hoc opus: familias reducere ad Deum, focum amoris Dei restituere in familiis commisisse videtur notabili in parte sic dictis « focolarinis » atque « focolarinabus », quorum nomen a foco ignis mutuatum est. Non agitur hic de ordine sensu classico, sed de forma vitae christiana, rechristianizata; forma vitae, vivere in amore Dei, qui nos tantopere amat vocando, mittendo nos ad vitam non tantum naturalem, sed supranaturalem, dicamus clarius; ad vitam divinam, ad formam, quam dare nobis venit Dominus Iesus.

118

EXC.MUS P. D. MAURITIUS POURCHET

Episcopus S. Flori

Cum disceptatio de hoc capite ad finem tangat, et locus non sit ad interventionem, liceat mihi scripto et breviter aliquas confusiones notare, et aliqua pericula indicare.

1. Plures ex eis qui contra collegialitatem locuti sunt confundere videntur collegialitatem universalem de qua est quaestio cum conferentiis episcopalibus, nationalibus vel regionalibus.

Problema non est idem: conferentiae episcopales, in quantum habebunt potestatem leges ferendi, quae in universa natione vel regione vim obtinebunt, non possunt esse nisi de iure ecclesiastico, et ideo haec quaestio tractetur in schemate disciplinari: *de episcopis et dioecesium regimine.*

Collegialitas universalis, in quantum collegium apostolorum vivit in collegio episcoporum, praesentatur in schemate, et, ut arbitror, recte, ut de iure divino.

2. Collegialitas et infallibilitas in docendo evidens videtur ex Conc. Vat. I et ex constanti traditione.

Pro aliquibus Patribus minus evidens videtur collegialitas in regendo, et, ut mihi apparet, quia illi non vident quomodo haec collegialitas in regendo exerceri possit ab episcopis in sua dioecesi dispersis.

Videtur in hoc casu Summi Pontificis esse modum determinare quo haec collegialitas exerceri possit, v. g. per consultationem vel per consilium permanens sicut quidam petierunt.

3. Pluries in aula dictum est, et, ut mihi videtur, sat leviter, certum non esse collegialitatem apostolorum transmissam esse episcopis. Magnum periculum haec sententia comportat, et videtur concordare cum aliqua thesi protestantium (v. g. Cullmann), iuxta quam potestas Petro et apostolis data a Christo illis erat personalis, sed non transmittenda. Constitutio a Christo statuta pro sua Ecclesia inveniri debet tota in Ecclesia hodierna. Si admittitur exceptio pro uno aspectu huius constitutionis, non videtur quomodo exceptio vitabitur pro alio, i. e. pro Petro. Conveniens non erat hanc responsionem afferre in aula, propter observatores.

4. Pluries etiam dictum est Primatum independentem esse a collegio (die 2 octobris, expressis verbis: « sine dependentia, nullo respectu habito... »); haec verba ad minus timendum aequivocationem continere, et si sumuntur ut sonant, hoc videtur contrarium textui ipsi definitionis de infallibilitate Romani Pontificis, ubi dicitur: « Cum omnium christianorum pastoris et doctoris munere fungens... ». Separare caput a corpore voluntati Christi in institutione Primatus necnon praxi Ecclesiae contrarium est. Explicationes in aula allatae ab exc.mo Descuffi de locutione « ex sese », quidquid sit de particularibus, summatim pertinentes mihi videntur.

119

REV.MUS P. D. IOANNES PROU

Superior generalis Congregationis Gallicae O.S.B.

De collegialitate episcoporum. Ad quaestionem de collegialitate episcoporum elucidandam, necessarium omnino est quod sensus ipsius vocis « collegium » exacte determinetur.

Vox autem « collegium » duplicem sensum valde diversum induere potest.

1. *Sensum latiorem* quo significatur aggregatio seu societas quaedam hominum eiusdem professionis, praesertim cum operationes eorum non solum easdem facultates scientificas vel technicas supponunt, sed coordinantur inter se ad eumdem vel similem finem obtinendum.

Exempla multa variaque adsunt talium collegiorum: collegium professorum et studentium unius institutionis scholaris, ubi activitates membrorum vel sunt similes vel ad invicem se complent ad eumdem finem qui est educatio discipulorum. Item habentur collegia medicorum vel advocatorum unius civitatis, quae saepe nomen *ordinis* vel *corporis* suscipiunt.

In huiusmodi collegiis unumquodque membrum ponit actus vere singulares et personales, a ceterorum membrorum actibus distinctos, quamvis illis similes vel coordinatos. Saepissime unitas et harmonia talis collegii obtinetur et custoditur a quodam superiore qui plus minusve activitates ceterorum membrorum dirigit. Vocatur ergo tale collegium « collegium late dictum ».

2. *Sensum strictiorem* quo significatur congregatio seu societas vere, actualiter et iuridice unam personam moralem constituens, capax eliciendi actus stricte collegiales quorum unusquisque constituit actionem unicam immediate toti et soli collegio tribuendam. Haec forma collegii, quod vocari potest « collegium stricte dictum » plene verificatur cum membra illius ita inter se quoad operationem connectuntur ut omnes actus specifici eorum, in quantum sunt membra collegii, habitualiter et ordinarie sunt stricte collegiales vel saltem ad actum collegialem ordinantur. Exemplum talis collegii est corpus legislativum alicuius civitatis. In quantum ad illud collegium pertinent, omnes « deputati » seu « legislatores » non exercent actum specificum professionis suae, scil. actum condendi leges, nisi vel collegialiter agendo vel saltem per actus proprios illum actum collegialem praeparando. De se, in tali collegio, activitas specifica membrorum tota est ordinarie et permanenter collegialis.

Inter istos duos collegialitatis extremos modos, saepe invenitur forma quaedam media collegii, cuius membra ex una parte permanenter induunt conditiones membrorum collegii late dicti: sub aliquo praeside gaudent facultatibus et privilegiis propriis, agunt similia vel ad invicem complementaria, tendunt in unum vel similem finem, et omnia haec exercentur per proprios et distinctos actus uniuscuiusque membrorum etsi tales actus plu-

rimode inter se coordinantur. Actus etiam specifici membrorum, i. e. ut sunt collegii membra, ordinarie remanent actus personales seiunctim ab unoquoque eliciti. Tamen, in quibusdam adiunctis, ex collegii constitutione determinatis, congregari possunt vel etiam debent omnia membra ad quosdam actus stricte collegiales conficiendos. In talibus adiunctis, et in illis tantum, vere et stricte collegialiter agunt, unicum actum ponentes qui primo et per se toti et soli collegio, tunc personam moralem unicam constituenti, tribui debeat. In tali societate, collegium stricto sensu dictum non habetur permanens, sed extraordinarie tantum et transitorium. Nominatur tamen permanenter collegium in quantum: *primo* permanenter est collegium late dictum, et *secundo* permanenter capacitatem retinet ut quandoque, in casibus extraordinariis ad gradum collegii stricte dicti accedat.

Hae diversae formae collegialitatis adhuc duplicem structuram induere possunt:

Quandoque retinent formam aequalitariam seu democraticam prout omnia membra collegii iuribus aequalibus gaudent. Collegium existit ex sola coordinatione membrorum et, si capax sit actionis stricte collegialis, haec habetur ex solo consensu communi omnium membrorum ad actum collegialem conficiendum. Quod tamen saepissime non fit nisi per convocationem alicuius collegii praesidis qui, tantum « primus inter pares », convocatione facta, nullam potiorem partem in actu collegiali conficiendo possidet.

Quandoque collegia induunt formam hierarchicam. In quo casu unum membrum collegii vere caput ipsius est ita ut, non solum ius et potestatem illud convocandi possidet, sed insuper partem maiorem in actibus collegialibus conficiendis semper retinet, qua ratione nullus actus vere collegialis haberi potest nisi ex huius praesidis approbatione et confirmatione.

Quonam sensu apostoli duodecim « collegium » constituerunt?

Primo de fide videtur esse apostolos a Christo congregatos verum collegium late dictum constituisse:

a) inquantum a Christo institutum est,

b) constanter sub ipsius Christi auctoritate permanet,

c) per tres annos permanenter apostoli, cum Christo intime conversati, doctrinam eius acceperunt,

d) post Ascensionem Domini simul Spiritus Sancti adventum exspectaverunt et eiusdem gratia ditati sunt,

e) sub Petri auctoritate, ex institutione Christi, permanserunt,

f) per aliquot annos simul Hierosolymis habitarunt nexum intimum inter se servantes, munus apostolicum exercentes similibus vel coordinatis actibus, eadem docentes, in eumdem finem laborantes,

g) omnes tandem et ipsi soli quaedam possiderunt distincta privilegia quorum ratione « Duodecim » appellati sunt (quibus postea aequiparatus est etiam Paulus).

Secundo certum etiam omnino est apostolos non constituisse constanter et per totam vitam collegium permanens stricte dictum. Multa etenim opera,

vere et specifice apostolica, personaliter et singillatim elicuerunt. Immo modus ordinarius et quotidianus, iuxta quem missionem a Christo illis datam exercuerunt, non erat nisi modus actionis personalis. Unusquisque eorum erat verus pastor propriis viribus una cum donis a Spiritu Sancto ipsi collatis munus pastorale exsequens. Tales actus utique ab omnibus apostolis exercebantur in communione et mutua coordinatione: sed nec ordinario nec plerumque poterant esse actus collegiales. Immo, facta apostolorum dispersione, quicumque eorum iam non poterat nisi actus personales et individuos ponere. Non tantum pauci versiculi Scripturae hanc personalem actionem apostolorum testificantur, sed capitula integra Actuum Apostolorum sive Petri, sive Pauli ministerium pastorale individuum utique describentia. Litterae Apostolicae Petri, Ioannis, Iacobi, Iudae, Pauli non sunt litterae cuiusdam collegii apostolorum, sed actus specifice pastorales ab uno apostolo personaliter eliciti.

Quaestio ergo adhuc insoluta remanens haec est: utrum necne collegium apostolorum fuerit simul et collegium late dictum permanens, et in extraordinariis adiunctis etiam collegium stricte dictum, actus quosdam tunc vere collegiales ponens. In responsione huius quaestionis non omnes adhuc conveniunt.

Alii opinantur apostolos, dum simul Hierosolymis permanserunt, plures actus stricte collegiales exercuere. Citantur praesertim tres huiusmodi actus, scil.: electio S. Matthiae (*Act.* 1, 21); institutio et consecratio diaconorum (*Act.* 6, 2 et 6); concilium hierosolymitanum (*Act.* 15, 22 ss.). Non desunt quaedam rationes ad collegialitatem talium actuum recognoscendam.

Sed alii exegetae vel theologi de collegialitate eorumdem actuum, in quantum esset exclusive apostolica, dubitant eo quod, saltem in primo tertioque casu, non solum apostoli, sed etiam alii christiani interfuerunt. Afferuntur etiam rationes non spernendae quae collegialitatem activitatis apostolicae vel impossibilem vel saltem inutilem reddunt quarum praecipua est personalis infallibilitas et universalis auctoritas a Christo cuique tributa. Dubium ergo remanet, propterea non videtur adhuc concilium oecumenicum doctrinam certam et decisivam de hoc puncto statuere debere.

Quidquid sit de hac difficultate, fatendum insuper ab omnibus est quod in vita apostolorum actiones collegiales, si reapse adfuerunt, semper pauciores, immo rarissimas exstitisse, et inde a dispersione apostolorum, post circiter decem annos, prorsus defuisse.

Tandem bene notandum nullum collegium apostolicum, sive late, sive stricte dictum, unquam exstitisse nisi sub plena et suprema auctoritate Petri, huius collegii principis, ita ut nullum actum collegialem adfuisse praeter Petri explicitum consensum confiteri debeamus. Collegium illud fuit semper stricte hierarchicum.

Quonam sensu episcopi collegium constituunt?

Ex iam dictis de collegio apostolorum deduci possunt ea quae de episcoporum collegio remanent enucleanda.

Primo, certum est et de fide videtur esse, omnes episcopos, nexum communionis cum Romano Pontifice servantes, unum verum collegium late dictum constituere. Etsi enim non semper simul conversantur sicut apostoli dum adhuc Hierosolymis degerent, nec etiam omnia privilegia apostolis concessa retinent, tamen *a*) omnes sunt eiusdem Christi ministri; *b*) omnes sub auctoritate Romani Pontificis gregem proprium pascunt; *c*) omnes inter se multimode communicant, eumdem cultum Deo offerunt; eamdem fidem docent, eadem sacramenta conficiunt, aequali potestate utuntur, ad eumdem finem cooperantur; *d*) omnes tandem erga universam Ecclesiam vera sollicitudine tenentur (cf. Pius XII, *Fidei Donum*).

De tali collegialitate late dicta sed vera fuse loquuntur documenta sive Romanorum Pontificum sive Conciliorum, sive Patrum, sive theologorum omnium: ita ut ad illam stabiliendam non opus sit immorari.

Secundo, certum est etiam episcopos non semper nec ordinarie collegium stricte dictum constituere. Munus pastorale eis commissum est officium personale: « Singuli singulos greges pascunt », ut declarat Concilium Vaticanum I. Historia testatur Ecclesias particulares per viginti saecula non a collegio quodam episcoporum ordinarie et permanenter gubernari, sed semper ab aliquo proprio pastore. Ut iam in hac aula declaratum est, episcopus debet esse pater ovium suarum. Collegium autem collegialiter agens non est pater. Officium vere specificum cuiuscumque episcopi per actus singulares et personales principaliter adimpletur. Qui potiorem partem officii episcopalis ad actus stricte collectivos reducere vellent, unumquemque episcopum ut cuiusdam anonymae congregationis membrum vel ut merum exsecutorem decisionum collegialium considerare viderentur.

Tertio, certum adhuc esse videtur episcopos collegium late dictum habitualiter et ordinarie constituentes, in quibusdam adiunctis extraordinariis, ad modum collegii proprie dicti, actus stricte et vere collegiales ponere. Praesens adunatio conciliaris illam veritatem luculenter demonstrat. Illam probant innumera concilia, sive oecumenica, sive particularia in decursu saeculorum celebrata. Potest etiam pro certo haberi Pontificem Romanum, vi plenitudinis potestatis illi a Christo collatae, etiam extra Concilium actum vere collegialem omnium vel plurium episcoporum suscitare posse, ita ut episcopi etiam per orbem dispersi, unum actum collegialem una cum ipso Pontifice ponere queant. Quocumque modo tamen fiat, talis actus collegialis non est nisi pars, et quidem extraordinaria, officii episcoporum. Omnino contradicere videtur structurae quam Christus Ecclesiae suae imposuit regimen ordinarium et permanens non individui pastoris, sed cuiusdam coetus collegialiter agentis. Quaecumque ergo forma activitatis collegialis sensu stricto sumptae non potest haberi in Ecclesiae regimine nisi ut forma transitoria et extraordinaria. Et haec tantum probant omnia Patrum documenta quae actionem quamdam collegialem episcoporum in Ecclesia commonstrant et laudant.

Addendum utique est quod ab omnibus quidem conceditur, omnem for-

mam collegialitatis sive late, sive stricte dictae, semper hierarchicam esse in Ecclesia Christi. Ideoque nullum exsistit collegium episcopale, ne quidem late dictum, quod a Romano Pontifice non pendeat. Collegium autem stricte dictum in Ecclesia non habetur nisi pro tempore quo illud Romanus Pontifex adunat vel saltem recognoscit. Propterea, etiamsi unusquisque episcopus capacitatem radicalem collegialiter sedendi permanenter retinet, tamen potestatem ipsi collegio stricte dicto propriam episcopi, neque singuli neque etiam simul sumpti, non possident nisi tempore quo Summi Pontificis voluntate in illud collegium constituendum vocantur.

Ultimum tandem remanet dubium de iure episcoporum ad concilium vel cuiusvis collegii stricte dicti formam constituendum. Suntne episcopi membra conciliorum aliorumve collegiorum stricte dictorum iure divino vel tantum iure ecclesiastico? Controversia ista iam ponebatur saeculo elapso, et Concilium Vaticanum I eam dirimere noluit. Solutio videtur pendere ex responsione data alio problemati iam supra exposito de exsistentia vel non-exsistentia actionum stricte collegialium inter ipsos apostolos. Etenim si apostoli actus stricte collegiales revera posuerunt, tale factum implicat eos sive de mandato Christi, sive ex inspiratione Spiritus Sancti ita egisse. Ideoque ipsi et successores eorum iure divino possident capacitatem taliter agendi. Secus vero, concilia et alia si quae sint acta stricte collegialia episcoporum ex iure tantum ecclesiastico, vi potestatis Pontifici Romano collatae, in Ecclesia tenentur et episcopi a Pontifice totam potestatem collegio participandi accipiunt. Qua de re sententiam ferre non auderem, cum adhuc matura non exstet, meo saltem humili iudicio!

Optarem vero ut opportunas, immo necessarias distinctiones, secundum ea quae supra dicta sunt, in cap. II schematis *de Ecclesia* inserantur.

120

Exc.mus P. D. LEONARDUS IOSEPH RAYMOND

Episcopus Allahabadensis

Loquor in nomine maioris partis hierarchiae indianae.

Gratissimi sumus schema declarare responsabilitatem episcoporum non solum relate ad proprios subditos sed ad totum corpus Christi mysticum, ita ut suprema quidem ordinatio operis missionum pertineat ad Romanum Pontificem, omnes tamen episcopi cum eo in laborum societatem venire eique in hoc opere prosequendo adesse debeant. In par. 17, pag. 28, lin. 31, haec verba inveniuntur: « Unde liquet, etiam si suprema ordinatio operis missionum ad Romanum Pontificem pertinet, omnes tamen episcopos, quantum eorum perfunctio muneris sinit, in laborum societatem cum eo venire, eique adesse debere ». Hucusque, ni fallor, in documentis Ecclesiae nequit inveniri tam clara tamque perspicua declaratio obligationis uniuscuiusque episcopi extendendi regnum Dei in toto mundo; et gaudent episcopi missionarii evan-

gelizationem mundi iam non considerari tamquam opus aliquod particulare, quod ad paucos tantum spectet, sed incumbere toti episcopatui ita ut omnes episcopi ad opus missionarium promovendum teneantur. Certo certius sunt multi episcopi in Europa et America, qui opus missionarium promoverunt omni vi, omni liberalitate, omni sacrificio, ex sponte sua — nunc vero prima vice apparet obligatio, « quantum eorum perfunctio muneris sinit ».

Sed tota paragraphus quae incipit cum verbis « Cura Christi evangelium etc. » pendet aliquomodo in aria quia deest fundamentum istius obligationis — obligatio episcoporum iam supponit obligationem totius Ecclesiae ad disseminandum verbum Dei in toto mundo quae obligatio non sufficienter exhibetur in nostro schemate. Insinuatur enim hic et illic missio Ecclesiae in universum mundum, sed non sufficiens videtur occasionalis allusio ad opus missionarium Ecclesiae sub aliquibus aspectibus specialibus. Videtur necessarium ut doctrina de Ecclesia missionaria aliquo loco cohaerenter secundum Scripturam et traditionem, et secundum principia theologica enucleetur saltem brevi conspectu. Forsitan speratur hoc opus relinqui posse ad schema *de missionibus* ubi apte principia missionaria enucleari debent, sed sibilatur iam ex multis partibus schema *de missionibus* non exaratum iri, et apud multos episcopos missionarios est vera anxietas ne restringatur hoc schema ad aspectus potius iuridicos et practicos operis missionarii.

Hinc liceat proponere petitionem enixam plurium episcoporum Indiae, ut certe in aliquo documento huius concilii, sive in nostro schemate *de Ecclesia,* sive in schemate proprio *de missionibus,* doctrina fundamentalis et principia theologica de missionibus lucide declarentur. Ratio huius petitionis est haec: Finis huius Concilii primarius non est speculativas quaestiones dirimere, sed revelationem Iesu Christi nostro mundo praesentare. Est concilium pastorale et missionarium. Hinc in descriptione Ecclesiae aspectus missionarius non per transennam solum inseri debet, sed systematice exponendus est. Ecclesia Christi debet depingi ut missa in totum mundum, ut per saecula omnibus gentibus lucem Christi afferat, ut ipsa sit signum levatum inter nationes, in qua caritas salutifera Dei erga genus humanum, omni genti et aetati splendide eluceat.

121

EXC.MUS P. D. IOSEPH M. REUSS

Episcopus tit. Sinopenus, aux. Moguntinus

1. Etiam nomine 71 Patrum ex Germania, Austria, Helvetia et aliis regionibus, hanc *emendationem* proponit ad n. 15, pag. 26, linn. 28-41: « Immo diaconatus in futuro etiam in Ecclesia latina tamquam proprius ac permanens gradus hierarchiae exerceri poterit. Utrum in certis regionibus talis diaconatus restaurandus sit ac utrum tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne, hoc statuere pertinet ad competentes varii generis territoria-

les episcoporum coetus legitime constitutos approbante ipso Summo Pontifice ».

Argumentum pro hac emendatione in eo est, quod ex textu schematis non satis clare apparet, cui competit facultas decernendi, utrum in Ecclesia latina diaconatus tamquam proprius ac permanens status hierarchiae etiam cum dispensatione a sacra lege caelibatus exerceri possit.

Pro tali diaconatu rationes optimae iam allatae sunt. Ideo sufficiat dicere emendationem propositam evitare solutionem, qua talis diaconatus aut generatim aut ipso Summo Pontifice non explicite annuente in certis regionibus restauretur.

Si ipsius Summi Pontificis est de diaconatu cum dispensatione a sacra lege caelibatus in certis regionibus restaurando ultimatim decernere, nonne possibile esset etiam Patres, qui pro suis regionibus tali diaconatui restaurando non favent, tali emendationi assentiri?

Pro caelibatu autem sacerdotum per talem diaconatum praecise nihil timendum est. Nam de splendore et vi talis viae, qualem sacerdos in Ecclesia latina ingreditur, dubitare nostri indignum esset, qui talem splendorem et vim caelibatus propter regnum caelorum libere suscepti affirmavimus et affirmamus.

2. In textu schematis *de Ecclesia* in cap. II, pag. 30, linn. 23-29 legitur: « Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, religiosum voluntatis et intellectus obsequium praestandum est, quo nempe magisterium eius supremum reverenter agnoscatur, et sententiae ab eo propositae sincere adhaereatur, idque iuxta mentem et voluntatem manifestatam ipsius, quae se prodit praecipue vel ex indole documentorum, vel ex frequenti propositione doctrinae, vel ex dicendi ratione ».

Loco huius textus dicatur: « Romani Pontificis authentico magisterio, etiam cum non ex cathedra loquitur, summa reverentia praestanda est et quidem ita, ut magisterium eius supremum vere agnoscatur ».

Argumenta pro hac emendatione:

1. Textus propositus ineptus esse videtur, cum non distinguat inter obsequium Summo Pontifici ex cathedra loquenti praestandum et modum oboedientiae, quae Summo Pontifici non ex cathedra loquenti praestari debet.

2. Explicatio, quae in secunda parte (a verbis « et sententiae ab eo propositae ... vel ex dicendi ratione », i. e. a lin. 26 usque ad lin. 29) invenitur, videtur textum antecedentem clariorem reddere; de facto autem ansam praebet perturbationi, quia omnino interpretationi committit, quae sit « indoles documentorum » et quae sit « frequens propositio doctrinae » et quae sit « ratio dicendi ».

Ideo textus in sensu proposito emendandus aut omnino omittendus est.

122

EXC.MUS P. D. VITUS M. RIOBÉ
Episcopus Aurelianensis

In cap. II, art. 17, linn. 14-15, mentio fit « de sollicitudine episcopi pro universa Ecclesia ex officio... ut membrum collegii ».

De hoc autem, mea sententia, aliquae animadversiones sunt proponendae.

Inter diversa munera quae ex natura Ecclesiae competunt episcopo, eminet officium adaperiendi Ecclesiam suam particularem ad Ecclesiam universalem.

In sinu gallicae commissionis episcopalis « pro missionibus ad extra », mandatum accepi ad adiuvandum huius regionis episcopatum, ut efficaciorem responsionem det exhortationibus Summorum Pontificum in favorem dioecesarum in America meridionali. Sic vividius expertus sum quod hodiernis diebus Ecclesia non potest sustineri nisi sit universalis, et universalis esse non potest nisi per collegialitatem episcopatus realiter victam.

1. Hanc autem universalitatis necessitatem unusquisque episcopus per primum in Ecclesia sua sentire debet. Eius est tradere Ecclesiae particulari cuius pater est, universalitatis exigentias.

Quanto magis officio suo fidelis est aperiendi oculos et mentes populi sibi concrediti, eo magis Ecclesiam suam reddit viventem et amoris Redemptoris participantem.

Imprimis mens illa catholica fons est spei et gaudii pro presbyteris, qui vident quomodo officia sua quotidiana et localia in ampliori missione inserantur.

Roboratur vocatio ad sacerdotium apud multos iuvenes qui saepe tergiversantur quoadusque certi fiant quod eorum dioecesis, per episcopum, servitio totius mundi adaperiatur.

Laici ipsi qui desiderant servitio missionum se devovere, valde confirmantur quando sciunt vocationem suam necessariam esse ut episcopus et tota dioecesis officium suum evangelizationis in universo mundo adimpleant.

2. Dum sollicitudinibus totius Ecclesiae communitatem dioecesanam aperit, episcopus signum dat hominibus nostrae aetatis valde accommodatum.

Equidem ex animo credunt quod homines eamdem peregrinationem vivunt. Intelligunt quod unusquisque non potest vivere, laborare, cogitare ipse solus, sed in omnibus activitatibus suis ab omnibus aliis dependet. Quam solidaritatem experiuntur populi creando institutiones ad cooperationem promovendam.

Illius solidaritatis experimentum a Spiritu Sancto promotum, ab Ecclesia, agnoscitur, purificatur et salvatur. Exprimitur clare per sollicitationes populorum in via progressus, quae ad conscientiam christianorum recursum

habent. Summi Pontifices saepe saepiusque manifestaverunt necessitates horum populorum, et contactus episcoporum inter se post Encyclicam *Fidei Donum* et occasione huius Synodi eas in plena luce posuerunt.

Sedulo notandum est quod non tantum agitur de donis et de auxiliis, quam de mutua collaboratione et fraterno adiutorio, ita ut cor illorum qui dant et illorum qui recipiunt in spiritu paupertatis evangelicae remaneat, et sic finis communis cooperationis obtineatur.

Exemplo fratrum seiunctorum adiuvari possumus ad signa temporis recognoscenda. Initiata ab origine per personas vel sodalitates privatas, missio apparet apud illos ut responsabilitas communis omnibus ecclesiis, et operata ab illis collective in Universali Coetu Ecclesiarum.

3. Illa necessitas catholicitatis quae provenit tam ex sollicitudine pro mundo quam ex docilitate erga Ecclesiam, non potest adaequate solvi nisi mediante collegialitate reali et vivente per colloquium habituale inter conferentias episcopales; et certe ad mentem Summi Pontificis.

Hoc modo solum, diversi episcopatus possunt se invicem agnoscere prout sunt et unus ab alio locuples fieri audientes quid in unaquaque Ecclesia dicit Spiritus Sanctus.

Ita omnes episcopi aestimationem generalem habebunt circa mutuas necessitates et moderate dirigent homines incipientes actionem novam, laborem diversum recte ordinando.

Ex illo colloquio et ex illo adiutorio, episcopi regionum in maiore paupertate versantium non amplius dolorose constringentur apud populos magis fortunatos mendicare.

Veritas in colloquio, et concretum experimentum coordinationis conatuum efficient ut collegialitas genuina apparebit, magis magisque augmentum habebit. Quae notionibus iuridicis definiri potest, sed iam est factum experientiae in Ecclesia sub motione Spiritus Sancti.

Collegialis praxis clare manifestat hunc duplicem aspectum muneris episcopalis: fovere praesentiam Ecclesiae universalis in sinu Ecclesiae particularis, et fovere praesentiam activam eius populi in Ecclesiam universalem.

Per concretam illam expressionem sub illo duplici respectu revelatur in plenitudine paternitas episcopi in propria Ecclesia.

Concludendo hoc optarem, ut in cap. II schematis *de Ecclesia* clarius et fortius exprimatur aspectus ille essentialis officii episcopi, scil. ecclesiam particularem ad Ecclesiam universalem adaperire; hoc autem officium nunquam adimplere poterit nisi mediante collegialitate, quae per conferentias episcopales vivens efficitur.

Emendatio. Sequentem emendationem propono in pag. 28, a lin. 14 usque ad lin. 17, loco verborum « Sed ut membrum collegii ... et reliqua ».

« Sed, cum episcopus sit membrum collegii, hoc regimen adimplendo, bonum totius Ecclesiae, quod boni ecclesiae particularis inseparabilis est, semper intendere debet: tenetur ea intentione adaperire ecclesiam suam particularem ad Ecclesiam universalem. Eodem titulo, pro universa Ecclesia

ea sollicitudine ex officio tenetur quae summopere confert ad Ecclesiae universalis emolumentum ».

Ita deletur apparens oppositio inter episcopum in sua particulari ecclesia et episcopum ut membrum collegii: est enim episcopus ut membrum collegii.

Ex alia parte, suppressio verborum illorum « licet actus iurisdictionis non sit... tamen » mihi videtur necessaria, quia in hac praesentatione cavendum est ne robur affirmationis sollicitudinis pro Ecclesia universali minuatur.

123

EXC.MUS P. D. THOMAS ROBERTS

Archiepiscopus tit. Sugdaeus

Vellem aliquas proponere propositiones concretas de episcopi « servitio » vel « diakonia » (pag. 29), utendo imaginibus sicut fecit semper Salvator noster, valde familiaribus. Sed quomodo latine loqui de " traffic control " ut essentiale omni dialogo humano? Omnis dialogus effectivus inter humanos pendet ex " traffic control ". Dato " red light " semper et ubique pro vehiculis, nullus progressus. Aeque pro cogitatione et verbo, dato semper " red light ", nullus progressus. Nullo modo nobis proderit indulgere accusationibus mutuis circa inquisitiones aliorum confessionum — apud multas enim religiones praeter nostram, inquisitiones in usu venerunt. Cum nosmetipsi solummodo obligati sumus ut imago Christi restauretur in Ecclesia catholica, notandum est nostram inquisitionem Romanam institutam fuisse « ad veritatem faciendam in caritate ». Mutato quidem nomine nostris temporibus (1908) ab « Inquisitio » in « Sanctum Officium », et catholici nihilominus et acatholici accusationem hodie ferunt quod manet carentia et caritatis christianae et iustitiae naturalis.

Quomodo, venerabiles Patres, potest hoc concilium generale vitare inquisitionem seriam, apertam, urgentem in omnia corpora nostra inquisitoria? Nam hodie locales inveniuntur inquisitiones quae indigent reformari non minus quam Inquisitio Romana. Ubi in schemata proposita concrete offertur aliquid inquirendum de talibus inquisitionibus sive romanis sive dioecesanis?

Ad concreta igitur: imitandum nobis nationes, e. g. Scandinavia et New Zealand, quae supplementum praebent etiam liberis convocationibus parlamentariis et constituunt " ombudsman ". Ille gaudet potestatibus legalibus plenis ut possit instituere, circa abusus auctoritatis, inquisitionem publicam etiam in favore unius personae, quamvis humilis. Finis muneris est ut auctoritas in honore habeatur, ei plene fidatur, etiam ametur.

Hucusque catholici gaudent nullos eiusmodi defensores — nisi forte defensores *vinculorum,* vinculorum matrimonii. Cur, quaeso, non potest

Christi Ecclesia nominare et in honore maximo habere personarum privatarum defensores?

Quoties post dioecesim Bombayensem abdicatam, saepe et ardenter desideravi talem iuvenem vel puellam in curam " ombudsman " dioecesanum remittere. Secundum theoriam, omnis episcopus vicem agit Christi, sicut " ombudsman " Christi, attamen ingens numerus est earum qui per annos expectaverunt ut problemata maritalia definiantur; tandem aliquando audiunt a quodam minore officiali episcopum ipsum inculpare Curiam Romanam ob dilationem causae. Officialis romanus, ex altera parte, inculparet episcopum. Consolatio exigua puellae miserae coactae vitam terere in vehiculo ante " red light ".

Pro " ombudsman " in re maritali ante omnia oro, non tantum quia problemata illa hodie multos cruciant, sed etiam quia omnis episcopus dioecesanus potest ipse esse vel nominare " ombudsman ".

Secundo loco, episcopi indigent cohorti illorum " ombudsmen " qui colorem mutent omnium luminorum in Vaticano intra Papam et semetipsos, etiam pro suis epistolis. Dedi ipsi bono Papae Ioanni evidentiam plenam hac in materia quam libenter patefaciam cuilibet patri conciliari petenti.

Seminarista potest indigere " ombudsman " si difficultates tum morales tum intellectuales sunt solvendae, impune et sine timore visitationis officialis. Quod quidem valet etiam pro professoribus ipsis, ante omnia si scripturas sacras profitentur.

Iournalista quilibet integer et honestus " ombudsman " est democratiae modernae. Iournalista autem catholicus qui in campum ecclesiasticum vult ingredi requirit " ombudsman " qui tute eum conducat.

Sacerdos sub umbra vel locali vel Romana iam gaudet protectione iurium ex disciplina declarata et Ioannis XXIII et Pii XII. Sed transformandae sunt hae formulae mortuae in personam vivam " ombudsman ".

" Ombudsman " proprius et naturalis omnis democratiae verae est advocatus integer et honestus. Cur in omni dioecesi " ombudsman " non fiat advocatus laicus?

Hodie cives catholici aliquarum nationum requiruntur etiam ab episcopis in defensione militari patriae administrationi reipublicae obedientiam caecam praestare, " to give a blank cheque on the Bank of conscience ".

Iidem viri titulo rationis solius, requiruntur ab episcopis disciplinae reipublicae in familiae limitatione contradicere, quae reipublicae disciplina oculis multorum acatholicorum maxime rationalis videtur.

Cives catholicus hodiernus indiget " ombudsman " potenti idoneoque, sicuti etiam indigent muti et surdi huius concilii: monialiae, v. g., et mulieres omnes, et animalia.

Quarta pars humani generis sinenses sunt, omnes liberi carissimi Patris nostri communis. Quis illae saltem parvulae communitatis catholicae in hoc concilio gerit personam?

Spiritus boni Papae Ioannis nobis inspiret ad applicandum effective suum *Pacem in terris,* Carta Magna personae humanae, conscientiae propriae, et pacis.

124

EXC.MUS P. D. CAROLUS HUMBERTUS RODRÍGUEZ-QUIRÓS
Archiepiscopus S. Iosephi in Costarica

Etsi iam factae sint observationes plurimae a nonnullis Patribus, et quidem peroptime, de potestate iurisdictionis episcoporum, in hoc cap. II schematis ubi de essentia episcopatus agitur, attamen adhuc unum deesse videtur, ad hoc ut clare appareat, ut proprietas essentialis episcopatus, episcopum, ex ipsa consecratione, esse subiectum natum et perfectum iurisdictionis ordinariae in Ecclesia. Ita enim, postea, maxime foveri possit *unitatem* auctoritatis episcopalis in regimine Ecclesiae, quod quidem maximi momenti est.

Explico: pag. 31, lin. 13, ubi legitur: « Ipsis (i. e. episcopis) munus pastorale, et habitualis et cotidiana cura ovium suarum, plene committitur ». Puto quod hic valde convenienter adderetur brevis clausula, ad explicite affirmandum fundamentum dogmaticum, quod ad unitatem attinet iurisdictionis episcopalis. Hoc modo, non tantum iam inde a declaratione principiorum generalium dogmaticorum de iurisdictione, poneretur fecunda distinctio conceptuum, tum theologici tum canonici iurisdictionis, quod in se quidem multum refert, sed et insuper in luce poneretur unitas regiminis in exercitio ipsius iurisdictionis ecclesiasticae.

Advenit enim nonnumquam, quod episcopalis iurisdictio multoties impeditur, aut saltem graviter obstaculatur, non sine detrimento notabili sacri officii pastoralis, propter pluralitatem subiectorum iurisdictionis et quasdam amplissimas exceptiones, in una eademque dioecesi; ita ut valde difficilis evadat, immo aliquando haud obtineri possit, illa unitas regiminis tam necessaria in Ecclesia Christi; quae tamen salva permaneret, aut saltem paulatim restitueretur ubique, si firmiter ac clare enuntiaretur principium theologicum de quo loquimur, scil.: quod subiectum natum et perfectum iurisdictionis ordinariae in Ecclesia est episcopus, nempe: Romanus Pontifex quidem pro universa Ecclesia, episcopus autem cum Romano Pontifice, pro unaquaque dioecesi.

Praeterea, facta hac explicita affirmatione declaratoria, de fundamento dogmatico iurisdictionis, quoad unitatem regiminis spectat, non solummodo aperitur via ad resolvendas difficultates, quae sine dubio movendae sunt de iurisdictione canonica, in schemate *de regimine Ecclesiae,* sed et insuper, valde conferret ad revocandas, vel ad reducendas tot exemptiones, olim concessas, quae hodie necessariae non videntur. In praesens, enim, haec pluralitas diversorum subiectorum iurisdictionis in eodem territorio saepissime impediunt liberum exercitium iurisdictionis episcopi. Qua de causa nunc

non videtur ferre utilitati Ecclesiae vel fidelium; et ex altera parte nocere videtur regimini Ecclesiae.

Oportet prae oculis habere quod hic in cap. II agitur de essentia episcopatus, ubi invenitur perfecta unio in persona episcopi, a Christo Domino intenta, nempe: coincidentia in eodem subiecto duarum potestatum, et ordinis et iurisdictionis. Etiamsi, Romanus Pontifex, propter utilitatem Ecclesiae et fidelium, coarctari potest iurisdictionem episcopi, attamen maneret semper principium dogmaticum de quo loquimur, i. e. subiectum natum et perfectum iurisdictionis ordinariae esse ipsum episcopum.

Tali modo elucesceret admirabilis et perfecta illa unitas Corporis mystici Christi, quae est Ecclesia, praesertim quidem in munere regendi.

125

Exc.mus P. D. AUDINUS RODRÍGUEZ Y OLMOS

Archiepiscopus S. Ioannis de Cuyo

Patrum elucubrationes audiens circa collegialitatem episcopatus in Ecclesia putavi quod difficultates oriuntur ex modo concipiendi hanc facultatem tamquam si essent plura potestatis subiecta.

Quod quidem verum est si de personis agitur: persona enim Romani Pontificis physice differt a personis episcoporum. Sed si moraliter loquimur, affirmandum omnino videretur quod una sit potestas, quae a Romano Pontifice exercetur, aliis pastoribus saltem implicite consentientibus.

In definitione Assumptionis B. Mariae Virginis a Pio XII, f. r., facta recens habemus exemplum: pronuntiata enim fuit postquam pastores totius orbis consulerat. Sed, etsi consultatio non fiat, eadem conclusio habetur; nam moraliter omnium pastorum fide recte praesupposita, definitionem ex cathedra Romanus Pontifex pronuntiat.

Quoad obiectionem quae fieri solet de possibili oppositione inter Romani Pontificis fidem et aliorum episcoporum, suppositio videtur neganda tamquam theologice impossibilis, eodem modo ac negatur possibilitas definitionis Romani Pontificis contraria definitioni prius factae.

Collegialitas ergo episcoporum aliud non videtur nisi collegialis collaboratio episcoporum cum Romano Pontifice in caritate et absque ambitione ulla.

Porro ipse Romanus Pontifex ordinarie cognoscere procurat quaenam sit fratrum fides communibus mediis. At in difficilioribus Ecclesiae universalis tempestatibus fratres convocat ad Oecumenicum Concilium.

Hoc modo nullum ex attributis Romani Pontificis, successoris Petri, minuitur aut obscuratur ullo modo. Intelligitur etiam qua ratione episcopus totam Ecclesiam regat, et suam gubernans, totius Ecclesiae potestate agat. Atque perspicitur quaenam sit natura huius potestatis et amplitudo eius. Ex quo facile colligitur quod potestas universalis et infallibilitas Concilii

Oecumenici non detur a Romano Pontifice occasione Concilii, sed sit tantum occasio eam exercendi.

Haec ergo putavi exc.mae commissioni esse mittenda, petens ut mihi ignoscat propter importunitatem.

126

EXC.MUS P. D. FELIX ROMERO MENJIBAR

Episcopus Giennensis

In n. 18 cap. II schematis *de Ecclesia* habetur paragraphus quaedam — De episcoporum ministeriis — quae velut introductio censenda est ad subsequentem sectionem de triplici munere seu potestate ministeriali, docendi scil., sanctificandi et regendi. Attendendo ad ea quae in hac paragrapho continentur, invenimus:

a) Quae a linn. 3-11 dicuntur de missione apostolorum a Christo Domino et Sancti Spiritus confirmatione, repetunt innecessario iam dicta in n. 12 — de electione Duodecim —.

b) Munus pastoribus populi sui commissum proponitur ut diakonia seu servitium, quod quidem optime et opportune dictum est sed parum ad determinandam naturam talis servitii confert.

Unde videtur necessaria amplior expositio ministerii episcoporum praesertim sub *imagine ministerii apostolici ut in Novo Testamento invenitur.*

Ecce fere quae videntur naturam muneris apostolici in N. T. determinare.

a) Diakonia seu servitium illud convenienter esset efferendum *ut diakonia Spiritus* (*2 Cor.* 3, 8). Ut talis diakonia Spiritus, ministerium Novi Testamenti illa gaudet virtute, efficacia, gloria et libertate Spiritui Domini respondentibus (*2 Cor.* 3, 17).

b) Ministerium Novi Testamenti Christum quodammodo in suis ministris, apostolis et episcopis, praesentem facit. Ita apparet ut legatio (*2 Cor.* 5, 20), ut dispensatio mysteriorum Dei (*1 Cor.* 4, 1), ut cooperatio qua Dei adiutores vocari possunt apostoli (*1 Cor.* 3, 9), ut potestas a Christo data ad aedificationem (*2 Cor.* 10, 8).

c) Ministerium Novi Testamenti in sua apostolica activitate apparet ut ministerium pastorale consolationis sive exhortationis (*2 Cor.* 1, 4), fiduciae (*2 Cor.* 3, 12), sinceritatis coram Deo (*2 Cor.* 2, 17) et hominibus (*2 Cor.* 4, 2), infirmitatis divina firmatae virtute (*2 Cor.* 12, 9), caritatis Christi urgentis (*2 Cor.* 5, 14), paternitatis qua episcopi in Christo fideles gignunt (*1 Cor.* 4, 15) et pro ipsis solliciti sunt; ministerium denique sollicitudinis in pauperes ad exemplum Domini (*2 Cor.* 8, 9). Sic apostoli et episcopi omnibus omnia fiunt ut omnes salvos faciant (*2 Cor.* 9, 23).

Ex his omnibus textum quemdam secretariatui Concilii tradimus qui commendari his videtur rationibus.

a) Opportune collocat quae in pag. 25 linn. 26 ss. dicuntur.

b) Natura ministerii et activitatis apostolicae episcoporum ea methodo exponuntur ut finis pastoralis Concilii exigere videtur.

c) Descriptio ministerii episcopalis sumitur ex Sacra Scriptura, quod doctrinam magis vitalem facit ut SS. Pater Paulus VI in allocutione diei 29 sept. desiderabat. Simul haec doctrina a fratribus separatis melius perspici potest.

d) Denique hodiernae mentalitati melius respondet quae misericordiae, amoris et servitii respectus magni habet.

Postulamus igitur a RR. PP., ut in redactione definitiva n. 18, harum animadversionum memores sint.

Textus propositus ad n. 18 « De episcoporum ministeriis ».

« Episcopis, qui apostolis succedunt, ministerium Novi Testamenti concreditur (*2 Cor.* 3, 6). Quod quidem ministerium — seu diakonia — missio est ad serviendum seu ministrandum sicut Christus Dominus non venit ministrari sed ministrare (*Mc.* 10, 45). Ut apostoli, ita episcopi sunt ministri Christi (*1 Cor.* 4, 1), in eius nomine, unione et dependentia agentes, illa praediti potestate quae a Domino ad aedificationem et non ad destructionem data est (*2 Cor.* 10, 8). Ipsi sunt etiam dispensatores mysteriorum Dei (*1 Cor.* 4, 1), simul et Dei legati (*2 Cor.* 5, 20). Eorum ministerium est diakonia Spiritus (*2 Cor.* 3, 8), illa ornata virtute, efficacia, gloria et libertate Spiritui Domini respondentibus (*2 Cor.* 3, 17). Episcopi sunt praeterea Dei adiutores (*1 Cor.* 3, 9) ita ut per eorum ministerium, labores et sufferentias, aerumnas et infirmitates, Deus virtutem eorum perficiat, salutem hominum operando (*2 Cor.* 12, 9). Eorum igitur ministerium est consolationis seu exhortationis (*2 Cor.* 1, 4), fiduciae (*2 Cor.* 3, 12) sinceritatis coram Deo (*2 Cor.* 2, 17) et hominibus (*2 Cor.* 4, 2), caritatis Christi urgentis (*2 Cor.* 5, 14) et paternitatis qua in Christo fideles gignunt (*1 Cor.* 4, 15); ministerium denique in pauperes (*2 Cor.* 8, 4), scientes gratiam Domini nostri Iesu Christi qui propter nos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia nos divites essemus (*2 Cor.* 8, 9).

Episcopus igitur, minister Christi, omnium servus factus ut omnes salvos faciat, omnia operatur propter Evangelium Dei (*2 Cor.* 9, 17. 23) ».

127

Exc.mus P. D. PETRUS ROUGÉ
Episcopus Nemausensis

De coetibus episcoporum, de quibus in cap. II, art. 16-17, agi deberet ad principia fundamentalia collegialitatis in meliorem lucem adducenda.

In hoc cap. II, art. 16: « *de collegio episcopali eiusque capite* » non loquitur de aliis formis particularibus collegialitatis episcopalis quae tam in antiquitate quam in praesenti tempore viguerunt et vigent.

In art. 17: « de relationibus episcoporum in collegio », nominantur coe-

tus episcopales tantum ad explicitationem de adiutorio ad missiones praestando.

Tale silentium mirum est, et mentio per transennam non sufficit. Agitur nempe de modis concreti exercitii collegialitatis, qui inveniuntur in historia ecclesiastica. Facta illa sese directe referunt ad doctrinam collegialitatis, eam illustrant et confirmant.

Ad demonstrandam praxim Ecclesiae in coetibus episcopalibus necesse est ut: 1. in memoriam revocetur factum diversorum coetuum episcopalium in historia Ecclesiae; 2. exhibeatur doctrina ab his factis illustrata.

I. *De facto historico.*

1. *Momentum numericum illarum synodorum.* Numerus synodorum demonstrat quod illarum significatio non parvi est momenti in vita Ecclesiae. Mentionem facere sufficit, quod in octo primis saeculis invenimus quingentas trigenta sex synodos recensitas, ex quibus septem tantum inter oecumenicas numerantur.

2. *Antiquitas et legitimitas synodorum.* Iam ab initiis saec. III adsunt synodi provinciales tamquam prima expressio collegialitatis episcoporum,[1] ex qua concilia oecumenica oritura erant. Legitimitas et utilitas talium synodorum a Concilio Nicaeno et a Concilio Chalcedonensi recognitae sunt, sicut etiam ab ipsis Romanis Pontificibus. Ipsum Concilium Nicaenum statuit ut, secundum antiquissimam consuetudinem Ecclesiae, synodi provinciales bis in anno celebrarentur. Quod confirmatum est per Chalcedonense Concilium.[2] Per decursum saeculorum illae synodi, cum variis formis, permanserunt in Ecclesia. Adhuc in oriente vigent cum speciali veneratione, et in Ecclesia latina vigent de eadem materia cann. 283-291, qui tamen non in praxim deducuntur. Concilium Vaticanum I, in schemate praeparato de episcopis, cap. V, valde explicitam exhortationem habet ad provincialia concilia tenenda.

3. *Competentia illarum synodorum.* Antiqua illa concilia provincialia competentia pollebant, quae maiorem extensionem habebat quam nostris diebus. Ad illa enim pertinebat canones promulgare, in causis criminalibus sententiam ferre, de universali regimine Ecclesiae curam habere;[3] potestas illorum sese extendebat etiam ad approbationem episcoporum electorum, et ad erectionem novarum dioecesium.[4]

---

[1] Conc. Carthag., a. 220; Conc. Synnad. et Iconii, a. 230; Conc. Antioch., a. 264-269; Conc. Illiberit., a. 300-306; Conc. Arelat. et Ancyran., a. 314; Conc. Alexandrin. et Neo-Cesarien., a. 320, sunt inter illa quae maxime cognoscuntur, tam in oriente quam in occidente.

[2] Cf. Conc. Nicaen., a. 325, can. 5; Conc. Constantinop., a. 381, can. 2; Conc. Chalcedon., a. 451, can. 19.

[3] Cf. Conc. Chalced.

[4] Cf. can. 4 et 6 Conc. Nicaen.; can. 4, 9, 14-15, 19-20 Conc. Antioch., a. 341; can. 1 et 4 Conc. Carthagen. XI, a. 407; can. 1 Conc. Lugdun., a. 567.

Hic autem modus agendi perantiqua erat consuetudo et considerabatur tanquam exercitium ordinarium constitutionis Ecclesiae, neque ullum reperitur vestigium quod in primis illis saeculis recognitio quaedam vel approbatio conciliorum provincialium ex parte Romani Pontificis praescriberetur.[5]

II. *De doctrina.*

Ex hac praxi Ecclesia, atque ex testimoniis Patrum illustrantur sequentia principia doctrinalia:

1. Hoc factum constituit traditionem semper viventem in Ecclesia.

2. Fundamentum eius doctrinale invenitur:

a) in eo quod est modus, quo adimpletur ab initio, et deinde in forma ordinaria, exercitium collegialitatis ordinis episcopalis;

b) diversitas formarum in illis coetibus episcopalibus ipsum momentum demonstrat illius manifestationis continuae, ex qua elucet voluntas adimplendi modo actuoso munus pastorale et missionarium collegii episcoporum;

c) organisatio regionalis id tantum obtinebat, ut catholicitas Ecclesiae fortior efficeretur.

Synodi particulares iam ante Concilium Nicaenum ubique habitae, ut diximus, evidenter demonstrant singulos episcopos sese solide inter se agnoscere coniunctos, et munus suum pastorale vivere in mutua interdependentia, in illa interconnexione (*koinonia*) seu communione, quam episcopi inter se fovebant. Sic collegialitas illa in ordine locali exercita, non est nisi expressio universalis collegialitatis, in communione cum Romano Pontifice.

3. Frequens receptio canonum alicuius synodi in alia provincia attestatur illorum auctoritatem. Ex his canonibus exortae sunt collectiones canonicae, tam in oriente quam in occidente. Concilia, et ipsi Romani Pontifices, qui tam apte canones Ecclesiae servaverunt, mentionem fecerunt harum synodorum; saepe etiam commendaverunt ut illae frequenter et habitualiter celebrarentur.

4. Synodi provinciales ponebant actus « nomine proprio » et « ex potestate ordinaria », tam in materia doctrinae quam in regimine Ecclesiae (confirmatio et ordinatio episcoporum, erectio novarum dioecesium) qui hodie, secundum normam Iuris canonici, potestati iurisdictionis Summi Pontificis reservantur.

Haec facta, de quibus loquimur, respiciunt non tantum aliquem adspectum iuridicum vel administrativum vel practicum, sed etiam communionem Ecclesiae in unitate fidei et caritatis fundatam, in unione cum Romano Pontifice.

Haec praxis Ecclesiae, quae viget in orientalibus Ecclesiis, cum iuribus propriis, hodie in Ecclesia latina per formas coetuum episcopalium fovetur.

---

[5] Cf. Wernz-Vidal, *Ius canonicum,* tomus II, pp. 563-564; Sixtus V, Const. *Immensa,* 22 ian. 1589, recognitionem a Sede Apostolica per Sacram Congregationem Concilii obligatoriam reddidit.

Rogamus ergo ut in textu schematis affirmentur modo fortiori fundamenta huius formae collegialitatis, et proponimus ut addatur in nn. 16 et 17 quod sequitur: Art. 16, pag. 27, lin. 39: « Secundum antiquam traditionem semper viventem in Ecclesia, etiam collegium episcopale universale adimplet missionem apostolis concreditam, et quidem modo ordinario, et auctoritatem suam propriam exercet per coetus episcopales in communione cum Romano Pontifice celebratos ». Art. 17, pag. 29, lin. 2: « Quinimmo, hi coetus episcopales sibi etiam proponunt id efficere, ut episcopi eiusdem regionis adimpleant, modo quam maxime habituali, propriam missionem pastoralem et evangelicam, in sinu collegialitatis universalis episcoporum, et in communione cum Romano Pontifice ».

Art. 16, lin. 25: proponimus praeterea ut tollatur expressio « ut partem Ecclesiae universalis » quia contradicit quod in linn. 2-10 eiusdem paginae enuntiatur, scilicet quod unaquaeque ecclesia localis ipsam universalem Ecclesiam repraesentat.

Expressio illa componi non potest cum modo loquendi apostoli Pauli quando dicit: « Ecclesia quae est Corinthi » et cum mentalitate Ecclesiae orientalis.

Proponimus ut ei substituatur sequens formula: « regendo propriam ecclesiam ut mysterium catholicae communionis sese in celebratione eucharistica manifestans qua in hoc tempore consociatur Ecclesia ».

Quoad collegialitatem in genere:

Conclusiones sequentes ex praxi totius Ecclesiae fluentes sunt *maximi momenti*:

1. Collegium apostolorum et successorum eorum est verum collegium, ut tota traditio — et S. Thomas ipse — clare affirmant, i. e. collegium in sensu Ulpiani, secundum quem collegium est adunatio hominum eiusdem iuris.

2. Papa est caput collegii vel, ut ait etiam S. Thomas, *vertex collegii*: caput est, non ut delegatus ab episcopis, quod esset evellere constitutionem Ecclesiae; sed est caput cum propriis praerogativis directe a Christo datis.

3. Collegium non reducitur ad actum per solum imperium Papae i. e. quando is censuerit. Talis affirmatio quae est destructio collegialitatis, contradicit totam experientiam Ecclesiae orientalis, quae maximo cum amore semper agnovit et fovit Ecclesia catholica.

Impossibile est ut velimus radicaliter destruere vitam et traditionem Ecclesiarum orientalium in sinu Ecclesiae catholicae: *affirmatio collegialitatis necessaria est* tam ad missionem Ecclesiae fovendam quam ad verum colloquium cum Ecclesiis orthodoxis habendum.

Omnis potestas est in Ecclesia a Christo ad servitium totius Ecclesiae missionis « Euntes docete omnes gentes », ut dicitur in Evangelio secundum Matthaeum, sed illa potestas fluit in Ecclesia sub dualitate modorum inter se connexorum et maxime cohaerentium: *Papa et collegium.*

Coetus episcoporum: *documenta*: *Quoad facta.*

A) *In antiquitate.* Data sunt collecta in « *Unité de l'Eglise et pluralité des formes historiques d'organisation ecclésiastique du III au V siècle,* par Cyrille Vogel, in *L'Episcopat et l'Eglise Universelle,* Paris, ed. du Cerf 1962, pp. 591-636. Cf. etiam *ibid.,* H. Marot, O.S.B., *Unité de l'Eglise et diversité géographique aux premiers siècles,* pp. 565-590.

B) *Apud orientales*: M. Clement, *La collégialité de l'Episcopat dans l'Eglise Maronite, ibid.,* pp. 481-496.

C) *Quoad praxim hodiernam S. Sedis*: Fr. Houtart, *Les formes modernes de la Collégialité épiscopale, ibid.,* pp. 497-535. Cf. specialiter p. 499, quoad Constitutionem Apostolicam *Omnium Ecclesiarum,* 1954, pro sic dicta « Mission de France ».

Emendationes in cap. II schematis « de Ecclesia »:

Ad n. 13, pagg. 24-25, linn. 15 ss. (*De episcopis, successoribus apostolorum*).

Proponitur nova redactio, iam ab exc.mo D. Sauvage tradita. Nota quod tres lineae in penultima paragrapho, modificatae sunt: « Christus igitur a Deo et apostoli a Christo, et factum est utrumque ordinatim ex voluntate Dei. Itaque, acceptis mandatis et per Resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia, egressi sunt annuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum Dei praedicantes, primitas earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant » (*1 Clem.* 42, 1-4). Iis vero quos Ecclesiis praeposuerunt apostoli commendarunt ut attenderent seipsis « et universo gregi in quo eos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei » (*Act.* 20, 28).[1]

Memores semper moniti S. Petri: « Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, ... neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo » (*1 Petr.* 5, 2-4).[2] Et insuper ordinem successionis eorum praecaverunt pro doctrinae, sacri cultus et gubernationis ministerio. Ita ergo, etiam cum gratia Apostolis ipsis divinitus collata (cf. *1 Tim.* 1, 14; *2 Tim.* 1, 6) in unaquaque Ecclesia cum plenitudine muneris pastoralis successerunt episcopi.

Ministerium enim sanctissimum a Domino Iesu apostolis concreditum pro Ecclesia usque ad finem saeculi duratura, morte eorum temporali non erat terminandum; ideoque providerunt etiam per successores eodem divino munere, non quidem Ecclesiam fundandi, sed aedificandi et augendi praeditos. Nemo vero ministerium apostolorum fidem salutarem praedicandi assumere potest nisi mittatur (cf. *Rom.* 10, 15), sicut Christus a Patre missus

---

[1] Hic assumitur nota 7 textus, pag. 33.
[2] Cf. nota 8 textus, pag. 33.

apostolos suos misit (cf. *Io.* 20, 21) ut Evangelium annuntiarent, mysteriumque Christi omnibus manifestarent, quo Ecclesia continenter et in omne tempus totius vitae principium habeat.

« Traditionem ergo apostolorum in toto mundo manifestatam in omni Ecclesia adest respicere omnibus qui vera velint videre et annumerare eos qui ab apostolis instituti sunt episcopi et successores eorum usque ad nos. In hac ordinatione et successione, ab apostolis in Ecclesia traditio et veritatis proclamatio usque ad nos pervenit. Et est plenissima haec ostensio unam et eandem vivificatricem fidem esse quae in Ecclesia ab apostolis usque nunc sit conservata et tradita in veritate. Quapropter eis qui in Ecclesia sunt presbyteris obaudire oportet, qui successionem habent ab apostolis... qui cum episcopatus successione charisma veritatis certum secundum placitum Patris acceperunt » (*Adv. Haer.* III, 3, 1; 3, 3; IV, 26, 2).[3]

« Sic permanet in Ecclesia munus docendi, pascendi et sanctificandi gregem universam Dei a collegio apostolorum ad totum collegium episcoporum, qui eis ordinatione vicaria succederunt, traditum ».

Proinde declarat et docet sacrosancta Synodus: episcopos ex divina institutione fideles edocere et pascere, quos qui audit non tantum homines sed ipsum Christum audit, iuxta verba ipsius dicentis: « Qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me » (*Lc.* 10, 16).

Ad n. 14, pag. 25, linn. 8 ss. (*De episcopatu ut sacramento*).

Loco linn. 8-25, proponitur nova redactio textus, quia:

a) episcopalis consecratio non referri debet ad sacerdotalem ordinationem sed potius e contrario;

b) episcopalis consecratio significat et facit aggregationem novi electi ordini episcoporum, atque donum Spiritus Sancti et potestatem ordinis sui competentem missionis suae confert.

Haec emendatio priorem textum assumit: « Dominus Iesus, pastor et episcopus animarum nostrarum (*1 Petr.* 2, 25), *munus et* potestatem authentice docendi, *pascendi et sanctificandi* in Ecclesia ita *apostolis tradidit, ut ipsos speciali dono Spiritus Sancti ditaret* (cf. *Io.* 20, 22-23; *Act.* 1, 8; 2, 4), *quod ipsi suis successoribus per impositionem manuum tradiderunt,*[4] *et usque ad nos per sacramentum Ordinis in episcopali consecratione transmissum est. Ita sacramentum episcopatus est corporis episcoporum actio novum electum ordini episcoporum aggregans atque faciens eum participem potestati collegii.* Episcopalis consecratio praecellentem gradum confert sacerdoti, qui nimirum et voce sanctorum Patrum et liturgica Ecclesiae consuetudine summum sacerdotium, sacri ministerii summa nuncupatur. Ex traditione *enim,* quae praesertim liturgicis ritibus et Ecclesiae tum orientis tum occidentis usu declaratur, perspicuum est manuum impositione et verbis con-

[3] Cf. nota 8 textus, pag. 34.

[4] Cf. 2 *Tim.* 1, 6-7; Trident., sess. 23, cap. 3.

secrationis episcopalis gratiam Spiritus Sancti atque characterem sacramentalem ita conferri, *ut in populo adoptionis Dei, cuius universitas sacerdotalis atque regalis est,*[5] *episcopi eminenti ac visibili modo Christum repraesentent et in eius persona agant.*

« Ordo ergo episcopalis exstat in Ecclesia ut sacramentum apostolicae successionis et fons perennis totius sacerdotii ministerialis, atque solius est episcopatus ad huius sacerdotii participationem alios per consecrationem assumere et ita in collegium episcoporum admittere ».

Ad nn. 16-17 (*De collegio episcopali*).

Ad n. 16, pag. 27, linn. 30-34: textus propositus admiscet sententiam iuridicam et sententiam theologicam confuse. Necesse est seiungere duas sententias et ordinem earum permutare: « Concilium oecumenicum nunquam datur quod, sine participatione Romani Episcopi, saltem approbantis vel recipientis sit. Et Romani Pontificis praerogativa est concilia oecumenica convocare, iisdem praesidere et eadem confirmare ».

Ad n. 16, pag. 27, linn. 34-39: textus propositus ad thesim theologicam particularem inclinat, quae non gaudet unanimi consensu et ut conciliaris propositio non accipi potest. Proponimus textum sequentem: « Eadem potestas collegialis, quando ad actum transit, ab episcopis in orbe terrarum degentibus non exercetur nisi Papa consentiente, actionem unitam episcoporum diversorum sive approbante sive libere recipiente ».

Ad n. 16, pag. 27, lin. 39: « Secundum antiquam traditionem semper viventem in Ecclesia, etiam collegium episcopale universale adimplet missionem apostolis concreditam, et quidem modo ordinario, et auctoritatem suam propriam exercet per coetus episcopales in communione cum Romano Pontifice celebratos ».

Ad n. 17, pag. 27, linn. 40 s.: emendationem sequentem proponimus in pag. 27, lin. 40 usque ad pag. 28, ad lin. 7, loco verborum « Collegialis unio ... et reliqua », usque ad lin. 8, pag. 28.

Ita introducitur pars episcoporum in communione ecclesiarum, per celebrationem eucharistiae arcte connecta (cf. schema, adnotationes 41 et 57).

Suppressio linearum illarum (pag. 27, lin. 40 ad pag. 28, lin. 7) necessaria videtur, propter defectuosum parallelismum inter singulos episcopos et Romanum Pontificem.

« Episcopos posuit Spiritus Sanctus regere Ecclesiam Dei (cf. *Act.* 20, 28) ut dona gratiae et concordiae a Christo discipulis facta ubique terrarum manifestentur. In quacumque enim ecclesia ubi episcopus praesidet, operatur Christi mysterium et conficitur sanctae communionis sacramentum. Cum nuntius salutis proclamatur mundo in augente diversitate linguarum per idem ministerium, Ecclesia, ab episcopis hierarchice constituta, vivit et crescit, vero nomine convocationis designata. Ita traditiones diversae ecclesiarum, per quas homines semper magis numerosi simul eundem et unicum Dominum

---

[5] S. Leo, *Sermo* 5, 3; PL 54, 153.

Iesum Christum confitentur, in episcopali collegio connectuntur. Unde repromissio universalitatis, in electione duodecim filiorum Iacob significata, in missione duodecim apostolorum perfecta, in societate episcoporum arcte unita incipit adimpleri. Et Ecclesia, cuius membra sunt omnes illae ecclesiae quae ex laboribus apostolorum simul natae atque firmatae sunt[6] per collegium episcoporum in unanimi communione coadunatur. Qua de causa... ».

Ad n. 17, pag. 28, linn. 14-17: sequentem emendationem proponimus in pag. 28, a lin. 14 usque ad lin. 17, loco verborum « Sed ut membrum collegii ... et reliqua », iam ab exc. D. Riobé praesentata: « Sed, cum episcopus sit membrum collegii, hoc regimen adimplendo, bonum totius Ecclesiae, quod boni ecclesiae particularis inseparabilis est, semper intendere debet: tenetur ea intentione adaperire ecclesiam suam particularem ad Ecclesiam universalem. Eodem titulo, pro universa Ecclesia ea sollicitudine ex officio tenetur quae summopere ad Ecclesiae universalis emolumentum confert ».

Ita deletur oppositio inter episcopum in sua particulari ecclesia et episcopum ut membrum collegii: est enim episcopus ut membrum collegii.

Suppressio verborum illorum « licet actus iurisdictionis non sit... tamen », mihi videtur necessaria, quia in hac praesentatione cavendum est ne robur affirmationis sollicitudinis pro Ecclesia universali minuatur.

Ad n. 17, pag. 28, lin. 25: proponimus ut tollatur expressio « ut partem Ecclesiae universalis » quia contradicit quod in linn. 8-10 eiusdem paginae enuntiatur, scil. quod unaquaeque ecclesia localis ipsam universalem Ecclesiam repraesentat.

Expressio illa componi non potest cum modo loquendi apostoli Pauli quando dicit: « Ecclesia quae est Corinthi » et cum mentalitate Ecclesiae orientalis.

Proponimus ut ei substituatur sequens formula: « regendo propriam ecclesiam ut *mysterium catholicae communionis sese in celebratione eucharistica manifestans qua in hoc tempore consociatur Ecclesia* ».

Ad n. 17, pag. 29, lin. 2: « Quinimmo, hi coetus episcopales sibi etiam proponunt id efficere, ut episcopi eiusdem regionis adimpleant, modo quam maxime habituali, propriam missionem pastoralem et evangelicam, in sinu collegialitatis universalis episcoporum, et in communione cum Romano Pontifice ».

Optaremus ut pro par. 16-17, nova redactio ab archiepiscopis et episcopis regionis parisiensis, quae nobis valde placet, praesentata (Emendationes sch. *de Ecclesia,* pars I, pagg. 33 s.), quantum possibile est, adoptetur.

[*Subsignaverunt vel adhaeserunt*:] G. Jacquot, év. de Gap; Georges Béjot, év. aux. de Reims; René Stourm, arch. de Sens; Michel Vial, év. tit. d'Agnus; Charles de Provenchères, arch. d'Aix; François Poirier, arch. de P. au P.; A. de la Brousse, ep. tit. Antiochenus parvus; René Graffin, AT

---

[6] S. Cyprianus, *Contr. Cresc.,* 3, 35, 39, PL 43, 517.

Mistia; Jean Gay, év. de Guadalupa; G. de Milleville, arch. tit. de Gabala; J. Guyot, év. Coutances; A. J. Atton, év. tit. de Theudalis; G. Leuliet, év. d'Amiens; card. Liénart, arch. de Lille; de Bazelaire, arch. de Chambéry; Weber, arch.-év. de Strasbourg; Guerry, arch. de Cambrai; Audrain, arch. d'Auch; Urtasun, arch. d'Avignon; Marty, arch. de Reims; Bontems, év. de St. Jean-de-Maurienne; Goupy, év. de Blois; Bannwarth, év. de Soissons; Ancel, év. aux. de Lyon; Jenny, év. aux. de Cambrai; Maziers, év. aux. de Lyon; Johan, év. d'Agen; de Cambourg, év. aux. de Bourges; Pirolley, év. de Nancy; Vignancour, év. de Valence; Barthe, év. de Fréjus-Toulon; Puech, év. de Carcassonne; Pailler, év. aux. de Rouen; Guilhem, év. de Laval; Boudon, év. de Mende; Hermil, év. aux. de Autun; Kervéadou, év. de St. Brieuc; Donze, év. de Tulle; Fauvel, év. de Quimper; Favé, év. aux. de Quimper; Pinier, év. de Constantine; Bréheret, év. de Cahors; Jacquier, év. aux. d'Alger; Lacaste, év. d'Oran; Mercier, év. de Laghouat (Sahara); Perrin, arch. de Carthage; Fourrey, év. de Belley; Riobé, év. d'Orléans; Sauvage, év. d'Annecy; Atton, év. coad. de Langres; Bellec, év. de Perpignan.

128

Rev.mus P. D. LUCIANUS RUBIO

Prior generalis O.E.S.A.

Legenti cap. II constitutionis *de Ecclesia* protinus elucet vis et momentum quod habet notio « collegii episcopalis », quae ibidem inducitur in eaque multum instatur.

Iam alii Patres de ista quaestione scite docteque dixerunt. Liceat et mihi, ob rei gravitatem, iterum iterumque mentem tot venerabilium Patrum ad illam revocare. Paucis dicam quod sentio illudque iudicio vestro humillime submitto.

Si notio « collegii episcopalis » generali quadam significatione adhibetur, videlicet pro coetu eorum qui habent apostolorum successionem quique, flagranti caritate inter se coniuncti, pastorali dilectione universalis Ecclesiae bonum prosequuntur, nullam haberem anxietatis causam, immo causam non modicam laetitiae et gaudii. Nam « collegium episcopale » unitatem et universalitatem Ecclesiae mirum in modum repraesentat, et cum ex animo cohaereat capiti suo Romano Pontifici successori Petri, veram Christi Ecclesiam, unam sanctam catholicam et apostolicam, fulgenti luce mundo manifestat. Insuper sollicitudinem caritatis singulorum pro universa Ecclesia episcoporum fovet mutuamque exacuit inter dioeceses adiutricem operam, quae multum praestat, hodie praesertim, ad promovendam fidem vitaeque christianae mores firmandos.

Si, inquam, generali hac significatione, quae caritatem pastoralem spectat, notio « collegii episcopalis » adhiberetur, non mihi esset nisi laetandum. Sed in constitutione huiusmodi notio sensu stricto seu iuridico adhiberi

videtur. Dicitur enim Petrum et alios apostolos *Christi voluntate* unum constituisse collegium apostolicum, *cui succedit collegium a Romano Pontifice et ab episcopis constitutum* (pag. 27, linn. 1-5), quod collegium *suprema pollet in Ecclesia auctoritate,* quae sive in concilio oecumenico sive *extra concilium exercetur* (pag. 27, linn. 28-38).

Inde enascitur, mea quidem humili sententia, nonnulla difficultas. Fateor me non videre quo solido fundamento haec notio Ecclesiae constitutionem inducatur. Nam notio iuridica « collegii » duo importat, scil.: *a*) quod plures sint qui unam eandemque habeant regendi potestatem; *b*) quod diversa collegii membra potestatem habeant *inter se aequalem* eamque *in solidum* exerceant. Iam vero:

1. Compertum est, omnesque ultro fatemur, non omnes in « collegio episcopali » eandem habere potestatem. Etenim: *a*) caput huius collegii non ab ipso collegio sed immediate a Christo Domino accipit regendi docendique Ecclesiam potestatem; *b*) haec potestas est suprema et immediata erga quam, ut ait Concilium Vaticanum I, cuiuscumque ritus et dignitatis pastores et fideles, « tam seorsum singuli quam *simul omnes, officio hierarchiae subordinationis veraeque oboedientiae obstringuntur* » (Denzinger, *Ench. Symb.,* 1827); *c*) haec potestas instructa est omnibus mediis ad munus apostolicum in servitium totius Ecclesiae rite exsequendum.

Non igitur plus potestatis in regenda Ecclesia Petri successori accedit ex collegio episcoporum, licet ei accedat plus, si ita loqui fas est, efficacitatis in hominibus ad Christum alliciendis, sive qui sunt intra Ecclesiam sive qui sunt extra.

Hoc ipsum in nostram revocavit memoriam Summus Pontifex Paulus VI, feliciter regnans, in oratione quam habuit initio huius secundae concilii sessionis. Ait enim: « Hoc namque universale munus — de suo munere apostolico loquebatur — *quamvis a Christo instructum sit plenitudine et iusta virtute potestatis,* quam quidem scitis, poterit tamen auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere, si dilecti et venerabiles Fratres in episcopatu, modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam ».

Si igitur munus apostolicum Petri eiusque successorum a Christo ditatum fuit « dalla pienezza e dalla sufficienza di potestà », ut dicitur in textu italico eiusdem orationis, adiutrix opera, quam episcopi, ut collegium, ei praestabunt, pertinere quidem potest ad rationem consilii efficaciorisque Ecclesiae regiminis, *non autem ad ipsius Ecclesiae constitutionem et naturam,* quasi id sine quo Ecclesiae regimen esse nequeat.

Pertinet, igitur, ut scholastica utar terminologia, *ad bene esse,* non autem ad *simpliciter esse;* dum e contra, primatus Romani Pontificis et auctoritas episcoporum in sua quisque dioecesi pertinent *ad esse Ecclesiae* et non solum *ad bene esse.*

2. Si perpendamus concilii oecumenici celebrationem iterum apparet non omnino constare episcopos collegium stricte dictum constituere ac per hoc

collegialiter agere debere. Nam quod concilia oecumenica celebrentur in Ecclesia non est de divina institutione, sed ex humana seu ecclesiastica, sicut ex ecclesiastica venerabilique institutione promanat antiquissimum institutum sedium primatialium et patriarchalium.

Quod adunare concilium, in quibusdam praesertim adiunctis, sit optimum efficacissimumque medium profligandi errores, promulgandi leges, quae universam spectent Ecclesiam, necnon solemne fidei catholicae testimonium omnibus gentibus reddendi, non est qui dubitet; sed inde non sequitur concilia ex divina institutione celebrata fuisse vel celebratum iri.

Hinc distinguendum videtur inter auctoritatem, quae episcopis obvenit ex successione apostolica, *sedendi scil. in concilio, si concilium indicatur,* et ipsam *concilii indictionem,* quam esse iure divino necessariam, quibus argumentis defendi possit, non video.

Item, quantum ad supremam potestatem qua collegium episcoporum pollere dicitur in Ecclesia, distinguere velim, pro diverso gradu certitudinis, inter potestatem *magisterii* et potestatem *iurisdictionis.* Si de prima agatur non est qui ambigat vel qui ambigere possit. Cum episcopi sint testes fidei, a Deo per successionem apostolicam constituti, — *solemnis fidei professio,* quam praebent in concilio, ob Spiritus Sancti assistentiam a Christo Ecclesiae suae in aevum promissam, veritatis catholicae fit argumentum irrefragabile. Quod quidem valet de episcopis non solum in concilio adunatis, sed etiam per orbem dispersis, si eorum testimonium universale sit atque cum Romano Pontifice consentiens (cf. Concilium Vaticanum I, Denzinger, *Ench. Symb.,* 1793). Si vero de potestate agatur *iurisdictionis* non item res certa et firma videtur, licet non desint qui hoc defendant.

3. Notio collegii episcopalis, sensu praedicto seu stricte iuridico, in antiqua Ecclesiae traditione non invenitur satis fundata, vel saltem profundius inquirendum esset, prout rei momentum postulat, quousque in ea inveniatur.

Solemne erat apud SS. Patres scriptoresque ecclesiasticos successionem apostolicam urgere episcoporum, tamquam argumentum divinae eorum missionis divinaeque Ecclesiae originis et auctoritatis. Horum Patrum scriptorumque ecclesiasticorum quaedam verba in notis ad ipsam constitutionem citantur. Unum addere liceat S. Augustini testimonium, qui Ecclesiae auctoritatem firmari dicit « ab ipsis fundatissimis sedibus apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibimet episcoporum serie » (*Contra Faustum,* XI, 2). Idem ipse doctor, loquens de fonte seu radice christianae societatis, de qua multi praecisi sunt: « Videtis certe, inquit, multos praecisos a radice christianae societatis, quae per sedes apostolorum et successiones episcoporum certa per orbem propagatione diffunditur » (*Epistola* 232, 3).

De successione ista apostolica multa apud Patres eaque praeclarissima inveniuntur; non multa vero de collegio episcoporum. Cum de « origine episcoporum » loquuntur, non collegium, sed successionem intelligunt, ut v. g. Tertullianus. Cum de vinculo ecclesiasticae communionis agunt, instant in

communione habenda cum sedibus apostolorum, potissimum vero cum « sede Petri ». « In his namque esse Dei Ecclesiam constitutam, ait Summus Pontifex Pelagius II S. Augustini verba referens, qui sedibus apostolicis per successionem praesulum praesidere noscuntur, et quicumque ab earundem sedium se communione vel auctoritate suspenderit, esse in schismate demonstratur » (Denzinger, *Ench. Symb.,* 247).

Verum quidem est SS. Patres frequentissimos celebrasse episcoporum conventus sive locales sive regionales, et quosdam eorum, ut S. Ignatius, ad alias quoque ecclesias litteras direxisse; sed inde non multum pro nostra quaestione conficitur. Nam conventus episcopales celebrare non excedit institutionem ecclesiasticam; ad alias vero ecclesias litteras dirigere non excedit sollicitudinem pastoralem vel auctoritatem patriarchalem aut primatialem vel denique necessitatem servandi fidei puritatem.

Immo, quantum ad auctoritatem particularium conciliorum dicere fas sit episcopos non semel suam vindicasse libertatem contra eorumdem decreta, episcopos dico regionum in quibus et pro quibus concilia particularia coadunata fuerant.

Exemplo sit S. Augustinus, qui de suorum institutione loquens sacerdotum, contra illos qui violassent datam de vita in communi ducenda fidem, haec habet fortissima verba: « ... quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum. *Interpellet contra me mille concilia,* naviget contra me quo voluerit, sit certe ubi potuerit: adiuvabit me Deus, ut ubi ego episcopus sum, ille clericus esse non possit » (*Serm.* 356, 14).

Qui haec, adstante populo, dixit, nescio quantum tribuerit, si iurisdictionem spectes, collegialitati episcoporum: certe haud multum. Verbo dicam: Patres, si recte novi, potius quam collegium episcopale, singulorum prae oculis habent et urgent auctoritatem episcoporum.

Ad conclusionem properans, petere audeo, ut ubi in constitutione de « collegio episcopali » sermo fit, ita verba temperentur ut legentibus pateat locutionem illam intelligendam esse sensu illo generaliori, quem dixi, ad caritatem spectante, ne videamur incerta pro certis approbare, quasi « collegium episcopale », sensu iuridico intellectum, sit institutum divinum ad regimen Ecclesiae universalis absolute necessarium.

129

Exc.mus P. D. FERNANDUS RUIZ Y SOLÓRZANO

Archiepiscopus Yucatanensis

Sobre los Obispos.

A) Creo que debería definirse de una vez por todas la sacramentalidad del Episcopado, considerándolo principalmente en su esencia misma y no viéndolo, sobre todo, como si fuese una ampliación del presbiterado, que

por una especie de intosupcección, va creciendo hasta convertirse en Episcopado, sino como una fuente de la cual derivarían los otros grados del sacerdocio católico. Yo diría que el Episcopado podía definirse, más o menos, así: *est vere et proprie Novae Legis Sacramentum a Christo Domino institutum quo quis participat de sacerdotio Christi summe, plene et perfecte, quatenus Christus voluit eum participare in Ecclesia, ita ut Episcopus de sua plenitudine possit et alios sacerdotii diverso gradu participes facere. Summe*: habiendo Cristo instituido, antes que nada, el Episcopado, dió en él, según su voluntad redentora, la suprema participación de su sacerdocio, de manera que de él se derivasen los otros grados de esa misma participación, presbiterado, diaconado y, si es sacramento, subdiaconado; ya que es evidente que sólo el Obispo puede ministerialmente comunicar estos grados del sacerdocio. *Plene*: en cuanto el Obispo — y es cualidad de él que no se ha hecho resaltar suficientemente — es en cuanto a la comunicación de la gracia, y ciertamente sólo él con plenitud, verdadero Padre que engendra en el seno de su Iglesia verdaderos hijos de Dios. Porque en el acto por el cual consagra un Obispo u ordena un sacerdote realiza un verdadero acto de generación espiritual al que se le puede aplicar estrictamente la clásica definición de Boecio: « origo viventis a vivente principio coniuncto in similitudine naturae », ya que el Obispo puede engendrar un semejante a si, otro Obispo o un sacerdote. Por lo cual creo que el Obispo podría llamarse *germen Ecclesiae,* pues en la hipótesis de que desaparecieran del mundo todos los Obispos y sacerdotes, quedando un sólo Obispo, éste podría con su predicación hacer nuevos cristianos, confirmarlos en la fe recibida, alimentarlos con el Cuerpo y la Sangre de Jesucristo y finalmente consagrar nuevos Obispos y ordenar nuevos sacerdotes; con lo cual la Iglesia surgiría nuevamente, lo que ciertamente no podría hacer un simple sacerdote y menos un diácono. Esto, si no se encuentra explícitamente en la Escritura y no sé si en argumentos claros de la Tradición patrística, está en el Magisterio ordinario de la Iglesia docente y en el sentir de la Iglesia discente. *Perfecte*: en cuanto Dios, que no falta en lo necesario ni da un encargo sin los medios eficaces para cumplirlo, debió dar a los Apóstoles y a sus legítimos sucesores el poder y los medios necesarios para enseñar con fidelidad la doctrina recibida; regir o gobernar a los fieles y santificarlos, o la administración de los sacramentos; y así el Obispo es testigo de la fe y doctor por derecho divino, moderador con autoridad divina recibida directamente de Jesucristo, ya que va implícita en la recepción del caracter episcopal, y santificador, ya que no enseña ni gobierna sino para santificar los miembros del Cuerpo Místico de Cristo, haciéndolo crecer « usque ad plenitudinem aetatis Christi ».

B) Por lo que ve a la Colegialidad de los Obispos y de lo cual tanto se ha hablado, me parece que se entendería mejor y más facilmente si se la viese, más que a la luz del orden meramente jurídico o canónico, como ordinariamente se le ve, a la luz del sacerdocio mismo, graciosamente participado al hombre, y así no sería sino la unión moral y podríamos decir el

espiritual parentesco que por la gracia se engendra y en cuya virtud todos los Obispos participan del mismo sacerdocio de Cristo y en el mismo grado, sin que esto vaya contra el Primado de Pedro y sus sucesores, de cuya autoridad plena, suprema, inmediata y universal sobre pastores y fieles participan los Obispos. Algo así como las cosas todas visibles participan de la luz del sol, de la cual dependen absolutamente para su visibilidad, sin que por esto pueda decirse que cada una no tiene su propio color, su propia figura y aún su propia luz, participada, pero hecha verdaderamente propia. Si se extingue el sol todos los cuerpos pierden su luz; si se acaba la autoridad de Pedro todos los Obispos pierden la suya; ya que la autoridad, que siempre y dondequiera viene de Dios, no es sino una en diversa manera y en diversos grados comunicada a todos los que la tienen. Asi los Obispos, por el hecho de serlos, no son sino los rayos del foco único de luz y las fuentes del principio único de autoridad que hay en la Iglesia. De donde se sigue que tan absurdo es pretender que los Obispos, aún reunidos en Concilio, estén sobre el Papa o le igualen, como pretender que estos sean meros vicarios del Papa, que tampoco puede sustituirse al Colegio Apostólico, ni suprimir la autoridad de los Doce.

C) Siendo, pues, que los Obispos tienen la misión divina que ninguna potestad eclesiástica o civil les puede quitar para que dentro de los lineamientos de la voluntad de Jesucristo puedan enseñar, regir y santificar, creo: 1. que debería reconocerse más ampliamente el poder legislativo de los Obispos en sus proprias Diócesis, de manera que aparezcan como verdaderos miembros del Colegio Apostólico y no como simples vicarios del Romano Pontífice, y menos como empleados de la Curia Romana. En un Sínodo diocesano hoy practicamente no se puede propiamente legislar, porque todo está legislado; sino tan sólo urgir los preceptos canónicos que por sabidos que sean no pueden aplicarse igualmente en todas las regiones y en todos los paises, especialmente en aquellos en los que, como en México, las leyes fundamentales del pais, no solamente no reconocen los derechos de la Iglesia, sino que aveces no aceptan ni el hecho de su existencia, por lo que nos vemos obligados a estar frecuentemente, si no « contra ius » al menos « praeter ius ». Como el poder legislativo, el judicial está así mismo tan restringido que en muchos casos los Obispos no pueden según su celo y prudencia proveer eficaz y prontamente a la salud espiritual, especialmente de los sacerdotes caidos; por lo que puede decirse, « et hoc pace dicam vestra », que en tanto que los reos llegan a los altos tribunales eclesiásticos, son reos de papel, los que llegan a las manos del Obispo son carne viva, que a veces piden con angustia se les tienda la mano misericordiosa que les salve. 2. En cuanto a los otros poderes, podía decirse que hay tambien muchas restricciones que facilmente podían quitarse, a lo menos con cierto límite, para facilitar el gobierno de las almas; v. gr. en cuanto a las dispensas matrimoniales; a los juicios y procesos de nulidad; a la provisión de beneficios eclesiásticos, de manera que, quedando reservada a la Santa Sede por deferencia y respeto uno,

dos o tres de estos beneficios cuando escalonadamente se confieren, quedaran los otros a la libre disposición del Obispo. Por ejemplo: si el Dean de una Catedral es promovido al Episcopado y el Obispo pretende ascenderlos a cada uno un grado, y para llenar el último quiere promover varios párrocos, todos estos nombramientos están reservados a la Santa Sede. ¿No sería mejor que para no cargar demasiado trabajo a la Curia Romana y facilitar al Obispo el movimiento de las personas, se reservasen tan solo un cierto número de ellos? 3. Por lo que hace a privilegios, se da frecuentemente el caso que, privilegios que tienen simples sacerdotes, concedidos por la misma Santa Sede o por los superiores generales de órdenes religiosas, no los tiene el Obispo, con admiración de los fieles y grave desdoro de la autoridad episcopal. 4. Aquí es el lugar de decir algo acerca de las Conferencias Episcopales. Si va a hacerse de cada Conferencia Episcopal en cada nación una nueva entidad jurídica con facultades para determinar tales o cuales asuntos, se nos van a multiplicar las leyes y disposiciones, que ya son muchas ¡obruimur legibus!; se va a dar cierta apariencia de iglesias nacionales, que no existen en la Iglesia de Cristo, en la que sólo hay la Iglesia universal y dentro de ella las particulares. Mucho mejor que las Conferencias Episcopales, que yo creo que deberían desaparecer, sería la Conferencia de Metropolitanos, como se tiene actualmente en alguna nación. Esto es más conforme a la estructura de la Iglesia; facilita el común acuerdo en problemas verdaderamente nacionales, y si después cada Metropolitano tiene una junta con sus Sufragáneos, será mucho más facil hacer llegar a todas partes los cuerdos tomados, adaptándolos a las diversas regiones, ya que en la misma Nación, sobre todo si es muy grande y etnicamente muy diversa, no puede haber una cosa igualmente aplicable a todos.

Sobre los Sacerdotes.

Desearíamos que se hiciera notar más la dignidad y el prestigio sacerdotales; pero que en el reclutamiento de vocaciones para el sacerdocio se tuviese tambien, a los menos « pari modo », el cuidado de ver que el Sacerdote no sólo sea un instrumento que validamente pueda contribuir a la santificación de las almas, sino que él mismo no encuentre un tropiezo en su propio sacerdocio, « ne cum aliis praedicatur, ipsi reprobi efficiantur ». Por consiguiente, creo que más que insistir como se ha hecho, « opportune et importune », y de un modo casi obsesionante en la escasez de sacerdotes, nos fijemos más en su calidad, que es, creo, el primer problema en el reclutamiento de vocaciones sacerdotales; ya que un sacerdote santo hace más bien que diez mediocres y, ni qué decir, que muchos malos. Cabe aquí la sabia advertencia de San Pio X « *Non quanti, sed quales* ». La experiencia nos enseña que hay paises o regiones donde hay verdadeira plétora de sacerdotes y no por ello es mejor que era, y muchas veces no mejor que muchos de nuestros pueblos, atendidos por un número insignificante de sacerdotes. Por lo demás, se ve o se sabe, que en la Iglesia universal y un gran número de iglesias particulares cargan con un gran lastre de sacerdotes indignos, muchos

externamente escandalosos y conocidos, otros que, sin ser externamente tales, por su vida privada, aunque oculta, son grave obstáculo para la santificación de las almas.

Sobre los Diáconos.

En cuanto a los Diáconos, mi humilde opinión es que no debe resuscitarse el diaconado como orden independiente, ni con celibato ni sin celibato. Porque si entre los sacerdotes más exquisitamente formados, cuidados más solicitamente encontramos las lacras que hemos señalado antes, ¿qué sucederá cuando tengamos un cuerpo suficientemente grande de ministros consagrados que sigurisimamente, ni por su formación, ni por sus deseos podrán llevar dignamente la carga de este ministerio? Cualquier cosa que se pueda decir, teologica o historicamente hablando, parece el caso de decir: « turpius eicitur, quam non admittitur hospes ». Quizá la Iglesia tendría que llorar mañana el haberle abierto la puerta a un estado tan dificil de llevar en los tiempos actuales. Agréguese que en muchísimos de nuestros pueblos esto se vería con asombro y hasta quizá con escándalo; sobre todo si son ministros casados o se les permite casar, y no contentos con la recepción de los sacramentos que estos les pudiesen administrar, irían a reclamar siempre los servicios del Sacerdote. Para subvenir a las dificultades o necesidades que muchos venerables hermanos exponen en favor del diaconado como orden independiente, se podría decir que hay otros varios medios de proveer, entre los cuales: *a*) utilizar a los mejores miembros de la Acción Católica y de las asociaciones piadosas en obras de apostolado; *b*) obligar a las órdenes religiosas, especialmente de varones a que « haciendo oblación de mayor estima y momento », vayan de buena voluntad a los lugares donde el combate es más rudo y mayores las necesidades, y no con tanta preferencia a los grandes centros de población o de recursos económicos, donde ciertamente pueden hacer el bien; mas deben pensar que mientras a unos fieles les apagan la sed con abundancia de agua, a otros muchos les dejan morir de sed. Y para esto yo no vería inconveniente en que se suprimiesen ciertas obras sociales, ciertos centros de educación en los lugares donde estos, a lo menos son suficientes, para ocupar este personal en lugares más necesitados. Por último, un camino que podría ser oportuno, sería el siguiente; ¿no convendría a nuestros alumnos del seminario al ordenarlos de diáconos y antes de ordenarlos de sacerdotes enviarles un tiempo — uno o dos años — para que al lado de un sacerdote recomendable ejercieran su ministerio en los lugares de la parroquia a donde dificilmente llega el párroco, o en las obras sociales a las que el párroco dificilmente puede atender? Tendría esto la ventaja de que entrarían al sacerdocio ya con cierta experiencia de la vida sacerdotal, habiendo estado en contacto con las almas que más tarde habrán de regentear; aunque tambien se daría el peligro, quizá no pequeño, de que varios defeccionarían del sacerdocio, y haciéndose indignos quedarían en el caso de verse perpetuamente incapacitados para el sacerdocio y aún quizá para una buena vida cristiana, si no se les reduce al estado laical. Fi-

nalmente, y aquí una vez más pido perdón a mis Venerables Hermanos por lo que sigue. Si se deja a la prudencia de los Ordinarios el resolver tan ardua cuestión, como la prudencia es virtud tan difícil en el orden práctico y frecuentemente se piensa, como he dicho arriba, más en la necesidad espiritual de los fieles que en el bien espiritual personal del ministro, pueden crearse problemas irresolubles o de muy difícil solución. En todo caso, yo opinaría que asunto tan grave se quedará en cada caso sometido plenamente a la autoridad de la Santa Sede, quien determinaría la conveniencia o no conveniencia de ordenar a estos diáconos y cómo.

130

EXC.MUS P. D. VILSONIUS LAUS SCHMIDT
Episcopus Xapecoensis

Quamvis iam ab aliis plura de diaconatu permanente instituendo dicta sint, mihi videtur non satis dictum esse de conatu evertendi, hac occasione, caelibatum clericorum in genere et diaconorum in specie.

Hic quidem caelibatus etiam diaconorum absque interruptione et contra omnia huiusmodi tentamina per viginti fere saecula i. e. ab initio in Ecclesia Occidentali et Romana sancte custoditus et vindicatus est. Liceat mihi, venerabiles Patres, summas tantum vicissitudines huius traditionis in mentem revocare:

Iam in Litteris Encyclicis Pii XI memorantur verba synodi Africanae-Carthaginensis II anni 390, quae in can. 2 sic de caelibatu etiam diaconorum loquitur: « quod apostoli docuerunt et ipsa servavit antiquitas nos quoque custodiamus ». Sequentia Concilia sive Africae sive Hispaniae sive Galliae iterum hanc obligationem caelibatus urgent.

Romani Pontifices, litteris his regionibus missis, et ipsi strenui custodes et defensores caelibatus diaconorum quoque exsurgebant, inter quos Leo Magnus et Gregorius Magnus. Etiam alii SS. Patres uti S. Hieronymus, S. Ambrosius, S. Augustinus idem fecerunt. Immo dicendum est eo tempore quo subdiaconatus inter ordines sacros connumerabatur, caelibatus ad subdiaconos quoque extendebatur.

Cum postea propter varias causas omnium horum sacrorum ministrorum caelibatus valde periclitaretur tempore investiturae in officia ecclesiastica a laicis factae, reformatores sub ductu Romanorum Pontificum surrexerunt, ut salvarent antiquam disciplinam. S. Gregorius VII, omnium strenuissimus, tunc dixit: « Non liberari potest Ecclesia a servitute laicorum, nisi liberantur clerici ab uxoribus ».

Quamvis Ecclesia caelibatum ad ordines minores non extenderet, nihilominus Romani Pontifices, uti Alexander III et Innocentius III, aliique sequentes ne voluerunt quidem, ut coniugati minoristae beneficia ecclesiastica haberent. Innocentius III enim explicat hoc non fieri debere: « cum vir cogitet

quomodo placere possit uxori et ideo minus quae Dei sunt valeat cogitare, cum, quasi divisus in duo, plenam sui non habeat potestatem, ut ei a quo stipendium recipit plenius famuletur... et praesertim cum rerum ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire » (X, III, 3, 5).

Contra innovatores saec. XV-XVI Concilium Tridentinum, quamvis pro ordinibus minoribus coniugium permiserit, pro omnibus autem ordinibus maioribus caelibatum rigorose sancivit (sessio 24, can. 9 de matrimonio).

Etiam in saeculis sequentibus saepe tentamina abrogationis totalis vel partialis caelibatus agitabantur; contra omnia tamen Romani Pontifices claris et firmis verbis hanc sacrosanctam traditionem et disciplinam vindicabant; cogitemus de ultimis tantum Litteris Encyclicis Gregorii XVI, Pii IX, Pii X, Pii XI, Pii XII et de sermone quem Ioannes XXIII occasione Synodi Romanae de hac re habuit.

Solummodo qui hanc sacrosanctam traditionem aut ignorat aut contemnit abrogationi caelibatus diaconorum potest consentire et contra experientiam certam tot saeculorum pro incertis utilitatibus, immo iam certis periculis et damnis, evertere aut relaxare probatissimam disciplinam.

Nihil dico denique *de textu schematis iuxta quem ad singulos praepositos Ecclesiae spectet decernere,* utrum tales diaconi sacra lege caelibatus adstringantur necne: hoc enim evidenter absurdum esset propter maximam confusionem inde orituram.

Enixe ergo rogo vos, venerabiles Patres, ut, cum omnes nos omnibus viribus nova media novosque operarios in vinea Domini laborantes excitemus, eodem tempore nihil de sacrosanctis, probatis, iterum atque iterum vindicatis traditionibus perdamus vel labefactemus, inter quas eminet sacra caelibatus lex omnium ministrorum in sacris constitutorum.

131

REV.MUS P. D. IOANNES SCHUETTE
Superior generalis S.V.D.

N. 15, pagg. 25 ss.: reinstauratio diaconatus tamquam permanens Ecclesiae institutio in hac aula quasdam difficultates et obiectiones evocavit, quae praesertim indolis practicae sunt. *Primo,* prae oculis haberi videntur iuvenes, qui in propriis ad hoc erigendis institutis cum magnis pecuniae impensis educantur. *Secundo,* timetur ne regressus et diminutio vocationum sacerdotalium oriatur, praesertim quia onus caelibatus non paucos iuvenes incitabit ut potius diaconatum eligant. Tandem eorumdem Patrum sollicitudine afficit onus expensarum, cum Ecclesia missionaria non solum ipsis diaconis sed et coniugi et totae eorum familiae cibaria et victum decenter providere deberet. Quibus expensis Ordinarii missionum nimis aggravarentur. Hae tamen difficultates evanescunt si sub alio aspectu et quidem reali res consideretur. In territorio missionum — in sequentibus in favorem loquor

istius ecclesiae missionis —, praeter fratres laicos, qui sunt religiosi et caelibes et qua tales in eligendis diaconis aliis praeferri videntur, iam habetur stabilis ordo vel professio virorum et simul patrum familiae quibus servitium Ecclesiae autoctonae proprium est munus vitae cui plures se praeclaro modo dedicant. Hi sunt catechistae, religiosam doctrinam edocentes, vel magistri in scholis missionariis. Praeter illos, qui ex professo missioni inserviunt, sunt qui honoris causa et Dei gloriae statis temporibus pro posse se operibus missionis devovent uti praesides associationum fidelium, membra concilii quasi-paroecialis. Quos inter viros optimi saepe sunt nucleus et fundamentum communitatis christianae. Propria experientia in Sinis saepe saepius vidi communitates rusticanas stare vel cadere cum catechista vel duce laico christiano. Quoties habetur bonus catechista et studiosus dux, communitas florescit, quamvis ipse missionarius pastor egregius non sit.

Qui laici iam nunc, absente sacerdote varia exercitia pietatis instruunt praesertim diebus dominicis. Preces recitant vel cantibus religiosis praesunt, catechesim faciunt vel ex libro praelegunt, et revera vices gerunt sacerdotis missionarii.

Si itaque meliores horum laicorum autoctonorum, tales nempe satis probati existunt, qui se toto tempore servitio Ecclesiae ut praecipuo munere sunt devoti, et simul sunt patres familiae exemplares et vitam vere christianam ducunt, eligantur et ad officium diaconatus ecclesiastica auctoritate vocentur, enumeratae difficultates iam non habentur.

Nova seminaria pro efformandis diaconis nullo modo requiruntur. In permultis missionibus iam habentur propria instituta pro catechistis educandis. Quod ulterius requiritur est ut institutis iam existentibus vel scholis adiungatur specialis cursus pro aspirantibus ad diaconatum. Itaque non dantur nimiae expensae, quae a nonnullis Patribus timentur, cum iidem laici iam nunc ut catechistae expensis missionum vivant, vel absque emolumento missioni inserviant.

Praeterea non surgit quaestio vel discussio de lege caelibatus; sunt enim probati ac boni patres familias. Quapropter vix seminaristae vel candidati a vocatione sacerdotali amovebuntur. Nullo modo creatur nova electio inter ordinem diaconatus et presbyteratus. Talis decisio iam antea facta fuit, nam petentes diaconatus ordinem iam per annos Ecclesiae et operibus missionariis inservierunt ut egregii laici in matrimonio christiano viventes. Immo quodam sensu dicendi iam sunt diaconi, cum diaconia verbi, doctrinae, servitii Ecclesiae et vitae christianae caritatis fungantur.

Qua re tandem iis, qui vero sensu munere diaconatus egregio modo de facto funguntur, ipsa ordinatio cum sacramentali gratia et honore denegatur?

1. Si hi viri diaconatus sacramento muniuntur, eorum activitas catechetae et instructoris promovetur. Diaconia verbi, doctrinae et servitii Ecclesiae praesertim in instituendis pietatis exercitiis dignitate sacramentali extollitur ita ut totum eorum officium maiorem vim et efficaciam obtineat. Si

nos in gratiam et virtutem sacramenti vere credimus, etiam nobis persuasum est, verum esse discrimen inter exercitium diaconiae sacramentalis et non sacramentalis. Quidnam nobis retrahit ut gratiae sacramentalis fontem Ecclesiae missionariae pervium faciamus et aperiamus.

2. Praeterea diaconi ordinati in pluribus functionibus et maiore cum fructu sacerdotis vicem gerere poterunt.

Absente sacerdote, cultus divinus, quamvis sine sacrificio missae celebratus, non amplius terminatur in precibus et cantibus sed sacramentali refectione Eucharistiae locupletatur atque augetur, collatio baptismi et celebratio matrimonii aptiore et digniore modo providentur.

Huius diaconi auctoritas in communitate neo-christiana opportuno modo corroboratur et amplificatur; eius preces in praesentia et in medio communitatis solutae profundiorem obtinent sensum, verba ulteriorem vim et efficaciam acquirunt, eiusque exemplar vitae christianae maiore splendore elucescit.

Diaconus sic erit cor et centrum missionariae communitatis, eiusque gloria et corona, quoniam in diaconi persona et servitio caritatis eius vivit et operatur sacramentum ordinis et virtus sacramentalis gratiae.

Etsi restauratio diaconatus stabilis in aliquibus territoriis inopportuna videtur et in aliis uti Iugoslavia periculosa: bene! Sed ne claudatur porta pro tota Ecclesia, praesertim missionibus!

Etiam ego administravi in Sinis praefecturam apostolicam per tres annos sub dominatione atheistarum militantium. Utinam illo tempore persecutionis et afflictionis habuissemus diaconos iam instructos et peritos, ad omnia opera diaconatus, praesertim ad distribuendam S. Communionem et ad providendum sacramentis baptismi et matrimonii! Vae nobis, quia non habuimus! Quia tempore opportuno non provisum fuit! Enixe igitur rogo Patres ut provideant non solum propriis territoriis sed totae Ecclesiae, praesertim missionibus.

Sequuntur nomina 33 exc.morum et rev.morum Patrum qui interventionem P. Ioannis Schütte, sup. gen. SVD, subscripserunt: exc.mi PP. DD. Herman Westermann, ep. Sambalpuren.; Charles Weber, ep. Icheuven.; William Duschak, ep. tit. vic. ap. de Calapan; George Kemerer, ep. Pasaden.; Theod. Schu, ep. Iceuven.; George Bernarding, vic. ap. Mount Hagen; Martinus Lucas, arch. tit. Adulitan.; Theodorus van de Tillaert, ep. Atambuen.; Bernhard Schilling, vic. ap. de Goroka; Odilo Etspüler, prael. null. de Bangued; Adolph Noser, vic. ap. Alexishafen.; Franciscus Simons, ep. Indoren.; Leo Arkfeld, vic. ap. Wewak; Franciscus Hoenen, ep. el. Kengen.; Ioannes Wiesen, prael. null. SS. Incarnationis et Paran S.; Guillelmus van Bekkum, Rutengen.; Antonius Thyssen, ep. Larantukanen.; Augustinus Olbert, ep. Zintaoven.; Guillaume Schoemaker, ep. Purvokerten.; Paternus Geise, ep. Bogoren.; Rudolf Staverman, vic. ap. Hollandia; Nicolas van der Westen, ep. Pangkalinengen.; Nicolas Schneiders, arch. Makassaren.; Jacques Romeijn, ep. Samarindaen.; Herman Tillemans, vic. ap. de Merauke; Albert

Hermelink, ep. de Tandjung-Karang; Paternus van Diepen, ep. tit. Manokwarien.; Tarcisius van Valenberg, ep. tit. Comben.; Guillaume Sillekens, ep. Ketapangen.; Guillaume Demarteau, ep. Bandjarmasinen.; Jacques Grent, ep. Amboinaen.; Antonius Albers, ep. Malangen.; Henricus Mekkelholt, ep. Palembangen.

Praeterea conventus episcoporum ac Patrum Germaniae, Austriae aliarumque regionum linguae germanicae, contentum textus approbavit et conventionem postulavit.

132

Rev.mus P. D. AUGUSTINUS SÉPINSKI
Minister generalis O.F.M.

Placet iuxta modum.

Animadversiones maioris momenti.

Ad pag. 23, linn. 5-6: [Prooemium] dicerem: « Quicumque e populo Dei sunt, dignitate hominis christiani gaudent »; quia *plena* dignitas secumfert statum gratiae: quod non necessario contingit.

Lin. 10: ad verba « super Petrum rupem ac super apostolos fundavit (Ecclesiam) »: notandum est iuxtapositionem Petri et apostolorum in textu constitutionis dogmaticae Concilii non bene sonare. Petrus est petra; alio modo apostoli fundamentum Ecclesiae dicuntur.

A pag. 24, lin. 40 ad pag. 25, linn. 1-2: proponerem sequentem textum: « (potestas) Petro ut primo apostolorum et duci collegii commissa et successoribus eius transmittenda ».

Ad pag. 25, n. 14: [De episcopatu ut sacramento]. Hic numerus maximi momenti est, quia fere aequivalet definitioni; cf. verba « Ita episcopalis consecratio, procul dubio, ad sacramentum ordinis pertinet, atque praecellentem gradum confert sacerdotii » linn. 12-14; cf. etiam verba « dubitare nemo debet episcopatum esse vere et proprie gradum supremum sacramenti Ordinis » linn. 20-21.

Revera maior pars theologorum hodiernae aetatis episcopatum ordinem i. e. supremum gradum ordinis considerat, contradicentibus fere omnibus theologis Medii aevi, etiam magni nominis, v. g. S. Thoma, doctore Angelico, et S. Bonaventura Sent. IV; dist. XXIV, p. II q. III ad 5 Op. omn., Editio Quaracchi, t. IV, p. 634; qui episcopatum inter *sacramentalia* enumerant. Ioannes Duns Scotus affert duas opiniones, sed favorabiliorem se monstrat opinioni quae episcopatum ordinem considerat. En eius verba (Rep., L. 4, dist. XXIV, n. 7): « Non enim video, quod episcopatus non sit Ordo, quia praesupponit sacerdotium, quia episcopo soli competit aliquos actus dispensare, in quos non potest aliquis sacerdos simplex nec simpliciter nec bene, ut patet de collatione Ordinum et in Confirmatione et sanctificatione materiae Extremae Unctionis, sicut soli sacerdoti competit consecrare et absolvere, in quod non potest nec simpliciter nec bene aliquis

non sacerdos. Igitur accipiendo distinctionem Ordinum secundum pluralitatem talium actuum vel graduum in ecclesia, sequitur, quod episcopatus maxime sit Ordo ».

Si Concilium opinatur doctrinam iam maturam esse, textus n. 14, parvis adhibitis mutationibus, secundum meum iudicium, servari potest.

Ad pag. 26, linn. 28-41: [De diaconatu] placet tractatus, exceptis linn. 39-41. Quae ultimae lineae in constitutione *dogmatica* non bene sonant. Res, qua materia disciplinaris, ad codicem iuris canonici pertinet. Proponerem ut in constitutione dogmatica de Ecclesia hae lineae deleantur et ad commissionem conciliarem pro Codice apparando transmittantur. Mihi placeret pro Codice sequens textus: « Ad Sanctam Sedem spectat, pro Ecclesia latina, decernere utrum in casibus particularibus tales diaconi sacra caelibatus lege adstringantur necne ».

Ad pag. 27, n. 16: [De collegio episcopali eiusque capite]. Doctrina de collegialitate episcopali a schemate proposita, non plene convincit, speciatim si schema huic doctrinae chrisma *iuris divini* vindicare intendit.

Actus collegiales apostolorum in S. Scriptura ad tres vel quattuor actus singulares reducuntur. Subsequentibus saeculis actus collegiales episcoporum, i. e. successorum apostolorum, in conciliis provincialibus vel conciliis oecumenicis habebantur. Collegialitas permanens episcoporum hodierna aetate forsitan aliquid bonum esse potest, si ita placet Summo Pontifici; sed fundaretur, secundum meum submissum iudicium, in iure mere ecclesiastico.

Animadversiones minoris momenti:

Ad pag. 23, linn. 25-26: melius dicatur: « (doctrinam) coram omnibus profiteri et declarare constituit (Sacrosancta Synodus) ».

Lin. 31 ad pag. 24, lin. 1: dicerem: « ad instar instituit cuiusdam coetus vel collegii ».

Ad pag. 25, linn. 8-9: dicatur: « Dominus Iesus, pastor animarum nostrarum *1 Petr.,* 2, 25 »; non citetur « episcopus animarum » quia hic « episcopus, episcopatus » alium sensum habet quam in schemate.

Ad pag. 25, n. 15: [De presbyteris) ponatur post n. 21: i. e. post paragraphos episcopos respicientes, ne turbetur ordo materiae. Ex altera parte, magis explanentur quae dicenda sunt circa presbyteros, quia presbyteri sunt principales ministri sacramentorum, si excipias administrationem sacramenti Ordinis.

Ad pag. 26, lin. 6: deleantur verba « secundae dignitatis ».

Linn. 12-14: melius et clarius dicatur: « vel ab episcopo competente, cuius in pascendo grege eique inserviendo vices agunt, assignatur ».

Lin. 16: dicatur: « agnoscant presbyteri cuncti, tam saeculares quam regulares ».

Linn. 22-23: corrigatur: « omnimodam ».

Linn. 25-27: melius dicatur: « discant offerre, et confratribus suis ... praebere auxilium ».

133

Exc.mus P. D. FULTON J. SHEEN

Episcopus tit. Caesarianensis, aux. Neo-Eboracensis

Liceat mihi commissioni proponere textum paucis vicibus adlatum de Petri habitudine ad Christum et apostolis.

Ut autem non scandalizemus, vade ad mare (*Matt.* 17, 26).

Nusquam in Sacra Scriptura Dominus noster de unoquoque homine et seipso loquitur, praeter illum et Petrum.

Numquam de apostolis et seipso dicitur « Nos », nihil de aliis.

Petrus solus et Christus constituunt « Nos ».

De Ecclesia, cap. II.

Propono ut clarius exprimatur quomodo onus missionale in ordine episcopali innitatur, propter duas rationes:

1. Episcopus propter potestatem *Ordinis* se habet ad Ecclesiam universalem: Euntes, docete omnes gentes. Attendite vobis et *universo gregi* in quo vos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei (*Act. Ap.* 21, 28).

2. Propter potestatem *iurisdictionis,* saltem inchoative, quia Liturgia exprimit quod episcopus consecratur ad gubernandam ecclesiam. Dioecesis propria iure ecclesiastico et auctoritate suprema Pontificis Summi ei confertur.

Maximi momenti est, quia nunc C.I.C. potestatem episcoporum ad dioecesim propriam circumscripsit (can. 1350) et responsabilitas apostolica evangelizandi mundum ad Summum Pontificem limitatur (can. 329, 218, 252).

Omnis episcopus inter duos axes constituitur, nempe, dioecesim propriam et Ecclesiam universalem. Solo modo in servando toto corpore Christi mystico ad dioecesim suam rite ministret.

Sicut Leo XIII dixit: Ut concordibus animis apostolicas missiones sedulo vehementerque adiuvare Nobiscum studeatis. *Sancta Dei Civitas,* 3 dec. 1880; Benedictus XV, *AAS,* 11, 1919, 452; Pius XII, *AAS,* 47, 1957, 236; Ioannes XXIII, *AAS,* 51, 1959, 863.

134

Exc.mus P. D. FRANCISCUS SIMONS

Episcopus Indorensis

Cap. II (quod erit III): De constitutione hierarchica Ecclesiae.

Ne consumam tempus, scripto submitto sequentem suasionem: Ad tollendam omnem impressionem vanae gloriae a parte hierarchiae, in prooemio capitis huius iuvabit clare edicere « Veram dignitatem christianam mem-

brorum Ecclesiae consistere non in potestatibus et honoribus externis, sed tantum in gradu, qui membris inest, divinae caritatis, humilitatis et gratiae ».

Alii sermonem facient (fecerunt) de bonis expectandis ex diaconatu. Hic tantum necessarium duxi respondere ad obiectiones quasdam allatas in hac aula quae procedunt ex modo eum concipiendi qui non favetur a pluribus eorum qui diaconatum proponunt.

Non necessarie enim agitur de introducendo tali diaconatu in territoriis vel locis in quibus adest numerus sufficiens sacerdotum, sed in locis et territoriis extensis, vel missionum vel christianis et catholicis, in quibus homines miserrime privantur verbo Dei et sacramentis nec spes adest defectum cito emendatum iri...

Nec agitur de selegendis et educandis ad diaconatum pueris et iuvenibus, sicut nunc generatim fit ad presbyteratum, sed agitur de selegendis viris adultis, sufficienter eruditis, de quorum probitate et spiritu religioso et apostolico constat experientia diuturna. Agitur de viris, etiam matrimonio iunctis, quales apostoli elegerunt in sacerdotes et episcopos, in adiunctis non valde diversis ab iis quae etiam nunc in multis territoriis habentur. Hi viri ad diaconatum parari possunt per lectiones speciales vespertinas et aestivas et per studium privatum — nec ergo necesse erit erigere vel extendere seminaria.

Nostris temporibus, paucissimis exceptis, pueri et iuvenes tantum eliguntur et educantur in sacerdotes, et iam occlusus est ille fons amplus dignorum ministrorum Ecclesiae, qui constat ex viris vita iam bene probatis. Ut saepe accidit in rebus humanis, evolutio quaedam historica et bona tradita iam obstaculum facta sunt maioris progressus et maioris boni... Ecclesiae christianae non-catholicae etiam nunc multos viros excellentiores seligunt ex hominibus adultis et probatis.

Quaestio movetur de sustentatione. Sed nonne in iisdem circumstantiis christiani non-catholici sustentant ministros suos cum familiis? Num catholici minus generosi invenientur in subveniendis ministris suis? Et nonne per ministerium novorum diaconorum permulti catholici, qui nunc fide periclitantur, restaurabuntur et parati invenientur ad subveniendum iis? In locis, praeterea, in quibus pauciores catholici habentur, nonne diaconi opus suum continuare possunt ad victum obtinendum sicuti laboravit manibus suis magnus Paulus apostolus? In talibus locis saepe labor sufficiens non habetur pro sacerdote et diaconus poterit occupatus esse in ministerio Ecclesiae pro parte temporis.

Timor etiam movetur ne multi eorum, qui nunc ad presbyteratum tendunt, avertantur a tali proposito... Sed certe non deerunt, sicut nunc, pueri et iuvenes qui magno animo ad maiora aspirabunt, qui non deterrentur difficili lege caelibatus. Nonne Pius Papa XII f. m. saepe nos monuit iuvenes attrahi et attrahendos esse per altiora et difficiliora? Nec generatim ex iis, qui iam ut iuvenes commodiora aspirant, sacerdotes expectari possunt qui in vita sacerdotali caelibi perseverabunt... Qui proponunt diaconatum matrimonio iunctum nullo modo proponunt presbyteratum non caelibem, immo

medium afferunt protegendi splendorem talis presbyteratus. Nam diaconatus Ecclesiam salvare poterit a multis sacerdotibus miseris, qui legem caelibatus observare non possunt... Ab altera parte, per laborem diaconorum in iis multis millionibus, qui nunc verbo Dei et sacramentis orbantur, multae novae vocationes etiam ad presbyteratum expectari possunt.

135

Exc.mus P. D. IOSEPH SOUTO VIZOSO
Episcopus Palentinus

Post tot tantaque consideratione digna prolata fuerunt in hac aula circa vocem et rem collegialitatis, sive apostolorum sive episcopatus, liceat mihi quamdam insinuationem exprimere, suspicionem scil. quod diversitas opinionum oriri possit ex ambiguitate nominis et rei significatae.

1. *De nomine.* Non est cur adversemur voci collegii apostolorum, quae apparet in scriptis Ss. Patrum et doctorum, in documentis pontificiis et in libris liturgicis, ut saepe hic audivimus. Satis sit in mentem revocare illa verba Ss.mi Domini nostri Pauli VI in sessione inaugurali: « Vos, venerabiles Fratres, convenistis, qui et ipsi apostoli estis et a *collegio apostolico* originem ducitis eiusdemque veri estis heredes ».

Quoad episcopatum, cum et sub Christi vicario collectum, neque adest ratio diffidendi, modo recte verbum usurpetur, nempe in sensu *unitatis, successionis et hereditatis apostolicae* in potestate seu ministerio, in munere et missione collectiva ad *unicam Ecclesiam* fovendam et propagandam, ad *unum gregem* Christi pascendum doctrina una eumque sanctificandum eisdem sacramentis et collectiva sollicitudine ad eumdem finem spiritualem perducendum, ita ut singuli episcopi, ut legitimi apostolorum successores, ex Dei institutione et praecepto, apostolici muneris Ecclesiae *sponsores* fiant, iuxta verba SS. Pii XII in litteris encyclicis *Fidei donum.* In hoc sensu audivimus a Sanctissimo Patre Paulo VI quod sumus *agmen apostolicum* ab universo orbe congregatum... quodque hic collecti sumus ut nos cum Summo Pontifice veluti *in unum corpus redactos* sentiamus ab eoque roborem accipiamus et moderationem ».

2. *De re significata.* Si vero per collegium apostolorum accipere velimus coetum socialem, ad modum collegiorum civilium, in quibus membra omnia qua talia eiusdem sunt dignitatis aequalibusque iuribus de se pollent et quaestiones solvuntur legesque aut decreta per votorum maioritatem decernuntur, evidenter corpus apostolorum non fuit ita a Christo institutum, sed sub plena potestate Petri; neque in sacris Litteris vel traditione argumentum apparet de tali modo procedendi in Ecclesia constituenda et moderanda.

Ob similem rationem, admitti non potest collegium episcopale, stricte dictum seu juridice sumptum; quia hoc gravissime officeret supremae potestati successoris Petri, eiusdemque primatum, qualiter in Evangelio, traditione et Concilio Vaticano describitur, penitus funderet.

A definitionibus Conciliaribus fas non est recedere, communisque mens est Patrum conciliarium integram et incolumem vaticanam doctrinam retinere et propugnare.

Si denique opportunum visum fuerit aliquem episcoporum coetum, ex diversis nationibus constituere ad pleniorem *unitatis* Ecclesiae ostensionem eiusdemque catholicitatis maiorem visibilitatem in universo mundo, sit ipse Romanus Pontifex qui rem decernat, structuram et rationem agendi talis collegii determinet necnon iura et officia ad tale munus delectorum definire. Meminisse iuvat verba Ss.mi Patris nostri in memorata allocutione ad Patres conciliares, nempe: « Hoc munus universale (Papae scil.) poterit auxilii et praesidii maiores vires sibi adiungere si dilecti et venerabiles Fratres in episcopatu modis et rationibus opportune statuendis, Nobis validiorem et suscepti oneris magis consciam praestabunt adiutricem operam ».

In fine, propositio quam suggerere audeo est: addatur in schemate nostro, loco opportuniore, brevis declaratio circa sensum verborum collegium et collegialitas, ut caput secundum circa hoc argumentum omnibus Patribus placere aut acceptabile fieri possit neque amplius immoremur in praesenti discussione sed, sit mihi venia, ad nova themata examinanda proficere possimus. Adhuc enim longum nobis restat iter percurrendum.

136

Exc.mus P. D. EDUARDUS SWANSTROM

Episcopus tit. Arbensis, aux. Neo-Eboracensis

Si vocem meam quam exiguam addere possim ad chorum illorum Patrum qui, ut verbis em.mi card. Lercaro utar, tam sapienter et eloquenter de mysterio et imagine Ecclesiae in mundo nostro contemporaneo locuti sunt, proponere velim ut quid praecisum dicendum sit de paupertate voluntaria et de caritate actuosa ut signum vitae spiritualis Ecclesiae. In Novo Testamento multa legimus de paupertate, et ut ita dicam de caritate sociali Christi. Cum S. Paulo in epistola secunda ad Corinthios, « Scitis gratiam Domini nostri Iesu Christi, quoniam propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius inopia, vobis divites essetis » (2 *Cor.* 8, 9).

In Evangeliis similiter frequenter describitur paupertas Christi; videlicet, secundum Lucam, cum natus est Iesus, Mater eum « reclinavit in praesepio quia non erat eis locus in diversorio » (2, 7); et de seipso, secundum Matthaeum, dixit Christus: « Vulpes foveas habent et volucres caeli nidos, Filius autem Hominis non habet ubi caput reclinit » (8, 20). Et cum discipuli Ioannis Baptistae eum interrogaverunt, « respondens Iesus ait illis: Euntes renuntiate Ioanni quae audistis et vidistis, caeci vident, claudi ambulant, leprosi mundantur, surdi audiunt, mortui resurgunt, et pauperes evangelizantur » (*Mt.* 11, 5).

In praedicatione Iesus frequenter admonita proposuit contra avaritiam,

ut bene cognoscimus nos omnes: « Beati pauperes spiritu » (*Mt.* 5, 3), « Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra... » (*Mt.* 19), denique in praeparatione apostolorum ad praedicandum Evangelium, admonuit: « Gratis accepistis, gratis date. Nolite possidere aurum, neque peram in via, neque argentum neque pecuniam in zonis vestris, neque duas tunicas neque calceamenta neque virgam; dignus est enim operarius cibo suo » (*Mt.* 10, 9-10).

Ex traditione primitiva Ecclesiae cognoscimus christianos primos posuisse partem saltem possessionis in commune ad adiuvandos pauperes (*Act. Ap.* 4, 32 ss.). In prima epistola Ioannis admonitum praeclare invenimus: « In hoc cognovimus caritatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit: et nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui habuerit substantiam huius mundi et viderit fratrem suum necessitatem habere et clauserit viscera sua ab eo, quomodo caritas Dei manet in eo? » (3, 16); et in epistola Iacobi denique legimus: « Audite, fratres mei dilectissimi, nonne Deus elegit pauperes in hoc mundo, divites in fide et haeredes regni, quod repromisit Deus diligentibus se? » (2, 5).

Nunc autem, mihi videtur quod si Ecclesia est revera corpus Christi mysticum in hoc mundo, sicut toties et tam bene dicitur in documentis nostris et in discussionibus, Ecclesia nostris diebus demonstrare debet imaginem et similitudinem Christi, et agere debet sicut egit Christus.

Ergo proponere velim in cap. II inseri intra par. 19 — ubi loquitur de episcoporum munere docendi — aliquod positivum, immo fulgens, dicendum iri, via principii saltem, de praxi caritatis actuosae sicut exemplo ex parte totius Ecclesiae, hierarchia et sacerdotio inclusis, in toto schemate usque adhuc, invenitur nisi fallor solummodo sententia sola de paupertate, nempe in paragrapho 7 ad lin. 26 ubi loquitur schema de Christo ut humili et paupere. Mihi videtur tamen quod ad praeparandam viam tali declarationi in paragrapho 19, bonum est accipere propositum a tredecim Patribus ex Africa centro-orientali, ut in fasciculo de emendationibus inventum, sicut iam proposuit em.mus card. Gerlier in prima interventione die 6 hebdomadis praeteritae. Hoc modo clarius et efficacius videbitur intentio ex parte Ecclesiae nostrae hodiernae imitandi voluntariam paupertatem Christi.

Secus videri potest mundo, quia solummodo in schemate de apostolatu laicorum fit tractatus de caritate in actu, quod dicere volumus paupertatem et caritatem actuosam esse munus non hierarchiae et sacerdotii, sed laicorum tantum. Quod Deus avertat.

137

Exc.mus P. D. DANIEL TAVARES BAETA NEVES
Episcopus tit. Alexadrinus minor

(Cf. supra n. 34, pag. 702).

[*Subscripserunt etiam*:] Candidus Bampi; José Hascher, Juruá; Cesario Minali, Carolina; Eliseu M. Coroli.

138

Exc.mus P. D. RAIMUNDUS M. TCHIDIMBO

Archiepiscopus Konakriensis

Fervorem quorumdam Patrum conciliarium pro diaconatu argumentantium omnes mirati sumus. Itaque omnes credimus restaurationem eius legitimam esse; credidimus autem antequam discussio facta fuit; quia pauca studia theologica omnes fecimus. Sed pastorali respectui, in omnibus interventionibus, non semper adhaesi; itaque, adhuc opinor restaurationem diaconorum cum matrimonio, in quibusdam Ecclesiis particularibus — e quibus mea — *aleatoriam esse*: « Une Aventure ».

Ut breviter loquar, quia audientium misereri oportet, sequentia tantum dicam: restauratio diaconorum cum matrimonio solum potest reddere difficiliorem vocationum sacerdotalium religiosarumque inventionem; simul ac laicatum, iam difficile constitutum, disperdet; et etiam confusionem in mentibus ponet; quia totum populum meum, christianos atque non-christianos, cognosco, ita loquor.

Diaconatus fundamentum theologicum et historicam veritatem, nemo negat. Attamen, si historice sublatus est, necesse est dicere, ad omnem veritatem faciendam, alios, locum eius, suscepisse, e. g., in missionibus: caros catechistas et caros fratres coadiutores Congregationum et Institutionum missionariarum nostrarum; caros catechistas atque caros fratres coadiutores quorum zelus apostolicus tam fortis est, quam cuius vultis diaconium Ecclesia primitiva, *Stephani aut Ephrem,* etsi nunquam canonizabuntur!...

Contra diaconos cum matrimonio; sed non contra diaconatum ipsum; itaque fratres coadiutores nostros praefero. Apte formati, futuri diaconi constituere possunt: locum enim habent in his christianis qui, hodie plus quam heri, neque nubere neque sacerdotes fieri volunt. Illi, antequam venient, placent hominibus, partis terrae cui praepositi sumus, et quam, melius aliis, cognoscimus.

Diaconi cum matrimonio in mentibus confusionem ponunt:

Primo: *in mundo mahometano nigro.* Mahometani isti, semper caelibatum omnium altaris curam habentium, mirati sunt: sive humilis religiosae mulieris quae Ecclesiam mundat, sive sacerdotis qui sacrificium offert, sive fratris coadiutoris qui partem capit vitae religiosae fratrum sacerdotum. Quid Mahometani cras putabant de diaconis cum matrimonio, cum iam monogamiam christianorum non admittant?

Secundo: *in christianis nostris.* Quis enim prohibebit ne putent, diaconatum cum matrimonio esse, in Ecclesia catholica latina, abdicationem et quasi exitum; credent hunc esse gradum in Ecclesia latina ad sacerdotum matrimonium.

Ut sacerdotum paucitatem cesset, ad diaconatum ordinemus nostros fratres coadiutores; si vero non sufficiunt, examen conscientiae nostrae faciamus, ut in familia, sicut filii lucis et veritatis: veritas liberabit nos.

Quid fecimus, aut quid faciemus, cras, in favorem omnium istorum qui vere, sicut nos, sacerdotes in aeternum, nunc laborant in extrema spirituali miseria, sed nequeunt ad vitam priorem redire, quamquam plurimi Ecclesiam, semper, amant et desiderant.

Saepe locuti sumus, his diebus, de *ecclesia pauperum*: vibrans exhortatio venerabilis et dilectissimi card. Gerlier in auribus nostris adhuc sonat: Nonne illi sacerdotes veri Ecclesiae pauperes sunt, qui, in initio Sacerdotii sui, promissionem electionemque fecerunt. Candela adhuc fumans sunt, et ius nobis non est sive ignorandi sive calcandi. Quid pro eis faciemus? Interrogavi.

139

EXC.MUS P. D. ANTONIUS TEDDE
Episcopus Uxellensis et Terralbensis

Minimus ex Patribus conciliaribus, argumenta ad primatum atque infallibilitatem personalem Summi Pontificis — ad mentem Concilii Oecumenici Vaticani I — clarius affirmandum, declarandum ac explanandum, et ad oecumenico modo sed rectius collegialitatem episcopatus explanandam, non repetam. Optima atque optime dicta sunt.

Mihi liceat tamen, aliquas animadversiones humillime proponere.

1. In cap. II de quo agitur n. 15, ubi agitur de hierarchia, divina ordinatione instituta — quae ex episcopis, presbyteris, et ministris constat — non clare dicimus quo animo presbyteri — et quidem in caritate et iustitia — se habere debeant erga episcopos — presbyteri, etenim, providi cooperatores ordinis episcopalis reapse erunt, si aequo ac aperto animo suo episcopo cohaereant.

Humillime, igitur, peto ut post lin. 27 n. 15 haec verba addantur: « Sciant, igitur presbyteri cuncti apostolicos labores ac aerumnas Deum, qui incrementum dat, benedictionibus superabundantius repleturum, si charitate, reverentia ac oboedientia toto corde cum suo episcopo coniuncti adlaboraverint ».

2. Quoad vexatam quaestionem de diaconatu tamquam proprio ac permanente gradu hierarchiae in Ecclesia occidentali renovando, rationibus ab altera parte adductis reverenti animo perpensis, anxietates ministerii pastoralis ex diutina sacerdotum inopia manantes nec auferri nec solvi mihi videntur.

Si agitur de viris optime praeparatis in caelibatu perseverantibus cur ad presbyteratum non accederent aut cur vinculis spiritualibus alligati in aliqua ex plurimis Societatibus vel Institutis saecularibus in bonum sui ipsius et animarum vitam degere non praeferrent pastorali ministerio, ut plurimi iam faciunt, dediti? Diaconatus permanens caelibatus claritate ditatus a periculis mundi perfidiae in diem percrescentis nimia cum difficultate et defendi et servari posset.

Neminem latet quanta cum perfidia — quae diabolica audacia in diem ingravescit — contra caelibatum sacerdotalem aggressiones multiplici ex parte moveantur; sciunt, enim, Christi et Ecclesiae catholicae inimici caelibatum ecclesiasticum sanctitatis et ministerii pastoralis clarescens ac validum argumentum esse.

Humillime, igitur, peto ut in n. 15 de quo agitur, linn. 40-41 expungantur tamquam omnino periculosae.

Etenim, diaconatus permanens sacra caelibatus lege non adstrictus potius in damnum quam in auxilium ministerii sacerdotalis vertere mihi videtur.

Si urgentius in aliquibus regionibus Ecclesiae catholicae operarios quacumque ex parte in ministerii sacerdotalis auxilium advocari videatur, humillime censeo difficultates aptius ac utilius solvi si « laicis optime praeparatis ac selectis ampliora officia ac novae facultates tribuantur » — sive cum in caelibatu vivunt sive cum matrimonii obligationibus alligantur.

Humillime, igitur peto ut post lin. 39 n. 15, de quo agitur, post verbum « ... censuerit », aliis verbis ablatis, haec adiungantur: « Summo Pontifici, tamen, reservatur potestas de necessitate vel utilitate instaurationis diaconatus permanentis et de necessariis obligationibus decernendi, si qua regio est in Ecclesia catholica occidentali ubi haec necessitas vel utilitas urgeat.

Laus Deo et Mariae.

140

EXC.MUS P. D. BERNARDUS IOSEPH TOPEL
Episcopus Spokanensis

In schemate *de Ecclesia,* ubi agitur de tribus episcoporum muneribus pastoralibus, ordo rectus *non* servatur. E contrario, *rectus* ordo esse debet: primo docere; secundo regere; tertio sanctificare. Propter ordinem erratum, proh dolor, par. 20, in qua tractatur de *sanctificandi* munere, nimis brevis nimisque exigua invenitur. Re quidem vera, sanctificandi munus recte describi debet ut tertia quaedam dimensio ministerii pastoralis. Quare locum ultimum locumque principalem occupare debet. Ita, doctrina est longitudo, latitudo regimen est, sed eminet *sanctificatio* tamquam ministerii pastoralis altitudo et profunditas. Movente enim caritate, lucente humilitate, *sanctificatio* et altissima penetrat et profundissima comprehendit. Quam notionem tredecim vix lineae, de sola sacramentorum administratione agentes, *nullo modo* exprimunt. Nunc, ergo, Patres Concilii, ex aditis cordis mei hoc rogo vos: « Dilatentur spatia caritatis ».

Munus docendi munusque regendi praeambula sunt muneris sanctificandi. In schemate autem nostro sub titulo regendi confunditur notio regiminis cum notione sanctificationis. Regimen enim non est appendix aliqua administrationis sacramentorum, sicut apparet in schemate nostro. Neque est regimen quaecumque « vera sacra potestas », diversa utique a consiliis, ab exemplis et a suasionibus, sicut definitur in schemate nostro. Sed regimen,

vere et proprie dictum, quo episcopi induti sunt, est *vera potestas iurisdictionis.* Episcopi quidem *sunt* potestates, sed potestates sunt in societate iuridice perfecta. Immo, ipsum nomen « regimen » est terminus *iuridicus.* Unde, ubi directe et ex professo agitur de natura huius potestatis, sicut hoc loco, perperam supprimitur mentio explicita iuridicitatis eius.

Ex altera parte, paragraphus *de regendi munere* ea *sola* elementa exponere debet quae sive formaliter sive virtualiter ad indolem iuridicam pertinent. Alia vero elementa heterogenea, sicut, v. g., *consilia, suasiones, exempla, humilitas et abiectio, caritas, praedicatio, oratio* — haec omnia melius evellenda sunt ex paragrapho *de regendi munere* atque inserenda sunt sub sequenti titulo *de sanctificandi munere.*

Imago initialis huius tituli, scil. « oeconomus gratiae supremi sacerdotii », quantumvis efficacitatem alio contextu haberet, minus apte illustrat episcopum-sanctificatorem, quia illum depingit ut mercenarium operantem in aliquo gratiarum super-mercatu. Profundius autem episcopi-sanctificatores dicuntur pascere qui in illis est gregem Dei, forma facti gregis ex animo (*1 Pt.* 5, 2-3).

Post imaginem initialem in paragrapho sanctificandi quaedam inter alias sententiae inserendae sunt:

1. Sanctificatio est profunditas docendi. Iterum atque iterum in aula Concilii memoratum est mandatum Christi: « Docete omnes gentes » (*Mt.* 28, 19). Sed *nunquam* ni fallor memorata est oratio Christi complementaria: « Sanctifica eos in veritate » (*Io.* 17, 17). Ergo ponenda est haec sententia: « Non sufficit pura proclamatio doctrinae catholicae ex parte episcoporum, neque sufficit cognitio abstracta veritatis obiectivae ex parte christifidelium, sed episcopi curare debent ita proponere veritates obiectivas ut facile voluntates movere valeant ad vitas reformandas ». Quae quidem sententia subintendit constructionem pontis paedagogici sese extendentis ex oris refulgentibus veritatis obiectivae usque ad statum illum subiectivum qui vocatur « mens moderna ». Non decet enim pastores ad *unum* mundum praedicare, dum oves in *alio* habitant.

2. Sanctificatio est altitudo regendi. Ergo ponenda est haec sententia: « Episcopi pascunt gregem Dei, non ut dominantes in cleris et laicis, sed omnia administrantes ex amore ».

3. Si pro dimensionibus doctrinae et regiminis, episcopus semel constitutus ipso facto perfectus est, tamen pro dimensione sanctitatis idem minime valet. E contra, Christus, summus sacerdos, exemplum dedit dicens: « Pro eis ego sanctifico meipsum: ut sint et ipsi sanctificati in veritate » (*Io.* 17, 19). Similiter S. Paulus ad Timotheum: « Attende *tibi* et doctrinae: insta in illis. Hoc enim faciens, et teipsum salvum facies, et eos qui te audiunt » (*1 Tim.* 4, 16). Ergo ponenda est in paragrapho haec sententia: « Episcopus qui gregem sanctificare vult, prius seipsum sanctificet, deinde cleros, denique laicos ».

Postea veniendum est ad signa sanctificandi, quae sacramenta sunt.

Indoles *pastoralis* huius Concilii aliud non est quam tertia dimensio sanctitatis, qua ergo imbuantur universa schemata.

Dominus autem dirigat corda et corpora nostra in caritate Dei et patientia Christi. Tu autem, Domine, miserere nobis.

141

EXC.MUS P. D. DOMINICUS VALERII

Episcopus Marsorum

Haec mea vota scripta tradenda censui circa cap. II schematis *de Ecclesia*:

1. Expedit ut definiatur episcopatum esse vere et proprie sacramentum. Haec doctrina enim iam communis evasit inter theologos. Concilii oecumenici definitio, praeterea, magnopere inservit ad ostendendam altam episcoporum dignitatem et ad augendam erga ipsos reverentiam et oboedientiam sacerdotum ac fidelium.

2. Convenit etiam ut dicatur episcopum, vi consecrationis, membrum fieri collegii episcoporum; cuius collegii autem bene facit Concilium si auctoritatem declarat, attamen maxime necesse est ut haec auctoritas apte componatur cum omnibus affirmationibus quae de Primatu et de infallibilitate Summi Pontificis iam a Concilio Vaticano I approbatae sunt. Alioquin ansa daretur gravibus dubitationibus circa ipsam fidem. Formulae requirendae sunt in quibus utriusque veritatis aequa ratio habeatur.

Ita e. g. periodus a lin. 9 ad lin. 11 in pag. 27, quo clarior fiat, sic mutari et ampliari potest: « Collegium autem seu corpus episcoporum auctoritatem non habet, immo ne intelligitur quidem, nisi cum suo capite, Romano Pontifice, successore Petri, cui uni Christus Iesus mandavit ut agnos et oves, idest totum gregem pasceret, quique, propterea, unus est Pastor Supremus ».

3. Quoad diaconatum, mea humili sententia, placet si Concilium statuat ut hic Ordo iterum stabilis haberi possit, in illis regionibus, vero, in quibus clare appareat id esse valde utile et necessarium.

4. Attamen, ad omnia pericula praecavenda, optandum est ut hic Ordo conferatur tantummodo illis viris aetate adulta, qui longa experimenta dederint solidae virtutis, genuini zeli et intelligentis operositatis in apostolatus campis.

Insuper Concilium, confirmata solemniter sacra lege caelibatus pro Ecclesia latina, addere potest nihil obstare quominus ad recipiendum diaconatum, de quo supra, admittantur viri coniugati quoque, dummodo, sub omni respectu, etiam familiae, digni existimentur.

142

EXC.MUS P. D. HERMANNUS VOLK

Episcopus Moguntinus

Cap. II in genere mihi placere profiteor, dummodo praeter alias emendationes de populo Dei ante hierarchiam agatur et nexus inter potestatem ordinis et iurisdictionis intimus efferatur.

Collegium episcoporum sensu ontologico, non tantum psychologico neque iuridico intellectum constitutivum est elementum Ecclesiae, id quod praeter positiva argumenta Sacra Scriptura et traditione desumpta et hac in aula saepe iam proposita etiam his considerationibus, nisi fallor, fulciri potest:

1. Apostolos fuisse plures, non tantum unum, non fundatur in necessitatibus externis; nam communitas fidelium, quippe quae initio erat parva, ab uno pasci potuisset apostolo, qui ipse exigentiis crescentibus aliis manus imponere potuisset. Re vera autem statim ab initio erant duodecim apostoli. Quod in muneris apostolici a Christo statuti ipsa essentia fundari debet. Secundum Christi institutum apostolus in numero singulari non habetur, plures autem apostoli unum repraesentant populum Dei, sicut duodecim tribus populi Israel unus erant populus.

2. Unitas multorum fundamentale est elementum in ordine salutis. Regnum Dei pluralitatem continet. Etiam Ecclesia considerari debet ut unitas multorum. « Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum » (*Mt.* 18, 20). In oratione dominica vocabulum « Ego » omnino non obvenit, sed oramus uniti cum omnibus. In ipso etiam foro conscientiae, ubi de peccatis personalibus agitur, cum aliis coniungimur; confitemur enim peccata nostra in « Confiteor » sanctae Missae coram Ecclesia triumphante et peregrinante; reconciliantur peccatores in pacem Ecclesiae, ut acquirant pacem cum Deo.

Huic Ecclesiae structurae correspondet multitudo apostolorum in unitate collegii. Numerice unus sensu strictissimo solus Christus est, qui in hymno angelico « solus Sanctus, solus Altissimus, solus Dominus » appellatur. Romanus Pontifex quidem, quatenus pollet primatu singularis est, tamen in et pro Ecclesia ideoque in collegio episcoporum. Neque enim Ecclesiae neque collegio episcoporum Summus Pontifex simpliciter opponitur. Nam est ipse membrum, atque Summus est Pontifex, quatenus est episcopus Romanus. Christus autem non est membrum Ecclesiae. Elatum collegium episcoporum primatum Summi Pontificis non minuit, sed recte explicat; vice versa primatus Papae non superfluum reddit collegium episcoporum. Secus enim Concilium Oecumenicum sensu careret.

3. Tempus advenit, quo concilium nostrum doctrinam a Concilio Vaticano I de Summo Pontifice propositam compleat doctrina de episcopis una cum doctrina de sacerdotibus et doctrina de laicis. Quod exigunt etiam

rationes oecumenicae quia doctrina de Ecclesia non persuadet, nisi omnes eius partes complectitur.

Neque mirandum est, quod difficile est explicare, quomodo collegium episcoporum se habeat ad primatum Summi Pontificis. Ecclesia enim ipsa est mysterium unitatis et relatio collegii episcoporum ad Primatum Papae participat huius mysterii. Quam participationem, cum describere conamur, non debemus unitatem et relationem dissolvere. Cavere debemus falsum quoddam « Aut-Aut », quo relatio inter episcoporum collegium et primatum Summi Pontificis hoc fere modo solvatur: Aut, inquiunt, Summo Pontifici ex sese competit summa potestas, deinde vera potestas non remanet collegio episcoporum; aut suprema potestas competit collegio episcoporum Summo Pontifici unito, deinde nequit esse simul Papae suprema potestas primatialis. Bona theologia tales alternativas falsas et periculosas esse ostendit. Hunc duplicem modum, quo una suprema potestas in Ecclesia exercetur, per manum Pontificem scil. et per collegium episcoporum, eidem Pontifici unitum theologia non debet reducere modo rationalistico ad unicam propositionem, in qua unus vel alter modus huius potestatis exercendae supprimitur vel minuitur. Saepius in Sacra Theologia accidit ut una eademque realitas pluribus enuntiationibus edicatur, quae non possunt nec debent sine detrimento veritatis ad unicum aspectum reduci.

Haec structura potestatis in Ecclesia, capitis enim in collegio et collegii cum capite, non est figmentum humanum vel pure theologicum, sed est realitas a Christo Domino Ecclesiae ab initio indita. Quod theologia hoc factum non modo simpliciore explicare potest, non est ratio dubitandi de ea.

4. Ex doctrina de collegio episcoporum pascente totam Ecclesiam una cum capite sequi videtur desiderium ne ordinentur episcopi solummodo honoris causa. Episcopus ordinetur nemo nisi et eius munus episcopalem potestatem vere requirat. Propter fideles nostros sed etiam ex rationibus oecumenicis necessarium esse videtur distinguere ordinem episcopalem ab ecclesiis dignitatibus honoris causa concedendis.

143

Exc.mus P. D. PAULUS AIJIRO YAMAGUCHI

Archiepiscopus Nagasakiensis

De iis, quae in constitutione *circa diaconatum tamquam gradum permanentem* dicuntur, licet forte ultimus inter tot Patres qui de hac re locuti sunt, velim nihilominus et ego sensus animi promere et aliquid proponere, quod utrum consideratione dignum sit vos iudicabitis. Propositionem, quam facere iudicioque vestro submittere intendo brevissime exponam.

Puto nos difficultates, quae ex longa disceptatione in congregationibus generalibus habitis emerserunt superare posse, si munera, quae diaconis permanentibus concredere volumus, catechistis tribuamus.

1. Equidem censeo legem sacri caelibatus, etiam diaconis permanentibus, si aliquando restituantur, esse imponendam. Ad hanc sententiam tuendam duplici ex causa adducor:

a) caelibatus, utpote effectus et argumentum profundioris vitae spiritualis, retinaculum est et potens medicina contra laxiorem commodioremque vitae formam ad quam homines, hodie praesertim, vehementer inclinantur;

b) caelibatus, supernaturalem Christi virtutem praeclare ostendens, paganis quoque aestimationi et respectui est eritque in nostra regione, ut credo. Opus non est in memoriam revocare vestram in Iaponia fideles christianos, diu orbatos sacerdotibus et tamen in accepta fide perseverantes, post tria saecula sacerdotes catholicos ex hoc praesertim signo, nempe ex caelibatu, ut veros pastores animarum suarum agnovisse.

Maneat igitur pro omnibus qui sacros ordines conscendunt, tamquam ministrorum Ecclesiae fulgens corona atque margarita, sacra caelibatus lex.

2. Ex alia vero parte persentio difficultatem exinde orituram. Non multi enim invenientur, si tamen aliqui, qui velint ad gradum permanentem diaconatus ascendere, si lex caelibatus eis imponatur. Sicque restaurando diaconatum stabilem, ut olim erat in antiquitate christiana, nihil vel fere nihil conficimus.

Si enim intentionem, qua diu de hac quaestione disputatum est, recte intellexi, ideo proponitur restauratio diaconatus permanentis, ut penuriae sacerdotum, qua multis in locis Ecclesia laborat, aliquo modo satisfieri possit.

3. Ad hunc nodum solvendum tendit propositio quam supra enunciavi vobisque iudicandam supposui. Neque in ea adoptanda insuperabiles video difficultates. Munera enim quae diacono permanenti concredere volumus, ut adiutricem manum praestet sacerdotibus eorum praesentiam quousque fieri potest supplendo, sunt: baptizare, matrimoniis adsistere, infirmos in agone mortis solari, die dominico communi orationi praeesse in Ecclesia ibique sanctum Evangelium legere et explanare, denique sacram Communionem distribuere.

Nunc autem omnia haec munera, si ultimum excipias, nostri catechistae digne et laudabiliter iam praestant. Sufficeret ultimum addere munus, seu facultatem distribuendi sacram Communionem eis tribuere, ut in omnibus possint diaconos permanentes supplere, idque praestare ex Ecclesiae concessione quod diaconi ex ordine sacro praestarent.

Neque hanc catechistis concedere facultatem mirum videatur. Notum est enim fideles in antiquitate christiana secum in domos attulisse Eucharistiam ac suis manibus sacram Communionem recepisse. Idque recentius, immo recentissime factum esse novimus, ubi ex ingruente persecutione necessitas emersit fideles Angelorum pane reficere eosque contra inimicos fidei catholicae confirmare. Si id in antiquitate christiana, si id nostris temporibus, licet gravi de necessitate, factum est, insuperabilem non video difficultatem

cur, concedente Ecclesia, vigilantibus episcopis, non possit de lege ordinaria fieri, ubi gravis sacerdotum penuria id exigere vel etiam consulere videatur.

Ceterum candide fateor, si difficultatem facere videatur quod catechistae, apte instructi ac exemplari vita christiana probati, sacram Communionem sine ordine diaconatus distribuant, mihi maiorem parit difficultatem quod iidem idipsum faciant gradu quidem diaconatus aucti, sed a lege caelibatus soluti.

144

Exc.mus P. D. PAULUS YOSHIGORO TAGUCHI
Episcopus Osakensis

Circa par. 18 (Episcoporum ministeriis).

In pag. 29, lin. 3: « Episcopi, mediantibus apostolis, a Domino accipiunt... ».

Dicatur: « loco apostolorum », nam episcopi hodierni potestatem accipiunt mediantibus aliis episcopis, non mediantibus apostolis, etsi remote sit mediantibus apostolis.

In eadem pagina, lin. 5: (« Apostolis mediantibus, episcopi) missionem accipiunt docendi ... et praedicandi ... ». Cur limitatio fit ad potestatem doctrinalem, cum hic agendum sit de episcoporum « ministeriis », et haec dicatur postea esse munera « docendi, sanctificandi et regendi »?

Dicatur clare: « missionem, seu munus et potestatem, accipiunt docendi, regendi et sanctificandi omnes gentes, ut homines universi per fidem, sacramenta et impletionem mandatorum salutem consequantur ».

In eadem pagina, lin. 15: « Episcoporum autem missio fieri potest per legitimas consuetudines... ». Per consuetudines et leges « episcoporum missio » regulatur et determinatur, sed non « fit », nam missio fit ab episcopo mittente, seu ab episcopo consecrante vel Pontifice, « secundum » consuetudines et leges, vel directe « secundum » voluntatem ipsius successoris Petri (cf. lin. 18). Praeterea vox « missio » parum praecisa est, meo iudicio, et videtur aequiparari cum « assumptione in officium » (lin. 19), quod, ni fallor, non est nisi participatio in actualem iurisdictionem. Hoc sensu accepta, vox « missio » sensum diversum habet ac alibi in ipsa paragrapho (linn. 5 et 8), ubi significat « munus et potestatem », totum sacramentum episcopatus comprehendens. Formulatio magis exacta petenda est a specialistis.

Circa par. 19 (De episcoporum munere docendi):

1. De triplici munere docendi, sanctificandi et regendi:

Explicite ponendum est in paragrapho, ut innuimus supra (cf. animadversio pro lin. 5).

Innuendum esset quoque quomodo hae tres potestates essentialiter differant (vel existentialiter, ontologice), ita ut non sit mere tria iura et officia ad diversa, sicut est de iuribus et officiis non sacramentaliter collatis, sed sint potestates ordinis vitalis, licet mystici, — scil., quomodo potestas sancti-

ficandi, seu ordinis, non sit solum potestas qua liceat Sacra conficere, sed qua valeat, vis scil. qua valide conficiatur et velut creetur ontologice id quod sanctificare debet, sacramenta et sancta, vitam supernaturalem conferentia; quomodo potestas docendi, pariter, non sit solum ius quo liceat docere, sed vis qua valeat docere homines, donum scil. intellectuale ordinis vitalis, licet mystici (cf. lumen fidei et lumen gloriae), quo apostoli capaces, efficaces in docendo facti sunt: non mera liceitas, *ius* docendi (haec est potestas regiminis), sed vis interna qua docere potest, ideo ad infallibilitatem ducens: augmentum intellectuale per donationem a Spiritu Sancto « virtutis ex alto » (*Lc.* 24, 49; *Act.* 1, 8), qua testes fieri possunt eorum quae docenda sunt: donum assistentiae Spiritus Sancti; datum a Spiritu Sancto a die Pentecostes ad loquendum, seu ad docendum « magnalia Dei » cum virtute ad convertenda corda, eo quod veniat a Spiritu Sancto, sive per modum illuminationis ad scribendum, sive ut vis gladii ancipitis ad loquendum cum fiducia et disputandum et testimonium reddendum ante tribunalia, sive ut spiritualis unctio in scriptis et sermone sanctorum et doctorum Ecclesiae, sive ut assistentia infallibilis ad definitiones dogmaticas magisterii: potestas scil. suo modo prophetica, seu donum prophetismi novi movens et transformans corda patrum in filios, prophetias implens de Novo Testamento: « Effundam de Spiritu meo super omnem carnem, et prophetabunt filii vestri et filiae vestrae... in diebus illis effundam de Spiritu meo et prophetabunt... » (*Joel* 2, 28, *Vulg.* 3, 1-5; *Act.* 2, 17 s.). Pariter, de potestate regendi seu pascendi, innuatur quomodo sit potestas iurisdictionis, qua liceat, et quidem iure divino, ideo recte et sancte et meritorie hominibus proficue, eos ducere ad vitam aeternam nomine Dei (« non est potestas nisi a Deo », *Rom.* 13, 1) sive per doctrinam sive per sacramenta et cetera bona Ecclesiae sive per leges et mandata divina rectam vitam moralem dirigentia.

Bonum esset innuere quomodo triplex potestas vel ius docendi, regendi et sanctificandi, sequatur *obligationem* quam Ecclesia habet, a Christo receptam, id faciendi; nempe loquamur de iuribus Ecclesiae et parum de eius obligationibus. Insistendo enim in obligationibus, insistimus etiam in iuribus.

2. De munere docendi, in particulari.

Hic esset locus extollendi, cum Ecclesia orientali, infallibilitatem Ecclesiae, et clare dicendi quomodo infallibilitas episcoporum et Pontificis sit infallibilitas Ecclesiae, et infallibilitas Ecclesiae importet infallibilitatem episcoporum et Pontificis, etiam solius, cum ut Ecclesia docent. Nam hoc nullibi factum est, quantum scio.

Circa par. 21 (*De episcoporum munere regendi*).

Ante omnia clarius ostendendum est quid sit potestas regiminis, et quaenam eius relatio cum potestatibus docendi et sanctificandi, velut si quidquid pertinet ad docendum et ad sanctificandum non pertineant ad regendi munus, cum certum sit quod sive dispensatio doctrinae sive administratio et licita confectio sacramentorum, praeter gubernationem fidelium, intime con-

nectantur cum munere regendi. Potestas regendi est enim ius ad agendum in homines, divinitus datum, ut eos ducamus ad regnum caelorum, sive haec actio sit docere, sive sit sanctificare, sive sit praecipere. Et cum haec potestas veniat ex obligatione regendi, et regere sit ad bonum hominum, inde est quod potestas regendi sit obligatio servitii, ministerii: « non veni ministrari sed ministrare ». Ideo, munus regendi comprehendit ius et officium evangelizandi omnes homines (praedicandi, interpretandi et declarandi simul ac custodiendi Scripturas et traditionem) eos sanctificandi (per confectionem et administrationem sacramentorum, sacrificii et aliorum mediorum gratiae, per celebrationem, ordinationem liturgiae Ecclesiae), eis praecipiendi quae divinae voluntatis sunt (mandata, constitutionem et reordinationem, secundum necessitates fidelium, Ecclesiae) adhibitis sanctionibus cum hoc divinae voluntatis est.

In pag. 31, lin. 17: « Eorum potestas a suprema et universa potestate eliditur ». Aliud verbum magis notum quam « eliditur » adhibeatur, v. g. « non limitatur aut impeditur ». Haec fortius dicenda sunt, quia verissima et declarari indigent: v. g. hoc modo: « Eorum itaque potestas a suprema et universali potestate non limitatur (aut minuitur) aut impeditur, sed e contrario, ut Concilium Vaticanum I docuit, dum alte coordinatur et dirigitur, supreme asseritur, firmius roboratur (cf. « confirma fratres tuos », *Lc.* 22, 32) ac plenius vindicatur (et sic completur) ».

Reliqua de Spiritu Sancto ne dicantur, nam necessaria non sunt et alibi contenta sunt.

In pag. 31, lin. 23: « Episcopus qui sacrum ius et coram Domino officium habet ». Invertatur: « coram Domino officium ideoque sacrum ius habet praescribendi... ». Ut innuatur quod si Ecclesia iura habet est ex obligatione sui officii.

Ita salvo meliore iudicio.

145

Exc.mus P. D. FRANCISCUS ZAK
Episcopus S. Hippolyti

Circa n. 16. Ad complenda illa argumenta ex historia ante Concilium Nicaenum quoad collegium episcopale, quae argumenta partim a nonnullis Patribus in aula Concilii iam dicta sunt, tantum in scriptis sequentia propono:

Epistolae S. Ignatii Antiocheni clare demonstrant, episcopos primorum saeculorum non tantum quoad proprium Ecclesiae territorium, sed simul quoad Ecclesiam universalem se responsabiles agnoscere.

Eusebius in sua « Historia Ecclesiastica » loquitur de aliqua collectione Epistolarum Dionysii Corinthii (ca 160), quae epistolae curam super omnes ecclesias ostendunt (Euseb., *Hist. Eccl.* IV, 23, 4; ed. Schwartz 375). Idem valet quoad Epistolam S. Polycarpi *ad Philippenses* (*Ench. Patr.* nn. 71-76).

Expressis verbis S. Cyprianus enuntiat eandem sententiam in Epistola

ad clerum Romanum tempore Sedis-vacantiae post obitum Papae Fabiani (250) et ante electionem Papae Cornelii (251), ubi dicitur: « Et dilectio communis et ratio exposcit, fratres carissimi, nihil conscientiae vestrae subtrahere de his quae apud nos geruntur, ut sit nobis circa utilitatem ecclesiasticae administrationis commune consilium » (*Epist.* 35, Hartel 571). Presbyteri Romani eodem sensu responderunt: « Omnes enim nos decet pro corpore totius Ecclesiae cuius per varias quasque provincias membra digesta sunt, excubare » (*Epist.* 36, 4; Hartel 575).

Haec responsabilitatis conscientia erga universalem Ecclesiam episcopos sane ad consultationes communes convocavit praesertim in casibus, qui perturbationis praecavendae causa normam communem pro tota regione postulaverunt.

Hoc loco Synodi praecipuae ante Concilium Nicaenum habitae mentione dignae sunt: v. g. Synodi contra Montanistas (170-180) in Asia Minore; Synodi tempore Papae Victoris I (180-190) respicientes diem festi Paschalis; Synodus in Smyrna (ca 190), in qua episcopus Noetus tamquam haereticus damnatus fuit; duae Synodi contra Originem (ca 230); magni momenti sunt Synodi Antiochenae (264-268), ubi episcopus Antiochenus Paulus de Samosata depositus fuit (G. Bardy, *Paul de Samosata,* Paris 1923, 203 ff.).

Ulterius hic nominari debent primae Synodi saec. IV, in quibus de « Lapsis » et contra « Donatum » tractabatur: ita: Elvira (306); Roma (313); Arles (314); Ancyra (314); Neocaesarea (ca 314-325); Antiochia (324), ubi iam quaestio de Arianismo exarsit (vide H. Marot, *Conciles anténicéens et conciles œcuméniques,* in: *Le concile et les conciles,* 19-43).

Omnes istae Synodi particulares iam ante Concilium Nicaenum habitae evidenter demonstrant, singulos episcopos non tantum sese coniunctos agnoscere cum Sede Romana, sed istis temporibus fere magis inter se et quidem ex responsabilitate non solum erga Ecclesiam alicuius regionis sed etiam erga Ecclesiam universalem. Sensus collegialitatis, solidaritatis et mutuae interdependentiae quam maxime hoc modo testificatur.

146

Exc.mus P. D. IGNATIUS ZIADÉ

Archiepiscopus Berytensis Maronitarum

De Ecclesia cap. II, nn. 16, 19: quaestio practica *de collegialitate.*

Ad collegium episcopale non habetur cooptatio nisi per consecrationem episcopalem i. e. per characterem sacramentalem. Ergo omnes qui non iam consecrati etiamsi nominati vel electi, nullo modo considerari possunt ut membra Synodi Oecumenicae. Idem dicere debemus de omnibus sacerdotibus sive praefectis apostolicis sive superioribus generalibus.

Humiliter peto pro omnibus illis ut episcopalem consecrationem acci-

piant et sic fiant uniti collegio: consequenter ad Concilium Oecumenicum uti membra realia participare queant. Sine quo eorum vota non nisi consultiva considerari possunt.

Quapropter lex canonica sive occidentalis sive orientalis emendetur ut sequitur:

1. Omnes et soli episcopi consecrati etiam titulares constituunt collegium episcoporum et sunt membra Concilii Oecumenici cum votis deliberativis.

2. Generales vero superiores qui characterem episcopalem non habent, si vocati sunt ad Concilium, votis tantum consultativis pollent.

De diaconatu permanente restaurando.

1. Unice modo pastorali practico loquar. Momentum diaconatus non tantum in adiunctis rerum mundi occidentalis considerari debet sed etiam relate ad missiones et ad aliquas regiones amplissimas cum paucis sacerdotibus et plurimis fidelibus vel catechumenis v. g. Americae latinae.

In Annuario Pontificali huius anni 1963, dioecesis « La Vega » numerat 800 millia fidelium cum tantum 46 sacerdotibus, fere 17.000 fidelium cum uno solo sacerdote quin computentur sacerdotes senes, infirmi, cappellani, docentes, vel in curia episcopali agentes. In Brasiliensi natione sunt paroeciae tam amplae quam 10 millia kilometra quadrata cum viginti ecclesiis et cum unico sacerdote pastore. In territoriis missionum, missionarius nonnisi semel per trimestre spatium et aliquando semel in anno pagos invisere potest et ibi unice catechistam laicum ad vigilandum super christianos et catechumenos relinquit.

2. In postremis casibus citatis, ex absentia sacerdotum per longius tempus et in territoriis immensis gravissima problemata exurgunt. Quomodo adiuvare in spiritualibus et instruere potest multitudines fidelium ad vitam christianam vere dignam? Interea christiani pauperrimi fiunt in vita supernaturali quando orbantur ab omni cultu liturgico, a Sacrae Scripturae lectione, a praesentia Eucharistica in medio pagorum, ab illius adoratione, a receptione Corporis Christi eucharistici, ab ulla participatione officiis publicis; uno verbo, omni vita communitatis ecclesialis inculpabiliter orbati maneant. Multi moriuntur et sine solatio sine viatico et sine hierarchiae praesentia saltem in infimo gradu sacramentali illius.

Quibus necessitatibus inter alias restauratio instituti diaconatus permanentis partim remedio esse poterit.

3. Non agitur de illius instauratione in omnibus ecclesiis sed ubi necessitas et urgentia fit.

Nec ut sit gradus ad sacerdotium, ille remanet cum omnibus suis obligationibus et conditionibus nec reddit presbyterum superfluum sed est ad illius levamen et sub illius vigilantia et auctoritate.

4. Agitur ergo de diaconatu ut modus stabilis immo perennis servitii communitatis ecclesialis in qua sacerdos deest.

Penes erit diaconum repraesentare hierarchiam sacramentaliter in Com-

munitate ecclesiali; habere diaconiam in sensu proprio et vero in medio illius communitatis et cum illa publice orare.

Diaconi est Ecclesiam custodire et aperire, ministrare solemniter baptismum, Eucharistiam servare, adorare et distribuere, viaticum moribundis conferre cum solatio in extremis angoribus; in coetibus liturgicis benedicere fidelibus cum Sanctissimo vel cruce cum sanctis imaginibus; statutis temporibus sacramentalia celebrare ut benedictionem aquarum, cinerum, palmarum, cereorum.

Fidelibus Sacras Scripturas legere et catechismum explanare et exhortationes facere ad modum episcopi statutum; matrimonio adsistere et illud benedicere in Ecclesiae nomine; pueros instruere et omnes fideles parare ad recipiendam modo vivo Sanctissimam Eucharistiam.

Denique praesidere ad funus et sepulturam corporum fidelium defunctorum. Uno verbo erit ut signum vivum medio communitatis ecclesialis in pagis et castellis. Parat adventum sacerdotis in diebus paucis liturgicis sed maximi momenti in quibus sacrificium eucharisticum celebratur.

5. Patet huiusmodi diaconum se parare per vitam profunde christianam in coetu fidelium per sacramenta et orationes multas, hominem aetate provecta, moribus ita dignis exhibere debere ut nihil in vita sua ministerio sacro in communitate exercendo contradicat.

Episcopus e coetu aliquo eligit hominem magis pium prudentem qui honore iam sit et aestimatione apud saniorem partem plebis, hominem qui nec factionibus politicis fuerit immixtus nec in conversationem suae mulieris nec filiorum in signum contradictionis ceciderit ita illum se gerit ut fidelibus exemplar christianae vitae pro coniugatis sit. Ita selectioni episcopi spontanee designatur.

Elevatio ad ministerium diaconale nonnisi ut responsio libera fervensque ad episcopum qui illum vocat propter necessitatem animarum deputat et consecrat vera ordinatione sacramentali. Erit simpliciter realiter et totaliter diaconus sine ulla intentione ascendendi ad presbyteratum; nisi assumit omnes praeparationes in seminario et omnes obligationes sacerdotum sine ulla minutione.

6. Aliquae obiectiones afferuntur contra instaurationem diaconatus permanentis distincti a sacerdotio. Sic respondeo:

a) Diaconus permanens potest et saepe debet servare professionem propriam quae praebet media sibi et suis necessaria et nullo modo erit onus Christi fidelibus.

b) Non instruendus erit more aliorum clericorum per longum tempus in seminariis nec studiis diuturnis obligatur nonnisi episcopus ministerium verbi illi conferre intendat.

c) Officio divino recitando obstrictus non erit.

d) Nec caelibatui sicut diaconus ad presbyteratum et presbyteri in Ecclesia latina (et si diaconus permanens viduus evenerit nuptias denuo contrahere poterit).

7. *Conclusio.* Illi diaconi seligendi sunt cum discretione pro inserviendis pagis vel locis sacerdotibus orbatis.

Ita si inveniuntur plures vocationes ad diaconatum permanentem, non facile nunc inveniuntur vocationes ad sacerdotium.

Sed postea quando illi diaconi parant in omni pago vitam profundiorem christianam, novam generationem christianam magis illuminatam. Tunc plures verae vocationes sacerdotales seliguntur.

Tandem ubi presbyteri operarii non bene successerunt in eorum apostolatu cum operariis. Diaconi patres familias in quantum erant et manent operarii bene succedere poterunt.

147

Exc.mus P. D. CYRILLUS IOANNES ZOHRABIAN
Episcopus tit. Acilisenus

Permittatur mihi ut et ego exponam fructus experientiae meae vitae missionariae quinquaginta novem annorum.

Successive missionarius fui, primum in Armenia, deinde in Turchia, inde in Graecia et postremo in Syria. In omnibus his locis opera missionaria sunt eadem, secundum dictum italicum: « Tutto il mondo è un paese »: scholae, orphanotrophia, hospitalia, deinde ministerium proprie dictum ecclesiasticum: administratio sacramentorum.

Schola est princeps opus missionale. Anno 1925, quando SS. Papa Pius XI commisit mihi curam fundandi Ordinariatum in Graecia pro fidelibus armenis, interrogatus a me quo ex capite debere me incipere fundationem Ordinariatus nos armeni nihil habentes in Graecia, nec domum, nec sacellum, nec agrum. Respondit Summus Pontifex: « Carissime Pater Cyrille, imita Dominum nostrum Iesum Christum, qui nihil habens, nec lapidem ubi caput suum divinum reclinaret fundavit *scholam*: duodecim discipulos elegit pro schola superiori i. e., ita vocemus, universitaria, et septuaginta duos pro schola elementari. Edocebat eos scientias sublimes non in domibus sed in via, in agris ».

Non referam quae Summus ille Pontifex missionarius in laudem scholarum in missionibus dixit, non enim est hic locus, sed conclusionem tantum: « Missio quae non possidet saltem elementares scholas et asilos infantiles, est aedificata super arenam, non habet fundamenta, non habet longam vitam ».

At, quis est qui non videt necessitatem praesentiae diaconi? Sacerdos enim non potest se praestare ad omnia. De cetero sunt rari missionarii qui volunt se praestare ad opus scholarum.

Necessitas diaconi et quidem uxorati in missionibus. Magis autem necessitas diaconi et quidem diaconi uxorati patet urgetque in missionibus nostris, quia nobiscum sed contra nos operantur systematice cum sapienti et ditissimo apparatu missionarii protestantes, tamen gratia Dei quae semper et ubique mecum fuit, in omnibus et in omnia ipsimet protestantes con-

fessi sunt opera nostra apostolica fructuosiora esse quam sua proselystica. Sed et ego, saepe cedere debebam protestantibus occasione partus. Nam ordinarie uxor pastoris perita in arte obstetrica invitatur apud omnes parturientes. Facile intelligitur cur cum immenso gaudio venit apud nos quam apud orthodoxos vel apud infideles. Hac enim occasione lucratur, nisi proselytas, inevitabiliter attrahet erga suam sectam sympathias vel amicas, de quibus gloriatur quasi maximam victoriam reportasset supra missionem catholicam.

Qualitates requisitae. Ante omnia debet esse irreprehensibilis in moribus. Catholicus amans decorem Ecclesiae, parochum et generatim honorem sacrorum ministrorum catholicorum, frequentiam sacramentorum confessionis et sacrae Communionis. Manifestans desiderium se ligandi ad ministerium sacrum recipiendo Ordinem sacrum diaconatus. Sinceritatem vocationis probabit longus famulatus in Ecclesia. *Scientia.* Sufficit ut sciat doctrinam christianam cursus superioris, et quae referuntur ad sacros ordines usque ad diaconatum. Studia superiora non sunt utilia e contra haec praebent ei occasiones tentationum ad ascendendum ad dignitatem sacerdotis. *Media ad honeste vivendum.* Cum hac dignitate diaconatus manet semper vir saecularis: exercet suum officium, ad lucrandum panem pro se suaque familia.

148

CONFERENTIAE EPISCOPORUM CHILIENSIUM ET URUGUARIENSIUM

Emendationes quae a conferentiis episcoporum chiliensium et uruguariensium pro cap. II schematis constitutionis *de Ecclesia* proponuntur. Accedunt quidam alii Patres ex America Latina. Ad calcem uniuscuiusque emendationis numerus ponitur Patrum approbantium.

Ad n. 11 (pag. 23). Pag. 23, linn. 9-10: omittatur ista oratio ad repetitiones vitandas. Approb. 70 Patres.

Pag. 23, lin. 18: pro verbo « principium » ponatur « principale ». *Ratio:* Ne videatur actio Spiritus Sancti ut unitatis causa praetermitti aut subordinari.

Pag. 23, linn. 24-25: omittatur phrasis « ac totius Ecclesiae capite ». *Ratio*: Usus istius nominis pro Romano Pontifice videtur theologice aequivocus et ad dialogum oecumenicam nocivus.

Ad n. 13 (pagg. 24 et 25). Materia huius numeri maximi est ponderis et substantialiter placet. Modus tamen redactionis imperfectus videtur, quod quidem grave esse putamus. Successio apostolica enim una est ex maximis difficultatibus pro protestantibus, qui eam in Sacris Scripturis non inveniri autumant. Textus autem ut prostat successionem probat initio (linn. 15-26) argumento convenientiae, deinde (lin. 27-39) argumentum confirmatur ex

Sacra Scriptura et textus clauditur enuntiatione facti successionis. Opportunum videtur ut ordo mutetur incipiendo a testimonio traditionali et scripturistico. Ad hoc faciendum videtur magis conveniens esse ut citatio ex epistola Clementis sit amplior. Suggerimus ergo refunditionem textus ad instar huius exempli: « 13. (*De episcopis successoribus apostolorum*). Apostoli " itaque, acceptis mandatis et per resurrectionem Domini nostri Iesu Christi plena certitudine imbuti Deique verbo confirmati, cum certa Spiritus Sancti fiducia egressi sunt adnuntiantes regni Dei adventum. Per regiones igitur et urbes verbum praedicantes, primitias earum Spiritu cum probassent, constituerunt episcopos... ac deinceps ordinationes dederunt, ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii viri probati exciperent " (*I Clem.* 42, 1, 4; 44, 2). Iis vero, quos Ecclesiis praeposuerunt, apostoli commendarunt ut attenderent seipsis " et universo gregi, in quo eos Spiritus Sanctus posuit episcopos regere Ecclesiam Dei " (*Act.* 20, 28). Qui munus docendi, sanctificandi et regendi plebem Dei acceperunt cum gratia eis divinitus collata adimplendum (cf. *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6), ut fidelium patres et pastores gregis sibi commissi, memores semper moniti S. Petri: " Pascite qui in vobis est gregem Dei, providentes non coacte sed spontanee secundum Deum, ... neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis ex animo " (*1 Pt.* 5, 2-4).

Illud enim ministerium sanctissimum a Domino Iesu apostolis concreditum pro Ecclesia usque ad finem saeculi duratura, morte eorum temporali non erat terminandum; ideo providerunt etiam per successores eodem divino munere, non quidem Ecclesiam fundandi, sed aedificandi et augendi praeditos. Nemo vero ministerium Apostolorum fidem salutarem praedicandi assumere potest nisi mittatur (cf. *Rom.* 10, 15), sicut Christus, a Patre missus, apostolos suos misit (cf. *Io.* 20, 21), ut Evangelium annuntiarent mysteriumque Christi omnibus gentibus manifestarent, quo Ecclesia continenter et in omne tempus totius vitae principium habet.

Sicut ergo permanet munus a Domino singulariter Petro ut primo apostolorum concessum et successoribus eius continuatum, ita servatur munus totius collegii apostolici Ecclesiam pascendi, a corpore sacrato episcoporum exercendum. Proinde declaramus et docemus, episcopos qui audit, non homines, sed ipsum Christum audire, iuxta verba ipsius dicentis: " Qui vos audit me audit et qui vos spernit me spernit; qui autem me spernit, spernit eum qui misit me " (*Lc.* 10, 16) ». Probaverunt 60 Patres.

Nota bene. Textus hic propositus non debet considerari veluti totaliter innovans, siquidem potius nova est ordinatio elementorum quae in textu schematis iam inveniuntur.

Ad n. 14 (pag. 25). Pag. 25, linn. 8-12: loco primae huius numeri orationis proponitur sequens emendatio: « Apostolus et Pontifex confessionis nostrae, Iesus (*Heb.* 3, 1), Pastor et Episcopus animarum nostrarum (*1 Pt.* 2, 25), munus praedicandi Evangelium et pascendi gregem instituit, natura sua arcto coniunctum vinculo cum munere sanctificandi, ita ut cum eo unum efficerent ministerium successionis apostolicae (cf. *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6, 7;

Didaché 15, 1; Ign. Ant., *Epist. ad Smyrn.* 8, 1; Iren., *Adv. haer.* 4, 26, 2). Ordinatione enim, episcopus charactere atque dono Spiritus Sancti ornatur (cf. *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 1, 6, 7), ut, ordini episcoporum consociatus (cf. *Act.* 22, 26) ac charismate veritatis investitus (cf. *1 Tim.* 4, 14; *2 Tim.* 6, 7; Iren., *Adv. haer.* 4, 26, 2), iurisdictione recepta ministerium verbi indeficienter exerceat (cf. *1 Tim.* 4, 6-12; 6, 3; *Tit.* 1, 9), cultum eucharisticum ut summus sacerdos offerat (cf. *1 Tim.* 5, 17; Ign. Ant., *ad Smyrn.* 8, 1; *ad Philad.* 4; Cyprianus, *Epist.* 15, 1; 63, 14) gregem sollicitus invigilet eique praesit (*1 Pt.* 5, 1-5) atque semper in Ecclesia tanquam repraesentatio Patris (cf. Ign. Ant., *ad Trall.* 3, 1) vinculum visibile caritatis (Cyprianus, *Epist.* 7; 13; 17, 1, 1; 55), ac minister omnium permaneat (cf. *Lc.* 22, 27; *Io.* 13, 12-17; *1 Pt.* 5, 1, 5) ».

Ratio: Ista emendatio proponitur ut munus episcopale fusius ac clarius describatur; insuper etiam ad vitandam interpretationem defectuosam schematis in linn. 11 et 12, ex qua quis deduceret potestatem docendi et regendi non conferri sacramentali ordinatione. Probaverunt 68 Patres.

Pag. 25, lin. 12: omittantur verba « ita » et « procul dubio », claritatis causa. Pro verbo autem « consecratio » dicatur « ordinatio ». *Ratio*: 1. Quia verbum « ordinatio » melius ac directe ex sese indicat ordinem seu collegium episcoporum; et 2. Ut eodem verbo (« ordinatio ») et non alio specialiter distincto, indicentur ritus quo sacramentales ordines conferuntur. Probaverunt 70 Patres.

Pag. 25, lin. 13: loco verborum « praecellentem gradum » dicatur « plenitudinem ».

Pag. 25, lin. 20: loco « gradum supremum », dicatur etiam « plenitudinem », vel quid simile. *Ratio*: Ut clare appareat episcopatum esse fontem unde omnis sacerdotalis gradus provenit, quin ipse sit veluti additamentum quoddam presbyteratui. Probaverunt 70 Patres.

Pag. 25, lin. 26: pro verbo « presbyteri » proponitur « presbyterium », mutata insuper pluralitate verbi. *Ratio*: Ut aliquid innuatur circa coetum presbyterorum qui cum episcopis adlaborant. Probaverunt 70 Patres.

Nota bene: isti ipsi Patres suam fecerunt sententiam exc.mi Florit ut in hoc numero doctrina de charactere anteponatur doctrinae de gratia sacramentali.

Ad n. 15 (pag. 25-26). Quae in schemate de diaconatu proponuntur placent. Probaverunt 58 Patres.

Hic numerus ponatur in fine capitis, scil. post n. 21, quia sic melius videtur intelligi doctrina de presbyteratu et diaconatu. Probaverunt 71 Patres.

Pag. 26, lin. 13: pro « episcopo competente » dicatur « episcopis competentibus ». *Ratio*: Ne excludantur casus regiminis collegialis plurium episcoporum ut non semel accidisse constare videtur, et ut in posterum accidere posset. Probaverunt 70 Patres.

Pag. 26, lin. 15: loco « episcopum » dicatur « episcopos » eadem ex causa.

Pag. 26, lin. 17: loco « episcopum » dicatur « episcopos » eadem ex causa.

Pag. 26, lin. 20: loco « episcopi » dicatur « episcoporum » eadem ex causa.

Pag. 26, linn. 29-31: verba a « sacrificii celebratione » usque ad « et varia officia... » sic substituantur: « qui varia officia liturgica, publicae caritatis... » etc. *Ratio*: Non videtur expedire ut Concilium ingrediatur quaestionem de determinandis officiis liturgicis diaconorum, quae sat diversa esse possunt, et praecipue ne loquatur de ministeriis liturgicis « extraordinariis », quae terminologia est moderni iuris canonici et occidentalis et factis priorum saeculorum non bene cohaeret.

Ad n. 16 (pag. 27). Pag. 27, linn. 9-11: omittatur tota oratio « Collegium ... intelligatur ». *Ratio*: Videtur enim superflua quia eadem veritas in lin. 15 rursus et satis clare proponitur. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 27, lin. 12: pro verbis « Romanus Pontifex » ponatur « successor Petri, qui est caput episcoporum, habet... ». *Ratio*: Ut non excludatur sententia secundum quam Summus Pontifex suum munus exercet semper ut caput collegii. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 27, lin. 16: omittatur phrasis « et numquam sine hoc capite ». *Ratio*: Videtur repetitio innecessaria. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 27, lin. 18: proponitur sequens mutatio: « Dominus enim Petrum ut Ecclesiae petram... ». *Ratio*: Non placet usus verbi « rupes »; oportet e contra servare sensum biblicum verborum aramaicorum Matthaei. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 27, lin. 26: supprimantur verba « fidelium suorum, imo ». *Ratio*: Iste numerus loquitur de omnibus episcopis et non de residentialibus tantum; ceteroquin de ipsis residentialibus agit non reduplicative ut talibus sed ut membris collegii. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 27, lin. 38: pro verbis « ita ut » ponatur « et ita », claritatis causa. Probaverunt 76 Patres.

Ad n. 17 (pagg. 28 et 29). Pag. 28, linn. 5-6: sequens mutatio proponitur: « ita episcopi qui Ecclesiis particularibus praeponuntur sunt pro eis principium et centrum unitatis utpote ad imaginem Ecclesiae universalis formatis... ». *Ratio*: Ne excludatur possibilitas aliqualis collegialitatis in regimine Ecclesiarum particularium. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 28, lin. 8: loco verbi « singuli » scribatur « illi ». Eadem ratione et exitu.

Pag. 28, lin. 11: post verbum « praeficitur » addatur « est revera ut talis membrum collegii, quamquam regimen suum... ». *Ratio*: Sic nota collegialitatis clarius indicatur etiam in regimine Ecclesiae particularis. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 28, linn. 14-17: oratio sic mutetur: « Ut membrum collegii pro universa Ecclesia ea sollicitudine ex officio tenetur, quae summopere confert ad Ecclesiae universalis emolumentum ». *Ratio*: Ut vitetur quaestio de

natura huius potestatis, omittendo verba « licet actus iurisdictionis non sit », quae ex alia parte minime sunt oecumenica. Probaverunt 72 Patres.

Pag. 28, lin. 27: addatur: « quod magis adhuc valet, si in coetus episcopales congregati necessitatibus singularum regionum providere studeant ». *Ratio*: Ut iam in hoc schemate aliquid de conferentiis episcoporum aperte indicetur. Probaverunt 76 Patres.

Ad n. 18 (pag. 29). Pag. 29, lin. 15: pro phrasi « Episcoporum autem missio », dicatur « Uniuscuiusque episcopi propria missio ». *Ratio*: In textu enim agitur de missione singulorum episcoporum ad suas particulares ecclesias. Probaverunt 76 Patres.

Ad n. 19 (pagg. 29 et 30). Pag. 29, lin. 21: loco verborum « qui novos... adducunt », scribatur: « per quorum verba novi discipuli ad Christum adducuntur ». *Ratio*: Sic melius consonare videtur cum doctrina Ioannis in cap. 6 et in cap. 17, 20. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 29, lin. 31: omittantur verba « una cum Romano Pontifice ». *Ratio*: Sufficienter iam declaratum est (pag. 27, lin. 15) collegium necessario includere Romanum Pontificem. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 29, lin. 35: omittantur verba « una cum Romano Pontifice ». Eadem ratione ac exitu.

Pag. 29, lin. 40: post verbum « voluit » addatur sequens oratio: « Obiectum autem huius revelatae infallibilitatis Ecclesiae haec Sacrosancta Oecumenica Synodus profitetur et docet: tantum patere quantum revelationis patet depositum, et eiusdem custodiendi et explicandi seu enucleandi officium ». *Ratio*: « Opportunum nobis videtur declarare, etsi breviter, ambitum Magisterii. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 29, lin. 40: subsequens oratio sic incipiat: « Hac ipsa infallibilitate per se gaudet... ». *Ratione* styli.

Pag. 30, linn. 3-7: tota pericopa « Iamvero ... omnino liceat », tollatur. *Ratio*: Quia ea quae hic dicta sunt iam sufficienter in toto numero enucleantur. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 30, lin. 20: omittatur verbum « et exegetarum ». *Ratio*: Ne iniuria inferatur theologis vel exegetis.

Pag. 30, linn. 23-26: sequens proponitur emendatio: Addatur aliquid de magisterio authentico etsi non irreformabili collegii episcoporum quia totus iste numerus praecise agit de episcoporum munere docendi.

Ad n. 20 (pagg. 30 et 31). Integer textus nobis videtur plenitudine doctrinae carere. Malumus ergo ut substituatur cum textu ab exc.mo Baudoux rescripto, qui invenitur in libello de Emendationibus, pars I, pag. 44, n. 351. Probaverunt 76 Patres.

Ad n. 21 (pag. 31). Pag. 31, lin. 3: omittatur verbum « etiam ». Sic sensus orationis melius exprimitur. Probaverunt 76 Patres.

Pag. 31, lin. 4: loco verbi « inservit » ponatur « ordinatur », eadem ex ratione ac exitu.

Pag. 31, lin. 10: post verbum « est », addatur « eis », claritatis causa, omnibus probantibus.

Pag. 31, lin. 11: pro verbo « ultimatim » ponatur « ulterius », ut exactior sit oratio. Probaverunt omnes Patres.

Pag. 31, lin. 13: pro verbo « ipsis », ponatur « episcopis », claritatis causa eodemque exitu.

Pag. 31, lin. 23: sequens proponitur emendatio: « Episcopus, in suo ministerio, in omnibus ante oculos teneat exemplum boni pastoris... ». *Ratio*: Ne enumeratio incompleta evadat. Probaverunt 76 Patres.

ELENCHUS PATRUM: *Ex Argentina*: Enrique Becheran Marin, ob. de Cruz del Eje; Carlos M. Cafferata, ob. de San Luis; Alberto Devoto, ob. de Goya; Jorge Kemerer, ob. de Posadas; Jeronimo José Podesta, ob. de Avellaneda; A. Quarracino, ob. de Nueve de Julio; Enrique Rau, ob. de Mar del Plata; *ex Chile*: Raul cardenal Silva, arzob. de Santiago; Manuel Sanchez, arzob. de Concepcion; Emilio Tagle, arzob. de Valparaiso; Alberto Rencoret, arzob. de Puerto Montt; José Luis Castro, ob. de San Felipe; J. Fco. Fresno, ob. de Copiapo; Vladimiro Boric C., ob. de Punta Arenas; Manuel Larrain E., ob. de Talca; Alejandro Duran, ob. de Ancud; Francisco Valdes, ob. de Osorno; Eladio Vicuña, ob. de Chillan; Francisco de Borja Valenzuela, ob. de Antofagasta; Bernardino Piñera, ob. de Temuco; Augusto Salinas, ob. de Linares; José Manuel Santos, ob. de Valdivia; Francisco Gillmore, vic. Castrense; Guillermo C. Hartl, vic. ap. de Araucania; Alejandro Menchaca, ob. tit.; *ex Colombia*: Anibal Muñoz Duque, arzob. de Nueva Pamplona; Arturo Duque Villegas, arzob. de Manizales; José Ignacio Lopez, arzob. de Cartagena; Bernardo Arango, ob. de Barrancabermeja; Antonio Castro B., ob. de Palmira; José de J. Pimiento, ob. de Monteria; Miguel Antonio Medina, ob. aux. de Medellin; Jesus Martinez, ob. de Aremnia; Pablo Correa Leon, ob. de Cucuta; Rafael Sarmiento, ob. de Ocaña; Hector Rueda, ob. de Bucaramanga; Miguel Angel Builes, ob. de Santa Rosa; Augusto Trujillo Arrango, ob. de Jerico; Ruben Isaza, ob. de Hague; Baltasar Alvarez, ob. de Pereira; Angel M. Ocampo, ob. de Tunja; Raul Zambrano, ob. de Facatativá; Pedro J. Rivera Mejia, ob. de Socorro y San Gil; Alfredo Rubio Diaz, ob. de Sonson; Jorge Giraldo, ob. de Pasto; Alberto Uribe U., ob. de Cali; Gerardo Valencia, ob. tit. y vic. ap. de Buenaventura; Juan J. Diaz Plata, prael. nullius de Bertrarria, Catacumbo; Vicente Roig Villalba, vic. ap. de Valledopar; José Antonio Perez, pref. ap. de San Andres y Providencia; J. José de Arango, pref. ap. de Guapi; Heriberto Correa Yepes, pref. ap. de Mitu; *ex Costa Rica*: Roman Arrieta, ob. de Tilaran; Enrique Boleña, ob. aux. de Alajuela; *ex Cuba*: Eduardo Boza Masvidal, arzob. de la Habana; *ex El Salvador*: Pedro Arnoldo Aparicio, ob. de San Vicente; *ex Guatemala*: Humberto Lara Mejia, ob. de Alta Verapaz; *ex Honduras*: José Carranza Ch., ob. de Santa Rosa de Copan; Evelio Dominguez R., ob. aux. de Tegucigalpa; *ex Mejico*: Sergio Mendez Arceo, ob. de Cuernavaca; *ex Panama*: Francisco Beckman, arzob. de Panama; José M.

Carrizo, ob. de Chitre; *ex Paraguay*: Ramon Bogarin A., ob. de San Juan B. de las Misiones; *ex Uruguay*: Alfredo Viola, ob. de Salto et praeses conferentiae episcopalis; Marcelo Mendiharat, ob. coad. de Salto; Orestes S. Nuti, ob. de Canelones; Carlos Parteli, ob. de Tacuarembo; Roberto Caceres S., ob. de Melo; Miguel Balaguer, ob. aux. de Montevideo; *ex Venezuela*: Miguel Aurrecacachea, vic. ap. de Madrigue; *ex variis nationibus Americae Latinae*: Buenaventura Jauregui, ob. de Zipaquira; Humberto Tonna, ob. de Florida; Marceliano E. Campos, pref. ap.; Petrus Grau, ob. tit. de Pelle y vic. ap. de Quibdó; Placido Camilo Craus, vic. ap. de Silamidoy; Constantino Gomez Villa, vic. ap. de Caroni; Juan Giordani, pref. ap. de Pacienzi, California.

149

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI

provinciae Aquensis et Avenionensis et dioecesis Massiliensis

Praeter animadversiones ad fundamentum doctrinalem coetuum episcoporum pertinentes, haec textus vel ordinis dicendi emendationes proponimus.

Pag. 23, n. 12, lin. 30, referentia ad *Mt.* 10 supprimi debet. Nam Dominus apostolos ante praeparavit, quam eos columnas Ecclesiae proprie institueret.

Lin. 8, addere: *in qua missione die Pentecostis plene confirmati sunt apostoli, cum Spiritum Sanctum, quem Christus promiserat, receperint.*

N. 13, lin. 21, post: praedicandi, *et nutriendi,* quia sic alluditur etiam ad alia episcopi munera.

Pag. 25, lin. 3, loco « corpore sacrato »: *episcoporum collegio...*

N. 14. Haec paragraphus esset cum maiore claritate denuo scribenda. Nam episcopus ipsa vi suae consecrationis in episcopale collegium aggregatur. Ex alia parte eius missio, ut explicite asseritur in adnotatione 10, pag. 34, ad suam refertur consecrationem. Quae clarius in priore schemate dicebantur. Quare lin. 12, post: confertur, addatur: *consecratio episcopalis, cum munere sanctificationis, munera quoque magisterii et regiminis tribuit novumque episcopum in episcopale collegium aggregat.*

Pag. 26, n. 15, linn. 28-33, haec enumeratio non debet esse exclusiva. Sic v. g. posset diaconus *testis extraordinarius sacramenti matrimonii* esse.

Lin. 33, licet hodie *in disciplina ritus latini...*

Pag. 27, n. 16, linn. 9-11, melius est hoc modo positivo exprimere: collegium autem seu corpus episcoporum, *cum Romano Pontifice, capite suo unitum, vera auctoritate supra universam Ecclesiam pollet.*

Linn. 16-17, « indivisum subiectum » non bene dici videtur. Schema praeparatorium Vaticani I, melius dicebat: « hanc potestatem esse in duplice subiecto: in episcoporum corpore Papae coniuncto, et in Papa solo ».

Quare nonnulli theologi, post Kleutgen, *de duplice subiecto, inadaequate distincto,* iure loquuntur. Cf. textus in notis 29-32, pag. 38-39.

Lin. 26, melius: propria potestate, *in bonum totius Ecclesiae necnon sui gregis* funguntur.

Nam potestas collegialis magis fundamentalis est quam potestas super quadam particulari Ecclesia. Episcopi siquidem titulares sola collegiali potestate fruuntur.

Lin. 36-39, loco « dummodo... efficiatur », melius: *semper in communione cum capite manentibus.*

Alibi indicavimus quae addenda esse putamus quoad fundamentum doctrinale coetuum episcoporum.

Pag. 28, n. 17, linn. 11 s.: « regimen... ea sollicitudine... », « textus videtur quandam oppositionem insinuare, quae re vera non datur. Nam secundum doctrinam sub n. 16 expositam, collegialitas, verum *regimen,* licet subordinatum, importat.

Linn. 15-16, « licet actus iurisdictionis non sit » deleatur.

Lin. 25, textus sic mutetur: regere propriam Ecclesiam *ut mysterium catholicae communionis, sese in celebratione eucharistica manifestans.* Cf. adnot. n. 41, pag. 40, n. 57, pag. 43.

Pagg. 28-29, linn. 39-2, alibi novum textum proposuimus.

Pag. 29, n. 18, linn. 3-8, sicut dicitur n. 13, lin. 20, duplex est munus apostolorum, fundandi nempe Ecclesiam et eam sustentandi, quorum secundum tantum transmittitur. Unde lin. 4, textus sic modificetur: mediantibus apostolis, *uti Ecclesiae columnae sunt...*

Lin. 7, « et » deleatur; post « mandatorum », addatur: *et sacram Eucharistiam, quae est sacramentum caritatis et unitatis,* salutem...

N. 19, linn. 27-28, non omnes episcoporum sententiae aequaliter obligant. Textus e s. Ignatio deleatur, quia in sensu rigido, a vero aberrante, intelligi posset.

Lin. 32, « testes fidei » *et doctores...*

Pagg. 29-30, linn. 40 s. Forte expressius interpretari et exponi posset sensus verborum « ex sese », iuxta declarationem episcoporum Germaniae a Pio IX anno 1875 m. ianuar. approbatam.

N. 20. Oporteret hic explicite loqui de *mysterio Eucharistiae,* quod est *centrum vitae sanctitatis et unitatis Ecclesiae.* Est magni momenti quoad oecumenismum.

Pag. 31, n. 21 ante n. 20 ponatur.

Lin. 29, occasione « muneris regendi » vel « muneris sanctificandi » non esset alienum, paternitatis episcopi expressioribus verbis mentionem facere. Unde: et, *tanquam verus Pater,* subditis...

Lin. 36, evangelizare ( ), *prae primis pauperibus...*

150

Exc.mi PP. DD. EPISCOPI HELVETIAE

Helvetiorum episcopi, quorum nomine loquor, audent, venerabiles Patres, has emendationes super cap. II *de Ecclesia* humiliter proponere.

1. Romanus Pontifex, in Ecclesia plenam, universalem et supremam potestatem habet, et simul etiam Concilium Oecumenicum eadem potestate fruitur.

Haec duplex affirmatio, quae semper mysterium remanet, mentibus tamen hodiernis, in quantum fieri potest, explicanda videtur, in prooemio quidem, ubi de hoc mysterio iam agitur.

Breviter dicendum est quomodo haec inter sese habent.

Ad ostendendum quod Petrus sit rupes et apostoli columnae, utendum erit verbis Leonis XIII: quae infra adiungimus. Christus fundavit Ecclesiam *primum* super Petrum et successores eius et *proxime* super apostolos et successores episcopos. Ita Christus potestatem supremam dedit et Petro et apostolis, Petro quidem ut sit ratio capitis visibilis totius corporis unitatem faciendo, et apostolis ut sit vera congregatio omnium mundi partium, quia sine partibus non est universalitas, non est Ecclesia catholica. Ideo additionem in prooemio proponimus, quae non legimus brevitatis causa, sed ad secretariatum mittimus.

(In n. II, pag. 23, lin. 10 addatur: « *super apostolos columnas* »).

Post lin. 26: « *Ita divinum aedificium quod est Ecclesia, verissime nititur tamquam in fundamento conspicuo primum quidem in Petro et successoribus eius, proxime in apostolis et successoribus episcopis* » (Leo XIII, 17 dec. 1888, *Est sane*).

2. De infallibilitate qua Ecclesia a capite suo gratificatur, dicendum aliquid videtur in n. 12 ubi de institutione Ecclesiae per Christum agitur. Pastorali et oecumenico spiritu moti, explicare necesse est quomodo Ecclesiae attribuitur infallibilitas, quae tantum Deo propria est.

Ecclesia infallibilis dicitur et est sola ratione praesentiae Christi in ea, et tantummodo relate ad illam praesentiam. Ideo infallibilitas Ecclesiae attribuitur solum ut denominatio extrinseca, vel secundum attributionis analogiam. Unde eadem unaque numero est infallibilitas et in Petro et in apostolis, in primatu et in collegio episcopali et quidem in tota Ecclesia. Ideo alteram proponimus additionem ad secretariatum mittendam: in n. 12, in fine, lin. 14 addatur: « *Fundamento suo Ecclesia Christi infallibilis dicitur et est non quasi infallibilitas intrinsece hominibus communicaretur, sed quia Christus suae Ecclesiae omnibus diebus usque ad consummationem saeculi praesens est* ».

3. Maximi momenti nobis videtur ad renovationem evangelicam Ecclesiae quae est finis Concilii nostri, ut aliquid dicatur in n. 15 de episcopatu,

non solum universalem ut informat Ecclesiam sed etiam ecclesias particulares.

Etenim Ecclesia particularis est plebs unita episcopo, a cuius plenitudine ministri accipiunt e nonnisi eius vice agunt. Talis est dignitas Ecclesiae particularis, cum Petro adunata, ut in ea tota Ecclesia sit.

Ideo renovatio catholicae Ecclesiae fieri non poterit nisi simul ecclesiae particulares renoventur. Et hic tertiam proponimus additionem.

(N. 15, pag. 25, post lin. 39 addatur: « *Potestas ordinis, cuius plenitudo in solis episcopis adest, non solum catholicam sed etiam Ecclesiam particularem informat. Ecclesia particularis est enim plebs adunata episcopo a cuius plenitudine presbyteri et ministri recipiunt et nonnisi eius vice agunt. Talis est Ecclesia particularis cum Petro adunata ut in ea tota Ecclesia sit.* N. 15, pag. 26, linn. 37 et 39 loco « Ecclesia censuerit » dicatur: « *Episcopi ... censuerint* »).

4. Sicut Concilium Vaticanum I de libertate Summi Pontificis definivit, ita eodem modo et eadem ratione respectu ad ecclesias particulares necesse est explicite proclamare libertatem episcoporum in ecclesiis suis ad essentiam ministerii pertinere. Verbum Dei non est alligatum.

Ideo inchoando hanc sessionem Concilii Paulus VI tristitiam suam non celavit de libertate denegata in quibusdam territoriis. Certo certius dicimus quod reapse libertas Ecclesiae est libertas episcoporum et libertas episcoporum libertas Ecclesiae. Ut iuxta divinum mandatum, episcopi ministeria sua adimplere possint, necesse est eis ut libere communicare cum Petro et cum ovibus possint et omnibus mediis communicationis socialis et bonis necessariis ad pascendum uti possint.

Proponimus ergo 4. textum quod ad secretarium mittimus:

Addatur in n. 18, pag. 29: « Ut iuxta divinum mandatum: " vae mihi si non evangelizavero ", episcopi ministerium suum adimplere possint, necesse est eis ut libere cum Petro et cum ovibus suis communicare possint, et omnibus mediis communicationis socialis et bonis necessariis ad pascendum uti possint ». N. 19, pag. 29, lin. 21 post verba: « Episcopi sunt praedicatores fidei », addatur « omnibus mediis hodiernis ».

5. Demum quae dicta sunt de vi et muneris regendi ratione in n. 21, nobis ni fallimur non videtur sufficienti accuratione praedita. Deficit enim in proposito textu clara definitio extensioni muneris regendi et congruens enumeratio eiusdem actionis mediorum.

Oportet praedefinire quod munus regendi episcoporum non solum ad res quae ad fidem et mores, pertinent, sed etiam ad omnia quae disciplinam et regimen Ecclesiae particularis quoque pertinent.

Insuper aperte declarandum est quod illud munus se extendit ordinarie ad omnia quae fidem, mores disciplinam et regimen pertinent si non adest expressa circumscriptio et clara moderatio a suprema potestate Romani Pontificis constituta. Necesse est, insuper aperte et clare statuere quod munus

regendi est munus leges ferendi conscientiae obligantes, et iudicandi, semper tamen veritatem in caritate faciendo.

Ideo hoc, in fine proponimus: n. 21, pag. 31, lin. 6, addatur: « potestate leges ferendi et iudicandi ». Loco linn. 9-13 dicatur: « Haec potestas non solum ad res quae ad fidem et mores sed etiam ad omnia quae disciplinam et regimen Ecclesiae particulari cui episcopus praeest, se extendit, nisi espressa et clara moderatio a suprema potestate Summi Pontificis adsit. Ne exspectet episcopus impulsionem a Sancta Sede sed propriam potestatem spontanee et tempestive exerceat ». Lin. 19 loco « eliditur » dicatur: « officitur ».

INDEX

CONGREGATIONES GENERALES

Congregatio Generalis XL

Congregatio Generalis XLI

ANIMADVERSIONES SCRIPTO EXHIBITAE
QUOAD PROOEMIUM ET CAP. I SCHEMATIS DE ECCLESIA

Congregatio Generalis XLII

Congregatio Generalis XLIII

Congregatio Generalis XLIV

CONGREGATIO GENERALIS XLV

CONGREGATIO GENERALIS XLVI

Congregatio Generalis XLVII

Congregatio Generalis XLVIII

Congregatio Generalis XLIX

Animadversiones scripto exhibitae quoad cap. II schematis de Ecclesia